ORDINIS IVDICIARII,

Et de modo procedendi in Causis criminalibus tàm in Foro Ecclesiastico, quàm sæculari

QVAESTIONES XXX.

In duos Tomos distributæ:

In quibus resoluuntur omnes difficultates, & dubia, quæ Prælatis, & Iudicibus occurrere possunt in recta suorum munerum administratione.

His accessit Criminalis Praxis, Canonica, & Regularis, Religionum Prælatis, ac Visitatoribus pernecessaria.

AVTHORE

F. LVDOVICO DE MIRANDA

VALLISOLETANO ORDINIS D. FRANCISCI,

& Sacræ Theologiæ in Conuentu Salmanticensi Prælectore.

Cum Summarijs nouiter additis, & Indicibus Quæstionum, & Articulorum, necnon rerum omnium notatu dignarum locupletissimis.

TOMVS PRIMVS.

VENETIIS, MDCXXIX.

APVD BARTHOLOMÆVM FONTANAM.

Superiorum permissu, & Priuilegijs.

Ad usum Frid Dominici Saltery

PERILLVSTRI, ET ADMODVM REVERENDO P. F. IOAN. BAPTISTÆ BORILLÆ LECTORI, PRIORIQVE SANCTI DOMINICI BRIXIÆ.

Bartolomæus Fontana.

EA est, admodum Reuerende Pater, Virtutum tuarum præstantia, & magnitudo, vt si quis mirificum illorum splendorem vel non conspiciat, vel conspiciendo non admiretur, is, meo quidem iudicio, aut nobilissimo oculorum orbatus lumine, aut nullius omninò capax Virtutis meritò iudicandus sit. Testantur meritorum tuorum excellentiam omnes isti Religionis tuæ Commilitones, quos tanquam optimus ipsorum pater, nedum Præsul (licèt in virilis etiamnum ætatis initio) tanta cum prudentia, benignitateque simul, & charitate gubernas, & dirigis, vt illos in maximum tui ipsius amorem perducas, & obseruantiam. Testantur, illa ferè omnia Religionis eiusdem tuæ munia à te tanta cum nominis tui gloria feliciter obita; præcipuè verò Prioratus, quem modò etiam summa cum grauitate, & tui, ipsiusque muneris decore, subditorumque satisfactione, obtines, & geris. Testantur omnes illi, qui te, tanquam singularum Virtutum, bonarumque ar-

 tium,

tium, & scientiarum, in primis verò Philosophicæ, Theologicæque facultatis, exemplar, & ornamentum, admirantur, & obseruant. Sed maximè testari posset Serenissimi Parmæ Ducis præclarissima Mater, in cuius conspectu quatuor ipsis annis, non sine pulcherrima tui laude, prædicationis officium exercuisti: nec non Illustrissimus, ac Reuerendissimus Princeps Cardinalis Farnesius, cui summoperè gratus fuisti, & qui valdè propensi erga te animi, necnon suæ ad summos te gradus euehendi cupiditatis, non contemnenda signa iam tibi dare ceperat; & certè fecisset, nisi illum inuida Mors nobis eripuisset; & nisi tu satiùs existimares summas dignitates mereri, quàm obtinere. Hinc tanta mihi quoque erga te reuerentia, studiumque accessit, vt illud tibi signo aliquo patefacere diù desiderauerim. Cumque quonam id pacto à me præstari posset, cogitarem, ecce ad manus meas peruenit eximium hoc præstantissimi viri Ludouici Mirandæ opus; quod, tanquam rem tibi, dignitatique tuæ congruentem, denuò prælo meo eductum, nomini tuo dicare constitui; confidens illi, qua vti soles, benignitati, hoc munusculum tibi non ingratum futurum; maximè, si auctoris doctrinam, donatorisque optimam voluntatem perspexeris. Et licèt maius aliquid fortasse meum esset tibi præbere; malui tamen paruulo hoc testimonio tibi animum meum significare, quàm aut quod adimplere non possem tentare; aut deuotionem ergà te meam silentio præterire. Accipe igitur, nobilissime Præsul, oblatum tibi libellum, meque tui obsequentissimum perpetuò futurum confide.



AD LECTOREM.

N (pie,& studiosè Lector) denuo nunc in lucem prodit liber noster hic Ordinis Iudiciarij, & de modo procedendi in causis criminalibus, tàm in foro Ecclesiastico quàm sæculari agitandis, & quantum ad theoriam, & quantum ad praxim: longe maiori cura,& diligentia, quam antea elaboratus,auctus atque locupletatus adeò vt ratione quamdam de nouo editus dici possit, aut saltim in præstantiorem alium commutatus. Pro cuius etiam maiori complemento, & vt omninò nihil illi deficeret quod desiderari posset, addita sibi est quædam praxis criminalis, canonica & regularis, pro religionum omnium Prælatis & visitatoribus cunctis, circa modum & formam quam obseruare tenentur in subditorum suorum causis discutiendis, diffiniendis,atque determinandis. Nam cum post alias eiusdem editiones, maiorum meorum iussu ad Italiæ partes fuerim euocatus, totius Seraphici Franciscani Ordinis Secretario officio vt fungerer,Romæque per annum integrum commoratus, circa varios occurrentes casus & causas peritissimos quosque celeberrimæ illius vrbis, hisce in rebus quam maximè exercitatos Doctores consuluerim, prosperum Farinacium præsertim, & plures, quin vero innumeros libros criminalistas illarum partium perlegerim: non potui non pro prædicto meo libro locupletando, ampliando, simulatque honorando,quæ ex ipsis larga manu accepi, proprijs distributa locis,in hac vltima & postrema editione,illi accomodare & super addere, vt sic auctus,atque locupletatus, in omnium (sed maxime Prælatorum Regularium communem vtilitatem) in publicum typis mandatus in lucem prodiret. Hinc factum est vt credo(absint arrogãtia verba)vt ea ferè omnia,quæ in omnibus

INDEX QVÆSTIONVM, ET ARTICVLORVM, QVI IN HOC ORDINIS Iudiciarij Primo Tomo continentur.

QVÆSTIO I.

QVÆSTIO II.

QVÆSTIO III.

10 An

QVÆSTIO IIII.

QVÆSTIO V.

8. Vtrum

5 De.

QVÆSTIO XIII.

QVÆSTIO XIIII.

QVÆSTIO XV.

5 Vtrum

5 Vtrum

QVÆSTIO XVIII.

LAVS DEO.

ORDINIS IVDICIARII,

ET DE MODO PROCEDENDI in causis Criminalibus;

TAM IN FORO ECCLESIASTICO, quàm sæculari agitandis.

QVAESTIO PRIMA.

De iudicio in genere in octo Articulos diuisa.

SVMMARIVM.

1 *Iudicium significat actum Iudicis, quatenus Iudex est, & ius inter litigantes dicit.*

2 *Iudicare idem est, ac ius dicere, & Iudex dicitur id ipsum qui facit, & eius deriuatio.*

3 *Iudicium quoque est ipsa iurisdictio, seu actus, quo ius inter litigantee Iudex dicit.*

4 *Significat etiam translatiuè omnem existimationem, & opinionem, & quamcunque rectam denuntiationem cuiuscunque rei.*

5 *Est etiam Iudicium actus trium personarum Iudicis, actoris, & rei in disquirendo contendentium.*

6 *Plures esse possunt litis consortes, & sic plures actores, & plures rei.*

7 *Pariter etiam esse possunt plures Iudices ordinarij aut delegati, vel subdelegati in eadem causa.*

8 *Tres personæ possunt esse confictæ fictione iuris non semper in iudicio explicita, aut expressa cōparere.*

9 *Loco actoris deseruit fama publica, seu facti notorium, quæ est quasi fictus accusator.*

10 *Iudicij plures definitiones adducit.*

11 *Diffinitio allata communior est, & approbata.*

12 *Inquisitionis particularis iudicium verè, & propriè iudicium, non verò inquisitionis generalis. num. 13. non tamen ordinarium.*

14 *Num in Iudicio quatuor personæ requirantur, nempe actor, reus, Iudex, & testes.*

15 *Ad essentiam Iudicij tres tantum personæ spectant, non verò testes, nisi ex accidenti.*

16 *Actoris officium est litem mouere, & excitare aliquid contra reum, &*

ra-ti ciuiliũ respectu dicitur actor, respectu criminaliũ accusator, n. 17
18 Eorum officium dicitur voluntariũ.
19 Rei officium est seipsum defendere, petita negare &c.
20 Iudicis officiũ audire actorẽ, & reũ.
21 Testes necessarij sunt ad testificandũ, quando id necessarium sit.
22 Non sunt de essentia Iudicij pracisè.
23 Etiã et hoc in notorijs cõtigit et quare.
24 Sed necessarij sunt ex accidenti, & de necessitate causatiua, ad probãdum, quod ab actore contra reum illatum est, & num. 27.
25 Reo omnia iura fauent.
26 Actore non probãte reus absoluitur.
28 Cap. forus. de verb. sign. intelligitur de negotio contentioso, & litigioso.
29 Testes esse debent distincti ab actore, siue accusatore, & à iudice.
30 Nullus potest simul esse actor, & testis, seu Iudex, & testis.
31 Nec in aliqua causa duas personas, seu personarũ genera gerere valet.
32 Notarius aduocatus, & procurator multo minus, quam testes spectant ad essentiam Iudicij, sed sunt necessarij ex accidenti.
33 Quamuis aduocatus, & procurator in ipso possint interuenire.
34 Iudicium à iure naturali, seu diuino suum trahit ortum forma tamen, & praxis est de iure humano, Canonico siue Ciuili.
35 Modus et praxis à iure Can. vel Ciu.
36 Forus est exercendarum litium locus sic dictus à fando, siue potius à Foroneo Rege.
37 Arbitrium quomodo differat à Iudicio, & quid intersit inter vtrũque.
38 Arbitrium est actus diuersarũ personarum coram Iudice arbitro super aliqua quæstione ciuili.
39 Iudiciũ diuiditur ĩ ordinariũ, et extra ordinariũ in prima sui diuisione.
40 Ordinarium Iudicium illud dicitur, in quo expressè cõcurrunt illæ tres personæ, vt num. 5.
41 Iudicij extraordinarij differentiæ, quæ remissiuè.
42 Inquisitionis particularis iudicium, quãuis vere, et propriè sit iudiciũ, nõ est ordinarium, sed extraord. & pceditur cõtra regulas iuris. n. 44.
43 Iudicium extraordinarium dicitur, in quo proceditur contra iuris regulas, seu iuris ordine non seruato.
45 Iudicium est ciuile, aut criminale, aut mixtum.
46 Ciuile iudicium, quando aliquid petitur absque origine criminis, & quando agitur ad alicuius vtilitatem priuatam, licèt negotium ex delicto descendat, nu. 47.
48 Criminale quando principaliter agitur de crimine, vel principaliter ad vtilitatem publicam.
49 Mixtum dicitur quando nec merè ciuiliter, nec merè criminaliter agitur. & quando pœna simul venit applicanda parti, & fisco. nu. 50.
51 Iudicium Ecclesiasticum, et seculare, denominatur à Iudice, corã quo fit, seu potius à causa, & num. 53.
52 Causæ merè spirituales, merè seculares & mixtæ.
54 Iudiciũ aliud ordinariũ, et sũmariũ.
55 Summariũ dicitur, in quo proceditur sũmariè simpliciter, & de plano.
56 Ius humanum positiuum nulli iure naturali valet contraire.
57 Causæ spirituales pertinentes ad iudicium Ecclesiasticum, quæ sint.
58 Exemptio clericorum in causis merè spiritualibus competit eis de iure diuino, in temporalibus de iure humano positiuo.
59 Causæ ciuiles Ecclesiasticæ, & criminales olim fuerunt sub principũ, et laicorũ potestate, & iurisdictione.
60 Iudex Ecclesiasticus cognoscit de clericis non coniugatis primæ tonsuræ declaratur, vt num seq.
62 Et de causis criminalibus clericorum coniugatorum primæ tonsuræ, declarando, vt nu 61.
63 Et cognoscit, an reus captus per Iudicem secularem sit clericus, et gaudere

dere debeat privilegio fori, & hoc cõiter obseruatur, licet secus in Gallia et Lusitania fieri dicatur, n. 64.
65 Clericatus qualiter pbetur remissiuè.
66 Iudex laicus debet statim à criminis cognitione supersedere, & potest cõpelli, & in inhibitoria inseritur informatio, & probatio clericatus, num. 67.
68 Remissio fieri debet cum tuta custodia expensis eiusdem clerici.
69 Ecclesiasticus Iudex non tenetur stare processui facto à iudice seculari, & quid in hoc casu debeat facere Ecclesiasticus, nu. 70.
71 Pendente controuersia super clericatu, clericus præsentatus detineri debet in publicis carceribus.
72 Index Ecclesiasticus cognoscit de causa possessoria cuiuscunque rei spiritualis, & de bonis proprijs Ecclesiarum, & patrimonialium clericorum, quæ gaudent priuilegio fori, nu. 73.
74 Et de consuetudine cognoscit aduersus laicos de quibuscunque rebus ad petitionem clericorum, & aduersus inuasores rerum Ecclesiarum, nu. 75. & de causa dotis, decimarum vsurarum. Simoniæ, & alijs remissiuè, nu. 76.
77 Episcopi, & Inquisitores cognoscunt de crimine hæresis priuatiuè quoad seculares & de criminib. quæ sæcularis administratio ignorat. n. 78.
79 Seculares debent iuxta leges sibi præscriptas eos quos ipsi Inquisitores hæreticos declarauerint igne comburendos punire, & eorum sententiam exequi, nu. 80.
81 Ecclesiasticus quando de crimine adulterij cognoscat, & quando sæcularis nu. 82.
83 Ecclesiasticus cognoscit de concubinatu aduersus laicos, & de crimine falsi circa Apost. literas 84. & de oĩb. quæ sunt merè Ecclesiast. n. 85.
86 Causæ merè sæculares, quæ sint. remissiuè.
87 In Hispania sæculares Iudices, & auditores regalium Cancellariarum de consuetudine cognoscunt de violentijs, quæ appellantibus irrogari solent per Ecclesiasticos Iudices. quibus in casib. datur prouisio regia, quæ dicit̃, la ordinaria, nu. 88
89 Et de beneficijs impetratis per exteros, vel naturales, qui impetrant beneficium iuris patronatus laicorum quod, an rectè fiat, nu. 91.
90 Summus Pontifex non derogat regali patrimonio, nec præiudicat iuri alicuius particularis.
92 Causæ mixti fori, quæ ad vtrumque iudicem spectant, quæ sint, & distinguuntur ibid. & 94.
93 Auxiliũ brachij sæcularis impetrari debet super solutione decimarum.
94 Cãæ de vsuris simoniæ, sodomiæ, falsi criminis circa literas Apost. cõcubinatus, sortilegij diuinationis, pacis fractæ, &c. sunt mixti fori.
95 Testamentorũ executio. & vltimarũ voluntatum, est mixti fori.
96 Reus semel punitus ab vno Iudice nõ debet ab alio puniri. Declara, quãdo pœna fuit commensurata delicto, secus si ita non fuit. nu. 97.
98 Pœna condigna alicuius delicti nõ tollitur p ĩpositionẽ alterius minoris.
99 Absolutus ab aliquo crimine in foro pœnitentiali potest denunciari, siue accusari, et puniri in foro exteriori.
100 Ecclesiast. iudex in causis criminalibus põt propria authoritate laicorũ bona capere, & eos incarcerare.
101 Sæculares Iudex non potest extra dictos casus in spirituales causas se intromittere.
101 Iudicium an incipiat à citatione, vel à contestatione litis? duæ sunt opiniones.
103 Contestatio fit, quando actori, siue accusatori, ex parte rei respondetur confitendo, vel negando id, quod sibi obijcitur.
104 Quæ ante litem contestatã fiunt ante iudicium fieri dicuntur.

ARTICVLVS I.

Quidnam sit iudicium?

ACTVRVS De ordine iudiciali, & procedendi modo in causis criminalibus vtriusque fori: de iudicibus, & ipsorum iurisdictione, & ijs, quæ ad sui m munus, & officium quoquomodo spectare possunt: non ab re præmittendum duxi, quid nam sit iudicium, & eius diffinitionem statuere; vt ne in æquiuoco (vt dicitur) laborare videamur. Et hac in re, omissis varijs, atque diuersis nominis huius acceptionibus, Etymologia, descriptionibus & significationibus, quæ passim hic à iurisperitis DD. circumferuntur, ex glos. in §. præterea, instit. quibus non est permissum facere testam. & glos. in Rubricam de iudicijs; relatis à Ioanne Monachio, Iasone, Decio, alijsque innumeris: & ex Iunioribus, à Syluestro, verbo iudicium, nu. 1. & Nauar. in Rubrica de iudicijs, num. 14. & 39. nam hæc (meo quidem videri) parum, vel nihil ad iudiciariam praxim pertinere sunt visa, magisque à Doctoribus dicuntur; exercitij, seu exercendi ingenij gratia, aut forsan ostentandi ingeniorum suorum acumina; quã vt quicquã firmiter, ac solidè teneatur (quod facere nobis non est in votis) vt si breuitate qua nitor, propositæ difficultati resolutiuè satisfaciam, sequentes statuo conclusiones.

Prima Conclusio.

IVdicium † secundum suam magis 1
propriam: primæuam, atque originariam significationem, significat actum iudicis quatenus iudex est, & ius inter litigantes dicit. Hæc iudicij diffinitio, siue descriptio, deducitur ex cap. forus, de verbor. signifi. quod est D. Isidor, vbi dicitur: Quod iudicare
† idẽ est ac ius dicere: iudex dicitur id 2
ipsum qui facit, (deriuatur enim, à verbo iudico, quod idem pollet, ac ius dico,) consequenterque proinde: Iu-
dicium est † ipsa iurisdictio, seu actus 3
ipse iudicis, quo ius inter litigantes dicit Idem tradit expresse D. Thom. 2. 2. quæst. 60. art. 1. vbi hac de re agit; quem in hoc omnes communiter sequuntur DD. Theologi, quin vero & iurisperiti iudicij diffinitionem prędictã approbantes, vt magis propriã, sibiq; magis cõueniẽtẽ, sm suã primęuã, & originariã significatiõnẽ. Qua de re videat specialiter supra dictus Syluester, verbo iudicium, num. 1. & Nauarrus, loco supra citato in Rubricam de iudicijs, num. 14. & 39. & Paz in sua Praxi, primo tom. annot. prima, num. etiam 1. cum sequen. omnes vnanimi consensu dicunt, quod quãuis (vt præmissum est) iudicium secundum suam propriam, primæuam, atque originariam significationem rectam, significet quamlibet determinationem illius quod æquum est iustum; à iudice factam, qui authoritate propria aut sibi delegata, & vtcumque commissa iudicandi munus exercet, & ius inter litigantes dicit: non incongruè tamen inde trãslatum
† atque ampliatum fuit, ad significã- 4
dam omnem existimationem & opinionem, & quamcumque rectam, & iustam

iustam determinationem, speculatiuam, siue practicam cuiuscunque rei: & omnem actum quo quidpiam diffinitur, decernitur ac determinatur, etiam à quocunque non iudice. Quod etiam tenet Ambros. Calep. in suo dictionario, verbo iudicium, in quem sensum intelligenda esse dicit, verba illa Virgilij Æneid. 2. Quod iudicium Paridis mansit alta mente repostum. Et illud etiam Cicer. de Claudio Oratore, quando dixit: Adeptum eundem fuisse gloriam, quam nemo vnquam suo iudicio est consequutus. Quibus in locis, (vt cunctis est peruium) iudicij nomen, non quidem pro actu iudicandi facto à iudice, sed pro cuiusuis opinione, sententia, siue existimatione sumitur. At missa hęc facientes, & propius ad nostrum propositum accedentes: dicamus oportet quid significet iudicium, prout designat causæ discussionem, siue processum iudicialem, & qualiter habeat diffiniri, de quo sit secunda conclusio.

Secunda Conclusio.

5 IVdicium (prout significat causæ discussionem, seu processum iudicialem) est actus † trium personarum, nempe iudicis, actoris & rei, in disquirendo contendentium, siue contendere parantiũ. Hæc iudicij diffinitio, est Goffredi, & Hostiensis, in summa titulo de iudi. quam approbant Cardina. Panormit. Decius, & Ripa, & omnes communiter iurisperiti: De qua videatur specialiter supra dictus Nauarro in dictam Rubricam de iudi. num. 15. & Paz in sua Praxi, vbi supra à numer. 6. vsque 11. vbi de mente prædicti Nauarri dicit, quod verbum actus, positum in diffinitione prædicta, accipi potest singulariter, pro vno dumtaxat actu, atque etiam collectiuè, pro multis actibus, momentaneis, siue successiuis, supra dictarum trium personarum, iuxta Doctrinam Bart. in l. si pluribus, ff. de legat. 2. item & verbum, appositũ triũ personarum, idem valere, ac si diceretur, personarum triplicis generis, nẽpè iudicis, actoris & rei: nã vnicus, siue vnius personę actus, nullatenus potest iudicium constituere, iuxta text. in c. quoniam contra de proba. Quæ quidem expositio vera est, & desumpta, ex glo. in cap. 1. 4. quæs. 4. Dicit prætera Nauarrus & Paz, loco vbi supra, quod prædictæ tres personę, in iudicij dicta diffinitione positæ (vt dialecticorum loquamur more) non stant, aut supponunt, (vt dicitur) pro singulis generum; sed pro generibus singulorum: quod sub alijs verbis, idem est ac si diceretur; quod in iudicio † 6 bene esse possunt plures litis consortes, plures actores aut plures rei, iuxta legem primam, C. de consortibus eiusdem litis, & tradit glos. in cap. cum M. de const. Et eadem ratione esse possunt plures etiam iudices: ordinarij, † 7 aut delegati, vel subdelegati in eadem causa: iuxta c. Pastoralis de rescriptis: quorum omnium actus (non quidem diuisiuè, sed copulatiuè, aut collectiuè sumptus) verè est & propriè nuncupatur iudiciũ integrũ, & perfectũ: seu verò initiatũ; ꝙ dico ad cõprehẽdendũ citationes, libellorũ oblationes, recusationes, & cætera huiusmodi, quæ in iuris rigore loquendo, non tam propriè sunt iudicium, quam præuia, siue præparatoria ad ipsum. Quam etiam ob causam consultò, postquam in præfata diffinitione diximus, iudicium, esse actum trium personarum: actoris scilicet iudicis, & rei, in disquirendo contendentium, addita sunt illa verba, siue contendere parantium. Nam nulla certè ratione negari potest, quod per superius dicta, quodammodo iudiciũ prædictum incipitur, paratur, siuę initiatur: iuxta §. fin. insti. de pæna temę. liti. Vlterius circa prædictam iudicij diffi-

diffinitionem, annotāt Nauar. & Paz
8 superius citati: nō esse † necessū quod dictæ tres personæ ibidem positæ, sint semper explicitæ, aut expresse in iudicio compareant, nam (vt amplius infra dicemus) esse possunt conficta fictione iuris. Vt videre est in particularis inquisitionis iudicio, quod iudicis tantum officio expeditur, & non ad a-
9 licuius instantiam partis: vbi † pro actore, siue accusatore, deseruit fama publica, siue facti alicuius notorietas, quæ est quasi accusator quidam fictus, fictione iuris, iuxta, ca. super his, & c. Inquisitionis de accusat. Quod & similiter reperitur in generalis Inquisitionis iudicio, quæ fit fieriq; debet, iuxt. l. congruit, ff. de offic. pręsid. & c. 1. de offic. iud. ord. Vbi pro actore deseruit ēt dānū publicū, seu publica rei vtilitas: pro reo verò cōfusè, criminis cuiuslibet patrator, quisquis ille sit. Sed ab his omnibus consultò supersedeo, quia non tam ad iudiciariam praxim spectant (quam tantummodo statuere intendo) quam ad subtilitates iuris, quæ proinde d cenda referuantur pro Scholis. Eādemq; ob causam facio missas, plures alias iudicij
10 nominis † diffinitiones, siue descriptiones, quæ hic à Doctoribus solent adduci, dicentibus quibusdam cum Curtio, in Rubrica de iudicijs, quod iudiciū est actus factus à iudice, ad finē condēnandi vel absoluendi & exequendi: a lijs verò, quod est discussio causæ, quæ coram iudice fit, seruato iuris ordine, & cum legitimo contradictore: nonnullis autem, quod est inuestigatio criminis, quam facit iudex per varios modos secundum ordinem iuris, ad eliciendam & custodiendam veritatem, siue tribuendū, quod suum est vnicuique, iuxta ca. iudicantem 30. quęstion. 5. Ab his (inquam) omnibus, cum longè sint à meo proposito, consultò supersedeo: neque amplius in eis immorari libet: vnusquisque in suo sensu abundet. Solum modo dico, quod iudicij prædicta † dif- 11
finitio à nobis allata communior est, & quam magis approbant omnes Doctores iurisperitiam cuius sensu sumitur iudicium, in l. properandum §. 1. C. de iudi. & in l. proponebatur, ff. eodem titul. & in cap. 1. de iudicijs, & cap. etiam 1. de exceptio. lib. 6. In qua diffinitione stando, ex eadem manifestè colligitur: Inquisitionis particula-
ris † iudicium, verè & propriè tale esse nuncupandum: post quam, & in 12
ea (si res penitus introspiciatur) adinuenire licebit omnia, quę ad iudicij rationem, essentiam, siue substantiam spectant: de quibus dictum est supra. Nam licèt supradictæ tres personæ, expressè, siue explicitè nō reperiantur ibidem: deficit enim actor siue accusator: cum solo iudicis officio expediatur; & non ad alicuius instantiam partis procedatur: hoc tamen non obstat, quia (vt diximus) id non est simpliciter necessarium: quin verò sufficit, quod sint cōfictæ, seu potius sub intellectæ fictione iuris. Quod consultò dixi de inquisitione particulari: &
enim de generali † loquendo (illa nē- 13
pe quę fit aduersus incertas personas, de aliquo commisso delicto, vt ex ea post modum ad particularem deueniatur) contrarium omninò existimo dicendum; & quod illa nō tam est iudicium, quam præparatoria ad ipsū: & sic eam appellat Bart. in l. vltim. ff. de quæstio. & omnes communiter iurisperiti, in Rubrica de iudicijs. Sed de hoc alias, vt non extra chorum saltare videamur: vtque omnia congruentiori ordine, in suis proprijs dicantur locis. Nunc dicendum superest, an pręter supra dictas tres personas, quas necessariò diximus in omni debere reperiri iudicio; sint & aliæ requisitæ ēt necessariò: seu vt strictius loquamur, quæ ad essentiam, & substantiam spectent iudicij? De quo in sequenti articulo.

AR-

ARTICVLVS II.

Quot nam personæ, necessariò in iudicio reperiantur? Et an testes, tabellio, aduocatus, & procurator, spectent ad essentiam, siue substantiam iudicij præcisè?

IAm vtcunq; ex dictis in præcedenti articulo constare posset id quod in præsenti disputandum proponitur: postquam diximus, iudicium esse actum trium personarum, iudicis scilicet actoris, & rei, in disquirendo contendentium, siuè contendere parantium: siuè prædictæ tres personæ sint expressæ, & explicitę, siuè verò cō fictę, fictione iuris. Sed tamen quia in cap. forus de verb signifi. quod est D. Isidor. lib. 18. Ethymolog. ca. 15. & in cap. nullus quæst 4. quod est D. Fabiani Papæ, in Epistol. ad Orientales Episcopos: insinuari videtur, seu potius
14 expresè dicitur: quod in vno † quoq; negotio, siue iudicio, quatuor personæ, seu potius personarum genera necessariò debent interuenire; nempè actor (siue accusator) qui causam moueat; reus qui se & illam defendat: index qui ius dicat: & testes, quibus id, quod ab actore, siue accusatore contra reū obijcitur cōprobetur: nō immeritò in præsentiarum quæritur, iterumque in cōtrouersiam adducitur: quonam personæ necessariò in iudicio reperiātur, seu potius spectent, atque pertineant ad ipsius essentiam, & substantiam præcisè? Vt igitur quid hac in re dicendum sit, certò constet, & contradictio quæ penes hoc, inter nonnulla iura aliqualiter esse videtur omnino tollatur; ac diuersæ aliquorū Doctorum opiniones, ad pacem, atq; concordiā reducantur: pro propositæ difficultatis resolutione, sequentes statuo conclusiones.

Prima Conclusio.

AD Essentiam † siue substantiam 15
iudicij præcisè, tres tantum spectant personæ; nempe actor (siue accusator) reus & index: quæ & necessariò in omni negotio, siue iudicio, verè & expresè (aut saltem confictæ) debent interuenire; non verò testes, nisi ex accidenti: & loquendo de iudicij necessitate causatiua. Hæc conclusio declaratione potius indiget, quā probatione. Et dico illius esse censū, quòd non existente actore, siue accusatore (vero, aut ficto) & reo, atque iudice: nullatenus constare potest iudicium: nam prædictæ tres personæ, siue personarum genera: sunt de ipsius essentia, & substantia præcisè: non verò testes, nisi ex accidenti, & loquendo de necessitate causatiua, nempe ad effectum probandi, id quod ab actore, siue accusatore contra reum illatum est. Quod vt plenius intelligatur, dico
quod in † omni iudicio, actoris, siue 16
accusatoris officium est, litem mouere, & excitare: aliquid contra reum obijciendo, ciuiliter aut criminaliter: hac enim ratione indistinctè vtimur actoris, siue accusatoris nomine, nam
rerum ciuilium † respectu, dicitur a- 17
ctor: respectu verò criminalium accusator, iuxta glossam in prin institu. de action. & glossam, in Rubricam, ff. & C. de action. & accusatio. Qui proinde actor, siue accusator, verus aut fictus, (vt dictum est) in omni iudicio iure semper præsupponitur: estque ip-
sius † officium, vt plurimum volun- 18
tarium, vt satis colligitur, ex rubro, & nigro, C. vt nemo inuitus ægere cogatur, & eius modi munus subire potest quilibet, qui aliàs iure non reperiatur
prohibitus. Rei verò officium † est, 19
semetipsum defendere, petita negare: illata siue intentata repellere: de quo videatur Regula iuncta glossa, c. cum sunt partium, de regul. iuris, lib. 6. &

lex fauorabilior est,ff.eodem titul. Iu
20 dicis autem est officium, † vtrumque (actorem scilicet & reum) æquis ac benignis auribus audire: vtrique iustitiam ministrare; eorum alterum damnando, vel absoluendo, iuxta text.in l. inter litigantes, ff.de iudicijs. Accedit enim iudex quasi medius inter acto-
21 rem & reũ. At testes † necessarij sunt ad testificandum, in casu, quo id facere necessarium fuerit, non verò aliter.
22 Quod autem testes † non sint de essentia, & substantia iudicij præcisè (vt iudicium est) exinde potest constare, quia sine testibus, quin verò, & sine vllis probationibus, actore, siue accusatore obijciente, reo verò non negante, nec se defendente: aut forsan confitente, id quod sibi obijcitur: iudiceque proinde contra eundem sententiam proferente plenissimè, atque perfectissimè reperitur iudicium. Quod & cõ-
23 tingit in omnibus † casibus notorijs, in quibus euidentia patrati sceleris vicem gerente accusatoris, & reo crimẽ non negante: aut forsan confitente: cum re vera non habeat vnde se defendere possit: iudicis adhibita sententia, absque vllis testibus, & probationibus, finitur, & terminatur iudicium. Quæ est expressa sententia Azonis, in summa, C.de iudicijs, & Bartho. in l. prolatam. C.de senten.interloc. & in l. per hanc. C.de temp. appella. Panormi. in cap afferte de præsump. & Felin. in cap. Ecclesia, de cõst. Qui omnes vnanimiter dicũt, sine testibus interdum, quin verò & sine probationibus; iudicium, & sententiam tenere: quod non contingit, sed neque contingere potest, nisi in casibus propositis. Qua quidem ratione (dialecticorum more loquentes, diximus in conclusione testes & probationes, non spectare ad essentiam, siue substantiã iudicij, (vt iudicium est præcisè) sed ex accidenti dumtaxat, & loquendo de necessitate causatiua, ad effectum probandi, id quod ab actore, seu accusatore, contra reum illatum est, de quo fit secunda conclusio.

Secunda Conclusio.

Testes in iudicio † necessarij sũt ex accidenti, & loquendo de necessitate causatiua, ad effectum probandi id quod ab actore, siue accusatore, contra reum illatum est; & ad hoc vt vno eorum negante, alter obtineat quod prætendit: quod sine testibus haud quaquam posset expediri. Hæc etiam conclusio sic explicata & declarata, est certa, & manifesta; & neque credo quòd circa illam sit aut esse possit controuesia aliqua. Nam actore affirmante, & obijciene, reo verò negante, & se defendente: sine testibus, quonam pacto expediri, expleri, aut terminari posset iudicium? Nullo certè modo. Nam cur potius actori, seu accusatori dicenti, quam reo neganti credendum? Imo verò contrarium est omninò faciendũ: et si in alterutrã partem declinandum; in fauorem potius rei, quam actoris: id ipsum facere expediret: cum & ipse in actuali sui honoris possessione semper sit, quousque sibi aliquid in contrarium probetur: cui † proinde omnia iura strictè fauent; 25 per l. actor. C. de probat. & cap. vnico, vt Ecclesi benefi. & cap. fin. de iur. iurand. quibus in locis dicitur. Quod † actore nõ probante absoluitur reus, 26 & frustratur iudicium. Relinquitur ergo, & ex his constat superque satis nostræ conclusionis veritas: quod quamuis testes non sint de essentia, & substantia iudicij præcisè (vt iudicium est) sunt † tamen de eiusdem 27 necessitate causatiua, atque ex accidẽti (vt diximus) ad effectum probandi, id quod actore, seu accusatore, contra reum illatum est.

Nec nostræ huic resolutioni † ob- 28 stant, c. forus de verborum signific. & cap. nullus 4. quæst. 4. quibus dicitur, in omni iudicio siue negotio, necessa-

rio

tiò quatuor personas, siue personarum genera debere interuenire: nam prædicta iura intelligẽda sunt ad sensum supra dictum: de negotio contentioso, & litigioso; vbi actor siue accusator aliquid reo obijcit, quod ipse negat: aut de negotio non notorio: in quo reus potest se defendere: vt expressè tradit, gloss. prædicti, cap. forus, verbo, in omni negotio. Vbi explicans illa D. Isidori verba, quod in omni negotio debét quatuor personæ, seu personarũ genera interuenire: inquit, supple, in omni negotio non notorio seu quod in forma iudicij, aut contradictoria expeditur. Etenim si quod actor, siue accusator reo obijcit, aut de se notorium est; ipse de plano se commisisse fateretur: haud quaquã in eo casu testes erunt necessarij, quin verò statim à iudice sententia poterit proferri, & sine testibus, vllisvè probatio nibus, iudicium terminari. Videatur hac de re Paz in sua praxi, tom. 1. annotat. 3. num. 1. 2. & 3. vbi & ad supra dictum capitulũ, nullus 4. quæst. 4. respondet dicendo, quod in eo D. Fabianus nihil definiuit, siue determinauit, circa personarum numerum in omni iudicio requisitum: sed solummodo dixit, quod si in iudicio adducendi, & producendi sunt testes: necessariò illi
29 esse † debent distincti ab actore, siue accusatore, & à iudice. Loquitur enim ibi (vt patebit intuenti) de necessitate iudicij causatiua: in quo iudicij gene-
30 re pręcipit, vt nullus † pręsumat, simul esse actor, siue accusator, & testis: aut iudex & testis: nã hoc omnia iura strictè prohibẽt: & quod in casu, quo necessarij sunt testes in iudicio, omninò illi esse debent distincti ab actore siue accusatore, & à iudice. Hoc dicit ibi D. Fabianus, non verò quippiam amplius. Quod & fecit ad improbandum quorumdam orientaliũ abusum, qui interdum simul fungebantur, prædictis muneribus & officijs, actoris, siue accusatoris, & testis: vel iudicis etiam, & testis: quod quidem pręcipit ibi, deinceps vt nullatenus fiat. Id quod & expressius præcipitur in cap. nullus introducatur, eadem causa & quæstione, quod est B. Damasi Papæ, vbi dicitur, quod nullus † in aliqua causa siue 31
negotio, duas personas, seu personarũ genera gerere valet: quin verò potius, quod actor siue accusator, iudex & testes, in iudicio necessariò esse debent distincti. Procedamus vlterius, & sit tertia conclusio.

Tertia Conclusio.

Notarius † siue Tabellio, aduocatus, & procurator: multo minus 32
quam testes spectant ad essentiam, siue substantiam iudicij: sed necessarij sunt ad ipsum, etiam ex accidenti. Hęc cõclusio est certa, & manifesta, & quæ etiam potius indiget explicatione, quã probatione. Pro qua dico, quamuis notarius, siue tabellio, necessarius sit in omni iudicio, quod iudiciaria forma expeditur, ad formandos, & conficiendos processus: & quò fidem faciat eorum, quę hinc inde, ex parte actoris, & rei, siue iudicis, geruntur, atque dicuntur: iuxta id, quod habetur, in cap. quoniã contra de probationibus: quamuis & † aduocatus, & procurator, in ipso 33
soleant, & possint interuenire; ille vt actoris, siue rei causam tuendam suscipiat, hic verò vt de alicuius ipsorum mandato, ibidem compareat, & in absentia suam personam repræsentet: adhuc tamen isti multo minus quam testes, sunt de essentia, & substantia iudicij, sed solum modo necessarij sunt ad ipsum ex accidenti, quia scilicet actor, siue accusator, aut etiam reus, per semetipsos non possunt eiusmodi officia, & munera expelere: aut verò non expediebat id ipsũ, vt fieret. Propter supra dictas igitur causas iure introducti sunt notarij, siue tabelliones prædicti; aduocati, & procuratores: de quib. aliqua infra suo proprio loco

dice-

diximus,per tempus si licuerit: sat sit in præsentiarum dixisse, quod omnes prædicti, multo minus quam testes, sunt de essentia, & substantia iudicij præcisè: sed tantum de solemnitate iuris, vt & multa alia, de quibus dicemus infra.

ARTICVLVS III.

Vnde nam ortum, & originem habuerit iudicium?

NON in præsentiarum agere intendo, de Ecclesiastica, siue sæculari potestate vnde dimanarit: ea enim de re agendum est à nobis infra, cum de omnibus in communi iudicibus, & de ipsorum iurisdictione specialem fecerimus mentionem. Sed sermo est de iudicio sumpto pro actu iudicandi, quo iudex ius inter litigantes dicit; vnde nam habuerit ortum, & originem? Quod idem est, ac si expressius diceretur, quo iure eiusmodi iudicium in Ecclesiam, siue communem hominum conuictum fuerit introductum; humano ne an diuino? Neque etiam est in votis, tempus insumere, seu ad longum disputare, quæstiones, controuersias, atque difficultates, seu potius subtilitates, quæ passim hic à Doctoribus iurisperitis circumferũtur, cum hæc ad scholas magis, quam ad iudiciariam praxim pertineant. Sed tamen vt harum rerum aliqualis habeatur notitia, dicere nõ prætereibo, quod fuit olim inter Doctores magna lis, & controuersia, dicentibus quibusdam, cum gloss. in princip. institut. de obligation. iudicia omnia iure humano ciuili fuisse adinuenta: affirmantibus verò alijs, tradita fuisse iure (non quidem humano) sed diuino. Quibus nec modicum fauere, ac patrocinari videtur, id quod scriptum reperitur, in Deuteronom. cap. 17. & 25. vbi latissimè præscribitur forma, quæ tempore veteris legis habebat obseruari, in deducendis causis ad iudicium, & determinandis eisdem. Quod etiam insinuari videtur, in cap. per venerabilem, verbo, rationibus, qui filij sint legitimi, & in cap. nouit, de iudicijs. Quibus in locis datur intelligi, iudicium omne humanum, à supernaturali & diuino, suum traxisse ortum, & originem. Sed his breuitatis gratia prætermissis opinionibus, & sententijs: vt quod hac in re tenendum est paucis dicam: & ipsæ vtcunque ad pacem, siue concordiam redigantur; sequens statuitur Conclusio.

Conclusio.

QVamuis † iudicium (prout ad præsens attinet propositum) à iure naturali, siue diuino, suũ trahat ortum, & originem: forma tamen, & praxis in eodem seruanda, tradita est iure humano, canonico siue ciuili, respectiuè. Hæc conclusio, meo quidem videri, est certa, & manifesta, & bene intellecta crediderim, quod circa ipsam nulla sit aut esse possit inter Doctores controuersia. Vt enim constat ex Deuter. locis supra citatis, & ex ijs, quæ amplius dicemus inferius: negari nullatenus potest, in veteri olim lege, Israelitico populo quã plurima fuisse tradita iudiciaria præcepta: quæ quantum ad id quod in ipsis morale erat: in hanc vsque diẽ perseuerant: licèt quoad alia ceremonialia, & iudiciaria, iã in morte Christi Domini fuerint abolita, & extincta. Vt enim inquit D. Paulus ad Hebræ. 7. Translato sacerdotio, necesse etiam fuit, vt & legis translatio fieret. Licèt tamen id ita sit: ordinisque iudiciarij, siue in iudicio seruandi, in Deuteron. prædicto aliqualis fuerit præscripta regula; horũ tñ nunc iam ferè nulla, aut parua habetur ratio: rã fusior, amplior, atq; expressior, in iure canonico; siue ciuili, eadem de re 34

data

data eſt omnibus prælatis, atque iudicibus procedendi forma. Qua quidẽ ratione non incongruè, quin verò cõgruentiſſimè, in ſupra dicta concluſione dictum à nobis eſt, quod quamuis iudicium, quantum ſpectat ad ſuam ſubſtantiam & eſſentiam, à iure naturali ſiue diuino, ſuum trahat ortum,
35 & originem; modus tamen † forma, & praxis nunc in eodem ſeruanda: tradita eſt atque conſtituta à iure humano, canonico, ſiue ciuili, reſpectiuè. Qua diſtinctione præmiſſa, facilè ad pacem, atque concordiam reduci poſſunt, ſupra dictæ ſententiæ, & opiniones, quin verò & aliqua iura, quę alias prima facie eſſe videbantur contraria. In fine huius articuli, pro maiori dictorum intelligẽtia, dicere viſum eſt, ex D. Iſidoro lib. 18. Etymolog. cap. 15. & refertur in cap. forus de verbor.
36 ſignific. quod forus † eſt exercendarũ litium locus: ſic dictus à fando, ſiue potius à Foroneo rege, qui primus Græcis legem dedit. Quod & dicit ẽt lib. 5. prædictarum Etymologiar. cap. 1. agendo de conditoribus legum, & refertur in capit. Moyſes diſtinct. 7. cuius ſunt hæc, quæ ſequuntur expreſſa verba, quę ad literam in præſentiarum libuit referre, vt prę manibus habeantur, quia ſunt notatu digniſſima. Habetur in titulo, de cõditoribus legum. Et infra, Moyſes gentis Hebręæ primus, omnium diuinas leges ſacris literis explicauit. Phoroneus Rex Græcis primus leges, iudiciaque conſtituit. Mercurius Triſmegiſtus, primus leges Ægyptijs tradidit. Solon primus leges Athenienſibus dedit. Licurgus primus Lacedemonijs iura, ex Apollinis auctoritate confinxit. Numa Pompilius, qui Romulo ſucceſſit in regno, primus leges Romanis edidit. Deinde, cum populus ſeditioſus Magiſtratus ferre non poſſet; Decem viros legibus ſcribendis creauit: qui leges ex libro Solonis in Latinum Sermonem translatas, duodecim Tabulis expoſuerunt. Hæc verba ſunt expreſſa ſupra dicti D. Iſidori, vbi ſupra. Et in ſequenti cap. quod incipit, fuerunt, ponuntur nomina eorum, qui ſupra dictas duodecim tabularum leges expoſuerunt. Poſt quæ addit, & dicit. Quod leges in libros redigere, primus conſul Pompeius inſtituere voluit: at non perſeuerauit obtrectatorum metu. Deinde Cæſar cœpit ad ipſum facere; ſed ante quam expleret, interfectus eſt. Addit etiam, quod paulatim antiquę leges vetuſtate, atque incuria exoleuerunt: quarum & ſi nullus iam ſit vſus: notitia tamen earum aliqualiter neceſſaria eſſe videtur. Poſt modum verò (inquit) nouæ leges à Conſtantino Cæſare cœperunt: & à reliquis ſuccedentibus Imperatoribus: quæ quia permixtæ erãt, & inordinatæ: Theodoſius minor Auguſtus, poſtea ad ſimilitudinem Gregoriani, & Hermogeniani: Codicem factum conſtitutionum à Cõſtãtini temporibus, ſub proprio cuiuſque Imperatoris titulo diſpoſuit: quem etiam à ſuo nomine Theodoſianum vocauit. Sed hunc poſtea Imperator Iuſtinianus immutauit: & ex tribus fecit vnum Codicẽ. Hæc D. Iſidorus vbi ſupra: quæ & dicere libuit in ſumma, & in cõpendio, de auctoribus, & conditoribus antiquarum legum, quibus inter multa alia, dubium nulli eſt traditam, atque conſtitutam fuiſſe praxim, & formam in omni iudicio ſeruandam, de qua multa iura, leges, atque conſtitutiones reperire paſſim licebit in vtroque iure, tam canonico, quam ciuili.

Hic etiam à Doctoribus ſolet in controuerſiam adduci, quo nam modo ſe habeat † iudicium ad arbitrium: 37
& quid interſit inter vnum & alterũ? Quam difficultatem tãgit Syluester, in ſumma verbo, iudicium, quæſt. 1. n. 2. & de mẽte Goffredi, inquit, quod arbitrium & iudicium, idẽ ferè ſunt, atque eodem modo poſſunt diffiniri,

exce

excep'o quod iudicium eſt de cauſa ci uili & criminali: arbitrium verò tantum, ſeu vt plurimum de c uili. Dicit prętcrea q'iod iudicium neceſſariò: arbitrium verò non niſi voluntariè ſubimus. Poſt quæ addit: quod iudiciũ eſt actus trium perſonarum, iudicis ſcilicet, actoris, & rei, in diſquirendo contendentium: vt ſupra remanet dictum: at arbitrium ſecundum Azotum, poteſt diffiniri dicendo quod eſt
38 actus † diuerſarum perſonarum, corã iudice arbitro, ſuper aliqua quæſtione ciuili exequentium compromiſſum. Alij diffiniunt arbitrium ad modum iudicij, dicentes quod ſit actus trium perſonarum, ſuper aliqua ciuili quæſtione contendentiũ in iudicio. Sed hac in re liceat cuilibet ſentire, & tenere quod voluerit, & vt dicitur, vnuſquiſq; in ſuo ſenſu abundet. Hactenus de hoc articulo.

ARTICVLVS IV.

Quotuplex ſit iudicium?

MVltiplices iudicis diuiſiones, atq; ſubdiuiſiones, tradũt Doctores iuriſperiti, quas ego omnes breuiter, & reſolutiuè, explicabo per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

IVdicium prima ſui diuiſione, diui-
39 ditur † in ordinarium, & extraordinarium Hæc concluſio cõſtat ex multis legibus, & capitulis iuris canonici, & habetur expreſsè, in lege pecuniæ verbum, §. perſecutionis, ff. de verbo. ſignifi. & lege cum filius, ff. ſi certum petatur, & in cap. quoniam contra, de probationibus, & ſępe alibi. Qua de re videat' Nauarro in Rubrica de iudicijs, nu. 17. & Paz in ſua praxi tomo 1 annotat. 1. num. 13. Sed quodnam iudicium dici debeat ordinariũ, quod verò extraordinarium; non tradunt Doctores vnanimiter. Et omiſſis multis, ac varijs dicendi modis, dico breuiter, illud dici † ordinarium iudicium, 40
in quo expreſsè atque explicitè, concurrunt illæ tres perſonæ, quas diximus ſupra, eſſe de eſsẽtia, & ſubſtãtia iudicij. nẽpe iudex, actor & reus: de quibus, in c. forus de verb. ſign. ſeu vt cõſulunt alij: illud, in quo proceditur media actione, ſiue accuſatione vera, iuris ſeruato ordine, & cõcurrentibus ſolemnitatibus de iure requiſitis; ſcilicet citatione, libelli oblatione, litis conteſtatione, teſtium publicatione, & cõcluſione, è contra verò dicitur iudicium extraordinarium, quando proceditur non ſeruato iuris ordine, & ſine actione, ſiue excuſatione vera, & propria. Qua de re videatur Silueſt. verbo, iudicium, quæſt. 2. num. 3. & Nauarro in Rubrica de iudicijs, nu. 17. & 18. Maranta de ordi. iudi. 4. p. 10. diſt. Paz in praxi, tom. 1. part. 1. annot. 1. num. 15. & 16. Quibus in locis Doctores prædicti, plures tradunt † iudi 41
cij extraordinarij differentias: quæ à me in præſentiarum conſultò prætermittuntur: quia cum ſint multæ, parum vel nihil faciunt ad noſtrum propoſitum. Solum modò dico, (id quod & ſatis ex prædicta cõcluſione colligitur) inquiſitionis † particularis iudiciũ,
quamuis verè & propriè ſit iudicium 42
(vt dictum eſt) non eſt tamen ordinariũ, ſed extraordinarium. Cuius quidem rei ratio in promptu eſt: nam vt latius infra ſuo proprio loco dicemus, in ea nõ proceditur cum actione, ſiue accuſatione vera: quin verò ſolo iudicis officio expeditur, iuxta, cap. qualiter & quando, el ſecondo, de accuſat. Quod autem iudicium illud, quod ſolo iudicis officio expeditur: non ſit ordinarium, ſed extraordinarium: conſtat expreſsè ex multis iuribus, & ex ſupra dicta lege pecuniæ verbum, §. perſecutionis, ff. de verbor. ſignifi. & l. cum filius. ff. ſi certum petatur, l. ſi cui. ff. de condi. & demonſtra. & l. 1. §. ſi ſo-

si solent.ff.de exerci. actio. & constat præterea id ipsum, nam iuxta, l. in cau sæ la seconda, in princi ff. de minor: 43 illud iudicium † est, & dicitur extraordinarium, in quo proceditur contra iuris regulas, seu non iuris seruato ordine: & certum est, quod in inquisitione prædicta, siue attendamus ad eiusdem principium, siue verò ad medium, aut etiam ad finem (in quas tres partes, vt dicit Bartol. in l. 2. ff. de furtis, omne diuiditur iudicium) nō quidem iuxta iuris regulas † proceditur:
44 nec iuris seruatur ordo: nam vt habetur in supra dicto. c. qualiter, & quando, el secondo de accusat. in principio incipitur sine actione, vel accusatione vera (quod est contra tenorem legis rescripto. §. si quis accusatorem, ff. de mune. & hono.) In medio etiam testes recipiuntur lite non contestata (quod est contra, cap. quoniam frequenter, vt lite non contestata.) At tandem in fine, inquisito non imponitur pœna ordinaria determinata à iure sed extraordinaria, nam alteratur & relinquitur iudicis arbitrio, iuxta c. inquisitionis, de accusa. Quæ quidē omnia (vt de se patet) expresè sunt contra iuris ordinarias regulas. Quod pro nūc hac de re dixisse sufficiat: nam de his infra suo proprio loco iterum redibit sermo quando in particulari de prædicta agemus inquisitione. Sat sit breuiter, ac resolutoriè dictū fuisse, eiusmodi iudicium propriè loquendo: non esse ordinarium, sed extraordinariū: cessareque proinde adueniēte remedio ordinario, accusationis, siue denuntiationis: & neque ipsa habebit locū, vbi lex, siue statutum præcipit, vt in aliqua causa procedatur iuris seruato ordine, & secundum ordinaria eiusdem remedia. Procedamus ad alia.

Secunda Conclusio.

Diuiditur iudicium secunda sui diuisione: † in ciuile, criminale & 45
mixtum. Hæc conclusio est etiam certa, & manifesta: & quę potius indiget explicatione declaratione, quam probatione: de qua videatur latissimè Iulius Clar. lib. 5. sent. §. fin. quæst. 2. à nu. 1. cū seqq. vbi tractat, quæ nam causæ dicantur criminales, quæ ciuiles, quæ verò mixtæ. Quod & facit Nau. in Rubrica de iudicijs a num. 31. cum seqq. & Paz in praxi tom. 1. annotation 1. num. 19. etiam cum seqq Solum superest breuiter dicamus, qualiter horū quodlibet habeat diffiniri. Et omissis varijs, quæ à doctoribus ad hoc propositum dicuntur, dico: iudicium † esse ciuile, quando aliquid 46
petitur absque origine criminis: veluti ex causa emptionis, venditionis locationis & ex similibus, iuxta textum in l. properandum in principio. C. de iudicijs, & cap. vt cæterum, cap. finale eodem titul. de iudicijs. & latius lege 7. titul. 4. part. 3. & Speculator. tractat. 5. tit. de contumacia, §. sequitur videre, & Baldus in Rubrica, C. de iudicijs. Etiam dicitur † iudicium ciuile, 47
quādo principaliter agitur ad alicuius vtilitatem priuatam, licèt negotium ex delicto descendat. Vt si pœna alicuius delicti, parti veniret applicanda. Qua de re videantur supra dicti Nauarro, & Paz; locis supracitatis. Criminale verò iudicium † dicitur, quando principaliter agitur de crimine, vel 48
principaliter ad vtilitatem publicam: iuxta textum in l. seruos, C. ad l. Iuliā de vi, & in l. vbi, C. de falsis, & in l. 1. ff. de publicis iudicijs, & supra dicta lege, 7. titul 4. part. 3. Similiter est & dicitur iudicium criminale, quando pœna pecuniaria ex delicto prouenient, fisco venit applicāda iuxta gl. in l. 3. verbo aureorum, ff. de sepulchro viola. & glo. in §. summa, verbo extraordi-

ordinaria, instit. de iniu. & glos in l. aut damnum, ff. de pœnis. Qua etiam de re videantur supra dicti Nauarro, & Paz, locis supracitatis. Neque enim in hisce rebus immorari libet, cum aliena sint à nostro proposito. Mix-
49 tum † autem iudicium dicitur: quando vtrumque simul concurrit, nempè, quando nec merè ciuiliter, nec merè criminaliter agitur: sed mixto modo, iuxta textum in capit. tuæ fraternitati, de procuratoribus. Quo loco videnda est glossa, verbo, quasi mixta (vbi ad hoc probandum, plura adducuntur iura, quæ ipse breuitati studens consulto facio missa.) Quibusdam videtur, deberi etiam dici iudicium mixtum, quan-
50 do † pœna venit applicanda, parti simul & fisco: sed quidquid de hoc sit, (non enim est præsentis speculationis) ad nostrum propositum sat sit breuiter, atque resolutiuè dixisse: quid sit iudicium ciuile: quid verò criminale: quid autem mixtum: & quod horum quodlibet, sumit denominationē à fine. Et enim si iudicij finis fuerit ciuilis, & priuata alicuius vtilitas: & ipsum quoque iudicium, erit ciuile. Si verò criminalis extiterit, ortumque habuerit à crimine, aut pro fine vtilitatem publicam: iudicium etiam erit criminale. Mixtum autem tunc erit, quando vtramque, priuatam scilicet vtilitatem, atque communem habuerit pro fine: Quod & tunc continget, quando è contra de aliquo commisso crimine, quispiam exposcerit aliquē puniri, ad vtilitatem, & satisfactionem publicam, ac simul damnum sibi illatum, ac propriam ipsius priuatam, & particularem resarciri. Qua de re videatur etiam Iulius Clarus, lib. 5. §. fin, quæst. 1. per totum, vbi ad hoc propositum dicit plura, eaque notatu dignissima. In præsenti tamen hoc opere non agendum est à nobis de iudicio ciuili, nec verò de mixto (nisi forsan incidenter.) sed tantummodo de criminali. Et fauētibus superis, breuiter, nec non, & resolutiuè dicemus, plenissimè atque exactissimè, formam & modum, quo criminales omnes causę, agitur, & tractari debent, tam in Ecclesiastico, quam in sæculari iudicio.

Tertia Conclusio.

Diuiditur tertio iudicium, † in Ecclesiasticum, & sæculare: & dicitur hoc, vel illud, à iudice, coram quo fit, seu potius à causa, quæ in quolibet illorū tractatur. De hac etiam conclusione videatur Nauarro, in Rubricā de iudicijs, à nu. 19. cum seqq. & Paz in sua praxi, tom. 1. annotat. 1. num. 32. Pro cuius intelligentia dico breuiter, quod omnes in vniuersum causæ quæ possunt euenire in iudicijs; in triplici sunt differentia. Quædam † enim sunt merè spirituales & Ecclesiasticæ; quædam merè sæculares & laicæ; aliæ vero mixtæ, seu mixti fori: & tales sunt, de quibus vterque iudex, Ecclesiasticus, scilicet & sæcularis potest cognoscere: quamuis certo quodā ordine, ita vt locus detur præuentioni. Vnde neque incongruè in prædicta conclusione diximus: illud dici iudicium † Ecclesiasticum, quod coram iudice Ecclesiastico fit, seu potius, in quo de spirituali, & Ecclesiastica aliqua causa tractatur: illud verò sæculare, quod fit coram iudice sæculari, seu cuius causa est temporalis, & sæcularis; mixtum autem, quod ad vtrumlibet se habet: illud nempè, in quo agitur de aliqua causa mixti fori: coram hoc, vel illo iudice, habito respectu ad cuiusque præuentionem. De quibus omnibus causis, vt certò, & liquidò constet, quid cuilibet prædictorum iudicum conueniat, & quænam causæ ad hoc, vel illud forum pertineant: dicemus statim in sequenti articulo. Vt tamen huic vltimam imponamus manum, dicamus oportet aliquid, de iudicio nō quidem ordinario, sed summario, de quo sit quarta conclusio.

Quar-

Quarta Conclusio.

54 Diuiditur præterea quartò, iudicium † in ordinarium & summarium. Quidnam sit iudiciũ ordinarium, iam in prima conclusione est dictum. Solummodo super est dicamus, quod nam sit summarium? Et di-
55 co quod iudicium † summarium dicitur illud, in quo proceditur summariè simpliciter, & de plano, sola facti veritate inspecta, absque strepitu, & figura iudicij, iuxta id, quod hr̃, in Clem. sæpè de verbor. signific. Quo iudicij genere, siue procedendi modo: ex priuilegio, & Summorum Pontificum benignitate, vtuntur omnes ferè omnium Religionum Prælati: & in quibusdam causis etiam iudices sæculares Nihil tamen prætermittendo, aut mutando de substantialibus iudicij, & de ijs, quæ ad ipsius essentiam, siue substantiam spectant. Nam hæc sunt de
56 iure naturæ, & nullum † ius humanũ positiuum, iuri naturali valet contraire, siue ei in aliquo præiudicare, vt Latius infra suo proprio loco dicemus. Reseruantur enim isthæc omnia proprijs locis tractanda & elucidanda: vt non eorum peruertamus ordinem, & dum simul inuolutè dicuntur, confundantur.

ARTICVLVS V.

Quę nam sint causæ, pertinentes ad iudicium Ecclesiasticum?

Prima Conclusio.

57 Causæ spirituales, † & pertinentes ad iudicium Ecclesiasticum, de quibus, nisi ex cõmissione Papæ, solus Ecclesiasticus iudex cognoscit, sunt eæ quæ sequuntur. In primis de omni re spirituali annexa: antecedenter, & consequẽter. Quo fit vt ad ipsum solum spectent controuersiæ omnes super gradibus, & ordinibus sacris, festorum obseruationibus, beneficijs, decimis, iuris patronatibus, & similibus. Ad eundem etiam spectat Ecclesiasticum iudicẽ, cognitio de rebus temporalibus Ecclesiarum & clericorum, & de criminibus ipsorum, iuxta textum in cap. decernimus, cap. quanto, cap. qualiter, cap. at si clerici, & cap. clerici de iudi. & cap. 2. de foro compe. c. continua. 11. quęst. 2. cũ alijs multis eiusdem causæ, & quæstionis. Id quod, & de nouo habetur statutũ lege regia, 57. titul. 6. part. 1. & l. 5. titul. 3. lib. 1. Recopilat. Sed est aduertẽdum, quod exemptio † clericorum à potestate sæ- 58
cularí, & laica, in causis verè spiritualibus, competit eis de iure diuino: at in causis temporalibus (etiam suarum Ecclesiarum) & in ipsorum criminalibus: non nisi de iure humano positiuo: diuino tamen multum conformi; vt quam doctissimè tradit, & probat, Couar. in suis Practicis quæstionibus, cap. 31. num. 2. Fuere enim olim † causæ ciuiles Ec- 59
clesiasticæ, & criminales clericorum, sub laicorum, ac sæcularium principum potestate, & iurisdictione vt resoluit Alciat. in Rubrica de iudicijs, & in l. iubemus, C. de sacrosanctis Eccles. at postea sancta nostra Mater Ecclesia, pia ratione & consideratione ducta, exemit eosdem à sæcularium laicorum principũ iurisdictione, & potestate: vt habetur in præallegato, capit. decernimus, & alijs supra citatis. Qua de re videatur Iulius Clarus lib. 5. §. final, quęst. 36. à num. 1. & seqq. & Paz in sua praxi, tomo 2. præludio 2. nu. 5. & nunc nouissimè Farinacius tom. 1. q. 8. à num. 2. cum seqq. latissimè.

Secunda Conclusio.

Cognoscit etiam † Ecclesiasticus 60
iudex, de clericis non coniugatis

primæ

primæ tonsuræ: & de eorum rebus, tã in ciuilibus, quam in criminalibus: iuxta text. in cap. cum non ab homine, cap. clerici de iudic. & capit. 2. de foro compet. & notat gloss. in cap. vnico de clericis cõiugatis. lib. 6. & tradit dictus Couarr. in Practicis quæstionibus, ca. 32. num. 1. Quod intelligendum est de iure communi antiquo: de nouo autem intelligendum id est, dummodo
61 † habeant beneficium Ecclesiasticum, aut habitum clericalem & tonsuram deferentes, de mandato Episcopi alicui inseruiant Ecclesiæ: vel in seminario clericorum, seu in aliqua Schola, aut Vniuersitate versentur, de licentia eiusdem Episcopi, vt postea ad maiores ordines suscipiendos promoueantur. Sic enim extat nunc expressè definitum, atque determinatũ, in Concilio Tridentino session. 23. de reformatione, cap. 6. Per quæ fuere limitata, quæ simpliciter, & absolutè erant olim decreta, in præallegatis capitulis: Cum non ab homine, & cap. clerici. de iudicijs, cap. 2. de foro compet. Quod & nouissimè statutum, atque ordinatum est, à Christianissimo nostro Philippo II. Hispaniarũ Rege, in l. 1. titu. 4. lib. 1 Recopil. vbi & tradita est forma seruanda in istis rebus. De quo etiam videatur supradictus Couar. in Practicis quæst cap. 32. num. 1. & Paz vbi supra, num. 6. & supradictus Farinacius loco vbi supra, à num. 5. cum seqq. latissimè.

Tertia Conclusio.

62 Cognoscit etiam † Ecclesiasticus iudex, de causis criminalibus clericorum coniugatorum primæ tonsuræ, siuè ciuiliter, siuè criminaliter intententur, dũmodo habeant illas qualitates, & conditiones, quæ continentur, in cap. vnico de clericis cõiug. lib. 6. & nunc nouissimè decernuntur in prædicto Concil. Tridentin. sess. 23. de reformat. cap. 6. De quo etiam videatur supradictus Couar. in Practicis quæstionibus, cap. 31. à num. 7. & deinceps. Videatur lex, 1. titul 4. lib. 1 Recop.: vbi explicantur & declarantur amplius prædicta omnia. In quibus, quia non id est mei propositi, aut præsentis speculationis, amplius immorari non libet. videatur Farinac. vbi supra, & etiam Paz in praxi tom. 2. prælud. 2. nu. 7. & 8. vbi dicit quod in illis casibus, quibus prædicti clerici primæ tonsuræ, amiserunt priuilegiũ fori, & à iudice sæculari vltimo sunt puniendi supplicio, degradari, non debent, vt resoluit Couar. in Practicis, quæst capit 32. numer. 3. & simul explicat illam aliam quæstionem, an qui post commissum delictum assumpsit ordinem Ecclesiasticum, à iudice sæculari possit puniri: de qua etiam propter rationes superius dictas, & quia longissimam requirebat disputationem, nihil libuit in præsentiarum dicere.

Quarta Conclusio.

Cognoscit etiam † Ecclesiasticus 63
iudex, an reus captus per iudicem sæcularem sit clericus, & gaudere debeat priuilegio fori, ac remitti ad eundem iudicem Ecclesiasticum, iuxta textum in cap. si iudex laicus, de senten. excommunic. lib. 6. verbo dubitationis. Qua de re videatur Nauarro in cap. nouit. de iudic. notab. 1 6. num. 44. & Paz in praxi tom 2. prelud. 2. num. 9. & latissimè Farinacius loco vbi supra, à num. 33. cum seqq. latissimè, & hoc est, quod communiter obseruatur in praxi, saltem in his
Castellæ Regnis, licèt in † Lusitaniã, 64
& Gallia secus fieri dicatur, apud quos hæc fori cognitio spectat ad iudices sæculares, vt tradit Couarr. in Practicis quæst. cap. 33. num. 1. & Nauar. vbi supra: qui & dicit, quod circa hoc iudex sæcularis, neque etiã quantum ad cognoscendum de nuda quæ-

quæſtione facti, debet, aut poteſt ſe intromittere, quod certè oporteret ipſos ſummopere, conſiderare, & aduertere, multoque magis ad vnguem obſeruare.

65 Sed qualiter clericatus, † & reliqua alia in id ipſum requiſita debeát probari eleganter ac reliqua omnia reſoluit ſupradictus Cou. loco vbi ſupra, de eo traditur Regula in titul. 4. lib. 1. Recopil. verbo, quando occurrere. Sed aduerto, quod interim quod cauſa clericatus fuerit finita, per ſententiam iudicis Eccleſiaſtici, licèt iam vſus Forenſis obtinuerit, quod ad ipſum reus non remittatur: debet † ta-

66 mē iudex laicus ſtatim à criminis cognitione ſuperſedere; quod & vt faciat, à iudice Eccleſiaſtico per cenſuras poteſt compelli: recepta tamen prius ſummaria informatione, & probatione clericatus: vt ſatis colligitur ex præallegato cap. ſi iudex laicus, in fine. Et in ipſa inhibitoria, quæ in tali caſu profertur à iudice Eccleſiaſtico,

67 inſeri debet prædicta † informatio, & probatio clericatus, aut titulus beneficij. Et ſi non eſt beneficiarius, dici debet, quod eiuſmodi reus (vt præmittitur à iudice ſæculari captus) eſt ab Epiſcopo deputatus ſeruitio alicuius Eccleſiæ, aut verſatur in aliquo clericorum ſeminario, ſeu in aliqua Vniuerſitate, de licentia præfati Epiſcopi. Et ſi ex dictis conſtiterit, reum ad iudicem Eccleſiaſticum fore remittēdum: fieri id debet ſtatim, abſque omni dedecore, & abſque omni actu ignominioſo, vt tradit Iulius Clarus, lib. 5. ſententiarum, §. fin. quæſt. 38. num. 48. Vbi reprobat, atque condemnat, & meritò, deprauatas multarū prouinciarum conſuetudines, quibus introductum eſt eiuſmodi remiſſiones cum actibus ignominioſis. De-

68 bet tamen remitti † cum tuta cuſtodia, facta expēſis eiuſdem clerici, vel iudicis Eccleſiaſtici, clericus ſi fuerit pauper: id quod communiter ſeruatur in praxi. Nec verò tenebitur † iu- 69

dex Eccleſiaſticus, ſtare proceſſui facto à iudice ſæculari clericum remittente, iuxta communem opinionem, ex Decio in c. at ſi clerici de iudicijs: quin verò de nouo debet illum efficere, ſed eo nihilominus non obſtante, extrahi ſemper conſueuit proceſſus prædictus à Tabellione iudicis ſæcularis, & coram iudice Eccleſiaſtico produci, ad ſe inſtruendum in cauſa, & non amplius, vt tenet ſupradictus Paz loco ſupra citato, numero 12.

Eſt tamen ſummopere aduertēdū à iudice Eccleſiaſtico, † quod ſi iudex 70 ſæcularis cognoſcere cæperit de aliquo crimine aduerſus clericum, quem tamen nondum apprehendit, licèt id ipſum facere contēdat: & huiuſmodi clericus coram eo præſentatus, expoſtulet per cenſuras iudicem ſæcularem inhiberi, pronūciando illum eſſe clericum, & exemptum ab ipſius iuriſdictione, debereque gaudere priuilegio fori: ac proinde quod prędictus ſæcularis iudex ceſſet à talis cauſæ cognitione: nō prius id ipſū faciat, quam certò ſibi conſtet eundē eſſe talem, qui gaudere debeat eiuſmodi fori priuilegio. Et inſuper (vt præmiſſum eſt) in ipſa inhibitoria inſeri debent omnia ſuperius dicta, iuxta formam nuperrimè traditam in l. 7. titul. 4. lib. 1. Recopill. Et interim, quod huiuſmodi lis, & controuerſia † ſuper clericatu pendet, clericus (ſic 71 vt præmittitur præſentatus) ab Eccleſiaſtico iudice in publicis, & tutiſſimis carceribus debet detineri ſub firma & tuta cuſtodia, & nullatenus remitti ſub fideiuſſoribus, ſiue in Eccleſia conſtitui: alioquin extrahi poterit & capi à iudice ſæculari, vt habetur in dicta l. 7. titul. 4. lib. 1. Recopillat. De qua re videatur Couarr. in Practicis quæſt. ca. 33. num. 4. & Bernardus Diaz de Lugo, ſeu potius Salzedo eiuſdē cōmentator, in eiuſdem

Practica criminal. cap. 62. num. 16 & 20. Vbi ad hoc propositum dicuntur plura, eaque notatu dignissima; quæ magis in particulari, per tempus & propter breuitatem, cui tantopere studemus in præsentiarum referre nõ licèt. Videatur etiam hac de re, Paz vbi supra, num. 13. & 14.

Quinta Conclusio.

COgnoscit etiam Ecclesiasticus iu-
71 dex, † de causa possessaria cuiuscunq; rei spiritualis, vel quasi spiritualis: etiam si nihil proprietati habeat annexum, vt tenet Cou. in Practicis quęs. c. 33. nu. 1. & Paz vbi supra, nu. 25. & Farinacius vbi sup. à nu. 20. cũ seqq. Quin verò, & de bonis proprijs
73 Ecclesiarũ, † & patrimonialibus clericorum, aduersus reũ laicum: nam bona patrimonialia clericorum, gaudent priuilegio bonorum Ecclesiæ, iuxta glo. 3. in ca. Ecclesia, de consti. & glos. in cap. fin. de vita & honesta. cleric. Quod Couar. lib. 1. variarum, cap. 4. numer. 3. intelligit esse verum; solummodo in casibus à iure expressis, & dicit hunc casum esse expressũ, in l. decernimus, C de Episcopali Audientia, & in ca. si clericus laicum, de foro compet. Quod qualiter sit limitãdum, multis tradit Paz in sua Praxi, loco supra citato à nu. 16. cum sequent. sed in his amplius immorari non libet. Dicit præterea prædictus
74 Paz, quod de consuetudine † iudex Ecclesiasticus, interdum etiã cognoscit aduersus laicos; de quibuscũque causis, ad petitionem clericorum, vel Ecclesiarum ipsorum, iuxta prædictum, capit. si clericus laicum, de foro compet. Quam consuetudinem vigere dicit in hac Episcopali Salmanticensi audientia: in quo non etiam libet immorari, quia omnia ista longè sunt à meo proposito. Aduersus tamẽ
75 inuasores † rerum Ecclesiasticarum, siue clericorum: constanter tenet supradictus Paz, quod iudex Ecclesiasticus cognoscere potest, etiam si sint sæculares: iuxta, ca. cum sit generale, de foro. comp. & glos. in cap similiter 16. q. 1.

Multos alios † casus, & causas, af- 76
fert supradictus Paz, de quibus cognoscere potest Ecclesiasticus iudex: vt de causa dotis, decimarum, vsurarum, simoniæ, quæ omnia videantur ibidem loco supra citato, à num. 21. vsq; ad 27. inclusiuè.

Sexta Conclusio.

COgnoscit etiã Ecclesiasticus † iu- 77
dex, nempè Episcopi, & inquisitores in hoc munus destinati: de hæresis crimine, quod aduersus fidẽ, & Christianã Religionẽ cõmittitur: vt doctè, atque ingenuè probat Simancas, libro illo suo aureo, & nũquam satis laudato, de Cath. institu. titul. 36. à num. 1. dicens, quod de il-
lis † criminibus, quæ sæcularis admi 78
nistratio ignorabat, & ea esse crimina Christiana ostendit religio, solus cognoscit Ecclesiasticus iudex, iuxta ca. cum sit generale de foro compet. & c. vt inquisitionis. §. prohibemus de hæreticis, lib. 6. Atque ita quotiescũq; quispiam fuerit repertus deliquisse in hoc criminis genere, statim ad dictos sanctæ fidei Inquisitores est remittendus Quod ipsũ statuitur in pragmatica Regia, facta Burgis 17. die Mẽsis Martij, Anno 1508. renouata Anno 1553. Et vt ne quisquam sęcularium iudicum, quacunque dignitate, & potestate præditus, cognoscere vllo modo audeat, siue præsumat, de causis criminalibus hæreticorum, imò verò nec de ciuilibus ipsorum, etiam prætextu leuandi vi oppressos. Nam ea super re, si aliquis se sentiat grauatum, appellare statim poterit (non quidem ad auditores Regios) sed ad Senatũ supremæ Sanctæ, & generalis inquisitionis, & ad ipsius iudices, qui di-

dicũtur bonorum publicatorũ. Licèt vero iudices sæculares (vt præmissum est) cognoscere non possint de causis prædictorum hæreticorum, etiã quãtum ad factum, seu nudam quæstionem facti (vt probe notat. Nauar. in c. nouit de iudi. notabil. 6. n. 44. & Couar. in Practicis quæstionibus, cap. 33. num. 3. in fine, per textum in dicto c. vt inquisitionis, §. prohibemus) nihilominus debent ijdem iudices, † iuxta leges sibi præscriptas, eos quos ipsi inquisitores hæreticos pertinaces, relapsos, seu impænitentes declarauerint, igne comburendos, punire, seu aliam pęnam ab ipsis prestitutam eisdem irrogare, eiusque executionem fecere, cum à predictis inquisitoribus in id fuerint requisiti, ac eorum potestati traditi. Quod & facere tenẽtur (vt dicit prædictus Simancas) clausis, vt aiunt oculis: nulla de facto aut iustitia facti cognitione facta, cũ circa hoc ipsorum officium versetur, non in cognoscendo, sed in exequendo. Quod & in Ecclesia fuisse ordinatum atq; stabilitum, rationi fuit quam maxime consonum, nec non & Christianæ reipublicæ summopere necessarium. Nam postquam Ecclesia eadem, semel & iterum hæreticũ ab hæresi auertere, & ad suum gremium reducere, pia miseratione tentauerit, nec potuerit, & amplius non habeat quid faciat: meritissimè eundem curie tradit sæculari, quò pro suis meritis seuera mortis ipsum afficiat pæna, † & exequatur, quod illa non potuit fecere, nec decebat, vt efficeret. Ita habetur determinatum in dicto, cap. vt inquisitionis de hæreticis, lib. 6. & sic fit (vt dicitur) in ca. Princeps 23. quæst. 5. vt quod sacerdotes per doctrinæ sermonem fecere non valent, hoc per disciplinæ terrorem, imperet sęcularis potestas, & vna iubet, & foueat aliam. Videatur hac de re Iulius Clarus sent. recepta. libro 5. §. heresis, numero 4. verbo, hoc enim, & Farinacius vbi supra numero 317.

79

80

Septima Conclusio.

Cognoscit tandem Ecclesiasticus † iudex, de crimine adulterij, quando agitur de eo tantũ ad pęnitentiam, siue separationem tori, iuxta gl. 3. in c. cum sit generale, de foro compet. & cap. tuæ de procuratoribus, & tradit Panorm. cum cõmuni, in cap. 2. da officio ordinarij, & resoluit Couar. de sponsalibus 2. par. cap. 7. §. 6. num. 8. Qua de re videatur etiam Paz in praxi tom. 2 prælud. 2. num. 31. Secus est autem si † ageretur de prædicto crimine ad causam sanguinis, nam in eo casu, solus est competens sæcularis iudex. Si verò agatur de prædicto crimine ad alias pęnas, tunc vterque iudex de eo poterit cognoscere, iuxta dictum capit. cum sit generale, vbi hoc tenet Panormit. & Felinus cum communi, & consentit Decius in cap. consuluit, el primero, de appella. Qua de re videatur Bernard. Diaz in sua Practica criminal. cap. 79. & etiam Iulius Clar. lib. 5. sententiarum, §. fin quæst. 37. num. 3. vbi hoc idem tenet. Et in Concil. Tridentin. session. 24. de reformatione Matrimonij, cap. 8. præscribitur forma, qua iudices ordinarij Ecclesiastici, procedere debent ad punitionem prefati criminis. Vbi etiam dicitur, quod Ecclesiasticus † iudex, cognoscere potest de concubinatu aduersus laicos. quod & tenet, dictus Iulius Clarus loco vbi supra, numero 4. Sed hac de re dicemus inferius cum agemus de criminibus mixti fori. Et eandem ob causam dicere omitto, de crimine falsi † circa Apostolicas literas, & de crimine sortilegij, diuinationis, paci fractæ, sacrilegij, alijsque huiusmodi etiam inter laicos, de quibus cognoscit, & cognoscere potest Ecclesiasticus iu-

81

82

83

84

dex, & de crimine nefando, de crimine periurij, & multis alijs, quæ latissimè referuntur à Doctore Paz in sua praxi, tomo 2. præludio 3. per plures numeros, à quibus omnibus consultò abstineo, vt videantur ibidem. Et omnia vnico concludam verbo, *dico*, quod Ecclesiasticus † iudex cognoscere potest, de omnibus, & singulis, quæ sunt mere Ecclesiastica, & spiritualia vel spiritualibus annexa: vt pote, quæ sola lege supernaturali, & diuina, vel Pontificia sunt prohibita: non autem legali, aut ciuili. Quæ verò vtroque iure sunt prohibita, hæc iure optimo dicuntur mixti fori: de quibus vterque iudex potest cognoscere, vt amplius dicemus infra in artic. 7.

85

ARTICVLVS VI.

Quænam sint causæ pertinentes ad iudicium sæculare?

Prima Conclusio.

85 CAusæ merè sæculare, † & de quibus solus iudex laicus, & sæcularis cognoscit: sunt illæ, quæ sola lege sæculari sunt vetitæ, & prohibitæ, quales sunt omnes temporales ciuiles, & criminales: quas pro eo, quod longum esset nimis velle in præsentiarum recensere consulto facio missas, & sat sit earundem vnum, aut alterum exemplum adduxisse. Vt verbi gratia, quod triticum tanti, aut tanti vendatur non verò maiori pretio: quod idem triticum, & aliæ merzes non asportentur extra regnũ: quod ensis non deferatur, maioris quam quinque palmorum longitudinis, &c. De his & similibus causis, de iure solus cognoscit sæcularis iudex: non verò Ecclesiasticus.

Seconda Connlusio.

DE cõsuetudine tñ (vt dicitur) fũdata in iure, cognoscunt etiam in nostra Hispania sæculares iudices, † nempè auditores regalium Cancellariarũ, de violentijs, quæ appellantibus irrogari solent per iudices Ecclesiasticos non annuendo, siue deferendo eorũ legitimis appellationibus, iuxta l. 36. cum tribus sequentibus. titul. 5. lib. 2. Recopil. Quod faciunt prædicti iudices (vt dicunt) de consuetudine fondata in iure: pro eo, quod regum est officium vi oppressos eripere, vt habetur in cap. regum 23. quæst. 5. & in cap. siglij. 16. quę. 7. facit & cap. princeps. cap. administratores, eadem 23. quæst. 5. & habetur in l. 3. tit. 13. part. 2. & l. 2. tit. 6. lib. 1. Recopil. Qua de re videatur quod dicit Nauarro, in cap. cum contingat da rescrip. remedio 1. & Couar. in Practicis quæst. cap. 35. num. 3. & Paz in praxi tom. 1. part. 1. tẽpore 1. numer. 23 Sed an hoc iure vel iniuria fiat: non ad me spectat id ipsum determinare: nec enim præsentis est speculationis, aliorum esto iudicium: cum sit res quę maiorem requirat disputationem, & tractationem fusioremque sermonem: quod per tempus facere non licet. 87

Solum modo est notãdum, † circa prouisionem regiam, his in casibus dari consuetam, quæ vulgò dicitur la ordinaria, quod hęc concedi solet à prædictis auditoribus ante illatum grauamen ipsi impetrati, asserenti tamen, illud iam sibi factum fuisse: quamuis non id ita sit tempore impetrationis. Quod quidem licet consonum non videatur rationi, & sit contra textum in Clementina appellanti de appellat. vbi habetur: quod appellanti à grauamine iudicis, non alias licet causas prosequi, quam dumtaxat in sua appellatione nominatim 88

ex-

expreſſas; permittitur tamen id fieri, & ita communiter obſeruatur in Praxi: pro eo quod huiuſmodi reſcriptũ, ſiue regia prouiſio, in duplicem effectum, ſiue euentum præſtatur, quorũ eſt vnus, vt ſi grauamen eſt illatum, tollatur; alter verò, vt ſi nondum eſt illatum, non inferatur: ſed proceſſus ad auditores prędictos remittatur. Et quia vterque euentus cẽſetur iuſtus, eam ob cauſam non iniuſtè prædicta prouiſio, ad vtrumque effectum, ante impletam conditionem cõceditur, argumento textus, in l. cum hæres, §. pro parte, ff. de acquir. hęredit. qua de re videatur etiam Paz loco vbi ſupra, num. 24.

Tertia Concluſio.

COgnoſcunt prætereà in noſtra Hiſponia, prędicti auditores Regij, de conſuetudine etiam (vt dicitur) eodẽ iure introducta & fundata:
89 quando aliquis † exterus impetrat aliquod beneficium Eccleſiaſticum in his regnis, vel quando naturalis impetrat aliquod beneficium iuris patronatus laicorum, vel iuris patronatus regij, aut beneficia patrimonialia, quæ præuio examine incolis, & originarijs in diœceſi Palentina, Burgenſi, ac Calagurritana conferẽda ſunt. Vel quando quis impetrat Canonicatum magiſtralẽ, aut Doctoralẽ alicuius eccleſiæ, Cathedralis, ſiue collegiatę, iux. l. 34. tit. 5. li. 2. Recopil. In quibus caſibus eiuſmodi auditores regij examinant literas Apoſtolicas, & vident veram, aut falſam ipſarum narrationem, ſuſpenduntque executionem illarum: interdicentes impetrantibus vſum ſub grauiſſimis pænis, & comminationibus. Quod facere poſſe abſque timore, & periculo excommunicationis, reſoluit Palacios Rubios, in tractatu de beneficijs vacantibus in Curia, §. 7. & 12. & Couar. in Practicis quæſt. cap. 36 num.

3. præmiſſa tamen ſupplicatione ad ſummum Pontificem, veram eidem relationem mittentes, ob cuius defectum eiuſmodi literæ ab eodem videntur fuiſſe conceſſæ. Neque enim credendum eſt (inquiunt) velle Sũmum Pontificem † regali patrimonio, aut iuri alicuius particularis prę- 90
iudicare & derogare: vt habetur in l. 2. §. ſi quis à principe, ff. ne quid in loco pub. & l. ſic pro eo, ff. de off. deleg. ſed quidquid de hoc ſit: hęc apud nos Hiſpanos communiter obſeruantur in Praxi: tota obſtupeſcente Romana Curia, quin verò, & reclamãte. Quorum iuſtificationem, aut damnationem, nõ in præſenti arum ad me ſpectat determinare, aut ea de re iudiciũ facere: hoc alijs diſputãdum, atq; definiendum relinquo, nõ enim eſt pręſentis ſpeculationis. Solum modo dico, & aduerto (id quod, & quã maxima eſt conſideratione dignũ) quod ſupplicatio ad Pontificem ſummum, hiſce in caſibus facta & interpoſita: realiter & cum effectu coram ipſo, & eiuſdem Sede Apoſtolica, debet proſequi: alioquin crediderim, quod eiuſ-
modi literarum vſum † impedientes, 91
haudquaquã excõmunicationẽ euadant, quæ lata eſt, & quotannis fertur contra tales, in Bulla Cœnæ Domini. Id quod expreſsè determinauit Gregorius XIII. quodam ſuo motu proprio; dato anno 1575. de literis proceſſus fulminati in die Cęnæ Domini, & habetur cum alijs conſtitutionibus Pontificalibus, de quibus videatur Paz vbi ſupra à nu. 26. vſque ad 29. incluſiuè.

ARTICVLVS VII.

Quænam causæ dicantur mixti fori, & pertineant ad vtrumq; iudicem, Ecclesiasticum scilicet, & secularem?

Prima Conclusio.

CAusæ mixti fori, & quarum cognitio ad vtrũque iudicẽ, Ecclesiasticum, & secularem
92 spectat: sunt illæ, quæ † naturali, & diuino iure, ac etiam simul humano Pontificio, siue ciuili sunt prohibitæ. Tales sunt omnes causæ decimarum, quantum ad quęstionem facti, quoad iudices sæculares: nam quantum attinet ad quæstionem iuris, & facti, solus cognoscit Ecclesiasticus iudex. Hæc conclusio constat, ex cap. peruenit, capit. nuntios, cap. cum homines de decimis, & ex Clement. 2. de iudic. & capit. postulasti de homici. & cap. omnes decimæ 19. quæstio. 7. & nunc nuperrimè, ex Concilio Trident. sess. 25. de reformat. cap. 12. De qua re videatur Nauar. in suo Manuali Latino ca. 21. nu. 32. & Conar. in Practicis quæst. cap. 35. num. 2. & Paz in Praxi to. 2. prælud. 2. nu. 22. 23. & 24. procedente autem iudice Ecclesiastico contra laicum super solutione decimarum (si non ad id sufficiunt censuræ) implorare potest, &
93 debet, † auxilium brachij sæcularis, contra huiusmodi non soluentem decimas: vt habetur in dicto cap. postulasti de homicidio. Atque ita in quæstione facti decimarum, Ecclesia duos habet iudices, Ecclesiasticum scilicet, & sæcularem: circa quæstionẽ tamen iuris (vt dixi) solus est competẽs Ecclesiasticus iudex.

Secunda Conclusio.

94 ETiam sũt mixti fori, omnes causæ † de vsuris, simonię, Sodomię, falsi criminis circa literas Apostolicas, cõcubinatus, sortilegij, diuinationis, pacis fractæ, sacrilegij, blasphemiæ, & periurij: iuxta glossã communiter receptam, in cap. cum sit generale de foro cõpet. Quę omnia dicũtur mixti fori, quia de ipsis vterque iudex, Ecclesiasticus scilicet, & sæcularis, aduersus sæculares cognoscit: Iste ad imponendam pœnam iuris, ille verò ad effectum cogendi peccatorem ad pænitentiam: liberandamque animam ipsius à peccato, & à morte perpetua, saltem per viam denunciationis: vt eleganter resoluit Nauar. in cap. nouit de iudi. notabili. 6. numer. 44. Qua de re videatur etiã Couarru. lib. 3. variarum resolutionum, cap. 3. num. 1. & in 4. decretaliũ 2. par. cap. 8. §. 12. numer. 4. & 5. & Paz in sua Praxi loco supra citato, à numer. 25. vsque 48. & Farinacius tom. 1. quæstio. 8. à numer. 129. cum seqq. latissimè. Et idem dico de † executione 95 testamẽtorum, & vltimarum voluntatum: cogente altero cum censuris, alio verò alia via, ad earum executionem & adimpletionem. In quibus explicandis, & elucidandis, non amplius immorari libet, quia neq; id est mei propositi, neque præsentis speculationis: videantur DD. superius citati.

Tertia Conclusio.

IN prędictis criminibus † quæ di- 96
cuntur mixti fori, in quibus pæna lege præscripta, ab vtroque iudice imponi potest: reus semel punitus ab vno iudice de aliquo delicto, non debet ab alio iterum de eodem puniri. Hęc etiam conclusio est certa, & manifesta: de qua videndus est Simancas, lib. de Catholicis instit titul. 8. num. 9. & titul. 46. num. 18. & Paz in sua Praxi, loco supra citato à nu. 49. cũ seqq. Quod intelligẽdum est, quando pæna ab vno iudice imposita

fuit

97 fuit condigna, † atque commensurata delicto; secus est autem si non ita fuit. In quo casu verum habet, id quod habetur, in cap. fælicis de pænis, lib. 6. §. per hoc, vbi dicitur, quod reus punitus à iudice Ecclesiastico, de certo quodam crimine, puniri potuit à iudice sæculari de eodem. Cuius decisionis ratione fuit, quia crimen, cuius ibidem fit mentio, erat grauissimum: & quamuis pęnæ illic positæ, ac constitutæ, fuerint etiam satis graues, & seueræ: non tamen erant naturales, & condignæ tanto delicto, debebantur enim maiores, positæ in l. quisquis, C. ad l. Iuliam maiestatis: quas cum Ecclesia imponere non posset; nec decebat, quod ea ipsas irrogaret: iuxta capit. sententiam, ne clerici, vel monachi, & capit. fin. eodem titul. lib. 6. hinc factum fuit, vt in dicto cap. dicatur, quod eiusmodi criminis patrator, condignis, & naturalibus pænis, de eodem crimine iterum posset puniri. Resolutiuè ergo dicendum est, quod quando crimen est grauissimum, & pęna naturali, atque condigna, propter indecentiam, siue incompetentiam iurisdictionis, à iudice Ecclesiastico non potest imponi: vtpotè, qui nunquam irrogat, sed neque irrogare potest pęnam sanguinis: in tali casu, iudex sæcularis bene potest iterum de eodem crimine cognoscere: & pœnam tanto delicto condignam, quam irrogare ad ipsum spectat, reo superimponere. Non .n. tol-
98 litur pęna † naturalis, & condigna alicuius delicti, per impositionem alterius minoris, iuxta legem secundam in fine, C. de sportulis, maximè si id factum fuerit in fraudem, siue præiudicium iustitiæ. Quæ est communis omnium iurisperitorum resolutio, in cap. de his de accusationibus, & placet Bald. in l. placet, C. de sacrosanctis Ecclesijs. Hinc etiam fit, quod abso-
99 lutus † ab aliquo crimine in foro pænitentiali, denunciari, siue accusari potest: iterumque puniri in foro exteriori, iuxta textum in cap. admonere 33. quæstio. 2. verbo, quanto magis, & tradit glos. in dicto cap. de his, & Decius, in cap. quia diligentia, num. 6. de electione. Qua de re videatur Couarruu. libro 2. variar. cap. 20. numer. 3. & Paz loco supra citato, num. 53.

Quarta Conclusio.

QVamuis iudex Ecclesiasticus, procedens aduersus laicos, in causis ciuilibus, siue criminalibus, ciuiliter intentatis: non possit propria sua auctoritate eorum bona, aut personas capere: sed pro executione suæ sententiæ, per censuras tantum debeat procedere; aut si opus fuerit auxilium brachij sæcularis implorare: at verò in causis verè crimi-
nalibus, † bene potest idipsum facere, 100
& propria auctoritate eorum bona, & personas capere, & in proprium carcerem detrudere, iuxta textum in cap. attendendum, 17. quęst. 4. & cap. contra idolorum, 26. quęst. 5. & ita obseruat communis Praxis. De qua re videatur Couar. in Practicis quæst. cap. 10. num. 2 & Paz in Praxi loco vbi supra, à num 54. vsque ad finem secundi præludij. Tandem pro breui horũ omnium resolutione dico, quod extra prædictos casus, non debet, aut potest
iudex † sæcularis, & laicus, in spiri- 101
tuales causas se intromittere: neque è contra Ecclesiasticus, in sæculares, & temporales: & contrarium, qui fecerit (præter quam, quod erit ipso iure nullum, quidquid fuerit intentatum) peccabit mortaliter, vt tenet communis resolutio, cum D. Thom. 2. 2. quęstio. 60. art. 2. vbi agit de iudicio vsurpato, & facto à non habente iurisdictionem, de quo nos etiã infra multa dicemus suo proprio loco.

ARTICVLVS VIII.

Vnde, seu à quanam parte, incipiat iudicium?

HAc de re magna est lis, & controuersia, inter Doctores iurisperitos: dicentibus quibusdam:
102 iudicium † incipere à citatione: alijs verò quod non, sed à litis contestatione. Et vt quod quæritur amplius notum fiat; dico multos esse in ea sententia & opinione, quod iudicium nõ incipit à citatione: sed à litis contesta-
103 tione: quod tunc fit: quando † actori siue accusatori, ex parte rei respondetur, confitendo, vel negando, id quod sibi obijcitur. Quod probant ex glos. in l. si is, qui Romæ, verbo iudicium, & glos. in l. iudicium. ff. de iudicijs, Coi resolutioni fauere videtur, etiam Etymologia nominis eius, quam tradit D. Isidorus, lib. 1. Etymolog. & habetur, in cap. forus de verbor. significat. vbi dicitur, quod iudicium denominatur tale: à causę discussione, ibi, dum discutitur iudicium est. Dicit ibidẽ D. Isid. quod vnum, & idem negotium, secũdum triplicem statum, triplex sortitur vocabulum. Nam dum proponitur causa dicitur, dum discutitur iudicium: quando verò finitur, iustitia: Sed, hæc causæ & negocij alicuius discussio: nõ est nisi quando inter actorẽ, siue accusatorem, & reum, lis ipsa contestatur, siue discutitur: nam
104 quę ante litem † cõtestatam fiunt, ante iudicium fieri dicuntur: iuxta l. is qui se obtulit, ff de rei vendi. & l. amplius non peti. ff. rem ratam habe. & l. 1. C. de litis contesta. Dicendum est igitur (inquiunt prædicti Doctores) quod à litis contestatione prædicta, nõ vero à citatione: iudicium incipit. Cui opinioni fauere videtur Bald. in cap. 1. de litis contestat. opposit. 1. dũ
105 dicit, litis contestationem † esse fundamentum, & lapidem angularem totius iudicij. Hanc sententiam tenet etiã Decius & Alciatus, in Rubrica, C. de in ius vocando: & omnes communiter iurisperiti, ex Curtio in Rubrica, ff. de iudicijs, num 12.

Sed alij in contraria † sunt omninò sententia: dicuntque iudicium incipere à citatione: & esse etiam verè & propriè ante contestatam litem: quod & probant, ex l. vbi cæptum, & l. si quis postea, ff. de iudicijs, & ex text. in §. fi. insti. de pœna teme. liti. & ex cap. penultimo de foro compet. & ex quam pluribus alijs iuribus, & legibus: quibus insinuari, aut (vt sibi placet) determinari videtur: iudiciũ à citatione inchoari, non verò à litis contestatione. Quod & placuisse videtur Bart. in l. 2. ff de furtis, post quã dixit iudicium incipere, vbi primum actio intenditur. Quibus verbis innuere videtur, quod incipiat etiã ante quam reus, actori siue accusatori respondeat: & sic ante contestatam litẽ. Quam etiam sententiam ex iunioribus, tenet Nauar. in Rub. de iudi. nu. 16. vbi hac de re agendo dicit, quod iudicium nõ solum inuenitur post cõtestatam litem, sed etiam ante illam: licet integrius post illam. Sed integritas † (inquit) & magnitudo, non variat speciem rei: iuxt. l. fin. ff. de fund. inst. Quod dicit esse verum, licèt multa liceant post contestatam litem, quæ non licent antea: iuxta c. quoniam frequenter, vt lite non contest. & e contra multa liceant antea: quę post non licent iuxta l. post litem. ff. de procuratoribus. Eãque ob causam, quoad quædam iudicium dicatur incipere à litis contestatione: iuxta, l. vbi cæptum, ff. de iudicijs: & interdum à citatione: cum prætoriæ stipulationes † præstitæ ante litem contestatã: verè & propriè iudiciales dicantur: iuxta l. 1. & 2. ff. de prætor. stipulat.: nam & omnia, quæ fiunt coram iudice ad contendendum, siue

ad

106 107 108

ad concordandum: incipiendā litem, vel impediendum ipsius initium: dicuntur esse iudicium. Hæc supradictus Nauar. vbi supra. In qua tantorum Doctorum diuersitate & differentia, vt quod verius, atque tenendum videtur paucis dicam, sequentem statuo conclusionem.

Conclusio.

109 PRædictæ duo opiniones,† ambæ sunt probabiles stando in proprijs cuiusque fundamentis; & si res penitus inspiciatur inter ipsas parua est, aut nulla differentia; nisi in solo loquendi modo. Hæc conclusio satis constat ex supradictis. Nam certum quidem est, si fiat sermo de iudicio integro, & formato, non ipsum esse ante litis contestationem: at si fiat de cæpto, & inochoato: negari nullo modo potest, quod incipit à citatione, quam sententiam sic explicatam, tenet Ripa, in Rubrica de iudicijs, nu. 47. & 48. Et per hoc ad pacem, atque concordiam reducit, supra dictas opiniones, leges, & iura, quæ prima facie alias videbantur contraria. Et certè quod iudicium incipiat à citatione, manifestissimè constat, ex textu in capit. gratum de de officio delegati, verbo citatione facta. Neque huic resolutioni obest, particula, quasi, ibidem posita: nam non dicit, aut significat ibidem conditionem diminuentem à ratione iudicij, sed rationem explicantem qualiter ipsum cæptum dicatur. Sed quidquid de hoc sit: extra controuersiam est, quod

110 prædicta citatio † sufficit, ad continuandam, & perpetuandam iurisdictionem iudicis delegati, iuxta cap. si à subdelegato, de officio delegati, lib. 6. in quo conueniunt omnes vnanimiter Doctores, & tradit illud Bart. in l. more, ff. de iurisdictione omnium iudicum, & Panormit. in cap. relatum de offic. deleg. & qui hac de re plura videre desiderat, consulat Doctorem Paz in sua Praxi tomo 1. annotatione 1. à num. 35. vsque ad finem annotationis eiusdem: nam nobis non est in votis, hisce rebus non ita nostræ professionis proprijs, amplius immorari: hæc pro hac quæstione dicta sufficiant.

QVÆSTIO. II.

De iudicibus quantum ad ipsorum iurisdictionem, in sexdecim articulos diuisa.

SVMMARIVM.

1 *Potestas in vniuersum iurisdictionis in foro exteriori alia Ecclesiastica, alia sæcularis.*

2 *Ecclesiastica potestas est facultas quædam supernaturalis immediatè à Christo D. instituta, ac D. Petro, & successoribus concessa. numero 3.*

4 *Et an primò fuerit concessa Diuo Petro, eiusque successoribus, an verò toti Ecclesiæ?*

5 *An Papa sit supra Concilium, an è contra Concilium sit supra Papam?*

6 *Potestas sæcularis, & laica est facultas à Deo communitati mortalium tradita.*

7 *Et naturaliter concessa, & naturalis dicitur.*

8 *Qui vult finem necessariò, & velle debet ea quæ consequuntur ad finem.*

9 *Communis hominum societas, siue Politia sine iurisdictione, & facultate, & potestate semetipsos regendi, conseruari minimè potest.*

10 *Deus indidit naturale dictamen hominibus, vt vnum sibi Principem constituerent.*

11 Pecu-

11 *Sæcularis, & laica potestas differt à spirituali, & ecclesiastica ex efficienti materiali, formali, ac finali causa.*

12 *Vtraque fuit collata à Deo tanquam causa efficienti.*

13 *Materialis causa, quia sæcularis est ad gubernanda naturalia, & ecclesiastica ad spiritualia.*

14 *Formalis causa quia sæcularis dirigit secundum legem naturalem, ecclesiastica secundum regulam supernaturalem.*

15 *Finis potestatis sæcularis, est conseruatio hominum in naturali statu, & ecclesiastica in spirituali, & supernaturali.*

16 *Potestas sæcularis antiquior est potestate spirituali, sed non dignior.*

17 *Diuerso tamen, & contrario modo fuere mortalibus exhibita.*

18 *Finis legum sæcularium, & Canonicarum diuersus fuit, & aliud fuit principium, a quo leges ipsæ dimanarunt.*

19 *Qualibet ciuitas bene instituta potestatem, & iurisdictionem habet supra omnes, & singulos ciues, & habitatores regendi, & gubernandi, vsque ad occidendos.*

20 *Gentes quæ regem, aut Ducem non habent an sibi possent constituere?*

21 *Sæcularis potestas an hodie sit immediatè in Principe, an in tota communitate?*

22 *Suprema potestas laica, an simul esse potuerit, atque de facto sit coniuncta cum potestate Ecclesiastica, & hodie de facto illam obtineat Papa?*

23 *Christus in quantum Deus, & in quantum homo fuit vniuersorum Dominus, & vniuersalis Monarca totius orbis, & si vsum Dominij habere noluerit de facto, existens in hoc mundo.*

24 *Et hoc patet ex multis authoritatibus sacræ scripturæ.*

25 *An data fuerit Petro, & successoribus?*

26 *Potestas suprema laica, & spiritualis ecclesiastica non sunt incompossibiles, quin verò potuerunt esse coniuncta, & vnita.*

27 *Melchisedech fuit Rex, & Sacerdos, & ecclesiastica dignitas, & temporalis potestas iure legitimo ad primogenitos omnes pertinebat. numero 28.*

29 *Pontifex habet supremam potestatem, & iurisdictionem ecclesiasticam, & spiritualem in toto orbe terrarum, vbi notitia habetur fidei, & temporalem & laicam respectu vrbis.*

30 *Potestates scilic. suprema sæcularis, & laica, & suprema spiritualis & ecclesiastica inter se pugnare, & esse incompossibiles nedum falsum est, sed etiam temerarium, asserere.*

31 *Christus Dominus non contulit de facto Diuo Petro, & eius successoribus supremam potestatem laicam, sed dumtaxat supremam ecclesiasticam.*

32 *Rerum temporalium iura resident penes Imperatorem.*

33 *Suprema Potestas, quam hodie habet Pontifex in nonnullis ciuitatibus habet ex donatione Constantini.*

34 *Potestas sæcularis, & laica conueniens fuit, quod non sit simul coniuncta, & vnita cum suprema spirituali, & Ecclesiastica & quod Summus Pontifex non in his rebus temporalibus gubernationis totius orbis se implicaret.*

35 *Non omnia officia vni, sed singula singulis sunt committenda, vt ne vnus solus prematur & grauetur causarum pondere.*

36 *Diuus Petrus, & successores indirectè, & ad supernaturalem finem habuerunt, & habent potestatem non solum spiritualem, & ecclesiasticam verum etiam sæcularem, & laicam.*

37 *Innocentius IV. Federicum Secundum, olim deposuit.*

38 *Potestas, quam habent Pontifices Romani tantummodo æterna, & supernaturalia respicit, indirectè, & secundariò extenditur etiam ad naturalia, & temporalia.*

39 *Potestas suprema conueniens fuit quod esset in ecclesia, circa spiritualia directè, verum indirectè circa temporalia, & naturalia.*

40 *Iurisdictio quæ coërtionem non habet frustranea est, & parum efficax ad consequendum finem, quem inducit.*

41 *Iudices omnes in vniuersum, aut sunt ordinarij aut extraordinarij.*

42 *Iudex ordinarius quis dicatur, & quis Iudex extraordinarius numero 43.*

44 *Arbitri qui dicantur.*

45 *Iudices ordinarij sunt aut summi, qui non recognoscunt superiorem, aut inferiores.*

46 *Summus Iudex in spiritualibus est Pontifex.*

47 *In sæcularibus Imperator, & Reges exempti, qui non recognoscunt superiorem.*

48 *Iudices inferiores in spiritualibus sunt Cardinales Archiepiscopi, Episcopi &c. in sæcularibus sunt auditores supremorum Consiliorum Regis, & alij inferiores iudices num. 49.*

50 *Iudices ordinarios in spiritualibus solus Papa creat, in Temporalibus Imperator.*

51 *Non tamen sunt delegati, sed ordinarij.*

52 *Plures Iudices ordinarios conuenit constitui in Republica Christiana, & quare.*

53 *Nullus Iudex se intromittere debet in alterius iurisdictionem.*

54 *Ecclesiasticus ordo confunditur, si sua iurisdictio cuilibet non seruetur.*

55 *Archiepiscopi, & Episcopi successerunt in Apostolorum locum.*

56 *Opinio Bellarmini quod Archiepiscoporum, & Episcoporum iurisdictio sit delegata, & ita aliorum contraria verior num. 57.*

58 *Archiepiscoporum, & Episcoporum iurisdictio non est delegata à Summo Pontifice, sed ordinaria iure diuino ipsis competens ratione suorum officiorum.*

59 *Et eis competit iurisdictio de iure humano, sed immediatè, & est ordinaria & delegata.*

60 *Depositio, cessio, & translatio Episcopi non fit authoritate diuina, sed humana.*

61 *Iurisdictio competens Prælatis Regularibus illis competit de iure diuino, & non solum ex Papali humano ratione suorum officiorum contra num. 62. sed primam tenent alij, & eam defendunt nu. 63.*

64 *Religiosi Prælatos, & superiores habere non debent non eiusdem instituti.*

65 *Professus vnius religionis eligi non debet in Abbatem alterius religionis, & quare.*

66 *Iurisdictionem ordinariam habent à prædictis Episcopis non nulla personæ ex consuetudine, & iure speciali, & quæ illæ sint numero 67.*

68 *Idem de Prælatis ordinum militarium.*

69 *Archiepiscopi habent iurisdictionem in suffraganeos, non tamen in eorum subditos, nisi certis casibus.*

70 *Archiepiscopus intra diœcesim sui Episcopi suffraganei non potest quempiam iudicare, nec ordines conferre.*

71 *Cui competit plus competit etiam quod est minus.*

72 *Archiepiscopi habent iurisdictionem in tota sua prouincia, non tamen episcopalem, nisi in propria diœcesi, nec*

nec possunt constituere vicarium, sine officia em in d accesibus suorum suffraganeorum, nisi id habeat consuetudo nu.73.

74 *Ordinarij si à iure non fuissent prohibiti possunt in suis diacesibus, quicquid Summus Pontifex in tota Ecclesia: idem Religionum Prælati Episcopalem, vel quasi Episcopalem iurisdictionem habentes numero 75.*

76 *Iurisdictio Archiepiscoporum, Episcoporum, & Prælatorum Regularium restringi, & limitari potest à Summo Pontifice.*

77 *Factum à Summo Pontifice censendum est factum esse à Deo.*

78 *Papa præest immediatè omnibus Ecclesijs, & Diœcesibus quorumcunque Prælatorum suorum inferiorum, & potest in eisdem absque ipsorum præiudicio facere quod sibi visum fuerit.*

79 *Archiepiscopi, & Episcopi, & Prælati regulares possunt ex causa limitare suorum inferiorum iurisdictionem.*

80 *Restringentes sine causa peccant mortaliter: licet factum teneat.*

81 *Restrictiones omnes, & reseruationes factæ à iure, siue statutis censeri debent iustæ.*

82 *Iurisdictio Vicariorum, siue Prouisorum, & correctorum, seu vicem tenentium ordinaria est non delegata, & quando expirat morte concedentis nu. 84.*

83 *Ordinarium dicitur officium quod exercetur ex quadam iuris permissione.*

85 *Iurisdictio competens Vicarijs foraneis non est ordinaria, sed delegata, & quare.*

86 *Tribunal Episcopi, & Vicarijs ordinarij vnum, & idem omninò est.*

87 *Laici non possunt esse vicarij ordinarij Episcoporum. Secus ex delegatione Pontificis nu. 89.*

88 *Rationi non congruit homines dispari professionis vel habitus in eisdem ministerijs sociari.*

90 *Delegatus à verbo, de lego, quod significat, vices meas alteri committo.*

91 *Legatus dicitur cui à Papa certa patria, vel Prouincia committitur.*

92 *Delegatus quoad Ecclesiasticos dicitur, cui aliqua causa a Pontifice decidenda committitur. Idem dicitur de delegatis ab Imperatore Regibus &c. quoad sæculares numero 93.*

94 *Delegatio in spiritualibus fit à Papa, Archiepiscopis, Episcopis &c. Iurisdictionem habentibus: in temporalibus ab Imperatore Regibus &c. num. 95.*

96 *Delegatus in sæcularibus, esse potest quilibet, qui non reperitur prohibitus delegatus Papæ non nisi, qui in dignitate constitutus sit.*

97 *Vicarij conuentum non possunt esse delegati, nisi quando in conuentu non haberent superiorem.*

98 *Delegatus tenetur ostendere tenorem suæ delegationis, aliàs nullus tenetur ei parere.*

99 *Si nolit fidem facere ordinario de suo mandato, & ei parere nolentem excommunicet, hæc excommunicatio inualida erit.*

100 *Delegatus in ostensione sui rescripti quid facere debeat?*

101 *Ea, quæ sunt meri, & mixti imperij indelegabilia sunt de iure ciuili, de iure canonico omnes causæ delegari possunt num. 102.*

103 *Archiepiscopi, & Episcopi delegare possunt pertinentia ad suum Episcopalem ordinem, sed non nisi alijs Episcopis.*

104 *Pertinentia ad iurisdictionem alijs possunt delegare, vt est audientia causarum peccatorum absolutio, & similia, causas tamen criminales clericorum, cum agitur ad deposi-*

depositionem non possunt alcui delegare nume. 105. *nisi ex necessitate absessent.*

106 *Potestas conferendi beneficia non venit in generali mandato siue commissione facta Vicarijs generalibus Archiepiscoporum, nisi exprimatur.*

107 *Episcopus potest constituere acconomum Ecclesiæ Patronatæ vacantis ad fructus custodiendos si ipsius prouisio differatur.*

108 *Vicarius Generalis Archiepiscoporum, & Episcoporum ex generali commissione, & mandato inquirere corrigere, aut punire suorum subditorum excessum, non potest.*

109 *Expressis aliquibus casibus ex requirentibus specialem commissionem cæteri committerentur sub clausula generali, quando non expressa essent paria vel minora expressis, & si essent grauiora expressis non intelligerentur comprehensa sub generali clausula.*

110 *Facultas dispensandi in denuntiationibus faciendis ante celebrationem matrimonij non venit in generali commissione.*

111 *Ordinarij nomine stricte non venit nisi aut Papa aut Legatus, aut Episcopus diocesanus.*

112 *Dispensandi facultas non venit in generali comissione.*

113 *Archiepiscopi delegare non debent matrimoniorum causas propter earum excellentiam, nec dispensandi cum irregularibus, nec absoluendi violentos percussores clericorũ &c.*

114 *Delegatus cum plenitudine potestatis potest omnia, ad quæ se extendit potestas illius, qui eum delegauit delegatus vero ad aliquod speciale negotium tantum potest id, quod specialiter sibi fuerit commissum, & sine quo illud expediri non potest n.* 115

116 *Iurisdictione delegata in dubio quanam veniat?*

117 *Delegatus à Papa, seu à Principe indistincte potest totam causam alteri, vel illius partem delegare, limitatur quando Papa concedit alicui certum ministerium, & non absolutè iurisdictionem num.* 118. *& alijs casibus vt ibi.*

119 *Prælati regulares, inquibus casibus potestatem suam possint alijs demandare.*

120 *Delegatus non à Papa, vel à Principe sed ab alio, in quibus casibus possit subdelegare.*

121 *Delegatus ab alio quam à Principe subdelebare potest etiam post litem contestatam, sed contraria verior num.* 122.

123 *Subdelegari an possit ex consensu partium aliquod negotium commissum alicui, vt personaliter exequatur. Intellige quando rescriptum fundatur super vtilitate partium, secus si super vtilitate publica. nu.* 124.

125 *Subdelegatus tenetur subdelegationem acceptare in casu quo subdelegatus subdelegare potest nisi delegatus malitiosè subdeleget.*

126 *Iudex non debet aut potest causam alteri committere, nisi cum ipse iusta causa impeditus illam expedire non potuerit, sed contra nu.* 127.

128 *Iudici deleganti an sit credendum si scribat, quod aliquod negotium per semetipsum expedire non potest, sed contra nu.* 129.

130 *Dubia sunt in meliorem partem interpretanda.*

131 *Delegatus compellere potest subdelegatum ad acceptandum subdelegationem.*

132 *Verbum coercedi magnam habet animaduersionem.*

133 *Subdelegatus à delegato Papa habet coerctionem.*

134 *Iuris ordine seruato, clausula qualiter intelligatur.*

135 *Clausula, quod procedatur summariè simpliciter, & de plano, qualiter intelligatur.*

136 *Si*

136 *Si dicatur in rescripto quod procedatur purè, & simpliciter quomodo intelligatur?*

137 *Si dicatur non seruata iuris solemnitate qualiter intelligatur?*

138 *Si dicatur vt Iudice sicut voluerit qualiter intelligendum.*

139 *Ille cui committitur vt faciat sicut vult, tenetur sequi regulas iuris naturalis.*

140 *Clausula vt procedat secundum veritatem excusat ab apicibus iuris, non ab obseruantia Iuris Canonici, vel ciuilis.*

141 *Clausula vt iudicet sicut sibi videbitur, intelligitur vt iudicet iudicio intellectus. Idem si dicatur arbitrio vel iudicio aut prudentia tua relinquo nu. 142.*

143 *Verba exceptis volo, libet, arbitrium plenum, vel liberum important arbitrium boni viri ratione regularum.*

144 *Clausula vt procedatur de facto intelligitur manu regia.*

145 *Clausula contradictores quoslibet authoritate apostolica compescendo, intelligitur de ijs, qui contradicunt de facto, non de iure.*

146 *Clausula vt delegatus etiam procedere possit contra exemptos, iurisdictio extenditur ad eos, qui exemptionis habent priuilegium.*

147 *Delegatus procedens contra exemptum authoritate delegata nullo modo videtur facere contra exemptionis priuilegium, quod declaratur.*

148 *Delegatus qui habet in rescripto vt procedere possit appellatione remota non potest hoc alteri subdelegare & nullus committere potest causam appellatione remota nisi Princeps num. 149.*

150 *Clausula non obstantibus quibuscunque contrarijs qualiter intelligenda.*

151 *Iudicis delegati iurisdictio incipit à citatione & alijs modis.*

152 *Iurisdictio iudicis delegati expirat re integra per scientiam mortis delegantis, & per mortem eius contra quem mandatur delegatio nu. 153. Et quando non expiret vide plura.*

ARTICVLVS I.

Quot sint iudicium genera seu quotuplex sit iudicandi potestas?

PRo huius articuli intelligẽtia, aduerto, quod in præsenti solummodo fit mentio, de potestate iurisdictionis in foro exteriori, de qua loquendo respondetur per sequentes conclusiones.

Priam Conclusio.

OMnis in vniuersum † potestas (loquendo de potestate iurisdictionis in foro exteriori) est duplex: quędam Ecclesiastica, quædam verò sæcularis. Hæc conclusio apud omnes est comperta, neque de ea est qui dubitare possit. Vnde, & omnes in vniuersum iudices, prima sui diuissione, diuiduntur in Ecclesiasticos, & sæculares. Solummodo necesse est, vt dicamus atque constituamus prædictarum potestatum proprias, & genuinas deffinitiones, quod fiet per sequentes conclusiones, & primò de potestate Ecclesiastica, sit secunda conclusio. 1

Secunda Conclusio.

POtestas Ecclesiastica † siue spiritualis, est facultas quædam supernaturalis, immediatè à Christo Domino instituta, ac D. Petro supremo totius Ecclesiæ capiti, eiusque successoribus cõcessa; ad regendos, & gubernandos fideles, secundum legem Euangelicam in supernaturalibus, nec non & in naturalibus, in quantum spectant ad supernaturalia. Hæc conclusio, & diffinitio potestatis Ecclesiasticæ, & spiritualis, est D. Thom. libr. 1. de regimine principum, capitul. 14 de 2

qua

quā vidēdus est Nauarro, in relectio
ne super, ca. nouit de iudicijs, notab.
3. num. 82. Et quidem quod hæc Ec
3 clesiastica, & spiritualis † potestas, im
mediate fuerit à Christo Domino in
stituta, ac D. Petro supremo totius Ec
clesiæ capiti, eiusque successoribus cō
cessa; expressè patet, ex eo quod habe
tur, Math. 18. vbi post cōstitutum E-
uāgelicę correptionis pręceptum, &
eiusdem præscriptum ordinem, ac tra
ditam formam: post quam etiam di
ctum est, quod peccatum fratris pec
cantis, primò corripiatur secreto; se-
cundò corā testibus, & tandem ter-
tiò, quod si nec sic fuerit correctus,
Ecclesiæ denuncietur; & quod si Ec-
clesiam non audierit, habeatur tan-
quā ethnicus, & publicanus: tandem
subditur. Amen dico vobis, quæcūq,
alligaueritis super terram, erunt liga
ta, & in cęlo, & quęcunque solueritis
super terram, erunt soluta, & in cęlo.
Quæ quidem verba ex communi om
nium Doctorum resolutione, intelli-
gēda sunt de prędicta auctoritate, &
potestate iurisdictionis in foro exte-
riori, quę tradita est Ecclesię à Chri-
sto Domino, & extenditur ad regen
dam, & gubernādam eandem secun-
dum legem Euangelicam, & fideles
omnes in viam saluti dirigendos: &
in rebelles, & contumaces debitas pę
nas inferendas, & infligendas. Solum
modò est difficultas, & nec parua qui
dem, sed magna; scire, & inuestigare,
4 cui nā † primò, & principaliter eius-
modi potestas à Christo Domino fue
rit cōcessa: D. Petro eiusque successo
ribus: an verò toti Ecclesiæ? ex cuius
difficultatis resolutione, pendet decis
sio, & resolutio alterius quęstionis ce
leberrimæ, quæ multorū semper tor-
5 sit ingenia, an scilicet Papa † sit supra
Concilium: an verò è cōtra Conciliū
sit supra Papam: qua de re inter DD.
sed præsertim Romanos, & Parisien
ses: Magna est lis, & cōtrouersia. De
qua vidēdus est D. Th. 2.2. q. 1. a. vlt.
& q. 11. a. 1. & 2. & in 4. sententiarū
dist. 19. q. 1. & Cai. in opusculis, tom.
1. & Apologia 1. p. c. 1. & 2. part. c. 9.
& Panor. in cap. significasti, & Na-
uarr. in relectione prædicta, super ca.
nouit de iudicijs, notab. 3. nu. 84. Et
qui tenēt huiusmodi potestatem, pri-
mò, & principaliter fuisse D. Petro,
eiusque successoribus à Christo Do-
mino concessam (quæ est Romano-
rum sententia) consequenter dicere
tenentur, quod Papa est supra Conci
lium: esseque eundem Concilium su-
periorem. Qui vero è contra dicunt,
eiusmodi potestatē primò, & princi-
paliter traditam fuisse Ecclesiæ, exer
cendam tamen per vnum nempè D.
Petrum, Romanumque Pontificem
eiusdem successorem (quæ est opinio
Parisiensium) necessariò perinde ha-
bent fateri, quod saltē in aliquibus
casibus, Concilium sit supra Papam.
A qua difficultate, & quęstione, con-
sultò in præsentiarum supersedeo: vt
pote quę nōn est pręsentis speculatio-
nis, & quia ampliorem, atque longio
rem requirebat disputationem, &
tractationem. Qua ratione præter-
missa, vt ad potestatem secularem de
ueniamus, sit tertia conclusio.

Tertia Conclusio.

POtestas † secularis, & laica, est 6
facultas à Deo Opt. Max. toti
mortalium communitati, im-
mediatè, & naturaliter concessa ad se
regēdum, & gubernandum in rebus
naturalibus: vt secundum naturalem
rationem, bene beatèque viuant. Hęc
conclusio & potestatis secularis, &
laicæ diffinitio: est etiam D. Tom.
lib. 1. de regimine Princip. ca. 14. De
qua videndus est Nauarr. loco supra
citato, relection. in cap. nouit, de iudi
cijs, num. 85. Et quidem quod hæc
laica, & secularis potestas, immediatè
fuerit à Deo Optimo Maximo toti
hominum communitati † naturaliter 7
con-

concessa: quamuis id ipsum non habeatur expresse, & in scriptis (qua ratione naturalis dicitur, non verò positiua, verbo aut scripto tradita) exinde patet: nã certum est: nec negari vllo modo potest, quod Deus Optimus Maximus, qui à nonnulli (nec impropriè) naturans nuncupatur: nũquam deficit in necessarijs. Quo fit, vt cum ipse (sacro referente eloquio) hoĩem ad imaginem, & similitudinem suam condiderit, masculumque, & feminã eosdem esse fecerit: iusseritque multiplicare super terram, semel, atq; iterum dicens eis, vt habetur Genes. 2. *Crescite, et multiplicamini, et replete terram*: volueritque proinde, & consequenter hominum in eadem congregationem fieri: certissimè, & omni proculdubio tenendum est, quod etiã indidit, & cõcessit eis naturaliter, seu quod dicitur naturali quodã ductu, & instinctu, omne illud, siue quo eiusmodi hominũ congregatio, communitas siue societas, conseruari, & gubernari minimè posset. Vt enim inquit Aristot. (id quod & ex naturali philosophia compertum etiam habe-

8 tur) qui vult † finẽ, necessariò, etiam & velle debet, omnia quæ consequũtur ad finem, & sine quibus finis ipse consequi minimè posset: quod etiam habetur in c. præterea de offic. legati, & in l. 2. ff. de iurisd. omn. iud. Cum igitur homines in naturalibus, siue iurisdictione prædicta, facultate, & potestate semetipsos regendi, & gubernandi, ac præcipiendi id quod æquum, & iustum foret; & rationi naturali consonum siue cõforme: nullo se modo possent saltem diu conseruare: liquidum profectò fit eiusmodi iurisdictionẽ, facultatem, & potestatẽ laicam, à principio mundi generi humano immediatè à Deo Op. Max. toto fuisse cõcessam: & si non expresse, & explicitè: saltim implicitè, & naturaliter, per quandam consecutionem finis postquam voluit hominum cõgregationem, & communitatem in terra esse; & vt (præmissum est) sine ipsa homines viuere, aut saltim diu se conseruare minimè possent. Vt enim inquit Salomon Prouerb. 14. & habetur in cap. fin. distin. 89. vbi nõ est gubernator, dissipabitur populus. Quod & confirmari potest hac peculiari ratione. Nam (vt etiam inquit Arist. 1. Politicorum) tradit que illud D. Tho. li. 1. de regim. princip. c. 2. & 4. & habetur in iure, in ca. Monachi de statu Monach. verbo væ soli, & in l. ex hoc iure, ff. de iurisd. omn. iud.: fecit quidem Deus hominem animal, non vtcunque, sed politicum; quæ certè politia, & communis hominum † socie- 9
tas, sine aliqua iurisdictione, facultate, & potestate semetipsos regendi, & conseruandi (vt de patet) conseruari minimè posset: dicendum igitur est, quod Deus Opt. Max. à mundi principio humanam condendo, & creãdo naturam, immediatè; & naturaliter (seu quod idem est) naturali quodam ductu, atque instinctu, ijsdem indidit hominibus, vt haberent inter se prædictam authoritatem, & potestatem laicam. Haud enim credendum est, quod qui (teste Aristotele) nunquã deficit in necessarijs, & nec ipsis apibus deficit in constituendo sibi naturaliter Rege, & Principe, ad sui conseruationem, & gubernationem necessariò; defuerit hominibus in eodẽ dictando, & inspirãdo. Absit à nobis de Deo quidpiam tale cogitare. Qua ratione omni procul dubio firmiter tenendũ est, quod à principio † Deus 10
indidit atque impressit mentibus hominum eiusmodi naturale dictamẽ; vt scilicet Regem, Principem, siue dominatorem vnum sibi constituerent (quocũque ille diceretur nomine) nã & hoc parum, vel nihil ad nostrum propositum refert: cui vni supremã potestatem habẽti, alijs omnes absq; omni prorsus reluctantia subderentur, obedirent, atque parerent, & in natu-

naturalibus obtemperarent. Quæ sic breuiter, atque in compendio dixisse sufficiat, de ortu & origine prædictarum potestatum: tam spiritualis Ecclesiasticæ; quam sæcularis laicæ: nam ad alia progrediamur oportet.

ARTICVLVS II.

In quo differat potestas sæcularis et laica; à spirituali, & Ecclesiastica?

Conclusio.

11 POtestas Sæcularis, & laica, † differt à spirituali, & Ecclesiastica, pęnes omnes sui causas, efficientem nempè, materialem, formalem, atque finalem. Probatur conclusio. Et primò quod differant, quantum attinet ad causam efficientem, exinde patet: nam quamuis vtraque potestas
12 † collata fuerit à Deo (vt enim inquit D. Paul. ad Rom. 15. Non est potestas nisi à Deo,) at sæcularis data fuit à Deo, nondum homine facto, ab exordio mundi naturaliter generi humano, ad se regendum & gubernandum in naturalibus (vt dictum est in præcedenti articulo) spiritualis autem potestas & Ecclesiastica: data fuit ab eodem Deo, eidem generi humano: non quidem à principio siue exordio mundi: sed post multum temporis, in temporis scilicet plenitudine (vt dixit D. Paul. ad Galat. 4.) à Deo inquam, iam homine facto: nempè à Christo Saluatore nostro, idque ad se regendum, & gubernandum, non in naturalibus, & temporalibus directè: sed in spiritualibus & supernaturalibus: aut etiam in naturalibus, sed indirectè, in quantum ad super naturalia prædicta fuisset necessarium, vt infra dicemus amplius. Quod etiam prædictæ potestates diffe-
13 rant pęnes causam † materialem probatur, satisque constat ex dictis: nam potestas sæcularis & laica, data est directè ad gubernanda naturalia, & ea quæ ad naturale hominum commercium spectant, at spiritualis & Ecclesiastica, directè data non est, nisi ad spiritualia tantum, quamuis indirectè (vt di imu s) data etiam fuerit ad naturalia, in quantum ad supernaturalia ipsa fuisset necessarium, vt amplius etiam infra dicemus. Ex quo vlterius nascitur tertia differentia, † quæ est 14
pęnes causam formalem prædictarum potestatum: nam potestas sæcularis, & laica, dirigit atque ordinat, homines, secundum legem siue rationem naturalem; at spiritualis & Ecclesiastica, non solum per id, sed etiam secundum regulam supernaturalem: nempè secundum legem Euangelicam, cuius obseruantia (vt habetur Matth. 14.) ad gloriam & vitam æternam, consequendam est simpliciter necessaria: in illis verbis: Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Ex quo tandem nascitur quarta, & vltima differentia, quæ est pęnes causam finalem. Nam finis potestatis sæcularis † & laicæ, est conser- 15
uatio hominum in naturali statu, in vita scilicet bona, & virtuosa, quam naturali ratione duce, etiam sine gratia gratum faciente faciunt virtutes morales: vt tradit D. Tho. & cum eo omnes communiter Doctores (quamuis sine gratia & charitate, eiusmodi virtutes non multum propriè virtutum promereantur nomen) at finis potestatis spiritualis & Ecclesiasticæ, est status hominum supernaturalis, qui in hoc sæculo habetur per gratiã, in futuro autem perficitur, & consummatur per gloriam, quæ est omnium hominũ optatissimus finis: quę omnia quam maximè sunt notatu digna.

Ex quibus aliqua inferuntur corollaria notatu etiam dignissima, circa vtramque potestatem. Primò potestatem † sæcularem, & laicam (vt potè quę 16
ab exordio mundi, cũ ipsa natura naturaliter incepit: antiquiorẽ esse potestate spirituali & Ecclesiastica, quæ post Christi, Dñi aduentũ, & publicatum

Euangelium, ipsius gubernatur. Ecclesia. At quamuis prædicta potestas laica, tempore & ætate Ecclesiasticam præcesserit: excellentia tamen & dignitate, ista longè superat illam: qua de re nulli est dubitandum. Secundo infer-
17 tur etiam ex dictis, potestates † prædictas, natas siue progressas fuisse, aut saltem mortaliter exhibitas, diuerso & contrario modo. Nam Ecclesiastica (supernaturalis cum sit) supernaturali etiam modo incæpit, ac tota simul prodijt, à Christo Domino in D. Petrum, & Papam siue Romanum Pontificem: eiusdem successorem à quo veluti per media progrediens, descendit ad inferiores: nempè ad Patriarchas, primates, Archepiscopos, & Episcopos, & ad alios prælatos inferiores, Episcopalem, vel quasi Episcopalem iurisdictionem habentes (quod dico propter Religionum prælatos) vsque ad infima, quæ repetiuntur, siue inueniri poterunt in tota Ecclesiastica Hierarchia vt habetur in c. ita Dominus. dist. 19. & in c. in nouo dist. 21. At verò potestas sæcularis, & laica (naturalis cum sit) naturali etiam modo cæpit, nec tota simul prodijt, sed paulatim progressa est ab imperfecto ad perfectum: primò enim incæpit in domo primi nostri parentis Adami, deinde in quodam pago, ex pluribus domibus effecto, & paulatim crescens, peruenit ad oppida, & ciuitates, & ex inde amplius crescens, venit ad regnũ, quod est multarum ciuitatum ac tandem, & ad summum, quod est multorum regnorum Imperium. Nam certum, quod est primo post orbem conditum, non fuit in eodem nisi vna sola Adami domus, & deinde per filiorum multiplicationem, & procreationẽ, iunctæ sunt aliæ, & aliæ domus, & aliç habitationes, ex quibus effectus est quidam pagus: nam cum esset homo animal ciuile, polyticum atque sociabile, & cum solis suis domesticis commodè viuere non posset, neque sibi necessaria comparare, necessum fuit, quod ad inuicem coniungerentur. Ex quo ẽt ad aptius conuiuendũ, ex multis domibus simul iunctis, effectus est prædictus pagus. Et ob eandem rationem, & causam, exinde cõmodius vt viueretur, ex multis pagis effecta sunt oppida, & ciuitates, & postmodum ex multis ciuitatibus constitutum regnum, ac tandem ex multis regnis (vt dictum est) Imperium. Quonam modo, qua via siue ratione, eiusmodi laica & sæcularis potestas atque iurisdictio, ex vno in alios fuerit deriuata: an tyrannicè, electione seu alia via: magna est lis, & controuersia inter Doctores, de qua multa forent dicenda, quæ consulto in præsentiarum facio missa, cùm non sint præsentis speculationis, & quia longiorem requirebant disputationem. Tertiò infertur ex supradictis (id quod latissimè prosequitur, D. Tho. lib. 3. de regimine principum, c. 14.) alium esse legum sęcularium, † & canonicarum, siue Ec- 18
clesiasticarum finem, sicut & aliud atq; aliud fuit principium à quo eiusmodi leges dimanarunt: nam Canonicarum, & Ecclesiasticarum legum finis, est vita æterna supernaturalis (vt dictum est) at verò laicarum, & sæcularium, vita bona & quieta naturalis, quod scilicet homines, quietè & pacificè in temporalibus & naturalibus viuant conseruentur, & prosperentur. Qua de re qui plura videre voluerit, consulat glos. in c. cum contingat, de iure iurando, circa medium: & quę latissime circa hoc dicit supradictus Nauar. in relect. iã dicta sup. c. nouit de iudi notab. 3. n. 90. & 91. Tandẽ quartò, & vltimo infert ex supradictis, quod omni humana seclusa lege, ciuili siue gentiũ: ex sola lege naturali, & ratio-
nis dictamine, quælibet † ciuitas, siuè 19
respublica bene instituat, potestatem, iurisdictionem haberet, supra omnes, & singulos eiusdem ciues, & habitatores, regendi, & gubernandi illos

in

In ordine ad suum naturalẽ finẽ. Quæ quidem potestas (opus cum fuisset) pertraheretur vsque ad occidendos homines ad aliorum conseruationem, prout habetur expressè, in capit. non solum, & c. non est credendum, 23. quæstio. 5. cum alijs multis eiusdem causæ, & quæstionis. Ex quo vlterius sequitur, iuxta verum suum sensum, secundum epicheyam, quod si quæ
20 † gentes reperirentur hodie, quæ vel ob barbariem, seu rationis ipsius excæcatum lumen: Regem, aut Ducem non haberent: ipsæ etiam depulsis tenebris, seclusa (vt dixi) omni humana lege, siue dispositione, à Deo ipso immediatè potestatem haberent: seipsos regendi, & gubernandi aliqua via, aut modo, & constituendi sibi regem, ducem, siue principem, seu quouis alio nomine nuncupetur: ad criminum animaduersionem, & delictorum debitam vltionem: & creandi sibi magistratus, & perueniendi (cum opus fuisset) vsque ad hominum internicionem: ac tandem faciendi omnia, sine quibus eiusmodi reipublicę ciues, siue oppidani, viuere, & conseruari minimè possent: quod est certissimum, atque constitutissimum. Sed an hæc
21 etiam sæcularis † & laica potestas, immediate sit in rege, & principe, an verò in tota communitate: ita vt regnum non sit regis, quin vero è contra ipsius communitatis, idque intrinsecè, atque adeo de naturali iure, vt communitas nullo modo possit, hanc naturalem potestatem à se abdicare, seu illa se ipsam priuare: maiorem difficultatem habet: de qua magna est lis, & controuersia inter Doctores. A qua sicuti, & ab alijs multis, quę ad hoc propositum possent adduci, consulto in præsentiarum supersedeo: quia vt iam semel, atque iterum dixi, non sunt præsentis speculationis: & ampliorem, atque longiorem inquirebant disputationem.

ARTICVLVS III.

Vtrùm suprema potestas laica, resideat etiam in Romano Pontifice?

GRandis quidem difficultas, & cuius resolutio, multorum semper torsit ingenia, adeo vt neque modò quibusdam videatur pro dignitate explicata, & declarata. Et punctus difficultatis stat in hoc: an suprema potestas † laica, esse simul po- 22
tuerit, atque de facto sit coniuncta, cum suprema potestate Ecclesiastica: & hodie de facto illam obtineat Papa siue Rom. Pontif.? Circa quam quæstionem Doctores Scholastici, tam Theologi quam iurisperiti quam maximè sunt inter se diuisi. Ac multis varijs, fortissimis, & grauissimis argumentis, hinc inde pro vtraque parte, illam discutiendo, atque exagitando, tandem ferè insolutam relinquunt. Vt tamen breuitate qua nitor, pro aliquali huius difficillimæ quæstionis captu, de ijs, quæ ex ipsis potui colligere, aliquid resolutiuè dicam, sequentes statuo conclusiones.

Prima Conclusio.

FIrmiter tenendum est, quod Christus † Dominus, non solum qua- 23
tenus Deus, & qua ratione fuit vniuersorum Dominus, iuxta illud Psal. 23. *Domini est terra, & plenitudo eius*, quod refertur, in capit. quo iure distin. 8. verum etiam & quatenus homo, est, & fuit vniuersalis Monarcha, & Dominus totius orbis: non solum in spiritualibus, verum etiam & in temporalibus: ita quod dum in terris ageret (etiam secundum quod homo) poterat (si vellet) iure optimo, atque pro libito, vti quacunque re mundi, supremamque habebat auctoritatem, & potestatem, regendi, gubernandi, & totum mundum moderandi, mutandi

etiam regna, tanquam verus, & proprius ipsorum Dominus; licèt de facto, ob humilitatem, modestiam, & bonum exemplum: vsum prædicti Dominij à se abdicauerit: ipsumque in terra habere noluerit. Hæc conclusio est expressa D. Thom lib. 3. de Regimine princip. cap. 12. vbi multa pulchra, ac mira tradit prædicta Monarchia Christi. Et inter alia notabilia dicit, quod Octauianus Augustus, illius in terra vices gessit: quamuis & id ipse non intelligeret: sicuti, & Chaiphas vt habetur Ioan. 11. quod etiam non intelligebat, Prophetauit. Verba sunt expressa D. Thom. & quidem notatu dignissima. In cuius rei comprobationem, ex Scri-
24 ptura † sacra affert multa testimonia. Facit ad hoc imprimis, illud Psal. 2. vbi refertur, æternum patrẽ suo dixisse filio: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionẽ tuam terminos terræ. Quæ verba intelligenda esse de Christo Domino, secundum quod homo, communis est SS. PP. resolutio. Facit & ad idem, illud quod habetur Psal. 71. vbi dicitur: Tharsis, & insularum reges, oblaturos illi fore munera, ipsumque futurum Dominatorem à mari vsque ad mare, & flumine vsque ad terminos orbis terrarũ. Quę etiam verba, iuxta eandem sententiam sanctorum Patrũ, intelligenda sunt ad literam de eodem Christo Domino, secundum quod homo, & ex parte fuere adimpleta in eo, quod refertur, Matth. 2. de adoratione Magorum, & oblatis eidem muneribus. Facit & ad hoc illud, quod habetur Apocalip. 29. vbi idem Christus (etiam secundum quod homo) nominatur: Rex regum, & Dominus dominantium. Facit & illud quod dicitur Matth. 28. & Ioan. vltim vbi idem Christus dixisse fertur de se ipso: Quod data sibi fuerit omnis potestas in cœlo, & in terra. Ex quibus constat, quod prædicta conclusio de Monarchia Christi, est verissima, atq; certissima, de qua in præsentiarũ nolo plura dicere, quia nõ id est præsentis speculationis, & quia maiorẽ, atq; longiorẽ requirebat disputationem. Qui hac de re plura videre voluerit, consulat prædictum, D. Tho. loco vbi supra, & Hostiensem, in cap. quod super his, de voto, & D. Antoninũ 3. part. tit. 3. cap. 2. Almainum de potestate Papæ, cap. 8. & Nauar. in relectione super cap. nouit de iudi. nota. 3. num. 8.

Sed an hæc suprema potestas, † quã 25
Christus Dominus habuit in terra, (saltem quantum ad habitum, & quãtum ad ius) licet non quantum ad actum, seu actualem possessionem: quia vt dixi, ob humilitatem, modestiam, & propter bonum exemplum, eãdem à se abdicauit, & non habere voluit; data fuerit D. Petro, summisque Pontificibus eiusdem successoribus, Christi Domini in terra nunc vicem gerentibus de facto: non solum quantum ad spiritualia, verum etiam quantum ad temporalia: & suprema potestas laica, cum suprema spirituali Ecclesiastica, aliqua sit ratione compossibilis: maiorem difficultatem habet, de quibus vt paulatim aliquid dicamus, sit secunda conclusio.

Secunda Conclusio.

SVprema potestas † laica, & supre- 26
ma spiritualis, & Ecclesiastica; nulla ratione sunt inter se incompossibiles: quin verò potuerũt simul esse coniũctę, & vnitę, si Christus Dominus id ipsũ voluisset. Huius cõclusionis veritas ex inde patet: nam stando in iure naturali siue diuino, nullum extat in contrarium pręceptum, quin verò videmus de facto, quod in lege naturæ olim † Melchisedech, fuit si- 27
mul Rex, & Sacerdos, vt constat ex Genesis, c. 14. & ex D. Paulo ad Heb. c. 7. Quin verò Turrecremata, lib. 2. suæ summæ, c. 16. eleganter probat, quod

quod tunc tempori Ecclesiastica di-
28 gnitas, † & temporalis potestas: iure legitimo ad primogenitos omnes pertinebat. De facto etiam videmus, in veteri olim lege scripta, ac diuinitus tradita, id ipsum practicatum fuisse cum Moyse qui vt constat ex toto lib. Exodi, vtramque prædictam habuit potestatem, spiritualem scilicet, & temporalem simul. Etenim quod fuerit sacerdos, constat ex illo Psal. 48. Moyses & Aaron in sacerdotibus eius. Quod verò etiam fuerit Dux Israelitici populi, potestatemque, & iurisdictionem sæcularem habuerit in omnes eiusdem populi ciues: apertissimè constat ex prædicto libr. Exodi. Machabæi etiam (vt satis constat ex ipsorum libris) vtramque hanc potestatem simul feruntur habuisse, & exercuisse. Fuere enim Israelitici populi supremi Duces, necnon & Summi Sacerdotes. Sed quid moror in re adeo clara, & manifesta plura dicere: cum & hoc ipsum videamus modò de facto, respectu vrbis Romæ, & nonnullarum aliarum ciuitatum, in supremo Romano Pontifice? Nam quod & ipse
29 habeat † supremam potestatem, & iurisdictionem Ecclesiasticam, & spiritualem in toto orbe terrarum, vbi notitia habetur fidei; inficias nemo ibit: neque quod supremam etiam habeat temporalem, & laicam respectu vrbis Romæ: vbi est quasi Rex, ac pro tali habetur à tempore Constantini Magni, qui in suæ fidei, & deuotionis signum, hoc ipsum eidem (vt dicitur) donauit perpetuis futuris temporibus, quam, & ab eo tempore in hanc vsque diem actu exercet. Qua quidem ratione, dicere, & asseuerare possumus:
30 quod prædictæ duæ potestates, † nempe suprema sæcularis, & laica, & suprema spiritualis, & Ecclesiastica, adeo inter se pugnant, & sunt incompossibiles, vt nulla ratione in vna, & eadem persona, inueniri simul coniunctæ possint: necdum falsum, verum etiam temerarium existimo, & quam maxima reprehensione dignum. Eò vel maximè, cum (sicut præmissum est in præcedente conclusione) Christus Dominus (saltem quantum ad habitum, & quantum ad ius) vtramque simul hanc potestatem habuerit: quamuis ob humilitatem, modestiam, & propter bonum exemplum, quantum ad actum, siue actualem possessionem, vsum laicæ potestatis habere noluerit: omninòque à se illam abdicarit: quam etiam ob causam cum à quacumque gabella liber esset, pro se & D. Petro tributum iusserit solui Cæsari, vt habetur Matth. 17. Hæc dicta sint quantum ad ius, & quantum ad compossibilitatem prædictarum potestatum. Sed progrediamur oportet ad alia, & videamus, an summus Pontifex de facto nunc, habeat prædictam potestatem supremam laicam; super totum orbem, eo modo quo supremam habet spiritualem, & Ecclesiasticam, de quo sit tertia conclusio.

Tertia Conclusio.

Quamuis Christus † Dominus 31
(vt præmissum est) quantum ad habitum, & quantum ad ius, vtramque prædictam habuerit potestatem, & in sui locum D. Petrum, Romanosque Pontifices, eiusdem successores in terra substituerit: nihilominus tamen, sicut ipse quantum ad actum, seu actualem possessionem, in hoc mundo easdem habere noluit; ita etiam de facto, neque illas D. Petro, suisve successoribus concessit siue communicauit; sed solummodo supremam spiritualem, & Ecclesiasticam: supernaturalia directè respicientem, non autem naturalia, & sæcularia, nisi indirectè, in quantum fuisset necessarium ad supernaturalem finem, & vitam æternam consequendam. Hæc etiam conclusio, est certa, & manifesta,

& quæ communiter tenetur, & defenditur à Doctoribus: poteſtq. id ipſum conſtare ex innumeris iuribus, & capitulis, quæ paſſim reperiuntur in iure canonico: quibus dicitur, & pro in-
32 dubitato habetur rerum † temporalium iura reſidere penes imperatores, ad ipſoſq. ſpectare, & pertinere, quæ humana, temporalia & naturalia ſunt humano generi diſtribuere. Habetur hoc in primis, in c. quo iure diſtin. 8. quod eſt D. Auguſt. vbi hoc expreſsè dicitur. Item & in c. ſuſcipitis diſtin. 10. quod eſt. D. Gregor. Nazian. Item & in c. quoniam diſtin. eadem, quod eſt Nicol. Pap. 1. in Epiſt. 7. ad Michaelem Imperatorem, vbi quę ſequuntur notabilia habentur expreſſa verba, poſt alia: Mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus, ſic vtriuſque poteſtatis officia diſcreuit, vt imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & rurſus Pontifices, pro temporalium tantummodo curſu, Imperatorum legibus vterentur. Quod, & adhuc expreſſius, dixiſſe fertur idem Nicolaus, in c. cum ad verum, diſtin. 96. vbi etiam ad hoc propoſitum ſequentia verba habentur: Poſtquam ad verum (ſcilicet Chriſtum) ventum eſt, neque Imperator vltra ſibi iura Pontificatus arripuit, neque Pontifex Imperatorium nomen vſurpauit: quoniam idem mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, ſic actibus proprijs & dignitatibus diſtinctis vtriuſque poteſtatis officia diſcreuit, vt Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent; & Pontifices pro curſu temporalium tantummodo rerum, imperialibus legibus vterentur. Hæc vbi ſupra; & idem habetur, aut ſaltem inſinuatur, in cap. duo ſunt eadem, diſtin. 96. quod eſt Gelaſij Pap. ſcribentis Anaſtaſio Imperatori, vbi eundem alloquens, in ſequentia verba prorupit: Duo ſunt Imperator Auguſte, quibus regitur mundus hic, auctoritas ſacra Pontificum, & regia poteſtas. Quid clarius (quæſo) dici poteſt, ad inſinuandum, atque monſtrandum, quod poteſtas ſpiritualis, & Eccleſiaſtica, de facto ſit diuiſa atque diſtincta à ſæculari, & laica; Summumque Pontificē non habere, niſi ſolum modo poteſtatem ſupremam, ſpiritualem, & Eccleſiaſticam? Ex quo ſubinde colligitur, ſupremam † laicam, quam hodie habet Romæ, & in nonnullis alijs ciuitatibus, non illam habere ex ſua Pontificali dignitate, ſiue ex ſuo officio, & qua ratione conſtitutus fuit à Chriſto Domino totius orbis ſupremus Paſtor; ſed aliunde nēpe ex donatione ſupradicta Conſtantini Magni, qui (vt diximus) in ſignum ſuæ fidei, & deuotionis, hoc ipſum eidem donauit, vt ſatis conſtat, ex c. Conſtantinus, diſtin. 96. & c. futuram 12. quæſt. 1. & cap. fundamenta de electione lib. 6. Supradicta omnia confirmantur, per ea, quæ in decreto dicit Gratianus, vt habetur, ſub capitulo nos, ſi incompetenter, §. Sed notandum 2. quæſ. 7. vbi refertur: Duas eſſe perſonas, quibus iſte regitur mundus regalem ſcilicet, & ſacerdotalem: & quod ſicut Reges præſunt in cauſis ſæculi; ita & ſacerdotes in cauſis Dei. Regum (inquit) eſt corporalem irrogare pœnam: Sacerdotum verò ſpiritualem inferre vindictam. Et additur: Paulo infra. Quod ſicut Ozias percuſſus fuit à Domino, quia ſacerdotum ſibi officia vſurpare voluit: ſic Sacerdotibus, & Propheteis, Regum officia vſurpare non licet. Facit & ad hoc, & cap. conuenior 23. quæſt. 8. quod eſt D. Ambr. vbi etiam dicitur, ad Imperatores Palatia, ad Sacerdotes verò Eccleſias pertinere. Idem ferè dixit Innoc. III. in cap. ſolitæ de maiori, & obed. Vbi multa pulchra, & mira tradit, de prædictis duabus poteſtatibus, ſed notanter dicitur: Quod Imperium non preeſt ſacerdotio, ſed ſub eſt, eique obedire tenetur. Sed de hoc alias. 33

alias. Ad nostrum propositum solummodo facit, quod dicit ibidem: nempè potestates prædictas, spiritualem scilicet, & Ecclesiasticam, & secularem, & laicam, de facto esse distinctas: fundamento desumpto, ex eo quod habetur Genes. 1. Quod fecit Deus duo luminaria magna, & posuit ea in firmamento cœli: luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti. Vbi Papam, siue Summum Pontificem Soli comparat, Imperatorem verò Lunæ. Ex quibus omnibus supraque satis colligitur, prędictas potestates de facto nunc esse distinctas, neque residere penes Romanum Pontificem: quod erat intentum. Sed an id fuerit rationi consonum, atque conueniens, explicatione, & declaratione indiget; de quo sit quarta Conclusio.

Quarta Conclusio.

34 CONueniens (vt videtur) fuit, † ac rationi quam maximè consonũ: quod suprema potestas sæcularis, & laica, non esset simul coniuncta, & vnita, cum suprema spirituali, & Ecclesiastica: & quod summus Pontifex non in his rebus temporalibus gubernationis totius orbis se implicaret: nisi forsan indirectè, in ordine ad supernaturalem finem, vt dicemus statim. Hæc Conclusio est expressa D. Thom. libr. 3. de regimine principum, c. 13. vbi & dicit hanc ob causam, Christum Dominum, & seruatorem nostrum, non omnem, quam habuit potestatem, spiritualem scilicet, & temporalem (saltem quantum ad habitum, & quantum ad ius) D. Petro ac summis Pontificibus eiusdem successoribus communicasse: Rationemque in id *Appositissimã reddit*, quia *vt inquit* D. Paulus 1. ad Tim. 2. Nemo militans Deo, negotijs sæcularibus se debet implicare. Cũ igitur in terra nullus sit, qui plusquam summus Pontifex, Deo debeat militare: vt habetur in cap. si Papa, dist. 40. contra rationem profectò esse videbatur, quod idem curis, & negotijs sęcularibus se implicaret. Facit & ad hoc, quia vt habetur in c. cum singula, de pręben. lib. 6. & c. 1. dist. 89. & in l. nemo. C. de assess. & leg. consulta. C. de testamen. Et quidem nimis conformiter ad rationem, nam non omnia † officia 35
vni, sed singula singulis sunt committenda, vt ne vnus solus prematur, & grauetur causarum pondere, cum singularis vna persona (quæcumque illa sit) pluribus officijs, haud quaquam esse videatur sufficiens: vt enim communi prouerbio habetur, *pluribus intentus minor est ad singula sensus*. Et etiam dr, quod canis, qui duos insequitur lepores neutrum capit. Iuris et periti ad simile prouerbium respicientes, inquiunt: quod qui ad vtrumque festinat, neutrum bene peragit: cum igitur prædictæ duæ potestates (temporale scilicet imperium, & Ecclesiastica Monarchia) duo essent munera, & officia adeo grauia, & ponderosa, & (vt videtur) sic inter se distincta, vt vna sola, & singularis persona, eisdem haud quaquam esse videretur sufficiens: consonum profectò rationi fuit, vt de facto non simul fuissent coniuncta, & vnita: & vt non commendarentur, siue committerentur vni, & eidem. Supradicta omnia confirmantur, per consilium, quod dedisse legitur Ietro olim Moysi socero suo, vt habetur. Exod. cap. 18. vtramque hanc potestatem (spiritualem scilicet, & temporalem) vt diuideret; ne ipse solus vltra vires, & supra id, quod humana fragilitas ferre posset grauaretur. Quod etiam consilium dedisse fertur olim D. Petrum, Clementi futuro sibi successori: in quadam Epistola satis notabili, cuius verba referuntur, in capit. te quidem, 11. quæstion. 1. vbi Diuus Petrus prædictum Clemen-

tem allegans: Oportet (inquit) Clemens, te summo studio niti, vt omnes vitæ huius occupationes à te abijcias. Ne fideiussor existas, neque aduocatus litium fias: ne vè in vlla alia occupatione mundialis negotij prorsus inueniaris; ne præfocatus præsentibus hominum curis, verbo Dei vacare non possis. Et subdit: Hæc verò opera, quæ minus tibi congruere diximus, exhibeant sibi inuicem vacantes laici. Verba sunt profectò ista aurea, & mira, atque ad præsens propositum notatu dignissima. Et prædicta omnia confirmantur, per id quod etiam fecisse fertur olim Romulus, Romanorum Regum primus, qui solo naturali ductus lumine, dum sacra instituit, ea à profanis, & sæcularibus distinxit, atque distincta esse voluit: hæc vni, illa verò alteri commendans, quasi rationis oculis prospiciens, non posse quampiam simul, & temporali imperio, & sacerdotio sacro vacare, ac vtrique vti par erat facere satis. Quod ipsum instituit, atque vt dicitur in meliorem formam reduxit, & reformauit eiusdem successor Numa Pompilius. Vt videre est apud M. Varronem Dionysium Alicarnasseum, & alios id ipsum tractantes diuersis in locis. Ex quibus omnibus superque satis colligitur, prædictæ nostræ conclusionis veritas, qua diximus haud quaquam fuisse conueniens, rationi vè consonum, prædictas duas potestates, sæcularem scilicet, & laicam, & spiritualem & Ecclesiasticam, esse simul coniunctas, & vnitas, aut quod vni, & eidem commendarentur, & forent commissæ, saltem directè, atque ex principali intento. Sed an directè, in ordine ad spiritualem finem, habuerit, D. Petrus, habeantque modo Romani Pontifices eiusdem successores, vtramque potestatem prædictam, variè à Doctoribus cōtrouertitur. Quam ego difficultatem, paucis vt absoluam pro ipsius resolutione, sequentem statuo conclusionem, quæ erit quinta in ordine.

Quinta Conclusio.

INdirectè in ordine ad supernaturalem finē, † & spiritualem hominum salutem certissimum est, & omni dubio procul; quod habuit D. Petrus & habent etiam nunc Romani Pontifices eiusdem successores, omnimodam, atque supremam potestatem, non solum spiritualem, & Ecclesiasticam, verum etiam & temporalem & laicam; ita quod possunt deponere Imperatores, & Reges: ipsosque suis Regnis, & administrationibus priuare: si in suis regendis subditis deliquerint, & negligentes extiterint: aut si forsan (quod absit) in ordine ad supernaturalia, Summorum Pontificum mandatis fuerint inobedientes, & rebelles. Hæc etiam conclusio apud omnes est comperta, potestque facile constare ex compluribus iuribus, & decretis Iuris canonici. Et primò probatur: nam de facto videmus, quod Imperio vacante, Papa iudicat illius subiectos, per id, quod habetur in Clem. Pastoralis, §. fi. de re iudic. & in Extra. 1. de sede vacāte. Et præterea idem Papa de facto olim, vt constat ex Ecclesiast.cis Historijs, & ex gloss. in cap. venerabilem de electione: vtendo suprema sua potestate prædicta, anno Christo seruatore nostro nato 776. transtulit Imperium, à Græcis ad Germanos, nulla certè alia ratione, nisi propter impedimentum, quod exoriri fidelibus videbatur, ex commercio, & infidelitate Græcorum, & infidelium Imperatorum, ad consequendam beatitudinem, quæ est omnium optatissimus supernaturalis finis. Defecerant enim Imperatores Græci, & ipsorum subditi à fide, & obediētia Romanæ Ecclesiæ, erantque fidelibus ibidem existentibus obstaculo, & impedimento, ad sua spiritua-

ritualia munera, & officia exercenda: eamque ob causam Summorum Pontificum decreto translatum est inde Imperium ad Germanos: & factæ sunt leges, & constitutiones, quibus deinceps spirituali saluti eorumdem, omniumque Christi fidelium ibidem existentium, satis videretur consultum. Quod quidem Summus Pontifex facere nullo modo potuisset, nisi simul habuerit prædictam potestatem, non solum spiritualem, & Ecclesiasticam, verum etiam sæcularem laicam. Probatur præterea nostra conclusio, quia etiam videmus de facto, quod Papa, siue Romanus Pontifex, tamquam in id supremam, atque absolutam habens potestatem, facultatem fecit septem illis magnatibus, qui vulgo dicuntur, electores dell'Imperio: eligendi Imperatorem, vt constat ex glos. in cap. ad Apostolicæ, de re iudic. lib. 6. vbi in fine, qui nam sint ipsi recensetur. Idem etiam Papa, tamquam supremus Iudex, cui omnia, quantum attinet ad spiritualia, sunt subiecta: cognoscit de prædicti Imperatoris electione: confirmanda ne sit, an cassanda: & eam confirmat, siue cassat: prout iustum sibi videtur: vt etiam constat ex prædicto, cap. venerabilem de electione, ipsi etiam Papæ, Imperator fidelitatem iurat: vt constat ex c. Tibi distin. 63. & Clem. 1 de iure iurando. Quin verò, & ipse Imperatorem prædictum, etiã confirmatum, & coronatum, iustis de causis potest deponere: ac de facto deponit: vt constat ex prædicto c. ad Apostolicæ, de re iudicata lib. 6. vbi

37 cõtinetur sententia qua † Innocentius IIII. Federicum secundum, olim deposuit: quæ satis est notabilis, quæ quidem omnia sunt munia, & officia quæ non nisi habenti supremam authoritatem, & iurisdictionem conueniunt. Cum igitur Romani Pontifices non id habeant virtute suæ supremæ spiritualis iurisdictionis directè (vt dictum est) necessariò dicendum videtur, id ipsum conuenire sibi indirectè per supremam, atque absolutam potestatem, quam habent, etiam circa naturalia, & temporalia, in ordine ad supernaturalem finem. Est itaque firmiter tenendum, atque dicendum,

quod suprema potestas † quam habent Romani Pontifices, per se primò 38
& directè, tantummodo æterna, & supernaturalia respicit: neque ordinatur nisi ad ipsa, cum fuerit sibi collata ad regendos, & gubernandos fideles in spiritualibus, & perducendos eosdem æternam, & spiritualem vitam: at indirectè & secundariò, extenditur & protrahitur etiam ad naturalia, & temporalia: in quantum fuerit necessarium ad conseruandum, & consequendum, seu etiam & non impediendum, supradictum omnium hominum supernaturalem finem. Sed an id ipsum fuerit conueniens, variè etiã à Doctoribus contrauertitur, pro cuius difficultatis breui resolutione, sequentem statuo conclusionem, quæ erit sexta in ordine.

Sexta Conclusio.

Conuenientissimum fuit, ac præcisè necessarium, quod Christus Dominus Ecclesiæ suæ sanctæ, Romanisque Pontificibus D. Petri successoribus, indulsisset, & cõcessisset

hanc prædictam auctoritatem † & 39
potestatem, quæ non solum spiritualia directè, verum etiam naturalia, & temporalia indirectè respiceret. Hæc conclusio hac vel vnica efficacissima ratione probatur. Quia aliàs non satis vt dicitur Ecclesiæ, & Summorum Pontificum authoritati, & iurisdictioni fuisse consultum. Nam vt naturalis ipsa ratio dictat; & habetur in cap. literis, de offic. iudic. delegat, iuris-

dictio † quæ coertionem non habet 40
frustranea est, & parum efficax ad cõsequendum finem, quem inducit. Ex

quo

quo fit vt si Christus Dominus Ecclesiæ suæ sanctæ, ac Romanis Pontificibus D. Petri successoribus, prædictam hanc supremam authoritatem, & potestatem (de qua loquimur) nõ reliquisset, siue delegasset: quæ etiam ad naturalia, & temporalia se extenderet, saltim indirectè, & in quantum fuisset necessarium ad consequendum supernaturalem finem: non quidem sufficienter eisdem videretur prouidisse, de necessarijs ad consequendum finem, quem prætẽdit in fundatione, & constitutione suæ Ecclesiæ. Cum igitur id non sit dicendum, nam (vt dicitur) Deus, & natura nihil faciunt frustra, neq; deficiunt in necessarijs; consequenter dicendum est, Christũ Dominum, & Seruatorem nostrum, eidem suę Ecclesię, Romanisque Põtificibus, D. Petri successoribus, supradictam supremam Ecclesiasticam potestatem reliquisse, quæ directè supernaturalia respiceret, indirectè verò etiam naturalia, & tẽporalia, in quãtum fuisset necessarium ad consequẽdum prædictum supernaturalem finem. Ex quibus superque satis colligitur, quod Summus Pontifex Imperatores, Reges, & sæculares Principes, obedientia potest, & Ecclesiasticis censuris cogere, ad faciendũ, id quod tenentur, neque in id solum illos cõpellere, verum etiam (opus si fuerit) eosdem imperio, Regnis, & suis iurisdictionibus, administrationibus, & principatibus priuare; ipsisq; renuentibus efficere, quod aliàs idem erant facturi. Et certè iste est ille duplex ensis, siue gladius, spiritualis scilicet, & temporalis, de quibus fit mentio apud Lucam, c. 22. quando interrogati Christo discipulos suos, gladium aliquem an haberẽt, responderunt; Ecce gladij duo hic. Et dixit illis Christus, satis est. Quorum etiam gladiorum meminit Nicolaus IIII. in cap. 1. distin. 22. dum dixit quod ipsis insequẽdi sunt maligni; sed eorum vnum (nempe spiritualem) habet Summus Pontifex veluti euaginatum: alterum verò non, sed in vagina reconditum, præparatum tamen ad vtendum eo, quotiescunque ad salutem spiritualem, & ad consequendum supernaturalem finem fuerit necessarium. Hac de re videatur etiam extrauagãs, quæ incipit: Vnam sanctam de maiorit. & obed. vbi & de hoc duplici gladio plura dicuntur, summa animaduersione digna, quę breuitatis gratia, facio missa.

ARTICVLVS IV.

De diuersis speciebus diversorum iudicum, scilicet tam Ecclesiastici, quàm sæcularis?

QVÆ Ad hunc articulum spectant, resoluẽtur breuiter per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

OMnes in vniuersum iudices, † tam Ecclesiastici, quàm sæculares, in duplici sunt differentia; nam quidam sunt ordinarij, alij verò extraordinarij. Hæc conclusio apud est oẽs comperta. Solummodo est difficultas, in explicando, quinam ipsorum dicantur ordinarij, qui verò extraordinarij. Qua de re multa dicunt Innocentius & Hostiensis, in c. cum ab Ecclesiarũ in de officio iudicis ordinarij. Et D. Antoninus 3. part. tit. 9. ca. 5. §. 1. & Silu. est. in summa, verbo, iudex, 1. nu. 1. & ẽt, verbo. hæreticus, 2. nu. 2. & Paz. in sua praxi, 1. tom. in primo tempore, nu. 4. De quorum omnium resolutione dico, quod iudex † ordinarius, est & dicitur ille, cui ex suo officio, vel dignitate cõuenit iudicare, & qui propriam iurisdictionem habet, sibi datam à lege, Principe, vniuersitate siue populo, aut introducta cõsuetudine,

41

42

ad

ad vniuersitatem causatum: iuxta legē: More.ff de iurisd.omn.iud. Quod & tenet Decius, in rubricā de officio delegati.num.2. & Alciatus in rubricam de off. ordinarij, nu.5. & de iure regio habetur id ipsum, in l.1.tit.4.p.
43 ar.3. At verò Iudex † extraordinarius, dicitur ille, cui competit iudicare, nō quidē ex sua dignitate, aut ex suo officio proprio; sed ex commissione iudicis ordinarij. Non enim iudex extraordinarius propriam habet iurisdictionem, sed illam exercet ex commissione sibi facta, ab habente ordinariam potestatem: qua de causa, & ob hanc rationem, vnus dicitur ordinarius; alter verò extraordinarius. Qui etiam iudices extraordinarij, sub alio nomine dicuntur delegati, propterea quod ad certas causas, vel generaliter à iudicibus ordinarijs delegātur. De quibus habetur in iure, titul. de offic & potest.iud. deleg. Sub quo etiam diuisionis membro, cōprehenduntur iudices arbitri, multiq; alij, de quibus videatur Siluester, verbo, arbiter, nu. 1. & verbo, iudex 1. num.
44 etiam, 1. & dicūtur arbitri, † quia cū ex se nullam authoritatem potestatē siue iurisdictionem habeant: ex consensu, & arbitrio partium litigantiū, eliguntur, & constituuntur in iudices: de quibus omnibus in particulari suo proprio loco agendum est statim à nobis. Et omissis nunc prædictis iudicibus extraordinarijs, de ordinarijs loquendo, sit secunda conclusio.

Secunda Conclusio.

45 IVdices ordinarij † omnes, sunt in duplici differentia, quidam enim sunt summi, & qui nullum habent, siue recognoscunt superiorem: alij verò inferiores, qui potestatem quidem habent; sed subordinatam, & in ordine ad aliam altiorem. Hec conclusio est certa, & manifesta, neq; indiget probatione, sed explicatione. Exemplum primi, in spiritualibus est † Summus Pontifex: qui & 46
pro eo summus dicitur; quia superior omnibus cum sit, in terra nullum agnoscit superiorem. In sæcularibus † verò, & temporalibus, est Im- 47
perator, & Reges exēpti, quibus per se plena competit potestas: neque enā in terra recognoscunt superiorem: de quibus habetur in l. More, ff de iurisdict. omnium iudicum, & in capit. à iudicibus, 2. quæstion. 6. Exemplum secundi in spiritualibus, † sunt Cardi- 48
nales, Arciepiscopi & Episcopi, nec non & prælati regulares, Episcopalē, vel quasi Episcopalem iurisdictionem habentes, cæteriq; prælati inferiores Ecclesiastici fori, de quibus dicemus infra per ordinē. In sæcularibus † ve- 49
rò & temporalibus, sunt auditores supremorum cōsiliorum Regis, & alij inferiores iudices, aliarum audientiarum regiarum, siue cancellariarum, similiter & ciuitatum correctores. Qui quidem omnes, quantumuis dignitate præcellentes, in proposito tamen dicuntur inferiores, pro eo quod ab alijs ordinarijs summis, & superioribus) quibus immediatè vel mediatè subsunt) recipiunt iurisdictionem: alij plenam, & vniuersalem, ex beneficio Principis, seu iuris ordinatione (vt supradicti Cardinales, Archiepiscopi, & Episcopi, regularesq; prælati Episcopalem, vel quasi Episcopalem habentes iurisdictionem, in spiritualibus) in sæcularibus autem, auditores supremorum consiliorum: alij verò non plenam, & vniuersalem, sed coarctatam, & limitatam ad certas causas; vt in spiritualibus prælati Ecclesiastici prædicti inferiores: in tēporalibus verò, auditores inferiores Cancellariarum, & aliarum regiarum audientiarum; & illi qui vulgò dicuntur locorum, siue curiarum correctores, & ipsorum vicem tenentes, vulgo dicti Tinientes: quibus & in spiritualibus correspondent Vica-

rij

rij Generales Episcoporum: qui vulgò dicuntur Prouisores. Qui quidem omnes superius dicti, iudices ordinarij sunt & ordinariam dicuntur habere iurisdictioné, maiorem, vel minorem: qua quidem ratione quidam dicuntur summi, alij superiores, alij verò inferiores. De quibus omnibus videatur Paz in sua praxi, 1.to.1.p. in 1.temp.per plures numeros, nam non ista omnia per tempus referre libet, aut fieri posset absq; eo quod plus nimio cresceret hic noster liber, quod facere nõ fuit in votis, quin verò prorsus esset alienum, à nostra intentione.

Tertia Conclusio.

50 SVpradictos iudices † ordinarios inferiores, in spiritualibus solus Papa instituit, & creat: ab ipso.n. in alios omnes spiritualis potestas deriuatur, miro quodam hierarchico ordine. Ex eiusdem tamen, seu potius iuris permissione, id ipsum faciunt Cardinales, Archiepiscopi, & Episcopi, & Religionum Prælati, superiores Episcopalem, vel quasi Episcopalem habentes iurisdictionem. In temporalibus, & sæcularibus autem, hos iudices inferiores ordinarios, creare siue constituere potest Imperator Rex, aut lex, populus, siue vniuersitas exempta, iuxta textum in extrauaganti. Ecclesiæ Romanæ, & ibi glos. verbo ius, de maior. & obed. facit & l. bene à Zenone, C. de Quadriẽnij præscriptione, & l. 1. ff. de offic. præfecti verbis. verbo. cum vrbem, & l. more, l & quia, ff. de iurisdict. omn. iudic. Nec pro eo quod huiusmodi iudices inferiores ordinarij, ab alijs creantur, siue constituuntur, censenda aut existimanda est ipsorum iurisdictio delegata, nã (vt statim in seqq. articulis latius dicemus) non est de-
51 legata sed † ordinaria, quamuis in spiritualibus à Summo Pontifice pédeat, & deriuetur, miro quodam hierarchio ordine: & in temporalibus ab Imperatore, Regibus, lege, populo, siue vniuersitate exempta, suũ trahat ortum, & originem. Nam his omnibus non obstantibus, supra dictorum omnium iurisdictio est ordinaria, & sua authoritas, siue potestas, illis immediatè conuenit ratione suorum officiorum. Hec itaque est certissimũ, atque constitutissimum.

Quarta Conclusio.

COnuenientissimum fuit, † ac ferè simpliciter necessarium, in 52
Christiana Republica creari, atque constitui multiplices hos iudices ordinarios inferiores, à superioribus summis, siue superioribus Ecclesiasticis, siue seculatibus (respectiue) ne subditi magnis incõmodis, & expensis, cogerentur superiorũm iudicum præsentiam adire: & vt essent qui commodius causam dicerent, ac ius suum vnicuique tribuerent. Hæc conclusio de se est satis clara & manifesta, neq; vlla alia indiget probatione: vt enim dicitur in l. 2. ff. de origine iuris, §. post originem: parum prodesset ius in republica conditum fuisse nisi etiam & cõstituerentur iudices, apud quos vnusquisque ius suũ consequi posset, & qui tam in spiritualibus, quam temporalibus, quod suũ est redderent vnicuiq;: id enim est iudicum omnium proprium munus, & officium; vt habetur in capit. forus de verborum significat. & cap. 1. verbo iudex, 23. quæst. 1.

Quinta Conclusio.

SVpradicti omnes Iudices ordinarij, tam Ecclesiastici, quam sæculares, hac lege & ordine in Christiana Republica conditi, atque constituti sunt; vt nullus † alteri impedi- 53
mẽto sit, in proprij sui ministerij execu-

cutio-

cutione, seu quod in idem redit, possit se intromittere in alterius iurisdictionem. Hæc cõclusio est etiam certa & manifesta, & in iure tam Canonico, quam Ciuili, hoc ipsum sæpissimè cõstitutum, atque ordinatum reperitur: à quibus iuribus, & legibus in præsentiarum referendis consultò abstineo, quia plurima sunt iura, quæ hac de re extant, & velle ea recensere, longum ac molestum esset nimis. Hac de re qui plura videre voluerit, consulat supradictum Paz in sua Praxi, tto. part. 1. in 1. tempore, vbi in particulari enumerat casus, in quibus decretum & constitutum est, quod iudices sæculares potestatem, & iurisdictionem habeant, nonnulli in prima instantia, alij verò in secunda, alij autem per viam appellationis, siue supplicationis. Quod ipsum facit in 2. tom. præludio 1. agendo de iudicibus Ecclesiasticis, vbi loquendo specialiter de Archiepiscopis, inquit, iure esse sibi prohibitũ, se intromittere in Episcoporum iurisdictionẽ. Similiter & de Episcopis dicit, quod non potest vnus Episcopus, alterius Episcopi subditum magis iudicare, quam eundem proprio renuente Episcopo ordinare, aut in alterius diœcesi, sine proprij Episcopi licentia, Põtificalia exercere. Quod & nunc de nouo expresse habetur determinatum, in Concilio Tridentino, sess. 6. de reformat. cap. 5. & sess. 14. de refor. c. 2 & supradictus Paz, agendo etiam de aliorum prælatorum inferiorum, ordinaria iurisdictione, quales sunt Abbates, Priores, siue Præpositi, & Decani, Archidiaconi, & eis similes, spiritualem aliquã iurisdictionem habentes, dicit quod Episcopi non etiam possunt, aut debent, in istorum iurisdictionẽ se intromittere, nisi in certis quibusdam casibus, de quibus ibi agit latissimè: à quibus ego referendis, consultò in præsentiarum supersedeo, vt ad alia meo proposito magis necessaria, & difficiliora festinem. Sed in calce huius articuli dicere libuit, hæc qui in presenti conclusione sint dicta, intelligenda etiam esse, quin verò & potiori iure, de religionum prælatis, ita quod nullus quantumuis dignitate præcellens, nisi suo tempore congruenti, per viã appellationis, siue supplicationis, aut in casibus, q̃b. põt & tenetur de iure, in alterius iurisdictio ne debet se intromittere, ipsi ve vllo modo impedimẽto esse, in sui proprij numeris & officij executione. Quod & consultissimè esse cautum video, apud nos minores fratres in nostris generalibus constitutionibus, cap. 7. agendo de officijs in communi: sed non ita plenè & bene (vti par erat) obseruatum, vnde nec modica, quin verò magna quandoque inter Prelatos ipsos suboritur confusio: cui & obuiari oporteret, vt enim dicitur in c. peruenit. 11. q. 1. & in capit. duo de officio ordinarij: totus † Ecclesiasticus ordo confunditur, si sua iurisdi- 54
ctio cuilibet non seruetur. Sed de hoc aliàs, in nostro manuali, siue directorio Prelat. regularium plura dicemus.

ARTICVLVS V.

Vtrum iurisdictio Archiepiscoporum, Episcoporum, & prælatorum regularium Episcopalem, vel quasi Episcopalem iurisdictionem habentium, sit ordinaria an verò delegata.

IAM difficultas præsentis articuli, vt cumque constare posset ex dictis in præcedẽti: sed quia res est, quæ maiori indigebat explicatione, id ipsum in controuersiam iterum libuit adducere. Neq; enim desunt aliqui authores, qui hac de re minus rectè loquantur, nam quamuis confiteantur (vt & fateri tenẽtur) quod Apostoli immediatè iurisdictionem receperunt à Christo Domino: † quodq; 55
Archiepiscopi, & Episcopi successerũt

in

in Apostolorum locum; dicũt tñ quod ipsi non immediatè à Christo iurisdictionẽ recipiunt, sed mediatè, immediatè vero à Romano Pontifice, D. Petri successore, ex quo omnis in vniuersum potestas, atque ordinaria iurisdictio, tanquam ex supremo quodam fonte, in alios deriuatur, miro
56 quodam hierarchico ordine. Huius sententię; & opinionis † esse videtur illustrissimus Cardinalis Bellarminius tom. 1. lib. 7. cap. 22. 23. 24. agendo de Romano Pontifice. Quibus verbis quasi consequenter innuere videtur, quod Archiepiscoporum, & Episcoporum iurisdictio, non sit prorsus ordinaria, sed quodam modo à Sũ. Põt. delegata: q; ẽt imo, & potiori ratione dicet, de prelatis regularibus, Episcopalẽ, vel quasi Episcopalẽ iurisdictionẽ, habẽtibus, & qd ipsorum iurisdictio, non competit eisdem de iure diuino, sed de Papali humano. Sed certè quamuis Bellarminius, ea qua solet doctrina, & eruditione, suam sententiam probare contendat, eruditè satis respondens, & satisfaciens argumentis in contrarium propositis, seu quæ pro alia in contrarium parte, proponi
57 possent, adhuc tamen contraria † sententia verior videtur, & longè probabilior: pro cuius resolutione sequẽtes statuo conclusiones.

Prima Conclusio.

58 Archiepiscoporum, † & Episcoporum iurisdictio, non est delegata à summo Pontifice, sed ordinaria, iure diuino ipsis competens, ratione suorum officiorum, quamuis collata sibi fuerit miro quodam hierarchico ordine. Hanc conclusionẽ tenet Victoria relectione 2. de potestate Ecclesiæ, nu. 28. & Turrecremata, li. 2. c. 27. & Castro aduersus hæreses, verbo Episcopus, & lib 2. de iusta hæreticorum punitione, cap. 24. & Soto, in 4. distin. 20. quęst. 1. ar. 2. & lib. 10. de iustitia, & iure, quæst. 1. art. 4. quam adeo credo esse veram & certam, vt de ea nefas esse videatur dubitare. Quę prædicta conclusio probari potest in primis hac efficacissima ratione. Nam Matthæ. 18. in illis verbis, quibus actum fuit de correctione fraterna, & dixit Christus Dominus: Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem: Si te verò non audierit dic Ecclesiæ, quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus, Amẽ dico vobis quęcũq; ligaueritis super terram, erunt ligata, & in cælo, & quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. (Quo loco iuxta communem sanctorum Patrum sententia, tradita est Ecclesiæ spiritualis iurisdictio, & potestas in foro exteriori) certũ est quod non ibidem Christus, cùm solo D. Petro est loquutus, aut cum solo Sũmo Pontifice eiusdem D. Petri successore, cuius in terra vices gerit (quãuis aliqui id videantur sentire: pro eo quod loquitur in singulari) sed cum omnibus in vniuersum Apostolis, & Episcopis eorumdem successoribus, vt satis constat ex contextu literæ, & tradunt D. Ioann. Chrysost. Euthymius, Simon de Casia, & Caietanus, multiq; alij super dictum locũ, quod & quam doctissimè probat Rofensis artic. 9. contra Lutherum, vbi dicit quod ibidem tradita est Apostolis, & Episcopis eorum successoribus, spiritualis iurisdictio, & potestas in vtroque foro. Dicendum est igitur, quod dictorum Archiepiscoporum & Episcoporum iurisdictio, non est tantũmodo humana, & delegata à Summo Pontifice: sed diuina, & ordinaria, immediatè sibi siue suis dignitatibus à Christo Domino commissa, & concessa: illisque competens ratione suorum officiorum. Pro hac conclusione facit, etiam illud quod habetur, in c.

in nouo dist. 21. & in c. Paulus 2. q. 7. c. loquitur. 24. q. 1. vbi dicitur: Apostolos parem cum D. Petro accepisse potestatẽ: sed Episcopi (vt tenet communis opinio) successerunt in Apostolorum locum, verum est igitur id, quod dictum est in cõclusione, nem-
59 pè quod ipsorum iurisdictio † nõ cõpetit eis de iure papali humano, quin verò immediatè ex iure diuino, ratione suorum officiorum: & consequenter quod est in ipsis ordinaria & non delegata. Hac nixus ratione, Magister Soto, lib. 10. de iust. & iure quæst. 1. art. 4. inquit quod illa vox, qua dicitur Episcopo dum consecratur: Accipe Euangelium, & baculum. &c. nõ est audienda quasi vox hominis, sed quasi vox Dei, & quasi fuisset ab ipso Christo prolata, cuius & profertur nomine: ab verò dumtaxat tanquam à precone. Et cõsequenter dicit, quod Summus Pontifex nullam authoritatem confert Episcopis, sed tantũmodo sibi datam à Christo promulgat, & vt preco Dei explicat. Pro hac etiã conclusione facit, cap. inter corporalia, de translatione Episcopo: vbi ha-
60 betur, quod depositio, † cessio, & translatio Episcopi, nõ fit authoritate humana, sed verè diuina. Hæc pro hac difficultate ita breuiter, ac resolutiuè dixisse sufficiat, non obstante quod sit res: quæ ampliorem, atque longiorem requirebat disputationẽ. Sed loquendo de prælatis regularibus Episcopalẽ vel quasi Episcopalẽ iurisdictionem habentibus, sit secũda conclusio.

Secunda Conclusio.

Quod dictum est de Archiepiscopis, & Episcopis, multum probabiliter dici potest, etiam
61 de prælatis † regularibus, Episcopalem, vel quasi Episcopalẽ iurisdictionem habentibus: nempè, quod eorũ iurisdictio est ordinaria, & competit eis, non solum ex iure Papali humano, verum etiam de iure diuino, ratione suorum officiorum. Hæc conclusio statuitur contra quosdam, asserentes 62
† prælatorum regularium iurisdictionem, conuenire sibi, non quidem ex iure diuino, sed tantummodo ex papali humano: quia (inquiunt) cum ad Summum Pontificem spectet, quamlibet veram religionem approbare, illamque approbando, & confirmando, eisdem prælatis auctoritatem, & facultatem tribuat, sibi subditos regendi, & gubernandi: non ipsis eiusmodi potestas, & facultas competit de iure diuino, sed solum ex papali humano. Contrariam tamen senten-
tiam † tenent grauissimi DD. & in 63
primis illam defendit olim celeberrimus P. Fr. Michael de Medina, Complutensis, lib. quem inscripsit de Indulgentijs, c. 24. & post ipsum doctissimus etiam P. Fr. Ioannes à Bobadilla, vterq; nostræ huius religionis, sed præsertim Prouinciæ Castellæ, magnum decus & ornamentum, iste in suo Enchiridione, siue Manuali manuscripto, ac nunquam typis mandato. Tandem tenet eandem sententiam P. F. Emanuel Rodericus, huius Prouinciæ sancti Iacobi doctissimus pater, in suis quæstion. regul. tom. 1. q. 17. art. 2. vbi etiam dicit, quod quamuis verum sit, neque negari vllo modo possit, quod prælatorum regularium potestas, & iurisdictio, competit eis de iure papali humano: nam eo ipso, quod Papa confirmat, & approbat alicuius religionis regulam, consequenter perinde tradit eiusdem prælatis, & superioribus, iurisdictionem, & potestatem in omnes sibi subditos: quod etiam multis tradit Bañes 2. 2. quæstio. 1. artic. 1. dub. 8. conclusio. 2. cum hoc nihilominus (inquit) stat, quod etiam competit eis de iure diuino, ratione suorum officiorum, eo modo, quo dictum est de Archiepiscopis, & Episcopis. Et Huius conclusionis

ratio

ratio, præcipua, & præcisa est: quia prælati regulares prædicti, Episcopalem, vel quasi Episcopalem iurisdictionem habentes, verè sunt Ecclesiæ prælati: & in iure prælatorum comprehenduntur nomine, & ipsorum iurisdictio per quam similis esse dicitur, iurisdictioni Archiepiscoporum, & Episcoporum: quod decernunt multa iura, sed specialiter tradit illud, glos. in Clem. 1. de rebus Eccles. non alien. verbo, proprij, & Abb. in c. Abbatis, de priuilegijs, lib. 6. verbo, quasi Episcopalem, quod & tenent communiter omnes ferè DD. iuris Canonici periti. Confirmatur præterea, & corroboratur supra posita conclusio, ex eo, quod religionis status institutus est immediatè à Christo Domino, & delineatus, ac promulgatus in Euangelio, quando Euangelicæ perfectionis normam tradidit Apostolis. Neq; enim credendum est (vt perperam dixit Lutherus olim, voluntque hodie alij hæretici sui sequaces) quod religionis status sit aliquod somnium, seu, aliquod humanum inuentum; quin verò firmiter tenendum, atque dicẽdum est, quod est diuina quædã iestitutio, immediatè tradita à Christo Domino in Euangelio, quo semel admisso, dicendum consequenter videtur, quod etiam immediatè ab eodem Christo, collata fuerit religionũ omnium prælatis, spiritualis iurisdictio, ad regendos, & gubernãdos sibi subditos, cum sine tali iurisdictione, eiusmodi status stare, aut conseruari minimè posset. Hic discursus fundatur in ijs, quæ tradit vera philosophia, & sæpissimè dicit Aristoteles: nempè, quod, qui dat formam, necessariò etiã dat omnia consequentia ad formam: ad propositum ergo: si Christus Dominus (vt prędictum est) religionis statum voluit in Ecclesia esse, ipsumque instituit Apostolis ostendendo, atque monstrando in Euangelio, Euangelicæ perfectionis normam: dicendum perinde necessariò videtur, quod tradidit etiam regularibus prælatis eo ipso, spiritualem intellectionem, & potestatem, sibi subditos regendi, & gubernandi, & sic eiusmodi iurisdictio multum probabiliter dici potest, quod non est tantum humana, & delegata à Summo Pontifice, verum etiam diuina, & ordinaria immediatè concessa à Christo Domino, ac sibi competens ratione suorum officiorum. Quod verò rationi consonum non fuerit, vllove modo conue- 64
niens, quod religiosi † prælatos, & superiores haberent, non eiusdem sui instituti, & professionis, multis probari posset, sed breuiter addixisse sufficiat, id quod ad hoc propositum refertur, in Clement. 1. de electione, facta in Concilio Viennensi. Vbi Clemens Quintus, diffinire volens, quod religiosus vnius ordinis, siue religionis, eligi, & præfici non debet, in prælatum subditorum alterius religionis: inquit, id rationi nullo modo congruere. Verba eiusdem expressa libet referre, quia ad hoc propositum, magni sunt ponderis, ac momenti. Cum rationi non congruat, vt homines disparis professionis vel habitus, in eisdem Monasterijs simul socientur, firmiter prohibemus, ne religiosus aliquis, in Abbatem, vel prælatum alterius religionis, vel habitus de cætero eligatur. Quod si secus actum extiterit, eo ipso sit irritum & inane. Id ipsum habetur, in capit. cum causam de electione: quod est Innocentij Tertij, vbi etiam diffinitur, pro-
fessum † vnius religionis, eligi non 65
debere in Abbatem alterius religionis: cuius & rationem reddens dicit: Id esse contra legem diuinam, prohibentem simul arare in boue, & asino, & quempiam vestire vestem ex lino lanaque contextam, vt habetur Deuteronom. 22. Quæ verba explicans Diuus Isidorus, in quodam Con-

Concilio Hiſpalenſi, quod refertur, in cap. in nona actione 16. quæſt. 7 inquit, ſupradicta verba, quibus dicitur arãdum nõ eſſe, ſimul in boue & aſino: in hunc eſſe ſenſum intelligenda, & interpretanda: quod homines diſparis, ſiue diuerſæ profeſſionis, non debent ſimul in vno, eodemque officio ſociari. Quod cum ita ſit, ſi religionis ſtatus (vt præmiſſum eſt) inſtitutus fuit à Chriſto, & religioſorũ prælati non eſſe debebant alterius, ſed eiuſdem inſtituti, & profeſſionis; ſi quidem vt dixit Clemens V. id facere rationi non congruit: quod eſt ac ſi diceretur eſſe contra naturalem rationem; ſi Innocentius etiam III. & D. Iſidorus id ipſum dicunt eſſe contra legem diuinam: manifeſtè profectò concluditur, quod qui voluit religionis ſtatum in Eccleſia eſſe, & prælatos eiuſdem profeſſionis: voluit perinde eoſdem poteſtatem ordinariam habere, ſibi ſubditos regendi, & gubernandi; & ſic ſequitur intentum, & id quod dictum eſt in 2. hac concluſ. nempè, quod ipſorum iuriſdictio eſt ordinaria, & non delegata tantummodo, vt quidam volunt. Tãdem prædicta veritas definita, & determinata eſt in quodam Concilio Salmantino, celebrato ſub illuſtriſſimo D. D. Gaſpare à Zuniga, & Auellaneda, Archiepiſcopo olim Compoſtellano, anno Domini 1565. vbi poſtquam à preclariſſimis illius Concilij patribus, propoſitæ concluſionis difficultas, hinc inde agitata eſt, an ſcilicet prælatorum regularium, Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentium, in ſuos ſubditos iuriſdictio, & poteſtas ordinaria eſſet, an verò tantum delegata? ſummo omnium conſenſu decretum eſt, non eam eſſe tantummodo delegatam, ſed verè ordinariam, iure diuino ſibi traditam, ac ſibi competentem ratione ſuorum officiorum.

Tertia Concluſio.

Nonnullæ etiam † perſonæ, à 66 predictis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ordinariam habent iuriſdictionem, ex conſuetudine, priuilegio, ſiue ſpeciali iure, in quibuſdam diœceſibus, ſiue Epiſcopatibus. Tales ſunt Abbates, † Præpoſiti, & 67 Priores quarũdam Eccleſiarum collegiatarum, regularium vel ſæcularium: dummodo ſint confirmati, quamuis non ſint benedicti, aut conſecrati: item & nonnulli Decani, & Archidiaconi, de quibus in particulari nihil libet in præſentiarum dicere, ſat ſit referre iura, ex quibus id ipſum ſuperq; ſatis conſtabit. Facit ad hoc inprimis, cap. 1. & cap. ad hæc, de offic. Archid. c. cum ab Eccleſiarum: cap. irrefragabilis de offic. Ordinarij, cap. ſicut tuis, de ſimonia, cap. cum Eccleſia, de maiorit. & obed. Quibus in locis dicitur, omnes ſupradictos poteſtatem ordinariam habere in ſuos ſubditos, poſſeque proinde ipſos excommunicare. Quod & ſpecialiter habetur, in cap. tranſmiſſam, c. ſuffraganeis de electione, cap. duo ſimul, de offic. ordinarij. lib. 6. & c. cum contingat de foro compet. Qua de re videatur Paz in ſua Praxi, tom 2. præludio, 1. num. 5. & 6. cum ſequentibus: vbi prædicta omnia comprobat, ex nuperrima diffinitione Concilij Tridentini, ſeſ. 24. de reformatione, cap. 20. vbi approbantur iuriſdictiones prædictorum Abbatum, Præpoſitorum, ſiue Priorum, Decanorum, & Archidiaconorum, & aliorum Prælatorum inferiorum, ordinariam iuriſdictionem habentium. Idemq; dicit eſſe dicendũ † de Prælatis Ordi- 68 num militarium, D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ: ac multis tradit, de quibus rebus poſsũt cognoſcere ſinguli, & in quibus caſibus ſupradicti oẽs poſſint aut non poſſint, prædictã

suam exercere iurisdictionem: à quibus referendis consulto in præsentiarum supersedeo, pro eo, quod non id sit mei muneris, neque præsentis speculationis, & quia longiorem requirerent disputationem.

Quarta Conclusio.

69 QVamuis Archiepiscopi † in suos Episcopos suffraganeos iurisdictionem habeant, iuxta capit. pastoralis, de offic. Ordin. non tamen illam habent in ipsorum subditos, nisi in certis quibusdam casibus; aut nisi eorum causæ, ad prædictos Archiepiscopos per appellationem fuerint deuolutæ. Hæc conclusio habetur expressa: à glos. dicti. capit. pastoralis, & in capit. 2. 9. quæst. 2. & in cap. nullus primas, cap. conquestus. 9. quæstio. 3. & capit. 1. in principio, de offic. ordin. lib. 6. cap. etiam, 1. in principio, de foro competenti, eodem lib. 6.
70 Vnde fit, vt Archiepiscopus † intra diœcesim sui Episcopi suffraganei, non possit quempiam iudicare, neque ordines alicui conferre: neque quippiam aliud facere, pertinens ad iurisdictionem ordinariam, nisi in certis quibusdam casibus. Qua de re videatur Couarr. in practicis quæstio. capit. 9. num. 2. & Paz in sua Praxi, tom. 2. præludio 1. à num. 14. cum sequentibus. Nec dictis obstat, quod Archiepiscopi prædicti iurisdictionem habeant in dictos Episcopos suffraganeos, ex quo etiam videri posset, quod & illam habent in ipsorum subditos, iuxta communem regulam, qua dicitur, si vinco vincentem te, &c. de qua habetur in l. accessionibus, ff. de diuer. & temp. præscri. & in cap. authoritate, de conce. præben. lib. 6. in iure etiam dicitur,
71 quod cui † competit plus, competere etiam videtur id quod minus est, vt habetur in cap. ex parte de decimis: nam regulæ prædictæ cessant, neque habent locum in proposito casu ex diuersitate rationis. Licèt enim Episcopi suffraganei proprijs Archiepiscopis subdantur; non tamen ipsorum subditi subduntur illis, quia ex hoc magna sequeretur confusio in Ecclesia, vt iam supradiximus: & vt habetur in capit. peruenit 11. quæst. 1. Et capit. duo de offic. Ordin. totus Ecclesiasticus ordo confunditur, si sua iurisdictio cuilibet non seruetur. Videatur hac de re, glos. in cap. pastoralis, de offic. Ordin. Ex dictis etiam colligitur, quod quamuis Archiepiscopi † prædicti, Archiepiscopalem iurisdictionem habeant intra sua Prouincia, quam & visitare possunt, iuxta capit. sopitæ de censibus, & capit. 1. eodem titul. lib. 6. & Clement. 2. de priuileg. non tamen habent iurisdictionem Episcopalem, nisi in propria diœcesi: quod dicere nullum est inconueniens, cum etiam Episcopi iurisdictionem ordinariam habeant in cunctis suis diœcesibus, neque tamen illam habent in exemptis earundem diœcesum, iuxta textum in cap. de Constantinopolitanæ, distinct. 22. Colligitur etiam ex dictis, Archiepiscopos prædictos † constituere non posse Vicarium, siue officialem foraneum, ad cognoscendum de causis per appellationem ad eum deuolutis, seu deuoluendis, in diœcesibus Episcoporum suffraganeorum, vt expresè cauetur, in capit. 1. de offic. Ordin. lib. 6. nisi forsan hoc ius alicui conueniat, ex consuetudine præscripta; nam in tali casu bene posset illum ponere. vt habetur in dicto cap. 1. de offic. Ordinarij, lib. 6. §. quia in causis. Qua quidem ratione Archiepiscopus Compostellanus. ex dicta consuetudine (iure, vt dicitur præscripta) in hac Salmantina diœcesi, Vicarium foraneum constituit, vulgo dictum, *Metropolitano*: de quo,

quo, & eius officio, quid sit dicendum, & quid communiter obseruetur in praxi: non etiam ad me spectat tractare in præsentiarum: videatur supradictus Paz loco superius citato, numero 21. quæ pro isto articulo sic breuiter, ac resolutiuè dixisse sufficiat.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Summus Pontifex possit, aut potuerit, restringere, & limitare, ordinariam Archiepiscoporum, Episcoporum, & Prælatorum regularium iurisdictionem?

PRO Huius articuli intelligentia, præmitto ex Victoria, relectione de potestate Ecclesiæ, q. 2. num. 28. & Soto in 4. dis. 17. quæst.
74 1. art. 4. quod Archiepiscopi, † & Episcopi, cum (sicut præmissum est) sint veri Ecclesiæ Prælati ordinarij, si alias non fuissent prohibiti à iure, & ab Ecclesia, Romanisq; Pontificibus: omni procul dubio possent in suis diœcesibus, & circa sibi subditos, quidquid potest Summus Pontifex in tota Ecclesia. Quod & similiter dicunt
75 † de Religionum Prælatis, Episcopalem, vel quasi Episcopalem iurisdictionem habentibus, quales sunt Generales, & Prouinciales, quod cum ipsorum iurisdictio per quam similis esse videatur, potestati, & iurisdictioni prædictorum Archiepiscoporum, & Episcoporum, etiam ipsi si non fuissent prohibiti, possent in sibi subditos quidquid Archiepiscopi, & Episcopi in suos, quin verò & quidquid potest Summus Pontifex in tota Ecclesia. Hoc inquiunt prædicti authores esse certum & verum. Cum quo tamen stat, quod in iure reperiuntur multa, Archiepiscopis, & Episcopis prædictis, atque ex consequenti, & dictis prælatis regularibus prohibita, & solummodo Summi Pontificis dictioni, siue iurisdictioni reseruata: de quibus nihil libet in præsentiarum dicere, quia id facere longum esset nimis, & non est præsentis speculationis. Qui hac de re aliquid videre voluerit, consulat Syluestrum in summa, verbo, casus, num. 2. vbi refert quinquaginta casus (non minus) qui Papæ reseruantur, de quibus nos latissimè agimus in nostro tomo 2. manualis, siue directorij Prælatorum regul. per plures articulos à quæstio. 7. cum seqq. vsque ad 10. Solummodo est difficultas tractanda, & elucidanda in præsenti articulo, an prædicta restrictio, siue limitatio fuerit iuridica, & licita, cui difficultati breuiter respondetur per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

NVllatenus negandum est, neq; vllo modo dubitare licet, potuisse, ac posse † Summum 76
Pontificem, restringere, & limitare ordinariam Archiepiscoporum & Episcoporum, ac potiori iure prælatorum regularium iurisdictionem. Hęc conclusio non aliter potest, aut debet probari, quam ex summa prædicti Summi Pontificis auctoritate, & potestate, quam habet in tota Ecclesia, quæ quam maxima est, vt habetur in c. licet de träslatione prælatorũ, & in c. proposuit de concessione prębendę, & in c. cuncta per mundum. 9. quæs. 3. Quibus in locis dicitur quod ipse est diuino iure totius Ecclesiæ caput, successor D. Petri, & Vicarius Christi: cui & in persona eiusdem Petri, Matthæ. 18. collata est suprema potestas super terram, vt refertur in ca. quodcumq; 24. q. 1. & in cap. à nobis el 2. de sententia excommunicationis. Quo fit, vt quod factum fuerit † à 77
Papa, prædictoque Summo Pontifice, censendum non sit quasi factum

alicuius puri hominis, sed cœlestis cuiusdam, in terris Dei vicem gerentis, vt habetur, in c. quanto de transflat. prælat. Vbi Hostiensis dicit esse omnino idem vtriusq; tribunal, & glos. singularis ibidem dicit, ipsum esse, cui non potest dici, cur ita facis? Sed summo consensu ei tenentur omnes obedire, in omnibus & per omnia, quæ manifestè non fuerint in Ecclesiæ destructionem, sed potius in ædificationem. Ex quibus manifestè colligitur, quod quamuis Archiepiscoporum, & Episcoporum, & Prælatorum regularium iurisdictio (vt dictum est in præcedenti articulo) ordinaria sit, iure diuino sibi competens, atq; immediatè à Christo Domino concessa, ratione suorum officiorum; cum tamen fuerit sibi concessa, non independenter, sed dependenter: & ordine hierarchico ita vt inferiores dependeant à superioribus, & in hoc ordine Papa, siue Romanus Pontifex, primum, ac supremum obtineat locum quod ex causa iure optimo potuerit, & potest, restringere, & limitare (cum sibi expediens visum fuerit) prædictorum omnium potestatem, & iurisdictionem, in quo conueniunt omnes vnanimiter Doctores: quin verò addunt, & dicūt vnum valde notabile: illud est, quod
78 Papa † siue Romanus Pontifex, non quidem mediatè: sed immediatè præest omnibus Ecclesijs, & diœcesibus quorumcunq; Prælatorum suorum inferiorum, & potest in eisdem absque ipsorum preiudicio facere, quodcumque sibi visum fuerit, ad animarum salutem, & rectam vniuersalis Ecclesiæ gubernationem expedire: quod & tenet expresse D. Thom. in summa contra errores Grecorum. quæst. 66. & contrarium esse dicit errorem. Qua de re videatur Felinus, in cap. 1. de constitutionibus. & Nauar. super cap. non liceat de spolijs, §. 3. num. 1. cum sequentibus vbi hac de re latissimè agit: videatur etiam, in cap. placuit de pænitentia, dist. 2. num. 2. Vbi ad hoc propositum reperire licebit multa, eaque notatu dignissima.

Secunda Conclusio.

SVmmus Pontifex, non solum potest restringere, limitare, & & coarctare, ordinariam Archiepiscoporum Prælatorum regularium iurisdictionem: verum etiam & ipsi Archiepiscopi † & Episcopi, atq; 79
Prælati regulares, iusta exigente causa, possunt id ipsum similiter facere, respectu aliorum Prælatorum suorum inferiorum. Hæc conclusio non aliter potest, aut debet probari, quam precedens: licèt enim supradictis omnibus, collata fuerit iurisdictio, authoritas, siue potestas à iure diuino: cum tamen (vt dictum est) concessa sit ordine hierarchico, ad hunc sensū, quod dependeāt minores, à maiorib. liquidum profectò fit, quod maiores possunt sibi aliquos speciales casus, & causas reseruare, prout animarum saluti, ac rectæ gubernationi visum fuerit expedire. Aduertendum est tamen, quod non id possunt facere pro libito & sine causa iusta: nam cum prædictorum iurisdictio sit ordinaria & non delegata, habeantque authoritatem beneficio legis (nedum humanæ, verum etiam diuinæ) absque iusta causa eisdem restringeretur, iniuria illis proculdubio irrogaretur, nec minima, quin verò maxima: &
faciens † huiusmodi limitationem, 80
siue coarctationem, licèt factum teneat, peccabit tamen mortaliter, & poterit tempore residentię siue visitationis eadem re conueniri, & puniri. Quod dico specialiter propter Prelatos regulares. Attamen in dubio omnes † restrictiones 81
reseruationes, & limitationes factæ

à iure,

à iure, statutis, siue constitutionibus, etiam & consuetudinibus censeri debent iustæ. Saltem de potestate reseruandi casus in Ecclesia nulli licet dubitare: postquam in Concilio Tridentino, sess. 14. cap. 7. & canon. 11. Damnantur, & anathematizantur, asserentes fieri non posse huiusmodi reseruationes in foro pęnitentiali, & etiam in foro exteriori: quæ pro hoc articulo breuiter dixisse sufficiat.

ARTICVLVS VII.

Vtrum officium Vicarij Generalis Episcoporum, vulgò dicti Prouisoris: similiter officium correctorum vicem tenentium, sit ordinarium, an verò delegatum?

HAc De re Doctores iurisperiti multa dicunt, quibus breuitatis gratia prætermissis, quod tenendum est, & probabilius videtur, explicabitur per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

82 IVrisdictio Prouisorum † similiter, & correctorum vicem tenentium, ordinaria dicenda est, non verò delegata. Hanc conclusionem tenet, Couarruu. libro 3. variarum resolutionum, cap. 20. num. 4. vbi refert opinionem Alciati, & quorundam aliorum Iurisconsultorum, asserentium prædictorum iurisdictionem, non esse ordinariam, sed delegatam: sed contrariam sententiam tenet ipse, dicitque esse veriorem, quod probat, ex glos. in cap. 2. de officio Vicarij, lib. 6. verbo, officialem, & glos. in capit. perlectis, dist. 25. verbo, iurgia, glos. etiam in cap. Romana, de appella. lib. 6 verbo, generaliter. Eandem sententiam tenet Felinus, in rubrica de offic deleg. num. 4. & Paz in sua Praxi, 1. tomo in primo tempore, numero sexto, cum seqq. & tom. 2. prælud. 3. numero etiam 3. cuius conclusionis ratio est: nam ad hoc, quod prædictorum † offi ium dicatur ordina- 83
rium, non verò delegatum: sufficit superque satis est, quod illud exerceant ex quadam iuris permissione: licèt alias ab Episcopis, siue correctoribus (respectiuè) sibi committatur, & commendetur. Sufficit etiam, quod generaliter ex tacito consensu Principis, legis, siue Reipublicæ, in eiusmodi muneribus constituantur, vt loco, & vice ipsorum iurisdictionem exerceant. Quod autem Episcopi, & correctores, ius habeant constituendi sibi huiusmodi officiales, & Vicarios Generales ordinarios, constat ex capit. licet de officio Vicarij, & ex capit. cum Episcopis de officio Ordinarij in sexto. Quibus in locis permissum est Episcopis: per se, siue per alium iurisdictionem ciuilem, & criminalem exercere. Et quod correctores id ipsum possint facere, ex multorum Doctorum resolutione probat Paz loco supracitato, & quia in eisdem eadem omninò militat ratio, licèt etiam eiusmodi vicem tenentes, ab ipsis correctoribus eligantur, & nominentur.

Secunda Conclusio.

84 QVamuis prædictorum † Prouisorum, seu correctoris vicem tenentium, officium sit ordinarium, mortuo tamen Episcopo, seu correctore, non ipsum durat, quin verò statim expirat, & ab eisdem Episcopis, siue correctoribus dum viuũt, pro libito aut saltim cum causa possint reuocari. De hac conclusione videatur Paz 1. tom. in 1. tempore, nu. 9. vbi de mente Auendan lib. quem edidit de exequendis mandatis Regum, 1. part. cap. 3. n. 2. refert, quod officium correctorum vicem tenentium, mortuis correctoribus ipsis adhuc durat, licèt contrarium sit de Episcoporum Vicarijs, sed neq; Auendan. ipse, neque prædictus Paz, huius rei aliquam rationem, & causam reddunt. Vnde cum (vt videtur) nulla inter ipsos sit differentiæ ratio, quia vtrique à correctoribus siue Episcopis nominantur, siue eliguntur (respectiuè) de iure, & regulariter loquendo, contrarium dicendum esse existimo: & quod correctoris vicem tenentis officiũ, correctore ipso mortuo statim expirat, sicut & Prouisoris mortuo Episcopo, nisi forsan in eo permaneat ex speciali mandato Regis, seu Præsidentis ipsius. Verum est tamen propter bonum commune, ac rectam gubernationem, iam consuetudine esse positum, vt nõ eo ipso, seu statim, atque corrector moritur expiret, sed idem vicem tenẽs officium ipsum teneat, interim dum Rex, aut ipsius præses consulitur, ipsique præcipiat quid sit faciendum, seu eundẽ continuet in suo officio.

Tertia Conclusio.

QVamuis predicti Episcoporum Vicarij, vulgò dicti Prouisores (vt præmissum est) in sua diœcesi ordinariam habeant iurisdictionem, non tamen illam † habent alij Vicarij foranei, quos in aliquibus locis, seu partibus suorum Episcopatuum, nonnulli Episcopi constituunt, quin verò ipsorum iurisdictio est delegata, & non ordinaria. Hæc conclusio est expressa, supradicti Paz in sua Praxi, tom. 2. præludio 3. num. 5. quam & probat, ex Clem 1. de rescriptis, verbo foraneo Vbi & rationem reddit glos. ob quam à prædicto Vicario foraneo, ad suum Episcopum appellari potest, non autem à Vicario ordinario, nempè Prouisore, iuxta tex. in ca. 2. de consuetudine, lib. 6. & in cap. Romana in principio de appel. lib. etiam 6. Et ratio est, quia † prædicti Vicarij ordinarij, & eorundem Episcoporum vnum, & idem est omnino tribunal: quo fit vt ab eius sententia ad Episcopum, locus non sit appellationi, nam appellatio semper est, esseque debet ad superiorem: appellare tamen licet ad Episcopum à prædicto Vicario foraneo, quia vtriusque non est vnum & idem tribunal, sed aliud, & aliud, & cum ipse (vt præmissum est) non sit ordinarius, sed delegatus, rectè ad Episcopum, tanquam ad suũ delegantem appellatur, argumento tex. in cap. super quæstionem, de offic. delegati, & cap. dilecti el 3. & ibi glos. de appel. quod etiam tenet glos. supradicti, cap. 2. de consuetudine, libro 6. verbo officiali, Qua de re videatur etiam Maranta de ordin. iud. 6. part. memb. 6. num. 369. & 370.

85

86

ARTICVLVS VIII.

Vtrum laici esse possint, Vicarij Ordinarij Episcoporum?

Conclusio.

LAICI Non esse possunt † Vicarij ordinarij Epõrũ. Hçc cõclusio est 87

eſt comperta apud omnes: & intelligenda eſt de laicis,etiam ſi ſint primę tonſuræ, ſi aliàs ſint coniugati. Secus eſt autem ſi ſint primæ tonſuræ ; & non matrimonio copulati. Nam cum per talem primam tonſuram ſint verè clerici,benè poſſunt ſpiritualia tractare, & ordinariam Eccleſiaſticam iuriſdictionem exercere, iuxta textũ in capit.cum cõtingat,de ætat.& qualit.ordin.Hanc ſententiam tenet Pan. quem omnes communiter ſequuntur,in c.2.de iuriſd.num.12. De qua videatur Couar.in c.alma mater,1.p. §.11.n.3.de ſententia excommunicationis.li.6. Et Rebuf. in praxi beneficiorum,tit.de Vicarijs Epiſcoporum. Et quod ſupradicta concluſio ſit nimis iuri,ac rationi conſona,probatur ſpecialiter ex ijs, quæ tradit Clemens V.in Clement.1. de election. facta in Concilio Viennenſi,vbi reddens cauſam Summus Pontifex,ob quam minimè conueniat, quod religioſus vnius religionis, præficiatur religioſis alterius religionis (inquit): Quod
88 rationi † non congruit homines diſparis profeſſionis, vel habitus in eiſdem miniſterijs ſociari.Ex quo loco; ſic colligo argumentum: ſi rationi nõ congruit Eccleſiaſticos diſparis profeſſionis,vel habitus ſimul ſociari:multo ergo minus rationi conuenit, iuri ve conſonum eſt, quod laici clericis ſiue Eccleſiaſticis perſonis præficiantur, & ordinariam circa ipſos exerceãt iuriſdictionem: & cum Pontifex ibidem dicat id rationi non congruere:innuere profectò videtur,eſſe contra legem naturæ, & cõtra ius diuinum, quod laici,ſiue ſæculares, viris Eccleſiaſticis præficiantur: ſintque ipſorum iudices ordinarij. Id ipſum confirmatur, ex cap. cum cauſam de electione:vbi ſimiliter rationem reddens Innocentius III. ob quam ſæcularis eligi,aut præfici nõ debet in Abbatem religioſorum, inquit eſſe contra legem diuinam poſitam in Deutero.cap.22. Vbi prohibitum fuit quempiam ſimul arare in boue & aſino, aut induere veſtem ex lino & lana contextam. Quæ verba expendens ibi gloſ.dicit:Hoc nihil eſſe aliud quã homines diſparis profeſſionis in vno, & eodem officio ſociare. Hoc idem dixit olim D. Iſidorus, vt habetur in c.in nona actione,16.q.7. quod verũ eſt proculdubio. Super quæ prædicta capita notandum eſt quam maximè quod cum in eiſdem dicitur,id ipſum non congruere rationi: inſinuari videtur,præceptum prædictum de non ſociando boue cum aſino, aut induẽda veſte lino,lanaq́;contextam (quãtum ad ſignificationem) eſſe quidem morale, & modò etiam obligare: & conſequenter quod laicus, ſiue ſæcularis,nullo modo præfici debet, in iudicem,ſiue prælatum ordinarium,viris Eccleſiaſticis. Hęc dicta ſint de iure communi. Sed de iure ſpeciali, ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

DE iurę ſpeciali,& ex delegatione † Summi Põtificis, ſiue ipſius commiſſione,nihil obſtat, 89
quominus laicus ſiue ſæcularis inſtitui poſſit iudex Eccleſiaſticorum,etiã in cauſis merè ſpiritualibus,Hæc cõcluſio habetur à gloſ.in cap. decernimus de iudicijs. Vbi dicitur, quod ſi laici prohibiti ſunt diuino iure, cognoſcere de cauſis ſpiritualibus,id intelligendum eſt, auctoritate propria, non tamen (inquit) cenſentur prohibiti, de eiſdem cognoſcere auctoritate Summi Pontificis Nam tunc nõ videntur facere aliud quam ipſos vices gerere,iuxta cap.ſane, el 2.de offic. delegati. Videtur enim Papa in tali caſu, per eoſdem ſuam iuriſdictionem exercere:argum tex. in cap. qui per alium de regulis iuris, lib. 6. neque.n.inuenitur aliquo diuino iure pro-

prohibitum, laicos ex commissione Summi Pontificis, posse cognoscere de causis verè spiritualibus. Videatur hac de re Paz in sua praxi, 2.tom.prę-ludio 2.nume.3.& Farinac. 1.tom.q. 8 nume.4. & Iulius Clarus lib.5.sententia, §.fin.q.41.nume.5.& 6. Quæ breuiter dicta sufficiant.

ARTICVLVS IX.

Quid sit iudex delegatus, & cui fieri possit delegatio?

PRo huius articuli intelligentia, præmitto ex Syluestro, verbo, delegatus: quod huiusmodi nomē deriuatur à delego, delegas, quod
90 idem pollet, † ac vices meas alicui cōmitto, prout tradit Panormitanus, in rubrica eodem tit. Quod & à Doctoribus multipliciter diffinitur: nam secundum Goffredum, delegatus dicitur, is cui à Papa, vel ordinario, seu principis delegato, aliqua causa decidenda, & cognoscenda committitur. Secundum verò Hostiēsem, est is, cui committitur prædicta causa, decidenda, vel exequēda, alterius vices repræsentans, nihil habens proprium in iurisdictione, iuxta cap. sanè, eodem tit. & l.1.ff de offic. eius cui mand. est iurisdictio. Speculator autem eodem tit. de legatis, in principio, dicit quod delegatus est is, qui ex commissione alterius alicuius causæ iudicialem cognitionē assequitur: & ait Syluester vbi supra, quod prædictarum diffinitionū quælibet potest sustineri, licèt ipse aliam tradat, de qua dicemus statim. Subdelegatus verò dicitur, prædicti delegati delegatus. Legatus autem
91 † secundum Goffredum, & vt notatur communiter à Doctoribus, in rubrica eodem titulo: dicitur is cui à Papa certa patria, vel prouincia gubernanda committitur, in qua vices eius gerit: & est quasi ordinarius ibi, iuxta capitul. legatos de officio legati, libro 6. His igitur sic præmissis, ex omnibus prædictis diffinitionibus, aliquid desumendo, & nonnihil etiam relinquendo: proposito articulo respondetur per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

DElegatus quoad Ecclesiasticos, † est & dicitur ille, cui à 92
Summo Pontifice, vel alio ordinario, aliqua causa decidenda, cognoscenda, siue exequenda committitur, & in qua ex eorum commissione iudicialem exercet potestatem.
Idemque † dicendum est, de delega- 93
tis ab Imperatore, Regibus, siue alijs principibus, quoad sæculares. Hæc conclusio satis colligitur, ex Rubrica, & ex capitul. sanè de officio iudicis delegati, & ex l. prima, ff. de officio eius cui mandata est iurisdictio. Ex qua etiam colligitur, quisnam possit delegare in spiritualibus,
† nempè Papa, Archiepiscopi, & Epi- 94
scopi, & prælati regulares, Episcopalem vel quasi Episcopalem iurisdictionem habentes. In temporalibus
† autem Imperatores, Reges, Prin- 95
cipes, & alij qui iurisdictionem ordinariam habent, ordine infra dicendo. Interdum etiam delegat delegatus Papæ, Imperatoris, Regis, siue Principis (quamuis non nisi extraordinaria iurisdictione ipsi polleant) in casibus, de quibus infra dicemus, quod delegati interdum possunt subdelegare.

Secunda Conclusio.

LIcèt in sæcularibus, & regulariter loquendo, delegatus † qui-
libet esse possit, qui non est iure 96
prohibitus: delegatus tamen Papæ nullus esse potest, qui non sit in aliqua dignitate constitutus, aut personatum habēs, vel Canonicatum alicuius Ecclesiæ Cathedralis. Hæc conclusio est Sylue-

Syluestri verbo, vbi supra, nu.3. & habetur expressa, in cap. statutum de rescrip. li.6. Sed intelligenda est, nisi Papa ex certa scientia aliquam causam committeret alicui non existentia in dignitate constituto, & minori, iuxta cap. cum vigesimum, de offic. deleg. & cap. cum in cunctis de elect. Cum hoc tamen stat, quod priores Ordinis mẽdicantium, & Guardiani in sacro nostro ordine minorum, bene esse possunt Summi Pontificis iudices delegati, cum verè sint Ecclesiæ prælati, & habeant Ecclesiasticam dignitatem. Quod tenet expresse Syluester, verbo, vbi supra, nume. 3. allegando in id Geminianum, & glossam, in cap. nullus de elect. lib.6. & Panormitanum, in cap. causam de iudicijs, & in c. cum Olim de maiori & obedientia, & Cardinalem, in Clement. 2. de rescriptis. Dicit tamen Syluester, quod hoc non
97 extenditur ad conuentuum. † Vicarios, qui in eodem Monasterio superiorem habent: cum isti non habere noscantur dignitatem Ecclesiasticam, nec iurisdictionem ordinariam. Secus autem esset, si in eodem cõuentu non haberent superiorem, quod tunc contingit, quãdo mortuo, seu amoto priore, vel Guardiano, eligitur quispiam in superiorẽ alicuius Conuentus: quia tunc ille talis cẽseretur esse quasi prælatus ordinarius, quamuis non sit perpetuus: & eligi potest in delegatum, ac si re vera esset ordinarius. Tales sunt in nostro Minorum ordine, qui communiter nuncupantur præsidentes, & constituuntur per mortem, siue per amotionem Guardianorũ. Idemque erit iudicium de similibus in alijs religionibus Qua de re videatur Syluester, verbo, Prælatus numero secundo. Nunc superest dicamus, qualiter constare debeat de alicuius delegatione, siue iurisdictione delegata, vt ei cæteri parere teneantur, de quo sequens instituetur decimus Articulus.

ARTICVLVS X.

Qualiter constare debeat de alicuius delegatione: siue iurisdictione delegata?

Conclusio.

IVdex delegatus † tenetur ostensionem facere suæ delegationis, per eius originale, seu exẽplum solemniter transumptum, alias nullus tenebitur ei obedire. Hæc conclusio est certa, & manifesta, & habetur expresse, in capit. cum in iure de officio, & potestate iudicis deleg. Vbi dicitur quod delegato nõ creditur, nisi suam delegationẽ probet: nec tenetur quis sententiam illius exequi, nisi delegatoriæ literæ eidem ostendantur. Sed qualiter eiusmodi probatio fieri debeat, multis tradit Panormitanus, in dicto cap. cum in iure: de quibus etiã videndus est Syluester, verbo, delegatus, num.4. vbi demente eiusdem plura dicit circa probationem talis delegationis siue mandati. Et primo quòd debet fieri per ostensionem originalis, & hoc est magis certum & clarũ. Secundo dicit, quod si id non placet, fieri debet per ipsius exemplum solẽniter transumptum: de qua solemnitate videnda sunt, quæ dixit idem Syluester, verbo, Tabellio, §. vltimo in fine: vbi ait, quod non valet eiusmodi transumptum, nisi fiat citata parte, aut præmisso edicto generali: de quo, in capitul. Albericus, de testibus. Dicit tamen, quod partibus consentientibus, vel præsentibus, & non contradicentibus, potest extrahi exemplum ab originali, secundum Hostiensem, & in tali casu acta facient fidem in ipsarum præiudicium de originalis tenore: argument. l prima, C. de rela. vbi per illum textum dicit Bartolus, quod si partes in iudicio præsentes, non contradicunt ijs, quę cedere 98

cedere possunt in ipsarum præiudicium, eo ipso censentur cõsentire. Secus est autem vbi solus notarius traduxisset exemplum ex originali, quia tunc secundum Innocentium, cum produceretur instrumentum, sola de productione fit fides, non verò de tenore contento in originali: vt habetur, in capit. quoniam contra de probationibus. Et in tali casu necessum erit, quod literarum tenor per idem ipsum originale probetur: quod est multum notandum atque memoriæ commendandum.

99 Sed quid, si delegatus nolit † fidem facere ordinario de suo mandato, & ei parere nolentem, seu eius sententiã exequi, excommunicet de facto, erit ne inualida eiusmodi excommunicatio? Aut quid in tali casu faciendum est? Respondeo cum Syluest. verbo, vbi supra, num. 5.: quod huiusmodi excommunicatio non tenet, imò verò est ipso iure nulla. Cuius quidem ratio in promptu est nam delegatus (etiã à Papa) quamuis sit ordinario superior, non habet iurisdictionem super eum, nisi ei rebellis extiterit: quod de eo dici non potest in proposito casu, quando petit fidem de mandato, quod sibi facere iure permittitur. Secus tamen esset, si ordinarius malitiosè assereret, se de mandato dubitare, in id allegando aliquas rationes friuolas, & inanes, & maximè rescripti falsitatem: nam tunc certum est, quod in excommunicationem incideret: & posset ipse delegatus per se exequi, quod fieri habebat per ordinarium, iuxta cap. in literis de officio potestate iudicis delegati: & insuper posset ipsum ordinariũ punire, pro eo, quod malitiosè se opposuit, ad cauillandum rescriptum principis: & de iure ciuili condemnatur in triginta auri libris, vt habetur, in l. 2. C. delegatis. Circa prædicta omnia, videndus est etiam Panor. in c. præterea de dilat. vbi dicit qđ quãdo agitur de grauissimo, seu grauiori præiudicio, non est parendũ iudici, asserenti se esse delegatũ, q̃uis sit persona magnæ auctoritatis, nisi prius, constet de pleno mandato: neque in tali casu sufficit illius copia: vt habetur, in l. vnica, C. de mandatis Principum: sed videre † oportebit originale ipsũ, neque aliter ordinarius debet illius sententiam exequi, argumento, cap. nobilissimus distinct. 97. At si ageretur tantum de præiudicio graui (vt si citetur quispiã in partibus valde remotis) quamuis non sat sit, asserere se esse delegatum, sufficeret tamen mittere rescripti copiam. Si verò agatur de præiudicio leuissimo, vt si v.g. citetur quis in eiusdem ciuitatis loco, ad effectum arctandi citatum ad comparendum, non est (inquit necessum, vt sibi mittatur copia rescripti, sed sat erit asserere quẽpiam se esse delegatum: nam ex quo talis persona non est vilis, statim oritur ad minus iurisdictionis dubium: & in tali dubio, citatus comparere tenetur, argum. l. si quis ex aliena, ff. de iudi. Secus autem, si quis alium citaret, non asserendo se esse delegatum, neque aliàs esset ordinarius: nam in eo casu citatus ab eo, non comparere teneretur. Quæ pro isto articulo sic breuiter dicta sufficiant. 100

ARTICVLVS XI.

Quid possit facere delegatus, & quæ iurisdictio in dubio videatur demandari?

PRO Huius articuli intelligentia libuit præmittere, quod licet de iure ciuili, ea quæ sunt † meri, & mixti Imperij indelegabilia sint, nec delegari possint, iuxta textum in l. 1. ff. de offic. eius cui mand. est iurisd. Vbi id ipsum tenent omnes Doctores communiter, & glossa in capit. quod sedem, de officio iudicis ordinarij, verbo, committere. At de iure Cano- 101

102 Canonico, † & pontificio loquendo, omnes causæ (etiam meri & mixti Imperij) delegabiles sunt, ac delegari possunt, ab Archiepiscopis, & ab alijs iudicibus Ecclesiasticis, merum, & mixtum Imperiũ habentibus, iuxta glos. in cap. in Archiepiscopatu de raptoribus, & glo. in prædicto, cap. quod sedem de offic. iud. ordi. verbo, committere, & glos. in cap. peruenit, dist. 95. Quam esse opinionem communem, tradit Panorm. in dict. cap. quod sedem. Et Alciat. ibidem num. 76. & ex iunioribus, Couar. lib. 3. variarum cap. 20. n. 4. & omnes communiter iuris periti, in dict. l. 1. ff. de offi. eius cui mandata est. Quo premisso, atque presupposito, quamuis Episcoporum Generalium Vicariorum iurisdictio, in sua cuiusque diœcesi, siue Episcopatu ordinaria sit, non verò delegata, vt supra diximus, in artic. 7. & habetur, ex glos. in cap. 2. de offic. Vicarij, lib. 6.: non ab re in præsentiarum visum est dicere, quęnam causę in communi, & generaliter loquendo, possint aut non possint eis, siue alijs delegari, subdelegari, aut committi, vt horum omnium aliquis saltem habeatur notitia. De quibus omnibus dicemus per ordinem in sequentibus conclusionibus.

Prima Conclusio.

103 Archiepiscopi, & Episcopi † delegare possunt pertinentia ad suum Episcopalem ordinem, vt est consecratio, & Ecclesiarum reconciliatio, ordinatio clericorum, & similia: sed non nisi alijs Episcopis tãtum. Hæc conclusio habetur expressa, in cap. quod sedem de offic. iudic. ordin. vbi glos. verbo committere: dicit, quod quamuis Archiepiscopi, & Episcopi ea, quę sunt iurisdictionis possint committere, etiam illis, qui eandem non habent, iuxta cap. pastoralis, eodem tit. de offic. iud. ord.: attamen ea, quæ sunt ordinis, vel consecrationis, committere non possunt ijs, qui eam non habent, hoc est illis, q̃ non sunt Archiepiscopi, vel Episcopi, aut maiores: pro qua allegat, capit. aqua de cõsecratione Ecclesiæ, vel Altaris. Nec verò (inquit) talia propriè dicuntur committi: nam cum Archiepiscopus. (v. g.) mandat alicui Episcopo suo suffraganeo, vt hoc, vel illud faciat, nihil de nouo committit, sed tantum dat authoritatem, vt quod aliàs facere poterat, & sola authoritas illi deerat, in suo Archiepiscopatu faciat, & idem est iudicium, quando Episcopi inuitantur ad aliquid faciendum, ab illis, qui id ipsum facere non poterant, vt putà quando capitulum sede vacante inuitat aliquem Episcopum, ad consecrandum Ecclesiam, vel Altare, vel ad clericos ordinãdos, iuxta capit. Pontifices, 7. q. 1. & idem habetur, seu potius colligitur, ex cap. suffraganeis de electione: vbi dicitur quod Metropolitanus, post confirmationem, ante receptionem pallij potest committere Episcopis consecrationẽ alicuius sui suffraganei. Hoc itaque est certum atque indubitatum, de quo videatur Syluester, verbo, delegatus, num. 2.

Secunda Conclusio.

Pertinentia ad iurisdictionẽ, † vt est audientia causarum peccatorũ absolutio, & similia; benè possunt Archiepiscopi & Episcopi, suis Vicarijs Generalibus ordinarijs, quin vero & Vicarijs foraneis, committere & delegare. Hæc cõclusio est expressa Syluestri supradicti, verbo, delegatus, nu. 2. pro qua citat c. aqua de consecratione Ecclesiæ. Dicit tamen, quod causas † criminales clericorum, cum agitur ad depositionem, non possunt alicui delegare: nisi in casu quo propter Ecclesiæ suæ necessitatem, seu aliam causam magnam inciperent 104 105

perent abesse, & tunc committerent tantum cognitionem causę, non vero ipsius definitionem: argum. l. 1. ff. de offic. eius, cui mandata est, &c. Et l. 2. C. de Peda. iudi. aut nisi forsan totius causæ definitionem alicui committerent Episcopo, quod inquit facere poterunt, cum iure non reperiatur prohibitum. Aliæ etiam sunt causæ, quæ licet non sint criminales, dicit supradictus Syluester, quod propter ipsarum excellentiam Episcopi ipsas delegare non debent, neque includuntur in generalibus mandatis, siue commissionibus: de quibus vt aliqualis habeatur notitia: sit tertia conclusio.

Tertia Conclusio.

IN generali mandato siue commissione, facta ab Archiepiscopis siue Episcopis suis Vicarijs Generalibus, non censetur commissa potestas
106 † conferendi beneficia, nisi id expressè, & specialiter exprimatur, & committatur. Hoc habetur expresse, in cap. fin. de offic. Vicarij, lib. 6. Et tradit illud latè Rebuf. in praxi benefic. in additionibus ad regulas Cancellar. reg. 13. versu, & is Vicarius. Qua de re videatur Paz in sua praxi, 2. tom. præludio 3. à nu. 6. cum sequentibus: vbi dicit quod poterit prædictus Generalis Vicarius ex sua generali commissione siue mandato, instituere beneficiarium præsentatum à patronis, iuxta textum cum glos. in cap. ex frequentibus, de instit. & glos. in c. fin. de offic. Vicarij lib. 6. glos. etiam in cap. cum in illis, §. cum autem, de præben. lib. 6. Qua de re videatur Couar. lib. 3. variarum, cap. 2. num. 7. & eadem ratione (inquit) potest constituere
107 † œconomum Ecclesiæ patronatæ vacātis ad fructus custodiēdos, si ipsius prouisio differatur: nam custodia Ecclesiæ vacantis ad eundem spectat, ad quem pertinet eius institutio, vt probat textus iuncta glossa, in cap. cum vos de offic. ordina. & ita cum Vicarius prædictus instituere possit præsentatum in Ecclesia patronata, manifestum sit, quod potest constituere æconomum ad custodiam fructuum.

Quarta Conclusio.

NOn etiam poterit prædictus Vicarius † Generalis Archiepiscoporum, & Episcoporum, 108
ex generali commissione, & mandato, inquirere, corrigere, aut punire suorum subditorum excessus, nec priuare quempiam Ecclesiastico beneficio, officio, siue administratione, nisi specialiter prædicta fuerint sibi commissa, iuxta textum in cap. licet de offic. Vicarj, lib. 6. Sufficeret tamen quod expressis aliquibus † casibus ex 109
requirentibus specialem commissionem, cæteri committerentur sub clausula generali, iuxt. glos. in d. cap. licet. Quam probat Bernardus Diez de Lugo, in sua practica criminali Canonica, c. 3. quod est verum, & tenendum quando non expressa in generali commissione, essent paria, vel minora expressis: nam si essent maiora, & grauiora expressis, non intelligerentur comprehensa sub generali clausula: argum textus in Clement non potest, de procura. Non desunt qui dicant, quòd quamuis prædictus Generalis Vicarius, non possit inquirere de excessibus, & criminibus suorum subditorum, ad eorum punitionem: benè tamen vt eadem superiori referat, quò ipse illa corrigat, & emendet: qua de re, an id possit facere, vel non facere, & qualiter etiam in casu sit faciendum: magna est lis in controuersia inter iuris peritos Doctores: videatur Socinus, in cap. qualiter & quando, el secondo de accusatione: Felinus, in cap. non potest de re iudicata, Bernardus Diez de Lugo, in sua Practi-

Practica Criminali Canonica vbi supra, & Paz loco etiam vbi supra, numero 11. à qua quæstione ego consultò abstineo, quia non est mei propositi, neque præsentis speculationis, cũ ad alia promeremus.

Quinta Conclusio.

110 NOn etiam comprehenditur† in supradicta commissione, facta Vicarijs Generalibus, facultas dispensandi in denunciationibus, quę de iure antiquo & nouo, innouato in Concilio Tridentino, faciendę necessario sunt ante celebrationem matrimonij, iuxta textum, in cap. cum inhibitiõ de clandest. despon. Nam id facere etiã ipsis Archiepiscopis, & Episcopis erat olim prohibitum: vt tradit Palud. in 4. distin. 28. quæst. 2. & quia contra dispositionem Concilij generalis, neutiquam poterant ipsi dispensare: iuxta glos. in capit. cum dilectus de electione, verbo in ætate. Quod etiam tradit Felinus, in cap. nonnulli, num. 2. de rescriptis, & Decius in rubrica de iud. & quamuis hodie per Concilium Tridentinum, sess. 24. de reform. matrim. cap. 1 Ordinarijs locorum concessa fuerit facultas, remittendi aliquas ex prædictis denuntiationibus, vel omnes (iusta interueniente causa, & non aliàs) in illis verbis, nisi ordinarius ipse aliud expedire iudicauerit: & tradit Nauar. in Manuali latino, c. 22. num. 70. & 85. & Soto in 4. dist. 28. quæstio 1. art. 2. non tamen in verbis prædictis comprehenduntur supradicti Vicarij Generales: Archiepiscoporum, seu Episcoporum: nam ibi ordinariorum nomine tantũ intelligũtur ipsi Archiepiscopi, seu Episcopi, non verò ipsorũ Vicarij etiam Generales, quamuis & illi ordinariam habeant iurisdictionem: vt supra diximus Qua de re videndus est Pax in sua Praxi, 2. tom. præludio, 3. nume. 11. vbi dicit, quod ordinarij † nomine, propriè, strictè atque in rigore loquendo, non venit intelligendus, nisi aut Papa, iuxta ca. ita Dominus, distinc 19 & cap. mandata de præsump. Legatus Papæ, iuxta cap. 1. de offic. legati, & cap. 2. eod. titul. lib. 6. Et Episcopus diœcesanus, iuxta cap. cum Episcopus de offic. ordinarij in 6. & capit. cum personæ de priuil. eodem lib. 6. Vnde asseuerãter (inquit) quod ex generali commissiõne facta ab Archiepiscopo, siue Episcopo suo Vicario Generali: non censetur ei commissa supradicta facultas dispensandi in prędictis denunciationibus, nisi de eo facta fuerit mentio specialis. Et accedit ad id alia specialis ratio: Ea est, nam in † generali com- 112
missione: non venit intelligenda potestas dispensandi, vt habetur, in cap. contra rationem de offic. legati, & tradit glos. in capit. quæ de causa, 2. quæstio. 4. Et Rebuffus in praxi benefic. tit. de forma Vicariatus, nume. 44. & num. 179. Et Nauar. in Manual. cap. 27. num. 255. quamuis circa hoc vltimum non desint qui dicant contrarium. Supradictis omnibus addit Syluest. verbo vbi supra, numero secũdò in fine, quod Archiepiscopi, & Episcopi, † nisi sint aliqua iusta & multum 113
necessaria causa impediti, delegare non debent matrimoniorum causas, & eis similes, propter earum excellentiam, quod probat ex capitu. ex literis de consang. & affinit. neque potestatem dispensandi cum irregularibus, neque absoluendi eos qui manus violentas in clericos iniecerunt in casibus sibi à iure concessis: etiam siue facere non sit sibi prohibitum, quin verò concessum, per capit. eis de offic. ordin. Alias tamen causas minores, vt de decimis, de iure patronatus, & similes delegare (inquit) optimè possũt, spirituales tantummodo clericis, iuxta c. decernimus de iud. & ca. quanto eo. tit. Pecuniarias verò: quibus voluerint indistinctè, neq; .n. in eis debent

occu-

occupari iuxta c. te quidem, 11. q. 3. 1. Et etiam possunt delegare existentibus in alieno Episcopatu pertinentia ad iurisdictionem voluntariam, licèt non ad contentiosam, quamuis ad eandem suscipiendam cogere non possint, iuxta c. vt animarum de constitutio. lib. 6. Quæ omnia valde sunt notanda, & memoriæ commendanda. His dictis de commissione generali facta, seu quę communiter fieri solet, prædictis Vicarijs Generalibus Archiepiscoporum, siue Episcoporum, reliquum est, vt de commissionibus quę alijs delegatis communiter fiunt, aliquid etiam dicamus quid possint aut non possint facere earundem virtute: de quo sit sexta conclusio.

Sexta Conclusio.

114 DElegatus ad omnia, † seu vt communiter dici solet, cum plenitudine potestatis: in Prouincia suæ delegationis, potest omnia ad quæ se extendit potestas illius qui eundem delegauit. Hæc conclusio est certa & manifesta, & probatur, per l. 1. §. cum vrbem ff. de offi. præf. vrbis. Et in proœmio institutæ habetur, quod quando committens dicit, committimus tibi vt authoritate nostra cognoscas, &c. censetur translata iurisdictio ordinaria; cum quo tamen stat quod à delegantibus interdum nonnulla possint, & soleant limitari, & coarctari: quæ in generali commissionis clausula non censentur contineri, quænam sint ista, longum esse nimis velle in præsentiarum referre; superius dicta sunt aliqua, reliqua verò apud Syluestrum, verbo delegatus poterunt videri, vbi per plures numeros de ijs agit.

Septima Conclusio.

115 DElegatus non ad omnia, sed ad aliquod † speciale negotium, tātum potest id quod specialiter sibi fuerit commissum, & sine quo talis causa non potest expediri. Hæc conclusio habetur expressa, in cap. 1. & cap. prudentiam. cap. præterea, cap. P. & G. cap. sedes Apostolica. cap. pastoralis de officio delegati. Et ratio conclusionis in promptu est, nam vt dicit glos. in cap. solet de sententia excommunicationis, lib. 6. estque communis omnium iuris consultorum resolutiò, delegata potestas est stricti iuris: adeò quod delegatio facta Episcopo, non transit in Vicarium à se constitutum, vt tradit expresse Decius, in cap. quoniam Abbas, de offi. deleg. n. 15. Nec delegatio facta suo officiali, siue Vicario Generali, transit in eundem Episcopum, vt tenet Cardinalis, & multi alij in Clemen. 2. de rescriptis. Ex qua conclusione colligitur, quod potestas delegata nullatenus debet extendi, quin verò restringi, ita vt solummodo intelligatur de illis, quæ specialiter sunt concessa, aut sine quibus negotium quod specialiter fuerit commissum, nullatenus potest expediri: Seu ad summum de his, sine quibus, non satis commodè potest expediri: quapropter illa, per quæ negotium facilius expediri posset, nullatenus veniūt in commissione, seu delegatione generali intelligenda, nisi expressè committantur. Hac de re videatur, Syluester, verbo, delegatus, nu. 6 in fine, vbi dicit quod quamuis in aliqua causa delegata, intelligantur commissa omnia sine quibus expediri non valet, non tamen censentur concessa ea, quę valere possunt ad melius causam eandem expediendam; quod est valde notandum, ac memoriæ commendandum. Sed loquendo de commissione seu delegatione in dubio facta, sit octaua conclusio.

Octa-

Octaua Concluſio.

116 LOquendo de iuriſdictione † in dubio, quando delegans ſiue committens dicit, concedimus tibi facultatem, vt auctoritate noſtra vadas, & cognoſcas, &c. in tali caſu cenſetur translata iuriſdictio ordinaria. Hæc concluſio eſt expreſſa ſupradicti Syluestri, verbo delegatus, num. 6. quam & probat per textum in prohœmio inſtitu. Sed dicit, quod quando hoc non dicitur: per commiſſionem vnius, vel plurium negotiorum (vt ſupradiximus) non cenſetur ordinaria iuriſdictio translata: quod probat per l ſi terrarũ, ff de milit. teſtam. ſecus eſt autem ſi vniuerſitas committatur, iuxta legem 1. §. cum vrbem, ff. de offic. præfecti vrbis. Si quę alia ad hoc deſiderantur, conſulatur Sylueſter, verbo vbi ſupra: nam non poſſumus in hiſce rebus tandiu retardari: cum ad alia maiora, aut certè non minoris momenti, & magis noſtris propoſiti, & profeſſionis properemus.

ARTICVLVS XII.

Vtrum delegatus poſſit ſubdelegare?

Prima Concluſio.

117 DElegatus à Papa † ſeu à Principe: indiſtinctè poteſt totam cauſam, vel illius partẽ alteri delegare. Hęc concluſio eſt expreſſa Syluestri, verbo, delegatus, num. 10. quam & probat, ex l. à iudice. C. de iudicijs, & ex cap. finali, de offic. delegati, & eandẽ tenere dicit Innocent. in capit. Paſtoralis, eodẽ titulo Sed li-

118 mitãda eſt † cõcluſio, in caſu quo Papa, ſiue Princeps cõcedat alicui certũ miniſteriũ, & nõ abſolutè iuriſdictionẽ: aut quãdo per verba reſcripti cõprehẽditur electa fides, ſeu induſtria alicuius: vt ſi dicatur: confidimus de tua induſtria, aut committimus tibi, quod perſonaliter hoc, aut illud exequaris: vel ſi negotium quod committitur non eſt bene per aliũ expedibile: nam in omnibus his caſibus, delegatus etiam à Papa ſeu à Principe, ſubdelegare non poteſt. Quod tamen ceſſat in generali legato ſedis Apoſtolicę, qui etiam in prædictis caſibus ſubdelegare poterit: vt conſtat, ex capit. finali de officio, & poteſtat. iudi. delegati. Cuius quia multum refert expreſſa vt habeatur notitia, quia deſeruit ad multa pro hac iudicum delegatorum materia, libuit ipſum hic ad literam tranſcribere. Dicit Gregorius IX Quoniam Apoſtolica Sedes prouidere negotijs, & non perſonis, quibus eadem committuntur intendit, ſi iudex tertius licèt ex officio noſtro, vel aſſenſu partium, pro communi à nobis datus eiſdem, alijs vices ſuas delegauerit (cum delegato à Principe id cõcedatur à iure) delegatio ipſius valebit. Et idem quoque dicendũ eſt, cũ mandatur Epiſcopo: vt cum altero ſuorum coniudicum mandatum Apoſtolicum exequatur, & tunc ſine ſubdelegato ab ipſo Epiſcopo, reliqui duo procedere non valebunt. Hæc in primo paragrapho. Et ſequitur in ſecundo paragrapho: Is autem cui iniungitur, vt perſonaliter negotium aliquod exequatur, poteſt (dummodo partes conſentiant) hoc alijs delegare, præterquam ſi inquiſitionem fieri, vel Eccleſijs de prælatis, vel alijs miniſtris prouideri mandaremus: cum in his omnibus caſibus, induſtriam, & fidem perſonę, cui talia committimus eligere videamur. Et tandem ſubdit, in tertio paragrapho: Cæterum ſalua legatorum Sedis Apoſtolicæ auctoritate, nulli cui commiſſum fuerit prædicare crucem: excommunicare: vel aliquos abſoluere: diſpenſare cum irregularibus: vel iniungere pænitentias, liceat de cætero hæc alijs demãdare: quia non ſibi iuriſdictio, ſed potius

qui certum ministerium in hac parte
committitur, hęc in supradicto cap.
fin. Ex quo quidem (quod satis est no-
tabile, ac dignum memoriæ com-
mendari) quantum attinet ad præsens
nostrum propositum, colliguntur se-
quentia notabilia. Primum quod de-
legato à Principe conceditur à iure,
vt tota causam vel illius partem alte-
ri possit delegare: quod est intentum
nostrę conclusionis: vbi glos. verb ne-
gotijs in fine, dicit: quod hoc potest
etiam si communiter à partibus fue-
rit clam ipsis iniunctum, cum vt in
hoc capitulo dicitur, id sibi conceda-
tur à iure, quod etiam dicit glos. in
capit. super quæstionum eodem titul.
Secundum quod id ipsum cōceditur
Episcopo, cum sibi mandatur, vt cum
alijs aliquid exequatur: nam in tali
casu poterit ipse alij committere vi
ces suas, vel etiam postquam commi-
serit illas, ante quam eo viuente sub-
delegatus vti cæpisset iurisdictione,
aliorum expirabit officium quousque
alter loco ipsius substituatur: quod
probatur per c. licet, c. quoniā, c. vno,
delegatorum, cod. titul. de officio iu-
dicis de leg. Tertio colligitur ex præ
dicto c. finali quod quando Papa in-
iungit alicui aliquod negotium, vt
personaliter illud exequatur (dum-
modo partes consentiant) alteri etiam
potest illud delegare: præterquam si
præcipiatur inquisitionem aliquam
fieri, vel Ecclesijs de prælatis: vel alijs
ministris prouideri: quia in his duo-
bus casibus industria, & fides perso-
næ videtur specialiter electa: sicque
non possunt per alium expleri. Circa
quæ vltima verba est notādum, quod
dicit Ioannes Andreas, in cap. is cui,
de officio de legati, lib. 6. quod quan-
do à sede Apostolica committitur ali-
cui certæ personæ, de beneficio in ali-
qua Ecclesia, diœcesi, vel Prouincia
prouidere: illud potest alteri commit-
tere, atque subdelegare: non tamen si
mandetur eidem, vt prouideat Eccle-
siæ de persona: nisi subdelegandi ha-
beat speciale mandatum Cuius rei ra
tionem differentiæ reddit glossa, præ-
dicti cap. final. verbo, personaliter, in 1
fine, quia in eo casu specialiter vide-
tur electa fides, & industria personæ:
& quia in his maius periculum verti-
tur, & circa maiora cautius est agen-
dum: iuxta c. quiescamus distin. 42.
& capit. vltim. 7. quæst. 2. & legem. 1.
§. 2. ff. de carbi. edi. Facit & cap. mira-
mur, distinct. 1. quod est multum no-
tandum, ac memoriæ commendan-
dum. Quartum & vltimum infert ex
supradicto cap. quod salua legatorum
sedis Apostolicæ auctoritate, quando
committitur alicui: qđ prædicet cru-
cem excommunicet, vel absoluat ali-
quos, seu quod dispenset cum irregu-
laribus, & pænitentias iniungat; non
potest prædicta munia alteri deman-
dare: nisi à sede Apostolica id speciali-
ter fuerit sibi concessum; quia in tali
casu non quidem iurisdictio, sed po-
tius nudum ministerium videtur sibi
commissum: & sunt quasi meri exe-
cutores, ad prædictos effectus expe-
diendos: quę verba versans Syluester,
verbo, delegatus num. 11. inquit,
quod ex eis voluerunt aliqui inferre,
quod prælati † regulares, priuilegium 119
habentes, quò in aliquo casu possent
absoluere sibi subditos, aut cum eis
dispensare: non possunt hoc alijs com
mittere, cum circa hoc ipsorum pote-
stas sit delegata. Sed dicit hoc non es-
se certum: Verum tamen (inquit) di-
cerent, si prædicta munera fuissent
concessa alicui certo prælato in nu-
mero, & circa determinatos subditos:
vt puta si diceretur, concedimus tibi,
vt absoluas istū, vel illum: seu dispen-
ses cum isto, aut cum illo: at quando
facultas respectu subditorum, conce-
ditur prælatis in genere, tam presen-
tibus, quam futuris, & respectu cul-
parum præteritarum, & futurarum:
in tali casu non committitur certum,
aut nudum ministerium, quin verò
abso-

absolutè cognitio causæ, & iurisdictio: postque addit, quod licèt committeretur nudum ministeriū (quod non credit esse verum, sed falsum) nō tamen in eo intelligitur electa industria personę, cum sit incognita: atque ita resolutiuè dicit, quod prælati regulares supradicti, prædictam suam authoritatem, & potestatem, alijs possūt delegare, & committere: id quod & obseruat communis praxis, & consuetudo, quæ legem interpretatur: quæ prædicta consuetudo (dicit Syluester) quod est in eo casu valde rationabilis, cum plerūque subditi suos Prælatos vereantur: quod etiā tenet expressè, glos. dicti cap. fin. de offic. ordin. Hæc dicere libuit in explicationem prædicti cap. fin. pro eo quod adeo sit notabile, ac nimis faciens ad propositum præsentis materiæ de iudicibus delegatis: nūc vero progrediamur ad alia.

Secunda Conclusio.

120 Delegatus † non à Papa, vel à Principe, sed ab inferiori: subdelegare non potest, etiam impeditus infirmitate, vel alia iusta causa: nisi in vno aut altero articulo causæ, aut nisi hoc sibi specialiter concedatur, vel sit delegatus ad vniuersitatem causarum. Hæc conclusio est expressa Syluestri, verbo delegatus, nu. 12. in tertio dicto: & quantum ad primam partem probat eam argumento deducto, ex l. prætor. §. si post, ff. de var. mu. & l. à iudice, C. de iud. Sed quod possit in vno, aut altero articulo delegare, ipsumque alteri committere: probat ex Clem. 1. de offi. delegati. vbi id expressè dicitur, & idem tenet, glos. in cap. super quæstionum eodem titulo. Quod verò delegatus (etiam ab alio, quam à Papa, vel à Principe) subdelegare possit, id sibi si specialiter committatur, perspicuum est, tenetque illud expressè Syluester vbi supra, in 4. dicto pro quo adducit, Ioann Andrea, in cap. is cui, de offi. deleg. lib. 6. vbi dicit, quod is, cui committitur à Sede Apostolica prouidere certæ personæ de beneficio, in certa Ecclesia, diœcesi, vel prouincia, potest hoc alteri subdelegare, quamuis non si mandetur ei vt prouideat Ecclesiæ de persona: nisi ad id specialem habeat facultatem subdelegandi: id quod iam supra diximus. Solummodo restat probandum, quod id ipsum facere possit delegatus ad vniuersitatem causarum: quod tenet etiam prædictus Syluester vbi supra, in 2 dicto, & idem tenet expressè glos. in cap. cum causam, de appel. verbo delegatus, vbi & eius rei rōnē reddit, dicēs ꝙ huiusmodi delegatus esse videtur quasi ordinarius. Facit ad idē, l. cū prętor, §. 1. ff. de iud. & l. 1. § 1. ff. q̄s & à quo app. Sed circa hāc conclusionem est notandum, nonnullos in ea esse sententia, & opinione, vt credant delegatum † ab alio, quam à 121 Principe subdelegare etiam posse post contestatam litem, causamque suam alteri committere, iuxta glos. in l. & quia: verbo nec ipsa lex, ff de iurisdictione omni iud. & glos. in l. fin. C. vbi, & apud quem. Quod tenet Speculator, tit. de litis contestatione, vers. effectus: quæ quidem opinio iure nostro Regio approbata est, per textum, in l. 19. titul. 4. part. 4. & in eum sensum explicant nonnulli, cap. cum Bertold. de sententia, & re iudic. Quod & confirmat arg. deducto. l. nec tutores. C. de procuratoribus: sed contraria sententia est verior, & omninò tenenda, quam tenet Bart. in l. à iudice C. de iudic. n. 11. & glos. dict. c. cum Bertold. de sententia, & re iudic. verbo committentibus, glos. etiam in supradicto c. cum causam de appel. verbo, delegatus: vbi & ad hoc propositum, inuenire licebit plura eaque notatu dignissima, quæ breuitati studēs referre

omitto cum omnia dicere per tempus non liceat.

Tertia Conclusio.

123 CErtum est, quod ex consensu † partium, potest is, cui commissum est aliquod negotium, etiã vt personaliter illud exequatur, alteri subdelegare. Hæc etiam conclusio est Sylu. verb. vbi supra, num. 12. in 4. dist. & Panormit. in cap. fin. de offic. deleg. Sed dicit Syluest. hoc esse intel
124 ligendum, † quando forma rescripti fundatur super vtilitate partium: tunc enim (inquit) partibus tacitè, vel expresè consequentibus, benè posset fieri subdelegatio. Secus est autem si rescriptum fundaretur super vtilitate publica: nam talis non esset remissibilis per partes: quam ob causam dicit, quod fieri non potest delegatio, quando Papa committit alicui aliquam inquisitionem facere, vel prouidere Ecclesijs de prælatis, seu alijs ministris, vt supra diximus, & satis constat, ex text. & glos. in prædicto, cap. fin. de offic. deleg. verbo, inquisitionem. Cuius ratio est, quia Papa in his casibus considerat vtilitatem publicam, non verò aliquorum priuatam: quocirca hæc & similia sine speciali mandato, & facultate subdelegandi, committi alij non possunt. Est alia etiam ratio in id ipsum: & ea est, quod in his casibus electa videtur fides, & industria personæ, vt habetur in dict. cap. fin. & in c. is cui de offic. deleg. lib. 6.

Quæ pro isto articulo: dixisse sufficiat.

ARTICVLVS XIII.

Vtrum in casu, quo delegatus quispiam subdelegare potest, teneatur is, cui subdelegatio facta est, eiusmodi subdelegationem acceptare?

Prima Conclusio.

IN casu, quo delegatus potest sub- 125
delegare, tenetur subdelegatus eiusmodi subdelegationem acceptare; nisi sibi constet quod delegatus malitiosè subdelegat, vt se exoneret: nam in tali casu, (si velit eum cogere) poterit appellare. Hæc conclusio est expressa Sylueftri, verbo delegatus, num. 12. in septimo dicto, quam esse dicit Innocent. in c. Pastoralis de offi. deleg. verbo, renitẽtem. Vbi habetur expresè quod delegatus Papæ potest. renitẽtem compellere, ad hoc vt subdelegationem acceptet, dummodo ipse malitiosè non se ipsum exonerare velit. Super quæ verba glos. verbo ex-
onerare, inquit, quod iudex † non de- 126
bet, aut potest, causam alteri committere, nisi cum ipse iusta causa impeditus, per se illam expedire non potuerit. Pro quo allegat, c. si pro debilitate, eodem tit. de offic. & potest. iud. del. c. scitatus, de rescriptis, & l. 2 C. de peda. iud. & l. vlt. ff. de iud. argum. etiam deducto, ex c. in nomine Domini de testibus. Sed alij contrarium
† dicunt, & quod cum iuris beneficio 127
hoc habeat, subdelegare vt possit: vices suas potest alteri committere, etiamsi non sit impeditus, aut aliqua iusta subsit causa. Quod etiam probant, ex l. 1 ff. de offi. eius, cui mandata est iurisd. & ex c. super quæstionũ, & c. quoniam de offic. & pot. iud. deleg. Sed quidquid de hoc sit (hac enim de re iudicem agere nolo) circa hoc propositum quæri et solet, an iudici
† statim cum delegat sit credendum, 128
si scribat quod aliquod negotium per se-

ſemetipſum facere non poteſt? Et ex vna parte quod nõ ſit ei credendum, niſi de eo conſtet, colligi videtur, ex cap. prudentiam, de offi. & poteſt. iud. deleg. & quia ſi paſſim cuilibet iudici crederetur, quilibet poſſet ſe malitioſè excuſare, & exonerare cum vellet, argu. l. 1. & legis prætor, ff. de va. mu. Sed eo non obſtante, communis tenet
129 doctrina, non eſſe † neceſſarium, vt de impedimento conſtet; ſed ſat eſſe vt iudex dicat ſe eſſe impeditum: nam non eſt prȩſumendum, quod iudex cauſa exonerandi ſemetipſum tantũ, negotium aliquod alteri committat:
130 dubia enim † meliorem ſunt in partẽ interpretanda, vt tradit D. Tho. & ipſius cõment. Caiet. 2. 2. q. 60. art. 4. & habetur, in c. eſtote de regulis iuris, & in l. ſemper, in dubijs, ff. eodem tit. & vt etiam dicitur, in cap. vnic. de reſcrip. & cap. dudum de præſumpt. de quolibet præſumendum eſt bonum, niſi appareat, ſiue probetur contrarium. Sicque qui dicere voluerit illud factum fuiſſe in fraudem, & cauſa ſe exonerandi: onus ſibi incumbit probandi, & probare illud debet, vt habetur, in l. quoties, §. qui dolum, ff. de probationibus. Ex quibus ſecunda ſequitur concluſio.

Secunda Concluſio.

131 DElegatus † compellere poteſt ſubdelegatum, ad acceptandam ſubdelegationem. Hæc concluſio eſt Sylueſtri, verbo, vbi ſupra, num. 13. in 7. dicto & habetur expreſſa in textu, & gloſ. ſupradicti cap. Paſtoralis, de offic. & poteſt iudic. delegat. verbo, compellere renitentem, vbi ad hoc propoſitum dicitur: Quod nullius eſſe videtur momenti iuriſdictio, quæ coerctionem aliquam non haberet. Quod etiam habetur, in l. vltim. ff. de offic. eius cui manda. eſt iuriſd. & in cap. ex literis eodem titul. de offic. & poteſt. iud. deleg. Et gloſſa prædicti capituli paſtoralis, verbo coerctionem. dicit quod verbũ † coercendi, magnam ha- 132
bet animaduerſionem: quod probat, ex l. meminiſſe, ff. de offic. proconſ. in fin. Et addit, quod qui delegat, præcipit, iuxta, l. vnicam in principio, C. qui pro ſua iuriſdictione: & præceptum neceſſitatem inducit, iuxta id, quod habetur in c. quod debetur, 14. q. 1. & qđ inuitus quiſpiã delegatur: iuxta, l. munerum, §. iudicandi, ff. de mune. & hono. & l. ſancimus in fin. C. de aduoc. diuer. iudic. Sed Sylueſt. vbi ſupra, hac de re agens, differentiã conſtituit inter delegatum à Papa, & à Principe: & delegatum ab alio inferiore. Nam (inquit) primus cogere poteſt omnes, etiamſi non ſint ſui fori: iuxta l. vnicam, C. qui pro ſua iuriſdictione, & ſupradictam, l. munerum, §. iudicandi, ff. de mune. & hono. (Exceptis aduocatis, qui alibi quam in ſuo foro, recipere iudicium cogi nõ poſſunt, iuxta ſupradictam, l. ſancimus, C. de aduoc. diuer. iudic.:) at verò delegatus ab inferiori, cogere non poteſt hominem alterius fori, iuxta, l. vltim. ff. de iuriſdictio. omn. iudic. & gloſ. ſupradict. capitulo paſtoralis, verbo renitentem: vbi & ad hoc propoſitum dicuntur plura, eaque notatu digniſſima. Dicit prætere Syluest. verbo vbi ſupra, n. 14. agẽdo de prȩdicto ſubdelegato † à de- 133
legato Papæ, quod ipſe ẽt coerctionẽ habet, ſecundum Ioã. Andr. in c. ex literis eod. tit. de offi. & poteſtate iud. deleg.: quæ coerctio (ſecundum Innocentium ibidem) intelligitur, quia poteſt excommunicare, & interdicere, omnes ſibi opponentes, & contradicentes, & iniuriantes eos, quos mittit pro exequendo articulo ſibi commiſſo: quem etiam (quoad denunciationem) poteſt alteri delegare: quod eſt multum notandum, atque memoria commendandum.

ARTICVLVS XIV.

Qualiter intelligi debeant diuersæ clausulæ, quæ interdum in rescriptis, & patentibus literis, commissionibus, siue mandatis delegatorum iudicum, solent apponi?

Prima Conclusio.

134 SI in rescripto siue † mandato, facto à Papa, vel Principe alicui delegato, contineatur, vt in aliqua causa procedat iure ordinario, seruare tenetur expressum iuris ordinem, nihil omninò prætermittendo, ex ijs, quæ spectant ad rationem, siue substãtiam prędicti iudicij ordinarij. Hæc conclusio est certa, & manifesta, nec repetere libuit ea, quæ supra quæst. 1. artic. 4. diximus, esse de essentia, & substantia iudicij ordinarij, aut saltem ad ipsum pertinere de iure: sat sit dicere, quod virtute talis rescripti, siue mandati, prędictus iudex delegatus, procedere non potest contra aliquem non existente actore, siue accusatore: & seruare tenetur expressum iuris ordinem: ita vt in quacunq; causa pręcedat citatio, libelli oblatio: litis contestatio, testium publicatio: ac tandem conclusio in causa, & omnia alia, quę sunt de iure ordinario: nec poterit virtute talis rescripti, procedere per viam particularis inquisitionis, quæ iudicis officio expeditur, iuxt. c. qualiter & quando, el secondo de accusat.: nam huiusmodi iudicium non est ordinarium, sed extraordinarium, vt supra loco citato diximus: nec habet locum, vbi lex siue statutum rescriptum siue mandatum, procedere pręcipit secundum ordinaria iuris remedia. Hoc est itaque certum, & de quo nulli dubium.

Secunda Conclusio.

SI in prædicto rescripto, siue mandato, † dicatur vt procedatur sũmariè simpliciter & de plano: in 135
tali casu prætermittere potest prædictus iudex delegatus, omnia, quæ non sunt præcisè de essentia, & substantia iudicij: & necessario seruanda in eo iuxta ius naturale siue gentium. Hæc conclusio habetur expressa, in text. cũ glos. in Clẽ. sæpè de verb. fig.: vbi supradictæ particulę omnes ad vnguem explicantur, & declarantur: ac dicitur quid possit, aut debeat prætermitti, quid vero non. Et in Summa dicit ibi glossa: quod potest procedere sine expresso libello literis exhibito, & absque litis contestatione, facta ea forma, qua habetur in iure: potest etiã eiusmodi iudex iudicare in ferijs fauore hominum inductis, & abbreuiare litem, amputando dilationes, & repellendo frustratorias exceptiones & appellationes: partium refrænare iurgia, restringere multitudinem testiũ, dare simul terminum ad ponendum, & articulandum primò & secundo, & ad producenda omnia acta, & monimenta causę: interrogare testes, vbi id ęquitas suadet, non citare peremptoriè ad sententiam: eandemq; proferre stando, vel sedendo, vt voluerit. Hæc omnia quę spectant (nõ tam ad essentiam & substantiam iudicij, quã solemnitatẽ iuris) supradictus legatus virtute eiusmodi mandati, siue rescripti, põt prætermittere. Nõ tñ aliquid ex ijs, quæ essentialia & substantialia sunt: nam reum citare tenetur, & actoris petitionem in scriptis, seu verbotenus factam recipere, ac mãdare reducere in actis: itẽ & iuramenta testium probationesque, & defensiones legitimas similiter debet recipere: ac tandẽ facere omnia, quæ necessaria visa fuerint ad veritatem eruẽdam, debitamque negotij expeditionem: & citatis

par-

partibus sententiam proferre secundum causæ merita.

Tertia Conclusio.

136 SI autem dicatur in prędicto rescripto, siue mandato, vt procedatur simpliciter, & purè, non per hoc censetur remoueri iuris ordo, sed tantummodo perniciosę solemnitates. Hęc conclusio est expressa Syluest. verbo iudex 1. num. 10. quęst. 5. vbi generaliter inquirit qualiter veniat intelligendum, cuiuslibet iudicis rescriptum mandatum, siue commissio. Et in 1. dicto dicit id, quod à nobis est in cõclusione dictum: quod & probat ex eo, quod verbo prædicta, simpliciter, ex suo proprio significato idem pollent, ac si diceretur: Sine plica, vel sine malitia, aut inuolutione: iuxta id quod habetur, in c. firmiter in principio de summa Trinitate, & fid. Cath. & in l. codicillis, §. instituto, ff. de legatis 2. quod etiam tenet Panor. in c. dilecti filij de iudicijs, vbi ait quod iudicialis ordo non est inuentus ad inuoluendum, quin verò ad veritatem eruendam: vnde per verba superius dicta non remouetur.

Quarta Conclusio.

SI verò dicatur in supradicto
137 † mandato siue rescripto, vt procedatur non seruata iuris solemnitate: quamuis per prædicta verba sublata censeatur solemnitas iuris ciuilis, siue canonici: non tamen iuris naturalis, aut diuini: siue iuris gentium. Hæc conclusio est supradicti Panorm. in præd. c. dilecti filij de iudicijs, & eam tenet expresse Syluest. loco vbi sup. in 2. dicto, vbi & dicit: quod in tali casu duo testes sufficerent, licèt fortè plures requirerentur de iure Canonico, siue ciuili. Similiter & possent recipi testes aliàs infames, & quamuis essent personæ iure reprobatę, iuxt. l. cum lege. ff. de testa: nam infamia est de iure positiuo, iuxt. c. licet Heli de simonia: non tamen (inquit) possent recipi prędicti testes non citata parte, quia citato est species defensionis, quæ est de iure gentium, nec potest tolli: vt habetur in Clem. Pastoralis de re iud. Possent tamen recipi sine iuramento, diebusque feriatis in honorum Dei: cum huiusmodi solemnitates inductæ sint de iure Ciuili, secundum Bartolum, in l. filius familias, ff. de donationibus: non autem sunt de iure naturali, siue gentium.

Quinta Conclusio.

QVuamuis in prædicto rescripto siue mandato dicatur, vt iudex
delegatus † iudicet, vt voluerit: 138
non intelligendum est, vt id ipsum facere possit pro libito: aut iuxta propriam ipsius voluntatem: sed intelligenda sunt eiusmodi verba, omni secluso dolo. Hæc conclusio est expressa Panor. in sup. dicto, c. dilecti filij de iudi. & eam tenet expresse Sylu. verb. vbi sup. in 3. dicto, quod probari dicit argum. deducto ex l. creditor, §. Lucius, ff. mandati. Qua propter virtute prædicti rescripti siue mandati, non potest iudex sine iusta, & legitima causa ius alterius tollere: sicut nec ipse delegans, siue cõmittens: nã nemo potest plus iuris in alium transferre, quam ipse habeat, vt habetur in c. nuper. de dote post diuor. restit. Qua ratione dicit Bar. in extrau. ad reprimendum: quod ille cui committitur
† vt faciat quod vult, vel sicut voluerit: licet non teneatur sequi regulas 139
iuris ciuilis, tenetur tamen sequi regulas iuris naturalis & gentium, seu naturalis equitatis, quod est idem: vt cõstat, ex Clem. Pastoralis de re iudic. vbi habetur, quod imperator inualidè egit, eò quod regulas iuris naturalis excessit.

Sexta Conclusio.

SI autem in rescripto, siue mandato dicatur: quod iudex delegatus in aliqua causa procedat,
140 secundum † veritatem, & æquitatem, non per hoc excusatur ab obseruantia iuris Canonici, siue ciuilis: sed solum modo ab illis solemnitatibus & subtilitatibus, quæ negotij veritatem non tangunt, quæ alio nomine vocantur apices iuris. Hæc conclusio est expressa, Sylu. verb. vbi sup. in 4. dicto: vbi refert opinionem Panor. in c. literas de iuramento calumniæ, dicentis: quod in tali casu seruari debent solemnitates, etiam rigorosæ iuris positiui Sed inquit Syluest. melius esse dicere secundum Antonium: quod ad seruandas rigorosas solemnitates non
141 tenetur, quamuis teneatur ad seruandas alias non rigorosas. Hoc etiã tenet Bartol. in l. si fideiussor. ff. mandati, vbi ait: quod quamuis dicatur vt procedatur omissis solemnitatibus iuris, ijs tamen non obstantibus, negotium principale per iura Canonica siue ciuilia. (respectiuè) debet determinari & decidi.

Septima Conclusio.

QVando in rescripto siue mandato dicitur iudici: vt † iudicet sicut sibi videbitur, intelligendum est quod iudicare debet iudicio intellectus: cui congruit eiusmodi verbum, videbitur, non vero pro libito. Hæc etiam conclusio est Syluest. verb. vbi sup. in 5. dicto, quã & esse dicit Panorm. in c. 1. de iud. & Bart. in l. qui tamen, §. arbiter, ff. de arbitris. Idemque est dicendum si di
142 citur † arbitrio, vel iudicio, aut prudẽtiæ tuæ relinquo, hoc vel illud, aut si diceretur, sicut æstimaueris, aut arbitraueris, & in similibus, &c. nam in omnibus istis, intelligitur arbitrium boni viri ratione regulatum, & non solum propria, & nuda voluntas: vt colligitur: ex l. fideicommissa, §. quanquam, ff. de legatis, 3. & l. Thais, § sororem, ff. de fidei commi libert. Circa quod videatur, glos. in c. 2. de corpor. viciat. & Bar. in extrau. ad repriniend. & Panor. in c. 1. de assequen. posse. & in c. 1. de constitut. vbi tradit pro regula, quod omnia † verba exceptis istis: 143
volo, libet, arbitrium plenum vel liberum, important arbitrium boni viri ratione regulatum: non verò propriã, & nudam voluntatem solum. Quapropter in omnibus casibus prędictis, sequi tenetur iudex regulam Iuris Canonici, vel Ciuilis (respectiuè.)

Octaua Conclusio.

QVando in mandato siue rescripto præcipitur alicui iudici, vt procedat † de facto, intel- 144
ligitur, idest manu regia, iuxta l. 2. in principio, ff. de orig. iuris: & in tali casu omittenda est omnis iuris solemnitas: ita tamen quod alterius iura contra æquitatem naturalem nullo modo lædantur Hæc conclusio est supra dicti Syluest. verb. vbi sup. in 7. dicto, & propositis pluribus alijs dicendi modis, tandem concludit dicendo, supradicta omnia esse valdè notanda: nam ex eis dependet multarum quæstionum decisio.

Nona Conclusio.

QVando in mandato siue rescripto ponitur eiusmodi clausula, cõtradictores † quoslibet 145
auctoritate Apostolica cõpescendo: intelligenda est de ijs, qui contradicunt de facto: non verò de illis qui contradicunt de iure Probatur hæc conclusio, ex glos. in l. seruum §. hæc verba, ff. de acquir. hæred. verbo, abstineat. Et idem tenet Pan. in c. audita de restit. spol. & Dec. in c. pręsentia

tia de prob. Fel. in c. causam quæ, verbo, nō obstāte, de rescriptis. Sed specialiter probatur supradicta cōclusio, ex glos. in c. pro illorū de præbend. & dignit. verbo, iuxta legē illud, ff. de pe tit. hæred. Et habetur, in c. cum Ecclesia de electione, & in l. iniuriarū, §. 1. ff. de iniurijs, facit & l. nullus, ff. de re gul. iuris: vbi dicitur, quod nihil videtur dolo facere: qui iure suo vtitur. Quocirca ad hoc prædicti iudicis iurisdictio non extēditur: & si de facto excōmunicentur, excōmunicatio ipsa nullitatem habet, cum sit lata à nō habente iurisdictionem.

Decima Conclusio.

146 QVādo in aliquo mādato, siue rescripto, apponitur † clausula, vt delegatus etiā procedere possit cōtra exemptos: ipsius iurisdictio etiā extenditur ad eos qui exemptionis habent priuilegium. Hæc conclusio est expressā Panorm. in cap. graue de offi. ordi., pro quo allegat, glo. ibid. verbo, cum iurisdictionem nullā habeas ordinariam aut etiam delegatam: & fit sermo de quodā Episcopo cui mandatum accepit à Papa, super correctione clericorum suæ diœcesis, & illius occasione processit contra quosdam exemptos, in quibus, vt prædictum est, nullam habebat iurisdictionem ordinariam neque delegatam. Ex quo verbo; delegatam, colligit prædictus Panormitanus, quod si illam habuisset: posset procedere contra ipsos: quod etiam insinuatur, in capit. licet, eodem titul. de officio iudicis ordinarij. In cuius rei confirmationem dicit, quod de

147 legatus † procedens contra exemptum auctoritate delegata, nullo modo videtur facere contra exemptionis priuilegium: cum nemo sit exemptus à iurisdictione Papæ. Et præterea: delegatus procedens auctoritate delegata cōtra exemptum, cū nō procedat vt ordinarius, à cuius iurisdictione ille erat exemptus: immeritò de eo dicitur, quod faciat cōtra exemptionis priuilegium. Scio nec me latet, quam plures esse in contraria sententia & opinione, vt sequantur Felinum in dicto, cap. graue dicentem, in tali casu esse necessum, vt fiat expressa priuilegiorum reuocatio: tunc vel maximè quando priuilegia sunt talis tenoris, vt dicant quod illa habentes conueniri non possint, nisi expressa mentione facta de suis priuilegijs: Nam Papa (inquit) per generalem clausulam nulli vnquam præiudicare intendit, quorum certè opinio non sua probabilitate caret. Sed meo quidem videri, prędictæ duæ sententiæ sic possunt concordari: vt prima verum habeant, quando huiusmodi clausula apponitur in aliqua lege conciliari, qualis est illa, quæ habetur, in Concilio Tridentino, sessione, 6. de reformat. capit. 3. vbi facultas fit ordinarijs tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, visitandi, puniendi, & corrigendi: cuiusuis ordinis personas regulares, extra monasterium degentes & delinquentes, non obstantibus quibuscunque priuilegijs: cuius alia similis habetur etiam, in Clement. dudum, §. fin. de sepulturis, vbi priuilegiorum derogatio fit per viam legis non qualis qualis, sed conciliaris: aut in casu quo (quemadmodum obseruatur multoties de stylo curiæ) apponatur sequens clausula, non obstantibus, quibuscunque priuilegijs, quorum tenores haberi volumus pro expressis. Secunda verò sententia verum habeat, quando prędicta priuilegiorum reuocatio, nō fit per viam legis, sed per viam cuiusdam rescripti, siue mandati: aut non prædicta apponitur clausula, sed generaliter dicitur, vt delegatus quispiā procedere possit etiam contra exemptos: nam in tali casu sustineri potest, quod id ipsum non possit facere con-

tra priuilegiatos: & maximè quorum priuilegia habent clausulam, vt non derogata, aut reuocata censeantur, nisi de ipsis fiat expressa mẽtio, quod est multum notandum: ac memoriæ commendandum.

Vndecima Conclusio.

DElegatus in cuius rescripto, siue mandato apponitur eiusmodi clausula † procedere vt possit appellatione remota, non potest
148 alteri eiusmodi facultatem subdelegare. Hæc conclusio satis colligitur, ex cap. super quæstionem, §. nos autem: de officio, & potest. iud. deleg. vbi Innoc. III. Pontifex similiter cuidam respondendo consultationi dicit, quod is, cui causa committitur appellatione remota, non potest eam alij sine prouocationis obstaculo subdelegare. Vbi glossa ad idem, verbo, prouocationis: dicit quod † nullus potest committere causam appellatione remota,
149 nisi princeps: nam hoc solius principis est speciale priuilegium: pro quo allegat, l. 1. in fine, ff. à quibus appellare non licet. Hac de re videatur Nauarro in relectione, super cap. cum contingat de rescriptis, in sexta causa nullitatis, nu. 3. vbi constanter tenet, legatum quemdam haud quaquam potuisse executorem cuiusdam rescripti subdelegare: cum eiusmodi clausula, procedere vt possit appellatione remota: nam licet rescriptum id ipsum contineret, esseretque verum respectu legati principalis in literis nominati, cui causa immediatè à Papa fuit commissa, & delegata: non tamen respectu sui delegati. Pro quo allegat prædictum, cap. super quæstionum, §. nos autem, & § si vero de offic. delegati, & Panormit. post alios ab omnibus receptum ibidem, in secundo notabili. Quod est multum notandum, ac memoriæ commendandum: nam quamplures in hoc decipiuntur.

Duodecima Conclusio.

QVando in mandato siue rescripto: apponitur sequens clausula, † non obstantibus quibuscunque contrarijs, etiam 150
si essent talia, de quibus facienda esset mẽtio expressa, de verbo ad verbum, quorum tenores haberi volumus pro expressis: omninò tollitur necessitas inserendi tenorem cõtrariorum, quæcunque illa sint: nam per prædicta verba sufficientissimè videtur esse illis derogatum. Hæc sententia est expressa, Baldi in l. omnes, C. de præscript. 30. vel 40. annorum: quam etiam tenet Ias. consil. 11. in 3. volum. & consil. 121. volum. 4. Et facit pro ea, text. in c. 1. de transact. & c. quia sæpè de elect. lib. 6. & Clem. 1. & 2. de sepult. Idemque colligitur, ex extrauaganti, rem non nouam, de dolo & contumacia. Quam etiam opinionem tenet Federic. cons. 47. & Fel in c. accedentes, de præscrip. & in c. nonnulli de rescriptis: vbi refert plures alios auctores id ipsum tenentes: ac dicit cõclusionem prædictam, procedere etiam in casu, quo prior dispositio, cui derogandum est, habeat clausulam prohibentem, vt ne illi derogari possit, etiã per clausulam dicentem, quod non expressa habeantur pro expressis. Nam contra libertatem plenitudinis Pontificiæ potestatis, nihil omninò põt statui (quidquid alij dicant) neque in hoc locum habet dispositio legis, sed et si quis, §. quæsitum, ff. si quis caut. Quod quam maximè in omni opinione habet verum in casu, quo derogatio fieret per viam legis: aut quando stylus curiæ contrarium haberet: nam stylus curiæ facit ius, iuxta. c. quam graui, de crimine falsi. Qua de re videatur Nauarro, in relect. sup. cap. si quando de rescript. except. 1 nu. 1. & 2. quæ pro isto articulo, & materia delegationis aut subdelegationis: dicta sufficiant.

AR-

ARTICVLVS XV.

Vbinam incipiat, seu expiret, iudicis delegati iurisdictio?

Prima Conclusio.

EX communi omnium resolutione, iudicis † delegati iurisdictio, incipit à citatione, sed potest etiam incipere multis alijs modis. 151
Hæc conclusio habetur expressa, in c. gratum de potes. iud. deleg. in illis verbis, citatione facta negotiũ, sit quasi cæptum. Vbi glos. verbo, quasi cæptũ dicit non propterea id esse dictum, quia quantum ad perpetuandam iurisdictionem iudicis delegati, negotiũ verè non fuerit cæptum prædicta citatione facta, sed quia quantum ad litem contestatam non erat cæptum: nam ea non obstante, reus legitimas exceptiones potuit opponere. Probat præterea prædicta concl. ex c. licet eo. tit. vbi glos. verb. vti cæperit, dicit per citationem prædictam incipere potestatem iudicis delegati: pro quo etiam allegat, c. vltimum eod. tit. & l. si quis postea, ff. de iudicijs, & l. 1. ff. de polli, l. etiam nam & seruius, §. si viuo. ff. de negotijs gestis. Et in c. super quæstionum eod. tit. dicitur prædictam iurisdictionem incipere, etiam cum primum iudex vices sua alteri commisit, etiam si primum solum commiserit, aut si mãdauit alicui citare partes, & à fortiori si ipse eas citauit: iuxta c. finalem, de dilation. vel si fecit offerri libellum, aut aliquem alium actum iudicialem exercuit: etiam si partes non citauerit vt si recepto mãdato vocauit Tabellionem, & testes: & tanquam iudex præcepit redigi litteras in publicam formam, & in instrumento testes apponi, omnes supradicti actus sunt iudiciales, & ex ipsorum quo libet incipit iudicis delegati iurisdictio: vt dicit Syluest. verb. delegatus, nu. 8. quod oportet multum notare, & aduertere: quia quam maximi est momenti, & ad multa deseruit.

Secunda Conclusio.

EXpirat autem iudicis † delegati iurisdictio re integra: per scientiam mortis delegantis. Hæc 152
conclusio est expressa Syluest. verbo, delegatus, nu. 7. quam & probat, per legem eius, qui in principio, ff si certum petatur, & cap. gratum de offi. & potest. iud. deleg. Et dicit prædictus Syluester, quod † re integra etiam 153
expirat, per mortem eius, cõtra quem mandatur delegatio: iuxta cap. significauit de rescriptis, & cap. quoniam Abbas de offic. deleg. Circa quod Panor. in c. irrefragabili de offic. ord. dicit vnum notabile, & illud est, quod non expirat iurisdictio morte delegantis, quando data fuit per viam legis, & non per modum mandati facti ab homine. Et adducit rationem diuersitatis: nam homo (inquit) moritur, & eo mortuo extinguitur etiam cum eo ipsius delegatio re integra, cũ non fixerit radicem in persona delegati: at verò lex nunquam moritur, & sic delegatione facta per viã legis, adhuc durat iurisdictio, quod satis constat, ex cap. si gratiosè de rescriptis, lib. 6. vbi dispositio facta sub nomine dignitatis, morte disponentis non perijt: idem ergo dicendum est, quando delegatus disponit aliquid per modum legis, siue statuti: quod per mortem, siue reuocationẽ ipsius non expirat sua dispositio. Secus fuisset si disposuisset aliquid non per viã legis, siue statuti, sed per modum mandati, & præcepti, seu cuiusdam ordinationis: vti à prælatis regularibus frequẽter fieri solet: nam certum est quod talia præcepta, siue ordinationes, expirant per mortem, seu amotionem disponentium. Qui plures casus videre voluerit, in quibus cessat, seu

seu expirat, potestas, siue iurisdictio iudicis delegati, consulat glos. in cap. in literis, de offic. & potest. iud. deleg. verbo, officio suo functus: vbi adinuenire licebit multa, eaq; notatu dignissima: sed prædicta pro isto articulo, & tota quæstione breuiter dixisse sufficiat.

QVÆSTIO. III.

De iudicibus, & prelatis, quantum ad conditiones, & qualitates, quas ipsos oportet habere, in duodecim articulos diuisa?

SVMMARIVM.

1 *Iudicandi munus dignitas est, & honor maximus, ideo ad hoc officium assumendi sunt, viri honorati.*

2 *Qualitates & conditiones quas habere oportet eos, qui constituuntur Iudices, & Prælati.*

3 *Repellendi sunt penitus qui fauoribus humanis quæsitis, & alijs artibus promoueri student.*

4 *Iudex esse potest omnis, qui iure non reperitur prohibitus, multi reperiuntur in iure prohibiti, videlicet natura lege, & moribus.*

5 *Natura excluduntur muti surdi, perpetuo mente capti impuberes, & alij, qui animo, iudicio, & intellectu carent.*

6 *Lege excluduntur excommunicati, interdicti, relegati, banniti, notorij, incestuosi, raptores, malefici, schismatici iudæi, & infames.*

7 *Moribus excluduntur, qui propter indecentiam re serui, & religiosi, siue Monachi, fæminæ, &c.*

8 *Iudex nullus esse potest, qui 26. annorum ætatis ad minus, non extiterit de iure ciuili loquendo.*

9 *Iudex de iure Canonico, siue alios Prælatos ad animarum curam eligi potest, qui annorum 25. ætatis non extiterit.*

10 *Sacerdos esse non potest, nisi qui ætatem 25. annorum non attigerit.*

11 *Potestas spiritualis iurisdictionis, licet non sit potestas clauium immediate, tamen ordinatur ad illam.*

12 *Vicarij Generales eandem ætatem 25 annorum habere debet, & an debeat esse Sacerdos? num. 13.*

14 *Episcopi, & alij Prælati maiores Episcopalem, vel quasi Episcopalem Iurisdictionem habentes, assumi nō possunt, nisi ætatis 30. annorum extiterint.*

15 *Idem in Prælatis regularibus.*

16 *Iudices, & Prælati neque multū iuuenes neque multum senes sunt eligendi ex congruentia.* 72

17 *Senectus non per canicies, nec per crines, sed per virtutes potius consideranda.*

18 *Iudices debent assumi vita laudabiles, & spectatis moribus.*

19 *Iudicium ad hoc, vt sit rectum, procedere debet ex affectu, & inclinatione iustitiæ.*

20 *Iustitia cum scelerato homine non potest habere commercium, nec potest erga homines esse fidelis, qui erga Deum infidus extiterit, numero 21.*

22 *Bonus, qui semper fuit, si in eo reperiantur ea, quæ in Iudicibus, siue Prælatis sunt necessaria, cæteris paribus semper præferendus est.*

23 *Non existente viro bono, & probo, in quo reperiantur omnia ad propositum electionis finem necessaria, eligi potest qui aliquando malus fuit, sed de præteritis pænituit.*

24 *Bonus, cuius quandoque est malus Prætor.*

25 *Delictorum veterum purgationi sufficit triennalis temporis testimonium.*

26 *Iudices, seu Prælati non debent esse ex vili loco nati, quin verò nobilitate præditi debent esse nobiles, vt errare erubescant nu. 27.*

28 *Nobiles ægrè ferunt ab ignobilibus domi-*

dominari, & iudicari ab his, quos forsan in alumnos habere non dignarentur.

29 Nobilitas mediocris literis, ac virtutibus comitata sufficit in iudice eligendo, non maxima

30 Nobilitas interdum fastum fastus autem multoties lites parit.

31 Iudices, siue Prælati non debent esse originarij siue naturales illius loci, vbi præfecturam, siue iudicandi munus exercent.

32 Acceptio personarum inimica est, et contraria iustitiæ.

33 Iudex originarius, & naturalis potest recusari, & quare.

34 Iudices, & Prælati debent esse scientes, & literarum periti.

35 Eligens in Prælatos & iudices viros ignorantes, & qui eligi se sinunt, peccant mortaliter.

36 Nobilitas, siue potentia in clericis, siue religiosis non supplet literarum defectum.

37 Experientia non minus, quam scientia in Prælatis, ac iudicibus requiritur, quæ defectum supplet scientiæ, nu. 38.

39 Discretio est mater cunctorum virtutum.

40 Scientia valet quoad cognitionem, sed experientia quoad operationē.

41 Senex iuueni etiam literato, est præferendus in præfecturis, quibus lites, & causæ non veniunt discutiendæ, intellige de sene nondum decrepito, num. 42.

43 Iuuenis ad iusdicendum, & lites diffiniendas est aptior, & conuenientior sene, vtcunque experto, & quare.

44 Factum non ex partium acceptione, sed legitimis probationib. debet diiudicari.

45 Praxis est veluti scientia antea acquisita digestiua.

46 Senes non tam per longæuam ætatem, quam per sapientiam debent nuncupari.

47 Iudices post vitæ integritatem, & literarum peritiam oportet esse prudentes.

48 Prudentia iustitiæ custos, & cunctarum virtutum est mater. Virtutes sine prudentia, & prudentia sine virtutibus alij esse non potest, numero 49.

50 Iudices siue Prælati nimiam ingenij subtilitatem habentes, sunt vitandi.

51 Subtilitas speculanti, non autem iudicanti esse permissam nimia subtilitas est legibus inimica, nu. 52. ad quod aduertuntur Diui Gregorij verba contra Prælatorum subtilitates nu. 53.

54 Corrigens multum interdum offendit. si omnia, quæ in hoc mundo fiunt forent vindicanda locum non haberet diuina iustitia, numero 55.

56 Iudices, & Prælati eligendi vltra conditiones requisitas ea esse debet, quod sint timoratæ conscientiæ. & Deum timeant. qui Deum timet, & eundem præ oculis habet, errare non poterit, aut saltem in errore diu detineri nu. 57.

ARTICVLVS I.

De conditionibus, et qualitatibus in communi, quibus præfulgere debent, ij qui assumuntur, atque constituuntur in prælatos, siue iudices.

Prima Conclusio.

CVM Iudicare † dignitas sit, & honor: haud quaquam paruus, sed quā maximus: vt habetur, in l. omnē honorem, C. quando prouocare non est necesse. Et in c. vt debitus honor de appel.: Ad iudicandi munus, & officium: non omnes indistinctè assumendi sunt, sed ij quibus conuenire videantur, quam 1

maxi-

maximè fieri poterit, illę conditiones, & qualitates, quas D. Bernard. scribens ad Eugenium desiderabat in Prælatis, atque iudicibus cunctis. Hanc conclusionem posui, ad adducenda, & statuenda quædam notabilia verba, prædicti D. Benar lib. 4. de consideratione ad Eugenium, agendo de promotione cuiusdam sedis Apostolicæ delegati: quibus breuiter, atq; cōpēdiosè, neq; minus eleganter;
2 cōplectitconditiones, † & qualitates, quas summopere habere oportet, eos qui assumunt, & constituunt in prælatos siue iudices. Dicit Bern. Qd ad id muneris quærendi sunt, quib. nec defectus timeatur, neq: profectus optetur: vtpote qui iam omni ex parte, fuerint perfecti. Et Pontificē alloquēs inquit (Nō volentes, neq; currētes assumito, sed cunctantes, & renuentes: etiam coge illos & compelle intrare, nā in talibus (vt opinor) requiescet spiritus tuus. Qui nō sint attritæ frontis, sed verecūdi, & timorati: qui præter Deū nihil timeāt, & nihil sperent, nisi à Deo: qui aduentantium manus nō attendant, sed necessitates. Qui stēt viriliter pro afflictis, & iudicent in æquitate pro mansuetis terrę. Qui sint compositi ad mores: probati ad sanctimoniam: mansueti ad patiētiam: subiecti ad disciplinam, rigidi ad cēsuram, catholici ad fidem, fideles ad promissa, concordes ad pacem, conformes ad vtilitatem. Qui sint in iudicio recti, in consilio prouidi, in iubendo discretis, in disponendo industrij: in agendo strenui, in loquendo modesti, &c. Verba sunt expressa D. Bernard. & quidem aurea, & mira, à cunctis principibus, & Prælatorum, siue iudicum promotoribus, summa animaduersione notanda & consideranda. Ex quibus illam vel maximè qualitatem, & conditionem præ oculis habere vellem, qua dixit: non volentes, neque currentes ad prędicta munera, & officia esse assumendos, & eligēdos, sed cunctantes, atq; renuētes. Hos (inquit) assume, et coge illos & compelle intrare: nam in talibus (vt opinor) requiescet spiritus tuus. Ex quibus profectò verbis manifestê colligitur, ad id muneris non esse assumendos, neque eligēdos, quin verò penitus † repellendos: qui fauoribus humanis hinc inde quæsitis, & 3 alijs artibus promoueri student, atque procurant: haud enim in huiusmodi muneribus, & officijs concedendis, fauores humani considerandi sunt, sed præcedentia merita: Nā sola vita laudabilis, & meritorum abundantia, est iusta, & digna causa alicuius tribuendæ dignitatis siue officij: vt habetur, in c. sācimus, 1. q. 7. & in l. 2. C. de Castrensibus peculijs. Et cū (vt supra diximus in cōclusionis medio) iudicare honor sit, dignitasque maxima, quam eiusmodi munus & officium, commendari non debet, nisi viris honoratis, & ijs si qui prę multitudine meritorum suorum digni fuerint qui à principib. debeāt honorari: & ad dignitates, & præfecturas promoueri. Sed vt ad magis particularia descendamus, dicamusque breuiter quinam à prędicto iudicandi munere iure repellantur, secunda statuitur conclusio.

Secunda Conclusio.

QVamuis stando in iure communi, iudex † esse possit omnis qui iure non reperitur 4 prohibitus: argum. cap. cum apud, de sponsalibus, & l. mutus, ff. de proc.: multi tamen in iure reperiuntur prohibiti, ad præfecturas, siue iudicandi munus, & officium assumantur: quidam natura, alij lege, nonnulli verò moribus. Hæc conclusio est expressa Syluestri, verbo iudex. 1. n. 2. Et de eiusmodi prohibitionibus videre oportet, legem cum prætor, §. fin. & l. cum furiosus, l. secus, l. si longius. ff. de iud.

iud. Cum quibus iuribus concordat, lex. 4. tit. 4. part. 1. vbi videndus est Greg. Lop. & l. 7. & 8. tit. 9. lib. 3. recopil. & Didac. Perez. in l. 2. & 3. tit. 15. lib. 2. ordin. Sed explicemus oportet amplius superius dicta: videamusque expressius, & magis in particulari, quinam à prædicto munere, & officio iudicandi exercendo, iure censeantur exclusi, atque prohibiti. Et
5 dico quod natura † excluduntur, muti, surdi, perpetuò mente capti, impuberes, & alij, qui animi iudicio, & intellectu carent, aut illum habent im-
6 peditum. Lege excluduntur † omnes ij, qui aliquam ob culpam reperiuntur prohibiti, quales sunt excommunicati, interdicti, relegati, banniti, notorij incestuosi, raptores, malefici, schismatici, Iudæi, & alij, qui iure Cęsareo, vel Pontificio, infames re-
7 putantur. Moribus autem † excluduntur: quidam propter indecentiam: vt serui, & religiosi: siue Monachi (respectu secularium) & laici respectu clericorum, & religiosorum, & fœminæ indiscriminatim: omnesque eis similes: de quibus omnibus cum plura magis in particulari possem dicere, cōsultò in præsentiarū facio missa, pro eo q̃ peruia, ac trita sūt in iure: & quia de conditionibus, & qualitatibus, quibus de iure, aut etiā de decentia & congruentia, siue de consilio præfulgere debent ij, qui constituuntur in Pręlatos, siue iudices, nonnulla in particulari dicenda sunt in subsequentibus articulis.

ARTICVLVS II.

De ætate omnium iudicum, fori tam Ecclesiastici, quam secularis?

VARIÆ Sunt opiniones, & sententiæ, circa iudicum ætatem requisitam de iure ciuili. Qua de re videndi sunt D D. in l. quidam consulebant, ff. de re iud. Sed specialiter, Speculator in tit. de iudice deleg. §. excipi, verbo quod minor. Nec minor eadem de re controuersia est, inter D D Iuris Canonici peritos: super c. cum vigesimum de offic. & potest. iud. deleg. vbi specialiter videnda est glos. verbo ætatem: sed his omnibus breuitatis causa prętermissis, quod hac in re tenendum est, explicabitur per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

NVnc de Iure Ciuili, ac regio nostro loquendo, nullus † esse pōt 8
iudex, qui ad minus 26. annorum ętatis non extiterit. Hęc conclusio probatur: Ex l. 2. tit. 9. lib. 3. Recopil Per quam declaratur, seu potius reuocata est, & merito, l. 5. tit. 4. part. 3. & l. 3 tit. 9. lib. 3. Recop.: quæ tantum viginti annorum ætatem desiderabant in iudicibus. Nam quamuis aliqui dicant, prædictas leges non esse antiquatas, siue reuocatas, respectu nobilium illiteratorum: qui munus, & officium suum exercent, non quidem per se metipsos, sed per vicem tenentes: ex quo videtur eisdem, quod ipsi ante ętatem prædictam 26 annorum: completa viginti annorum ætate, eligi & pręfici possint in prætores, maximè si regni huius leges relegerint, fuerintque in ipsis aliqualiter versati, & instructi id quod & quandoq; fuisse dicunt receptum, ac obseruatum in praxi: verior tamen, & sanior sententia est, vt prædicta lex quæ 26. annorum in iudicibus requirit ętatem: in vtrisq; literatis & illiteratis, nobilibus, siue non nobilibus, etiam militibus, & commendatarijs, inuiolabiliter obseruetur: cum & in ipsis potior ratio esse videatur requirendæ maioris ætatis, quam in viris literatis: quidquid sit de auxilio quod habere possunt ab ipsorum vicem tenentibus. Nam enim

enim apud vicem tenentes, sed apud prætores ipsos, residet totius gubernationis pondus: quod proinde munus: iuuenibus illiteratis, vtcunque nobilibus, & commendatarijs: commendari non debet. Cum teste Ouidio secundo Metamorphos. eiusmodi munera non sibi conueniant, nec tam puerilibus annis. Sed quidquid de hoc sit, loquendo de iudicibus Ecclesiasticis, sit secunda conclusio.

Secunda Conclusio.

9 Loquendo de Iure Canonico, & † foro Ecclesiastico, nullus ad aliquam præfecturam, prælaturam, siue dignitatem, cui animarum cura subsit, vel ad aliquod iudicandi munus, & officium assumi debet, qui ad minus 25. annorum ætatis non extiterit. Hęc conclusio habetur expressa, in cap. cum in cunctis de electione. Et de nouo reperitur innouata, in Cōcil. Triden sess. 24. de reformat. c. 12. vbi sequentia verba habentur. Nemo deinceps ad dignitates quascumque quibus animarum cura subest promoueatur, nisi qui saltem vigesimum quintum suæ ætatis annum attigerit. Pro quo allegat Concilium, constitutionem Alexan. III. promulgatam in Concilio Lateranensi, positam in supradicto cap. cum in cunctis. Et potest confirmari supradicta conclusio, hac speciali ratione: & ea est, quia Prælatus secundum ius cōmune, vt constat ex c. 1. de ęt. & qual. preficiēdorū: debet esse sacerdos: sed sacerdos nunc post Concil. Triden. esse † non potest, qui ad prędictam
10 25. annorum ætatem non peruenerit, aut saltem illam attigerit: ergo neque eiusmodi, Prælatus, aut iudex esse poterit. Confirmatur secundò: nam potestas † spiritualis iurisdictionis,
11 licèt non sit immediatè potestas clauium (hoc est potestas remittendi peccata) ordinatur tamen ad ipsam, atque ab eadem ortum, & originem ducit: sed potestas remittendi peccata solis sacerdotib. cōmendatur, & sacerdotes nunc esse nō possunt, qui prędictā 25 annorum ætatē nō habuerint: ergo consonum nullatenus est rationi, vt ad aliquam prælaturam Ecclesiasticam, seu ad subeundum iudicandi: munus & officium, in Ecclesiastico foro assumantur aliqui in minori ætate constituti. Quod etiam obseruandum existimo in ijs, qui in Episcopatibus, Episcoporum locum tenent, & Vicariorum † Generalium, 12
seu Prouisorum officium exercent: nam licèt communiter dicatur primam tonsuram in id ipsum sufficere (quia potestas excommunicandi, & ab incursa excommunicatione absoluendi, cum non ad clauem ordinis, sed iurisdictionis spectet, Clerico prima tonsura dumtaxat initiato committi potest, vt tradit Couar. relect. super cap. Alma mater, de sententia excommunicationis, §. 11. num. 3. & Nauar. in Manu. cap. 27. num. 41.) Nihilominus tamen verius, aut saltem rationi conformius esse videtur, vt ad id muneris non eligantur, aut assumantur nisi presbyteri, aut saltim in sacris Ordinibus constituti: vt vel sic quemadmodum in re iudiciaria Episcoporum, & prædictorum Vicariorum ordinariorum, siue Prouisorum, vnum, & idem est tribunal, & consistorium: ita etiam & in sacris ordinibus par sit vtrorumque status, & ordo. Quod & necessariò esse faciendum (& non solum ex decentia, aut congruentia) efficacissimè colligo argumento deducto, ex capit. cum æterni tribunal. de re iudic. lib. 6. Vbi iudici ordinario, vel delegato, qui cōtra iustitiam, per gratiam, vel per sordes aliquid in iudicio fecerit, in grauamen alterius partis, imponitur suspensionis pęna ab executione sui officij per annum; & dicitur quod si inter ea celebrauerit, irregularitatem incur-

incurrat. Ex quo loco sic colligo argumentum. Et quæro, an eiusmodi
13 iudex † debebat esse sacerdos, seu ad minus sacris insignitus, aut non? Si si, habeo intentum. Si non, quo modo suspensione durante, si damnabiliter diuinis se ingesserit, dicitur ibidem quod efficietur irregularis? Non enim iure irregularis efficitur, nisi qui diuinis se ingerit, cum sit suspensus, & sacerdos, aut in sacris constitutus. Certè ex prædicto textu manifestè colligitur, quod vel erat sacerdos eiusmodi iudex, seu ad minus sacris insignitus: quod est nostrum intentum. Quibus, & accedit alia specialis ratio, meo quidem videri haud contemnénda. Et ea est, quia si ad prædictum munus, & officium assumantur non sacerdotes, aut saltim in sacris constituti, sed dumtaxat prima tonsura insigniti: cum eiusmodi matrimonium iure possint contrahere, & ad nuptias vno, vel altero die festo transire, fieri poterit, vt qui heri spiritualia tractabat, & de Clericorum criminibus cognoscebat: in crastinum coniugatus, ac matrimonio copulatus inueniatur: quod certè indecorum esse videtur, ac ferè absurdum, vt id dicatur de illis qui constituti erant in tanto munere, & officio. Quæ supradicta omnia comprobãtur, per constitutionem nuperrimè factam, in Concilio Prouinciali Toletano, habito anno 1566. actione 2. cap. 9. vbi habetur: Vt Visitatores omninò Sacerdotes constituantur: Prouisores autem, & Vicarij Episcoporum, qui vel sacerdotes sint, vel intra sex menses, ab eo die, qua iurisdictione sibi commissa vti cæperint connumerandos, ad sacerdotium promoueantur. Quod est multum notandum, ac memoriæ cõmendandum. Hæc dixerim quãtum ad munus, & officium iudicandi, & ad præfecturas, siue Prælaturas minores attinet. Sed de maioribus loquendo, tertia statuitur conclusio.

Tertia Conclusio.

AD Præfecturas, siue Prælaturas † maiores, Episcopalẽ, 14
vel quasi Episcopalem iurisdictionem habentes: vt sunt Generalatus, Prouincialatus, & eis similes: nullus potest, aut debet assumi, qui 30. ætatis suæ annum non attigerit. Hæc conclusio satis est comperta, & manifesta: & probatur à simili de Episcopis, de quibus cautum est in iure, vt nullus in Episcopum eligatur, nisi qui iam 30. suæ ætatis annum exegerit. Habetur in cap. cum in cũctis de electione. Id quod & de nouo innouatum, & confirmatum reperitur, in Concil. Triden. sess. 7. c. 1. & sess. 24. cap. etiam 1. Eademque etiam omninò ratio † currit, in Prælatis regulari- 15
bus prædictis, Episcopalem, vel quasi Episcopalem iurisdictionem habentibus: nam vt dicitur de similibus simile est iudicium. Sed hac de re plura dicere supersedeo, quia in 2. tom. nostri Manualis, siue directorij Prælat. regul. quæst. 3. artic. 1. latissimum habui sermonem, agẽdo de ætate, quam de iure, seu ex nostris generalibus cõstitutionibus, habere debent omnes omnium religionum Prælati, Guardiani, siue Priores, Prouinciales, & Generales, Diffinitores etiam, & illi, qui vocantur discreti, siue vocales, mittendi ad nostra comitia Generalia, vel Prouincialia. Hæc breuiter de ætate omnium iudicum, siue Prælatorum, fori tam Ecclesiastici, quam sæcularis præcisè necessaria de iure, pro nunc dixisse sufficiat. Sed dicamus modò aliquid de decentia, & congruentia. De quo sit quarta conclusio.

Quarta

Quarta Conclusio.

16 DE decentia, & congruentia loquendo, Iudices, † atque Prælatos, nec multum iuuenes, aut nimium senes eosdem esse oportet. Hæc conclusio statuitur sub hac forma, quia circa congruam iudicum, siue Prælatorum ætatem, magna est lis, & controuersia inter Doctores asserentibus quibusdã, quod ad id muneris, & officium assumi possũt interdum etiam iouenes: dicentibus verò alijs, oporteret quã maximè: eosdẽ esse senes. Qua de re, qui plura videre voluerit, consulat secundum tomum nostri Manualis, siue directorij Præl. regul. quæst 5. art. 1. vbi ad hoc propositum reperire licebit multa, eaque notatu dignissima. Pro nunc tamen dixisse sufficiat, id quod in nostra conclusione est dictum, nempe iudices, atque Prælatos, nec multum iuuenes, neque nimium senes esse debere: nam hac de re magis certa, & determinata, haudquaquam tradi potest regula. Neque enim senis nomen, omnibus in vniuersum senibus conuenit; cum vt dicit in Scriptura sacra, Sapien. 4. Senectus venerabilis sit, non diuturna, neque annorum numero computata: & vt inquit Salomon, Cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.
17 Quo fit, vt in iure senectus † siue canities, non per crines tantum, quin verò per virtutes potius consideranda veniat. Alter enim prius alio quandoque senescit, & interdum sub canitie magna, reperitur iuuentus quam maxima: qui senes, non quidem senes, sed iuuenes veniunt nũcupandi: quin verò, & maledicendi, iuxta illud Isaiæ puer centum annorum maledicetur. Cum igitur hac in re, nulla certa tradi possit regula, non immeritò in cõclusione diximus, in his medio esse modo procedendum, & iudices, atque Prælatos, neque multum iuuenes, nec senes nimium esse oportere eosdem: quod que nec prætermittenda est senectus (cętera si adsint) nec despicienda iuuentutis ætas, præclara si eandem comitentur merita: omnibusque intimè consideratis, ad prædicta munera, & officia illos esse assumendos, & eligendos, qui mediocris fuerint ætatis, ac probis moribus ornati, virtutibusque insigniti: semper respectu habito ad illas conditiones, & qualitates, quas in præcedenti articulo diximus, prætulgere debere in eis, qui assumuntur in Prælatos siue iudices: nec non & alias, quæ in subsequentibus sunt dicendæ. Etenim si iuxta commune dictum, malitia supplet ætatem, cur non & vitę integritas, scientia, & literarum peritia, prudentia, similesque aliæ virtutes id ipsum poterunt efficere? Non igitur iuuenes, seu mediocris ętatis viri omninò veniunt despiciendi: imò verò quandoque assumendi in Prælatos, siue iudices, literati si sunt virtutibusque ornati. Et in non literatis seu ijs, qui literis addiscendis nunquam operam dederunt, maior ætas semper requiritur, ac necessaria est, vt ad prędicta munia, & officia assumantur, quam in alijs, qui per diutini temporis spatium: id ipsum fecerunt, ac multum insudarunt: quæ pro isto articulo breuiter dicta sufficiant.

ARTICVLVS III.

Vtrum bonitas, & vitæ integritas multum sit necessaria in cunctis prælatis siue Iudicibus?

NImium oportet † eos, qui assumendi, & constituendi sunt in Prælatos, siue iudices: vita esse laudabiles, & spectatis moribus. Hæc conclusio ab omnibus in vniuersum Doctoribus summopere commendatur: & si breuitas cui tantopere studęmus, 18

mus,

mus, in id locum dedisset, facillimè posset comprobari innumeris legibus, textibus, siue capitulis, vtriusq; Iuris, Canonici, atque Ciuilis. Quibus ob prædictam causam præteimissis, solummodo ad eandem probandam, nonnullas afferam efficacissimas rationes, quæ quàm maximè patrocinantur eidem. Harum est prima: quia cum Iudices, siue Prælati, sint veluti potissima pars, basis, & fundamentum iustitiæ, & (vt inquit Aristot.) esse ipsi debeant: Quasi iustitia quædam animata, ad quam qui iniuriam patiuntur, possint, & debeant confugere. Si (quod absit) nō spectatis moribus extiterint, ac vitæ, & morum integritate non ipsi polleant: quid boni quæso ex eorum iudicio oriri, autqexpectari vnquam poterit.? Nihil certè, sed mali multum. Et cum iustitia animata ijdem esse deberent: è contra erunt iniustitia, iniquitate quadam, ac iudicij authoritate armata: in magnum quidem damnum, & excidium totius Christianæ Reipublicæ. Cui efficacissimæ rationi, accedit, & alia, nec contemnenda quidem. Ea est quod iudi-
19 cium † ad hoc vt ipsum sit rectū (vt amplius infra dicemus) procedere debet ex habitu, aut saltem ex affectu & inclinatione iustitiæ: demus ergo (quod Deus auertat) iudicem, siue Prælatum, non morum integritate pollere: neq; spectatis moribus sculptum, atque ornatum existere: quin verò iniquum esse, & iniustum, quonam pacto, qui eiusmodi est, ex habitu, affectu, siue inclinatione iustitiæ diiudicabit? Qua ratione iustitiam alijs ministrabit: aut quid suum est reddere valebit vnicuique? Certè malè. His & alia accedit ratio. Nam sunt artes, quæ cum in solo intellectu consideant, quilibet etiam improbus, & iniustus, habens tamen bonum intellectum, industriam, & ingenium, rectè easdē exercere poterit: vt v.g. dulciter fidibus canere: lepidè pingere, & similes. Hanc verò iustitiæ artē, quæ in iustitiæ ministerio, siue administratione consistit, cum non in solo intellectu resideat (quia est quædam praxis) sed ab intellectu simul, & voluntate proueniat: nemo profectò illam bene exequi poterit, nisi qui iustus, qui bonus, qui virtutibus oībus sculptus, & perornatus extiterit. Ratio certè est validissima, atq. apertissima. Et fundatur hic discursus, in authoritate D. Isid. li. 18. Etymol. c. 15. & habetur in c. forus de verborum significa. vbi dicitur, quod si in iudice vita bona defuerit: fide carebit. Non enim (in-
quit.) potest iustitia † cum scelerato 20
homine habere commercium. Verba quidem sunt notatu dignissima. Quibus quam maximè consonat, id quod habetur in Conc. Tolet. 4. c. 63. & refertur in c. non potest, 2. q. 7. vbi dici-
tur: quod † non potest erga homines 21
esse fidelis: qui erga Deum infidus extiterit. Facit ad hoc etiam, & id quod dixit olim D. Greg. super Iob ca. 3. & refertur in c. in grauibus, 3. q. 7 nēpe, quod grauatus criminibus, alios iudicare non valebit. Qua etiam ratione Plat. li. 1. de Republica dicebat: Oportere quā maximè, eum qui gerere habet principatū, probum ab adolescentia fuisse. Cuius, & rationem reddens, aiebat. Quod sicut oculi propria virtute priuati malè vident: sic & anima propria virtute destituta, non bene iudicat, quin verò & malè omne opus suum peragit. Necesse est (inquit) malam animam, & malè in omnibus se gerere, malè imperare: ac nihil curare boni, bonam verò, bene omnia facere. Quibus omnibus, & cōcinit illud, quod dixit olim Arist. Ethic. c. 12. bonum nisi viro bono, apparere nemini. Omnia ista certè sunt notatu dignissima. Prædictis omnibus rationibus, in propositæ conclusionis confirmationem visum fuit adijcere, & superaddere: quod cum iudicandi munus,

nus, & officium (vt supra diximus, & habetur, in l. omnem honorem, C. quando prouocare non est necesse: & in c. vt debitus honor, de appel.) honor sit & dignitas quædam quam maxima: indignum iure, ac contra omnem rationem prorsus esse videtur, quod vitiosis commendetur: & indigni indignoribus præficiantur: eisdem dominentur, illosve iudicent: quod experientia ipsa omnium rerũ magistra testante, multorum semper extitit occasio, & causa malorũ. Relinquitur ergo expedire quam maximè toti Christianæ reipublicæ: vt in Iudices, siue Prælatos ij dumtaxat assumantur, & constituantur, qui vitę, ac morum integritate polleant: meritis sint clari, ac virtutibus perornati existant: & quod inter multos bonos & probos, illi præ alijs & meritò pręficiantur, qui excellentiores fuerint: nam & ijs (non verò alijs) dicebat Plat. 6. lib. de legibus: Solet Deus bona consilia, quandoq; suggerere, vtilia sibi, ac toti Reipublicæ.

ARTICVLVS IV.

Nunquid qui criminosus olim fuit, sed pænituit, & de præteritis pænitentiam egit: quandoque in Prælatum siue iudicem possit & debeat constitui?

QVÆSTIO Hæc quam latissimè à Doctoribus hinc inde solet controuerti, affirmantibus quibusdam, negantibus verò alijs. Sed breuitatis causa vtriusque sententiæ argumentis, & rationibus prætermissis, difficultati propositæ resolutiuè satisfaciam, per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

22 IS, qui semper bonus fuit, † si in eo etiam reperiantur ea, quæ in Iudicibus, seu in Prælatis sunt necessaria, cæteris paribus semper est præferendus, alijs simile nomen non habentibus. Hęc conclusio satis constat ex prędictis in præcedenti articulo. Oportet tamen aduertere, vt adimpleãtur omnia, quæ in conclusione sunt dicta: nam vt dicit D. August. in Enchirid. Frequenter contingit, vt illi, qui perfectus est in charitate, aliqua deficiant, quę in prælatis, atque iudicibus, quam maximè sunt necessaria: vt pote scientia, literarum peritia, experientia, intellectus, discretio, fortitudo, & eius generis alia, quibus non existentibus, qui eiusmodi est, ad pręfecturas, siue iudicãdi munus, vtcunque bonus, erit inidoneus. His concinit illud quod dixit D. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, 3. part. titul. 22. c. 1. §. 4. nempe quod potest quispiam dici bonus, seu melior alio dupliciter Vno modo simpliciter, vt pote quia est sanctior, plus habens de charitate: alio verò secundum quid: siue quo ad aliquid. Quando ergo dicitur in conclusione, meliorem esse semper præferendum, alijs simile nomen non habentibus, intelligendum id est, cæteris paribus, & dummodo concurrant in eo alia, quæ in Prælatis, siue iudicibus sunt necessaria, non verò alias, quia talis (vtcumq; bonus) non erit conueniens ad propositum electionis finem. Sed quid si talis non reperiatur, erit ne in eo casu eligendus is, qui aliquando improbus, & criminosus fuit, sed pænituit: & est iam emendatus? Respondeo & sit secunda conclusio.

Secunda Conclusio.

NOn existente viro † bono & probo, in quo reperiantur omnia ad propositum electionis finem necessaria: bene potest in iudicem, siue Prælatum pręfici is, qui semel aut bis peccauit: sed pænituit & de præteritis pænitẽtiam egit. Hæc conclusio amplectitur ab omnibus, 23

Do-

Doctoribus vnanimiter, & probari solet exemplo D. Petri, cui Christus Dominus Ecclesiæ suæ claues, & supremum Pontificatum commisit, & quantumuis peccauit, atque deliquit: eundem nihilominus ceteris Apostolis, non eodem vitio irretitis prefecit. Cui etiam resolutioni fauet glos. in c. Fidelior, dist. 50. verbo, vbi gratiā, vbi dicit: quod is, qui post peccatum penituit, & à malo deflexit, iam de malo effectus est bonus. Et subdit: Quod eiusmodi quandoq; est in Prælatum præficiendus, quin verò potius quàm alius, qui semper bonus extiterit, quia (inquit) qui sciuit malū facere, magis sciet peccatoribus compati: magisque de eo presumendum est: quod alios melius sciet gubernare & regere: pro quo allegat, cap. considerandum eiusdem distinctionis, quod est D. Gregor. homil. 21. in Euangel. vbi ad idem propositum, D. Petri, sequētia notabilia habentur verba: Magna pietatis dispensatione factum fuisse cognoscimus, vt is qui futurus erat Ecclesiæ pastor delinqueret, vt in sua culpa disceret, qualiter alijs misereri debuisset. Prædictis omnibus, addit supra dicta glos. Quod multoties peccator, & infirmus, qui quandoq; fuit, fortior resurgit. Pro quo allegat, c. potest de pænitētia, distin. 1. quod est D. Ambrosij, vbi habetur: quod fieri potest, vt aliquis interdum supplicijs victus, sermone Christū neget, & ipsum corde adoret. Et post alia, concludendo dicit: Euidentissimè Christi Domini prædicatione esse mandatum, etiam grauissimi criminis reis, si ex toto corde, & manifesta confessione peccati pænitentiam agant: sacramenti cælestis gratiam nullatenus esse denegandam: quod multum est ad propositum notandum: Supradicta omnia confirmantur etiam, hac efficacissima ratione: Nam iuxta veram Philosophiam, electio eorum, quæ sunt ad finem, fieri debet secundum rationem finis; cum igitur in proposito casu, & similibus, is qui semel, aut bis peccauit, sed pænituit: magis accommodus sit ad propositū electionis finem, si in eo non verò in alio (vt dixi) reperiantur ea, quæ in Prelatis & Iudicibus sunt necessaria; manifestè profectò sequitur quod præferendus est ei, qui bonus semper fuit: & qui nunquam deliquit. Sed tamen hoc est intelligendum, ea conditione, & lege, in conclusione posita scilicet, vt de ipsius emenda, & correctione constet: vt & cōstitit Christo Domino de emenda, & correctione, D. Petri, cuius lachrymas vidit. De quibus inquit D. Clemens ipsius discipulus, quod tam diu in eo durauerunt: quod nunquam ex eius oculis recesserunt. Nō ergo mirum fuit post penitentiam adeo grandem, quantūuis peccauerit, si eundem Christus cæteris Apostolis in Prelatum præfecit? Hac de re videatur Abbas, in c. dudum el 2. de electione: vbi ad hoc etiam propositum mira, & pulchra dicit: sed maximè de mente, & sententia Aristot. 1. pol. cap. 4. quod † bonus 24
ciuis, quandoq; est malus prætor, quodq; potest contingere, vt qui sēper probus, & bonus fuit: haudquaquam sit bonus prælatus, siue iudex: qualis reipublicæ conuenit. Sed nunquid ad hoc vt de alicuius emenda, & correctione constet, expectare oportebit annorum millia: aut quod ipsius vita miraculis cōprobetur? Minimè gentium. Quantum ergo temporis requiritur? Respondeo, & sic tertia statuitur conclusio.

Tertia Conclusio.

AD meliorem † purgationem 25
veterum præteritorum delictorum, & virtutis argumentum, sufficit triennalis temporis testimonium. Hęc conclusio habetur expressa, in quadam Authentica, de

Monachis, §. Sancimus. Et statuitur contra quosdam, in alijs dijudicandis adeo temerarios & licentiosos: vt quē semel peccatorem experti sunt, peccatis implicatum, atque irretitum semper esse credant. Temeraria est certè, atque stulta eiusmodi cogitatio: postquam, vt dixit Christus Dominus, Ioannis 11. Duodecim horę sunt diei. Non igitur hisce in rebus annorum millia sunt expectāda: aut quod miraculis comprobetur alicuius vita, ad hoc, vt quantumuis antea peccator extiterit, correctus iam, & emēdatus censeatur, quin verò sufficit triennalis temporis testiomnium, & quod per tres annos benè, rectè, honestèq; vixerit: quia non ad id maius tempus exigitur, quàm sit necessariū in iure ad elidendam præsumptionem eius, qui cum semel malus extiterit, semper præsumitur talis, nisi probetur contrarium: ad quod sufficit quod per triennium honestè, atque inculpatè vixerit. Hoc (inquam) etiam sufficit, nihilque amplius requiritur, ad hoc vt postquam quispiā deliquit, correctus, & emendatus appareat: & in iudicem, siue Prælatum eligi possit, atque constitui. Hactenus de isto articulo: videatur hac de re Alciatus, de præsumpt. regul. 3. præsūpt. 2. nu. 6. vbi ad hoc propositū reperire licebit multa notatu dignissima.

ARTICVLVS V.

Vtrum expediat Iudices siue Prælatos esse nobiles?

Prima Conclusio.

26 NIMIVM Oportet eos, qui assumendi sunt † in Prælatos siue iudices, non esse ex vili loco natos, quin verò nobilitate præditos. Hæc conclusio probatur in primis, ex illo, quod habetur Deuter. cap. 1. vbi Moyses id ipsum se dixit fecisse in constituendis Principibus, siue iudicibus pro Israelitico populo, rectaque ipsius gubernatione: nam inter alia, ad nobilitatem prædictam asserit se respectū habuisse. Elegi (inquit) ex vobis viros sapientes, & nobiles, & constitui eos Principes, Tribunos, & Centuriones, &c. Quod etiam summopere fieri commendat D. Thom. lib. 4. de regimin. Prin. Vbi ait, quod de vili loco nati, ad principatum assumpti, vt plurimum politiam lædunt. Hac etiam ratione Archytas olim Philosophus Pythagoricus, dicere solitus erat, quod administrare Imperium, ad nobiliores pertinet, obedire verò ad deteriores. Pro quo etiam facit authenticum Præsidens, C. de Episcop. aud. vbi hoc quam maximè commendatur, & in authent de defens. ciuit. §. si inter, collat. 9. & in l. honores, §. si is cui. ff. de decurio. A quo & non abhorrent leges nostrę, partitæ communiter nuncupatæ, quin verò li. 18. tit. 9. part. 2. inter alias iudicum partes, hæc veluti prima, ac principalior constituitur, ac dicitur: Iudices † debere esse nobiles, vt errare erubescāt. 27
Videatur etiam hac de re Magister Soto, li. 3. de iustitia & iure, quæst. 6. art. 4. conclusione 6. in fine. Vbi ijsdem rationibus permotus, inquit, in magistratibus creandis, generis, & nobilitatis quam maximam esse rationem habendam, quia præter ea quæ dicta sunt, nobilitas iudicibus splendorem & authoritatis pondus secum affert. Sed probatur præterea prædicta conclusio speciali alia ratione, & ea est, quia re vera, & si res penitus introspiciatur, atq; consideretur, vt tale prosequitur Cassaneus in Catalog. gloriæ mund. 8. par. conf. 32. cum seqq.: Prudentia, industria, affabilitas, magnanimitas, magnificentia, docilitas & modestia, ac deniq; omnes virtutes, quæ in Prælatis, atq; Iudicib. desiderātur: vt plurimū famu-

lantur

lantur nobilibus: & ex maiori sua obligatione, quam & meritò se habere credunt, ad rectè munus, & officium suum exequendum, nobilitatis eiusdem stimulis agitantur: & ob verecundiam, atque pudorem, aut saltem vt non amittant honorem, quem habent à malefactis, & peccatis omninò se auertere procurant. Quibus & accedit alia, non contemnenda ratio. Nam præterquam quod, nobi-
28 les † ægrè ferunt & meritò, ab ignobilibus dominari, & iudicari ab ijs, quos forsan habere non dignarentur in alumnos, & seruos: si (quod absit) ignobiles, & infimi natalis homines, nobilioribus quandoque præficiantur: vt vterque status æqualis fiat: ipsos ferè semper conantur veluti annihilare, & opprimere: & nunquam non illos totis viribus persequuntur: quod quidem nobilibus non contingit, sed neque contingere potest: cum nulla sit in eis causa inuidiæ: inuidia enim ignobiliora semper sequitur; & vt dicit sacra Scriptura Iob c. 5 non nisi paruulos occidit. Ex quibus omnibus super satis manifestè colligitur: quam sit expediens Reipublicæ, vt semper (cæteris, quod dicitur existentibus paribus, quin verò, & quandoque imparibus) ignobilibus prætermissis, quod nobiles in Prelatos, siue Iudices assumantur, & constituantur: alijsque præficiantur: nam præsumptio certè semper stat pro nobilibus, vt dicit glos. in cap. illud distinct. 40. & habetur in l. pupillus, §. sed etsi per interpositam, ff. de aucto. tuto. & tradit Albericus in l. 2. §. quę omnia, C. de veter. iur. enucl. Sed difficultas est, an hæc nobilitas necessariò esse debeat, quam maxima, seu suprema: an verò mediocris literis, ac virtutibus comitata sufficiat? De quo fit secunda conclusio.

Secunda Conclusio.

NOn est necessum, aut multum expediens Reipublicæ, vt nobilitas † quam in Prælatis, at- 29
que iudicibus, est dictum nimium esse requisitam, suprema sit, siue quam maxima: quin verò in his sicut in omnibus alijs mundi rebus, tenendum est medium: nec despicienda est mediocris nobilitas: quin verò forsan preferenda, maximè si sit literis, atque virtutibus comitata. Hæc conclusio, hac vel vnica, & efficacissima ratione probatur. Nam experientia docente, multoties, quin verò & sępissimè contingit, vt predicti summa nobilitate prediti, ad officia, siue prefecturas assumpti, ex magna sua superbia easdem veluti paruipendant, atque despiciant: alijs etiam nobilibus dedignantur: & ob suam nobilitatem nimia omnia sibi licere credũt: qua etiam licentia in quã plurima illicita quandoque prorumpunt: quod experientia ipsa rerum omnium magistra testante, multo malo nostro sępissimè didicimus. Ex quo proinde colligitur, qualiter non sit necessarium, aut multum expediens Reipublicę, quod Prelati, & iudices sũma, siue suprema sint nobilitate prediti: quãuis (vt dictum est) oporteat quam maximè eosdem esse nobiles, sed sufficit in id nobilitas mediocris, modò (vt dictum est) sit literis, ac virtutibus comitata. Et vtcumque hoc sit, necessarium esse summopere existimo, quod nobilitatem prędictam (sine in his, siue in illis) virtutes, & morum integritas, quam maximè fieri potest comitentur: ita vt aliàs nobilitatis ipsius, ac claritatis sanguinis nullus prorsus habeatur respectus: quod est multum considerandum, & inuiolabiliter foret obseruandum. Ad quod propositum facit, quod dixisse olim fertur Phalarem quadam sua

Epistola: Ego solam virtutem nobi-
litatem scio, cætera verò fortunam.
Qua ratione, glos. in l. si quid in bel-
lo, verb. erat, ff. de cap. & postli. ad
hoc propositum dicit: magis meum
est, quod per meam virtutem, & pro-
bitatem acquiro: quam illud quod
per antecessores meos habeo. Et
gloss. in capit. quoniam vetus, 24.
quæstio, 1. eadem ratione ducta in-
quit, in electionibus nobilitatem, non
nimium esse attendendam, in eo, vel
maximè viro, cui aliæ partes requisi-
tæ deficiant. Ad quod propositum
affert, quod cum duo olim de ele-
ctione Summi Pontificatus decerta-
rent, vnusque ipsorum in id nobili-
tatem suam nimiam; alterius verò
ignobilitatem allegaret: alius ex ad-
uerso respondisse fertur. Piscatori
Petro fabri filio, successorem quæri-
mus, non Augusto. Et concludit
prædicta glossa, dicendo: Quod no-
30 bilitas † interdum fastum: fastus au-
tem multoties lites parit. Quod est
multum notandum, ac memoriæ
commendandum. Sed cum hoc stat,
quod nobilitas semper multum sit æ-
stimanda, & in Iudices, atque Prælatos
non nisi nobiles sint eligendi: &
qui eiusmodi sunt alijs præferendi;
cum natura ipsa dictante: Prælatio-
nes non nisi nobilibus debeantur, vt
quam latissimè probat Baldus,
in lege nemini, circa finem,
ff. de aduoc. diuers. iudi-
cum. Plura ad hoc pro-
positum possem di-
cere, quæ bre-
uitati stu-
dens (ad
alia,
vt
festinem) consulto
facio mis-
sa?

ARTICVLVS VI.

Vtrum Iudices, siue Prælati esse debeant, aut possint, originarij, siue naturales illius loci, in quo præfecturam, & iudic indi munus exercent?

Prima Conclusio.

IVdices, † siue Prælati (si fieri po- 31
test) non esse debent originarij, si-
ue naturales illius loci, vbi præfe-
cturam, siue iudicandi munus exer-
cent. Quantum expediret in com-
muni praxi, ad vnguem obseruari id,
quod in conclusione est dictum, cui-
libet, vel mediocri ingenio pollenti,
facile erit perspicere, ex innumeris in-
commodis, & damnis, quæ sæpissimè
sequuntur: ex eo, quod Iudices, siue
Prælati naturales sint illius patriæ, si-
ue loci, vbi præfecturas habent, siue
iudicandi munus exercent. Sed vt ra-
tionibus conclusio comprobetur, pro
ea facit in primis, quod de iudicibus
loquens, dicebat olim Aristot. 5. E-
thic. cap. 13. Debere eos esse ab om-
ni affectione, siue passione liberos.
Qua etiam ratione Architas olim Phi-
losophus pythagoricus, comparabat
illos, areæ Deorum; hoc quasi sym-
bolo designare volens, quantum opor-
teret iudices esse tanquam Deos, at-
que (vt dictum est) ab omni affectio-
ne, & passione liberos, & alienos pror-
sus ab omni personarum acceptione.
At si Iudices, siue Prælati originarij
sint, & naturales illius patriæ, siue
loci, vbi præfecturas habent, seu iu-
dicandi munus exercent: cum tot, ac
tantos, vt plurimum habeant, sibi
sanguinis fœdere, amicitia, seu alijs
vinculis coniunctos: quis non videat
eosdem hæc, quæ dicta sunt obseruа-
re minimè valere? Quis credat illos
esse posse ab omni affectione, & pas-
sione prorsus liberos: & non aliquid,
quin

quin verò & multum, habere de per-
32 sonarum † acceptione, adeo contraria, & inimica iustitiæ? Quis sibi persuadere possit, quod non iudicare & multo minus damnare audeant (quantumuis illud ipsorum delicta, & peccata promereantur) eos, qui sanguine, amicitia, siue familiaritate sibi coniunguntur? Haudquaquam id facient, sed neque efficere (etiam si velint,) vllo modo poterunt: remanebuntque consequenter proinde delicta prorsus impunita, & peccabunt ipsi licentiosè confidentia iudicum, siue Prælatorum in magnum damnum, & excidium totius Christianæ Reipublicæ: quod est certissimum, atque constitutissimum. *Hanc* igitur ob causam omni iure tam Canonico, quam Ciuili statutum est: iudices, vt non sint originarij, siue naturales: De iure Canonico id ipsum habetur, in cap. penult. vt lite non contest. & cap. vltim. de appella. vbi latissimè videndus est Abbas: De iure ciuili tradit illud Bartol. in l. fin. ff. de offic. assef. & in l. ei cui, ff. ex quibus causis. Quod & cautum est lege nostra regia, 11. tit. 18. par. 1. idque obseruat communis praxis. Nam & si quando in iudi-
33 cem † præficiatur quispiam naturalis, prouisio regia statuit, vt ab officio remoueatur ad cuiusuis requisitionē, quin verò & cōtra iudicē originarium, siue naturalem excipi potest, recusaturque communiter, & meritò eiusmodi iudex: vt constat ex prædicto cap. penult. vt lite non contest. Cuius rei ratio in promptu est: nam, vt inquit Abb. in cap. vlt. de appell. eadem natiuitas, siue natiuitatis ratio, naturaliter suspicionem inducit. Nam quomodo (inquit) accusabit, seu potius non excusabit iudex, eos, quos familiaritate, amicitia, aut etiam sanguinis fœdere sibi coniunctos habet? Quomodo iustitiæ stateram manu gestans, cum cæco quodam ducatur amore, seu potius errore, iustitiam partibus ministrabit? Qualiter domesticos suos, amicos, familiares, aut quos propinquos & coniunctos habet (etiam si quam maximè id promereantur) ipsorum damnare delicta poterit? Verba sunt Abbatis summa animaduersione digna: & quæ perpetuà memoria teneantur, quę eadem omninò ratio currit etiam in Prælatis. Quibus omnibus accedit, alia nec contemnenda ratio: ea est, quia vt inquit Aristot. estque ex naturali Philosophia compertum, intus existens, prohibet extraneum: si igitur iudex, siue Prælatus originarius sit, & naturalis: cum per affectionem, passionem, & amorem conciues suos intra se habeat, & parentes familiares, atque propinquos, quasi proprio inclusos pectore: quonam modo aliorum extraneorum causas, rectè perspicere vlla ratione poterit? & easdem ve iudicare, rectis vt aiunt oculis? Malè profectò. Nam cæcus amor (vt experientia constat) rectam impedit iudicis æstimationem: meritòque de iudice, siue Prælato originario, præsumi, & suspicari potest, quod non rectum, & iustum ipsius erit iudicium. Qua ratione verum habet nostra conclusio, ac iure iustissimè cautum est: vt iudices, siue Prælati, quam maximè fieri potest, non sint naturales, siue originarij, illius prouinciç, siue loci, vbi præfecturam, siue iudicandi munus exercent.

ARTICVLVS VII.

Vtrum scientia, & literarum peritia, quam maximè sit in cunctis Prælatis, atque iudicibus necessariò requisita?

Conclusio.

SCIENTIA, Atque † literarum peritia, summopere est in Prælatis, & iudicib. cunctis necessaria. 34

Hęc conclusio est certa & manifesta, sicq; iure Canonico, scilicet atque Ciuili, statutum est: vt ad præfecturas siue iudicandi munus non assumantur, nisi viri pollentes scientia, & litterarum perititia. Facitq; ad hoc, lex certi iuris. C. de iudic. vbi hoc vnanimiter tenent omnes Doctores iuris Ciuilis periti. Facit & lex regia 3. tit. 4. part. 3. vbi habetur, quòd in iudices non assumantur, nisi qui sapientes sint, adeo vt lites valeant dijudicare, & discernere: ac ius suum tribuere vnicuiq; cum quo etiam concordat lex 2. tit. 4. lib. 2. nouæ recop. Quo loco ad iudicandi munus obeundum necessarium esse dicitur, vt assumendi per decem annorum spatiũ, iuri Canonico, aut ciuili operam dederint: nam quamuis hęc iudicum sufficientia, postea per aliam legem 2. tit. 9. lib. 3. Recop. moderata sit, & redactã ad hoc, quod prędicti iudices in aliqua vniuersitate approbata, licentiaturę, siue doctoratus gradu sint insigniti: siue hoc, siue illud sit, certissimum tamen est, scientiam, atque literarum peritiam, de iure Ciuili in iudicibus esse necessariò requisitam. Sed quod id etiam requiratur de iure canonico, & quantum attinet ad pręfecturas Ecclesiasticas; constat expressè, ex cap. cum in cunctis de electione, innouato per Concil. Triden. sess. 7. c. 5. de reform. & sess. 22. cap. 2. Cõstareq; potest etiam, ex quamplutribus alijs Iuris canonici capitulis: cum suis glossis à me breuitatis causa omissis: pro eo quod in secundo tomo mei Manualis Prælatorum regularium, quæst. 4. art. 1. & 2. hac de re plura dixerim: & quia hæc passim reperiuntur: & volenti illa videre: facilè sibi erit reperire. Solum modo superest probare, id ipsum quam maximè esse rationi consonum. Pro quo facit illud quod dixisse fertur olim Boetius, libro 1. de consideratione, nempe beatam illam Rempublicam esse appellandam, cui sapiens princeps dominatur: è contrario verò infelicem, cuius dominator est ignarus: Cuius rei rationem reddens, inquit, quod qui sapiens est nihil non cũ ratione operatur, ac proinde Reipub. quæ per eundẽ gubernatur, mali nihil omninò poterit euenire: cuius cõtrarium sępissimè cõtingit, gubernatori insipienti, ac ignorãtiã habẽti. Quibus omnibus accedit & alia ratio: quia quasi contra naturã ipsam esse videtur, & monstruosa quædam res, vt sese ingerat quispiam, aut intromittere præsumat, in ea exercenda arte, quam ignorat, seu pro qua insufficiens est. Pro quo facit multum, l. Iulianus. §. qui tamen, ff. de actio. empt. & l. si seruum. §. penul. ff. ad legem aquiliam, & l. 2. §. seruus, ff. de de orig. iuris: vbi habetur, turpe esse iudici, ac nobili viro: ius in quo versatur ignorare. Quod etiam Persius olim cognouit, quando dixit, contra naturæ legem esse, quempiam artem quam ignorat exercere. Hoc cum ita sit, videant igitur quid faciunt, iudices siue prælati ignorantes, & qui sine debita scientia & literarum peritia in eiusmodi muneribus, & officijs sese ingerunt, aut eligi, & præfici sinunt: nec non & eosdem † eligentes, & prę- 35
ficientes: nam ex communi omnium resolutione, tam isti, quam illi mortaliter peccant, idque grauissimè. Videatur hac de re, glos. in Clementina, 2. de Magistris, vbi ad hoc propositũ reperire licebit plura, eaque notatu dignissima. Videatur etiam glos. cum text. in c. non est putanda, 1. q. 1. & Archid. in c. 1. dist. 40. & omnes communiter DD. in c. cum in cunctis de electione, & in dict. Clementina secunda de magistris, & Nauarro in relectione, capituli si quando, de consecratione distinctione, prima, & in capite inter verba, & in Manuali, capite 25 numer. 12.: vbi plura dicit, de prædicta sciẽtia, & literarũ peritia, in

pre-

prælatis & iudicibus cunctis requisita. Videatur etiam Paz in sua praxi, primo tomo, in primo tempore, num. 51. cum sequentibus: qui quidem omnes (quamuis loquantur de iudicibus sæcularibus) meo quidem videri, eadem nec minor omninò ratio currit in prælatis regularibus, cum & ipsi etiam sint iudices Ecclesiastici, oporteatque proinde eos etiam esse sapientes: & vt inquit Nauarro, nec modicum expediret, vtriusque iuris aliqualem peritiam habere. Alias enim quomodo poterunt dijudicare & discernere, tot multiplices casus, & causas, multipliciter etiam implicatas, quæ non rarò, sed frequentissimè inter religiosos solent euenire? Male certè. Si leges firmantur Canonibus, & Canonum ambiguitates (vt dixit quidam Iurisconsultus) legibus resoluuntur, neque id immeritò, cum ex vno, eodemque fonte prodierint, iustissimæ leges, & sacratissimi Canones (vt habetur in capite qualiter & quando de accusationibus) eiusmodi rebus, qui nunquam operam dederunt, quonam pacto iudicum, siue prælatorum officium non verentur assumere? Nescio quid dicam de eiusmodi prælatis, & iudicibus. Certè id qui faciunt, & sine debita sufficientia, & literarum peritia, officium aliquod, siue dignitatem acceptant, in idque præfici se sinunt, siue procurāt: immunes haud quaquam erunt à peccato, quin verò grauissimum illud committunt: & quodammodo contra rerum naturam faciunt: dum gerere præsumunt artem, quam penitus ignorant. Sed missos hos faciendo, in calce huius articuli aduertere libuit, ex doctrina Baldi, in l. in dando, ff. de tutor. & curator. & glos. in capit. fin. de re iudic. lib. 6. quod nobilitas, siue
56 potentia, † in clericis siue religiosis, non supplet literarum defectum. Quod etiam tenet glos. in capit. 1. de consanguinitat. & affinitat. vbi dicit, quod illiteratus quicunque ille sit, in iudicem siue prælatum non debet assumi, aut promoueri. Idem dicit Cardin. in Clemen. cum sic de magistris, num. 23. asserens quod imperiti omninò non sunt præficiendi, quia (inquit) impossibile est, vt alios vtiliter regat, quem proprius error subuertit. Videantur hac de re Doctores iuris ciuilis periti, in l. certi iuris, C. de iudicijs, & Canonistæ in supradicto capit. cum in cunctis de electione: vbi ad hoc propositum reperire licebit plura, eaque notatu dignissima. Qui omnes concludendo dicunt, scientiam, & literarum peritiam, tam de iure Canonico, quam ciuili, in cunctis prælatis, atque iudicibus, quam maximè esse necessariò requisitam, quæ pro isto articulo breuiter dixisse sufficiat.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum experientia sit etiam in prælatis, atque iudicibus necessariò requisita?

Conclusio.

EXperientia non minus † quam scientia, & literarum peritia, est 57
in cunctis prælatis, atque iudicibus necessariò requisita. Hæc conclusio probatur in primis, ex l. 1. §. sed cum sit necessarium, C. de confirm. & authent. de iudicibus in principio, versu non enim, collat. 6. item & ex l. 3. regia titul. 4. part. 3. Qua quidem ratione, in l. certi iuris, C. de iudicijs, & in l. experti, C. de decurion. & à glos. in c. sciscitatus de rescriptis, dicitur, quod iudex et si non sit nimium iuris peritus, magistratui præfici potest, dum modò forensium causarum aliqualē habeat experiētiā. Sed præterea probatur conclusio, ex eo (quia vt cōmuniter dicitur) experiētia omniū est

rerum

rerum magistra: vtque habetur in dicta, l. certi iuris, C. de iudicijs, ipsa
38 † defectum supplet scientię, tunc pręsertim quando in iudice naturalis discretio viget, cōcurruntque in eo alia, quæ iudices non multum sapientes interdum habere contingit. Qua de re videatur Spec. tit. de iud. deleg. §. vl. versu, item quod est illiteratus: vbi
39 ait discretionem † esse cunctarum virtutum matrem, allegando in id c. 1. de offi. cust. & cap. præsentium, 1. q. 5. Nec solum experientia appellatur à Doctoribus rerum omniū magistra: verum etiam & efficax communiter dicitur, iuxta textum in c. quam sit, de elect. pro eo qđ docet, & probat: & quia expertus iudex, quæ experimēto didicit, efficaciter efficit. In tātumque quidam extollere volunt experientiā, vt dicant quod scientię omninò æquiparatur: & sunt quasi inter se paria: imo verò nec desunt qui asserāt, quod experientia in ordine ad praxim, scientiam ipsam superet, & excedat: quia
40 (inquiunt) scientia † valet quoad cognitionem, sed experientia quoad operationem. Sed quidquid de hoc sit (hac enim de re, controuersiam, siue quæstionem in præsentiarum habere nolo) certissimum, atque constitutissimum est, id quod est à nobis in conclusione dictum, nempe experientiam haud minus quam scientiam, & literarum peritiam esse in cunctis prælatis, atque iudicibus requisitam. Nam certè (experientia ipsa docente,) constat minimè sufficere: quandoquę quempiam esse doctum, atque peritum, nisi etiam simul habeat aliquale experimentum eius, ad quod eligitur. Qua quidem ratione Boetius olim, lib. 1, de Ecclesiast. disciplina dicebat: Quod scientia sine experimento parum prodest: vsus autem etiam sinę scientia, interdum multum proficit. Et Aristot. lib. 8. politic. cap. 6. impossibile esse aiebat, aut saltem admodū difficile; vt qui opera ipsa nunquam tractauit, peritè quidquam dijudicare valeat: atque ineptum nauis gubernationem tradere, ei qui nec remum tenere nouit. In prædictæ experientiæ laudem, multa dicuntur à Doctoribus, eaque notatu dignissima: quæ cū facilè possem referre, breuitatis gratiā in præsentiarum facio missa. Hoc tamen dicere non præteribo, videri quibusdam, quod experientia siue practica, tantum distat à scientia, quantum & tactus ab intellectuali visu. Et dicunt: Quod experientia est quasi lapis Lidius, quo aurum probatur. Vegetius etiam lib. 1. de re militari, in experientiæ laudem solitus erat dicere: Quod exercitata paucitas, ad victoriam prona est: at rudis & indocta multitudo: exposita est semper ad necem: quod est dictum satis notabile. Qui hac de re plura videre voluerit, ac scire qualiter experientia, pro regimine, & administratione iustitiæ quā maximè sit necessaria, consulat, cap. plerumque dist. 45. & c. vt constitueretur, distinct. 50. cap. estote, 1. q. 1. & Clem. Pastoralis de re iud. cum suis glossis. vbi inueniet plura ad hoc propositum notatu dignissima: quibus planè constabit: quod in conclusione est dictum: Iudices, atque Prælatos pollere debere non solum scientia & literarum perititia: verum etiam, & habere experimentum aliquod, eius muneris, ad quod eliguntur, seu in quo versantur.

ARTICVLVS IX.

Quisnam cui sit preferendus, expertus senex sine literis an literatus iuuenis, sine experimento?

Quæstio hæc satis est difficilis & curiosa: & quę non parum hinc inde agitatur, & cōtrouertitur à Doctoribus: ad inquirendum quisnam horum ad præfecturas, siue iudicandi munus sit aptior: ex suppositione,

tione, quod ex prædictis qualitatibus, vna cuilibet eorum deficiat, & supposito eo quod à nobis in præcedentibus articulis est dictum, nempe vtrumque requiri, procurandamque esse quam maximè in Prælatis, atque Iudicibus, scientiam, & literarum peritiam, nec non & a liquale experimentum: in propositi casus positione, vt præsenti articulo satisfaciam, sequentes statuo conclusiones.

Prima Conclusio.

SI fiat sermo de præfectura, & regiminis munere, quo solum modo agitur de subditorum recta gubernatione, vbi rarò aut nunquam lites, & forenses causæ veniunt discutiendę, probabile est, quod expertus
41 † senex, dum tamen sit prudens, ac timoratæ conscientiæ, iuueni (etiam literato) est præferendus. Hæc conclusio, ex eo constare potest, quia in prædicto casu, quod maximè in Prælato desideratur est bona rerum administratio; & bonum regimen ad Dei laudem & gloriam, cum suorum subditorum commodo: id quod & præcipue locum habet in Religiosis, & recta conuentuum suorum gubernatione: in quibus lites, & causę arduæ, atque difficiles, rarò aut nunquā contingunt, & (vt videtur) sed neque contingere possunt: & si quando inter ipsos aliqua negotia veniunt discutienda, id fit non tam ex Legū, & Canonū decretis, quam ex proprijs suis constitutionibus: quæ cunctis sunt pertiliæ: discutiuntur enim diffiniuntur, atque determinantur religiosorum omnium causę (vt amplius infra suo proprio loco dicemus) non quidem secundum iuris apices, sed quod dicitur, simpliciter, & de plano, sine strepitu & figura iudicij: sola facti veritate inspecta: ex Summorum Pontificū benignitate, permissione, sine priuilegio. Quo fit vt in eiusmodi præfecturis, non tam scientiæ, aut literarum peritiæ sit habenda ratio: quam multorum aliorum, quæ pro religiosa conuentuum administratione, & gubernatione, in Prælatis vt plurimum desiderantur, vtpotè quod spectatę sint virtutis: quod morum integritate vigeant: quod sint Deum timentes, atque prudentes, & similia, ex quibus colligitur, qualiter in eiusmodi præfecturis, experti senes (etiam sine scientia, ac multa literarum peritia.) iuuenibus literatis, inexpertis: tamen sint præferendi. Pro quibus senibus, facit etiam id, quod habetur, Iob, cap. 12. Et refertur in cap. fin. distin. 85. nempe, quod in antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia. Facit & ad idem quod habetur Eccles. 25. vbi dicitur: Quam speciosa est veteranis sapientia, & corona senum multa peritia: Etiam in cap. 1. de renunciatione, habetur, quod plus valet vmbra senis, quam arma iuuenis. Ex quibus constat superque satis, id quod in conclusione est dictum, nempe in dictis præfecturis, quæ in sola administratione, & gubernatione consistunt, expertos senes, iuuenibus (vtcunque doctis & literatis) esse præferendos: sed intelligendum † hoc est, de senibus nondum 42
decrepitis. Etenim qui iam propter minimam ætatem quandoque delirant, atque præ vetustate desipiunt: vt dicit Archidiac. in cap. tanta, distin. 86. vtcunque senes, & experti, etiam si literati sint: nulli sunt officio preficiendi. Sed loquendo de præfecturis, quæ non in sola admistratione, & gubernatione consistunt, sed ad ipsas spectat etiam ius dicere, lites & causas determinare atque diffinire: sit secunda conclusio.

Se-

Secunda Conclusio.

43 AD huiusmodi munus & officium † iurisdicendi,& lites,& causas diffiniẽdi,atque determinandi,multo aptior, & conuenientior est iuuenis literatus,sene vt cunque experto, eique merito est præferendus. Hęc conclusio meo quidem videri, constabit manifestissimè ex sequentibus rationibus. Et sit earum prima: nam certum est,quod experientia, quæ non est secundum artem,& quæ prorsus caret Legali, siue Canonica scientia:ad decidendas diffiniendas,siue determinandas lites,& causas, parum vel nihil valet,etenim cum secundum iurisconsultos (& habetur in l.si ex plagis,§.in cliuo, ff.ad l.Aquiliam,& in l.omnium,C.de omni agro deser.)ex facto oriatur: factũ
44 † autem non ex partium acceptione, sed legitimis probationibus, & documentis, in quibus consistit causarum pondus (iuxta sententiam Bald. in l.ingenium, ff. de statu hominum, & in l.maritum.C de probat.)debeat dijudicari,& comprobari: liquidum profecto fit, quod senum experientia (vt cunque maxima) ad id ipsum parum,vel nihil proderit. Nam quo pacto queso, expertus senex sine scientia, & literarum peritia,dignoscere vnquam vllo modo poterit,probationes esse legitimas,testes productos esse singulares,aut contestes: sufficientem esse infamiam,ad ineundam particularem inquisitionem requisitam, vel non sufficientem, & eius generis multa alia ad perfectionẽ,& cõsumationem iudicij necessaria? Haud quaquam hoc esse vř possibile: quin verò quilibet,vel mediocri ingenio pollens ignaris iudicibus & literarum peritia carentibus, omninò dijudicabit esse id impossibile. Nec huic rationi dicere valet, quod expertus senex ex vno facto rimando,atque inuestigando aliud, hoc poterit efficere,propter longam experientiam, quam habet. Non(inquam) hoc satis facit, nam quamuis id ita sit, quod vnum factũ ex alio interdum debeat, & possit rimari: adhuc tamen eiusmodi iudicium, siue iudicandi modus, fallax omninò est,& in quo prudentissimus quisque, facillimè errare poterit, vt tradit glos. singularis, in cap. licet de constitutionibus lib. 6. & glos. in l.fin.ff.pro socio,& apertius, glos. in l.2. C. de iuris, & facti ignorantia. Quod quidem si non euenerit, & aliquando contingat, quod eiusmodi iudex rectè iudicet, id potius erit casu,quam ex iuris peritia,siue scientia: neque eiusmodi iudicium vllam habebit firmitatem, cum non sit secundum scientiam, neque secundum iuris regulas,neque quoad cognitionem facti, neque quoad applicationem iuris. Prędictis omnibus accedit & alia ratio,nec contemnenda quidem. Et ea est,quod iuuenibus literatis, & literarum peritia imbutis, haud quaquã deficere potest aliqualis experiẽtia: nam (vt dicitur) dum literas addiscunt, etiam vt cunque capiunt experimentum, quod & augetur iudici ipso actu iudicandi. Vt enim inquit Baldus,in l. Æmilius, ff. de minor.: quæ in scholis degluriuntur, in tribunalibus digeruntur: & praxis † ipsa, est veluti scientiæ antea acquisitæ 45
digestiua, quod senibus haud quaquam poterit contingere: nam vt cũque experti sint experimento suo literas nunquam addiscent;nam qui literis addiscendis nunquam in scholis operam dedere, sine præceptore & magistro medio, solo suo fallaci, atque incerto experimento, iuri dicundo quonam modo perfecti euadere vnquam poterunt? Sed preter ea,quæ dicta sunt, contra Prælatos prædictos senes, ignorantes ac literarum peritia omninò carentes (vt cunque dicantur experti) facit etiam quam maxi-

maximè, quod dum ad præfecturas assumuntur, ac sine debita sufficientia iudices fiunt (quæ magna est interdum ipsorũ inscitia) omnia prolibito confundunt, & fictitia quadam benignitate allecti, dũ omnibus, (sed præsertim ditioribus, atq; potentibus placere student) totius iustitiæ ordinem peruertunt, proceduntq; (non quidẽ vt eiusdem ministri) sed quasi ipsi essent Domini totius iuris, reos quandoque sine fundamento, & causa absoluendo, innocentes interdum iniustè condemnando: delicta multoties relaxando, atque impunita relinquendo, multisque alijs modis iura, ac leges violant, in magnum iustitiæ ac totius Reipublicæ detrimentum. Et quid mirum quod hæc, eisque similia faciant, cum in ea versentur arte, quã ignorant, cuius prima principia, siue elementa nunquam didicerunt: & (vt dicitur) neque ab ipsis liminibus eadem salutarunt? Dicendum igitur est, & tanquam certum, & verum tenendum, id quod in conclusione est dictum nempe in eiusmodi præfecturis, quæ ad lites, & causas forenses pertinent, literatos etiam iuuenes, senibus ignaris (vtcunque expertis) esse præferendos: & iuxta præscriptum D. Pauli ad Timot. 4. iuuenum adolescentiam nõ esse contemnendam, modò virtutibus sit ornata, & literarum peritia: quin verò ipsos inter senes fore computandos, cum iuxta ius, & sa-
46 cram scripturam, senes † non tam per longæuam ætatem, quam per sapientiam habeant nuncupari: vt habetur Prouerb. cap. 2. & sap. 4. & in cap. Porro, dist. 84. vbi & ad nostrum propositum glos. plura dicit eaque notatu dignissima, sed inter alia, quod iuuenis prior interdum senescit, atque ad iudicandum quandoque est aptior.

ARTICVLVS X.

An sit multum expediens Reipublicæ iudices atque Prælatos esse prudentes?

Conclusio.

POST Vitæ, ac morum † inte- 47
gritatem, scientiam, & literarũ peritiam: multum oportet eos, qui assumendi sunt in Prælatos siue iudices, esse prudentes. Hæc conclusio satis de se patet: sed potest hac vel vnica ratione probari. Nam de mente & sententia D. Thom. 2. 2. quæst. 6. ar. 2. vna ex tribus conditionibus ad rectitudinem iudicij requisitis, est
prudentia: Ea enim † est (vt in- 48
quit Arist. Ethi. 4.) iustitiæ custos, ac cunctarum virtutum mater, quæ & regere, & imperare docet: ea est, quę in intellectu occultissima residens, salubribus intenta consilijs, cuncta rimatur, præterita, præsentia, atq; futura, cuncta prospicit, & in scopum, ac pręstitutũ finem dirigit: quam proinde habere omnes Prælatos siue iudices, quam maximè interest Reipublicæ: cum & ipsi non solum futuri sint suorum subditorũ iudices, verum etiam & patres, idque præcipuè. De prædicta prudentia dicebat olim Plato in Mænone, quod sine ipsa nemo rectè poterat præesse, & quod prudentia ducente, omnes inclinationes, & animi motus ad beatitudinem tendunt, imprudentia verò omnia trahuntur in contrarium, quod multum est notandum, & memoriæ commendãdum. Nescio quid amplius aut maius, de prædicta virtute prudentiæ dici potest? Quam connexionem habeat hęc præstantissima prudẽtiæ virtus cũ alijs virtutibus &
qualiter virtutes † sine prudentia, aut 49
prudẽtia sine virtutibus alijs, nõ possit ac valeat reperiri: latissimè tractat

D. Tho.

D. Thom. loco supra citato: quod quidem ego argumentum facilè prosequerer, per tempus si liceret, & nisi aliò me auocarent multiplices res dicendæ. Vnum tamen breuiter dicere non præteribo, quod idem D. Thom. dicit de mente Arist. 3. politic. cap. 3. nempe quod virtutum, sola prudentia est virtutis nomen obtinentis propria, vt pote quæ inter omnes virtutes morales primum locum, & principatum obtinet, ac ipsas in ratione virtutum constituit: sed de hoc aliàs in nostro libro, cui titulus, de perfectione iustitiæ Christianæ dicemus multa.

ARTICVLVS XI.

An sint eligendi in Prælatos siue Iudices, viri ingenij nimiam subtilitatem habentes.

Conclusio.

50 Cauendum quam maximè est, † à Prælatis siue Iudicibus, ingenij nimiam subtilitatem habentibus. Hæc conclusio præterquam quod experientia ipsa satis constat, ac forsan plusquam par esset; multis potest efficacissimis rationibus comprobari, Et primò concors est omnium Doctorum sententia, quod nimia ingenij subtilitas in hominib. quantum pro scholis prodest, atque emolumenti affert ad scientiam acquirendam: tantum nec minus in iudicio nocet; ad decidendas lites, & rectè causas expediendas. Vnde de quodam Iurisconsulto peritissimo fertur, quod solitus erat dicere, subti-
51 litatem † speculanti quidem, non autem iudicanti esse permissam, Quin verò & in l. si seruum, §. sed quia ff. de oblig. dicitur, quod interdum propter nimiam subtilitatem, sub authoritate iuris, & scientiæ perniciosissimè erratur. Idem habetur, in lege duodecim tabularum, in principio, C. de leg. hæred. instit. & in l. ita vulneratus, §. penult. & §. fin. ff. ad l. Aquiliam. Baldus, etiam in l. veteris, C. de contra. & comm. stipul. tradit quod nimia subtilitas † inimica, & odiosa est le- 52
gibus, quodque veritas non est propter subtilitatem immutanda, aut cum subtilitate ingenij lacerandа: quin verò quantum fieri poterit fouenda, & adiuuanda iuxta cap. cum æterni tribunal, de re iudic. lib. 6. Qua de re videantur Doctores iurisperiti, in l. in rebus, C. de iure dotium: vbi ad hoc propositum habentur plura, eaque notatu dignissima: sed hæc breuiter dicta sufficiant pro sæcularibus iudicibus, vt & ipsi quam maximè procurent atque studeant, in iudicando à dictis subtilitatibus abstinere. Sed contra Prelatos, siue Iudices regulares, ingenij nimiam subtilitatem habentes: facit quam maximè id, quod dixit olim D. Gregor. in Pastorali, cap. 11. & refertur in cap. hinc etenim, dist. 49. vbi eosdem comparat hominibus nasum grādē, & tortū habentibus, qui diuina olim lege, leui. 21. prohibiti erāt à sacris ministerijs. Sunt (inquit) D. Gregor. nonnulli qui dum æstimari nolunt hebetes, sæpè se quibusdā exquisitionibus plusquā necesse est exercentes, ex nimia sua subtilitate falluntur: qui & rectè comparantur habentibus grandem, & tortum nasum. Nasus enim grandis, & tortus, est discretionis immoderata subtilitas, quæ dum plusquam decet exercetur, actionis suæ rectitudinem ipsa confundit. Verba † sunt profectò 53
ista mira, & quā maximè notatu dignissima toto semper corde voluenda. Nam quo pacto (quæso,) aut quibus verbis melius dānari vnquā potuit, quorundā Prælatorū, siue Ecclesiasticorū iudicū immoderata subtilitas? Quibus oībus, & alia accedit rō, neque cōtemnēda quidē; & ea est, qd Prælati siue Iudices Ecclesiastici & Regulares, ingenij nimiā subtilitatē haben-

habentes inquieti, atque inconſtantes vt plurimum eſſe ſolent: nouitates paſſim ſectantur: quæ (vt communi prouerbio habetur) triſtes ſemper effectus producunt: & inanis gloriæ amore allecti, & ſuę extollendæ, atque dilatandæ famæ gratia permoti: in criminum animaduerſione videri cupiunt nimis rigidi, ac valde litigantes: cum tamen nimia quandoque diligentia, quin verò, & nimia iuſtitia, vbi ea admodũ non eſt neceſſaria, reprehenſibilis ſit, ac reprobari ſoleat in Prælatis, ſiue Iudicibus. Vt enim inquit Salomon, Prouerb. 20. Non eſſe debemus nimium iuſti, nam qui multum emungit elicit ſanguinem. Ad quod propoſitum plura etiam in iure reperiuntur capita, quæ breuitatis gratia facio miſſa. Videatur c. Porro, §. Salomon, de pænitentia diſt. 1. & c. denique diſt. 4. c. cum beatus, diſt. 45. quibus omnibus in locis dicitur, quod nõ eſſe debemus nimium iuſti,
54 & quod † multum qui corrigit interdum offendit. Idem habetur, in c. ſerpens, diſt. 1. quod eſt D. Ambr. vbi ait: Quod ſemper iuſtitiam moderatio debet tẽperare, & in c. plerumque 2. q. 7. quod eſt D. Aug. dicitur: Quod quæ publicis inſtrumentis probari nõ poſſunt, toleranda ſunt. Quæ omnia vt plurimum non aduertentes, aut conſiderantes Prælati, ſiue iudices prædicti ingenij nimiam ſubtilitatem habentes: in criminibus puniendis nimis rigidi (vt dixi) ac valde diligentes videri ſtudent: immemores ẽt illius celeberrimi dicti D. Auguſt. quod habetur in c. ipſa pietas, 23. q. 4 & etiam ẽſt D. Amb. & refertur, in c. quod Chriſtus, eadem cauſa, & quæſtione, vbi dicitur: Non ſemper in eos qui peccant vindictam eſſe exercendam. Vt enim dixit Anaclet. in c. ſi omnia,
55 6. q. 1. Si † omnia quæ in hoc mundo fiunt forent vindicanda, locum non haberet diuina iuſtitia. Propter has igitur rationes, & cauſas, innumeraſque alias à me breuitatis gratia omiſſas, vitandi omninò ſunt Iudices, atque Prȩlati, ingenij nimiam ſubtilitatem habentes: & eligendi mediocri quadam expeditione prædiu: qui plus veritati, quam vanis, & curioſis ſubtilitatibus attendant. Vt enim diximus, non quidem propter ſubtilitatem veritas iuris immutanda eſt: quin verò è contra, quandoque propter veritatem, à iuris ſubtilitatibus oportet recedere: idque maximè in religionibus vbi non omnes iuris apices veniunt obſeruandi: ſed religioſorum cauſæ (vt dicitur) ſimpliciter, & de plano ſunt diſcutiendæ, atque determinandæ. Prædictis omnibus finem faciendo, dico quod boni, & recti Iudices, in hiſce rebus peritiſſimi multumque exercitati dicere aſſolent: hæc opinio in puncto iuris verior eſt, ſed nihilominus contraria propter hanc, ſeu illam cauſam in praxi ſeruanda. Neque id immeritò, cum teſte Ariſt. topic. 5. multa falſa ſint, aut ſaltim eſſe quandoque videantur probabiliora veris, & quæ vera ſunt, difficillimè interdum probari poſſint, quæ pro hac difficultate dixiſſe ſufficiat.

ARTICVLVS. XII.

Vtrùm expediat in Iudices, ſiue Prælatos eligi, viros timoratæ conſcientiæ, & quam maximè Deum timentes?

Concluſio.

INter conditiones, & qualitates, in Prælatis † ſiue Iudicibus neceſ- 56
ſariò requiſitas, non infimum, quin verò (vt videtur) ſupremũ locũ tenet: vt aſſumendi ad eiuſmodi munera, & officia, ſint timoratæ conſcientiæ, & quam maximè Deum timentes. Hæc concluſio compertiſſima eſt apud omnes, probarique poteſt

test in primis, ex eo quod habetur Exod. 18. vbi Iethro sacerdos Madianiticus, cognatus olim Moysi, eidem consuluisse dicitur, sibi vt prouideret ex omni plebe: Viros sapientes, atque Deum timentes, in quibus esset veritas, & qui odio haberent auaritiam; constitueretque eos Tribunos, Centuriones, Quinquagenarios atque Decanos super populum Israel. Quibus planè verbis, superque satis ostenditur, quantum Reipublicæ intersit, Iudices atque Prælatos esse prædictis qualitatibus, ac virtutibus ornatos, & insignitos: sapientia népe, & timore Dei, nec non & veritate, & qui odio habeant auaritiã. Sed præterea sunt in idipsum plura alia Sacræ scripturæ testimonia, quibus passim dicitur, oportere quam maximè iudices, siue Prælatos esse Deum timentes & ad Dei habendum timorem inuitantur. Et omissis alijs, facit ad hoc illud ꝙ habetur, Psalm. 2. vbi cum eisdem loquendo dicit: Erudimini, qui iudicatis terram: seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Prædictis omnibus accedit: quod omni iure tam Canonico, quam Ciuili, inter aliàs iudicum qualitates & conditiónes, prædictus Dei timor tanquam præcipua pars enumeratur, à DD. & communiter Regibus atque principibus cunctis saluberrimum hoc semper præbent consilium, vt ad præfecturas, siue iudicandi munus, non nisi viros timoratæ conscientiæ, & quam maximè Deum timentes constituant. Pro qua etiam cõclusione facit illud, quod dixisse olim fertur D. Isid lib. 3. sententiarum, de sum. bono, c. 54. & refertur in c. omnis dist. 45. loquendo de bonis, ac rectis iudicibus: nempè: quod omnis, qui iustè iudicat, stateram in manu gestat, & in vtroque penso iustitiam, & misericordiam portat, vt per iustitiam reddat peccanti sententiam, & per misericordiam peccati temperet pęnam: vt vel sic iusto libramine, quædam per æquitatẽ corrigat, quædam verò per miserationem indulgeat. Et addit, quod iudex rectus Dei iudicia oculis suis pro ponit: & semper timens, ac tremens, in omni negotio formidat, ne de iustitiæ tramite deuians cadat, & vnde non iustificatur, inde potius condemnetur. Verba profectò sunt valde notanda, ac memoriæ commendanda à cunctis prælatis & iudicibus. D. etiã Amb. serm. 20. super Psal. 118. loquendo de iudicibus prædictis Deum timentibus, dicit: Quod iudex qui Deum timet, ingenij sui vires demetitur, atque in emergentibus dubijs, peritiores se consulit: nihil ex arbitrio suo facit, sed iuri obtemperat, iusque ipsum semel atque iterum considerat: ac omnia in iudicio, & iustitiæ statera disponere curat, ac tandem iuxta leges, & iura pronuntiat. Hinc & D. Hylarius, 6. lib. de Trinit. hac etiam de re verba faciẽs, dixit: Quod iudex † qui Deum timet, & eundem 57 præ oculis habet: errare haud quaquam poterit, aut saltem in errore diu detineri. Prædictis omnibus accedit, & specialis assistentia Spiritus sancti, quam vt piè credendum est habent semper, aut saltem præsumi potest, quòd habeant, eiusmodi timorati viri, qui & nõ eosdem errare sinet. Qua ratione etiam dicebat olim Salomon, Ecclesi. 37. Quod anima vnius viri sancti, ac Deum timentis, enunciat magis aliquando vera, quam septem circunspectores, sedentes in excelso ad speculandum. Quid plura de iudicibus timoratis ac Deum timentibus dicere possumus? Videatur hac de re, c. si quis Abbas, 18. q. 2. & auth. vt iud. §. eos, collat. 2. vbi ad hoc propositum dicuntur, plura eaque notatu dignissima. Videatur etiam Bald. in l 2. C. de sent. quæ n. 5. Hæc breuiter dicta sufficiant in cõmuni, pro cõditionibus, & qualitatib. in prælatis, atque in iudicibus requisitis: nã iam

tem-

tempus præse fert vt ad particularia descendentes, dicamus quæ sint necessaria ad rectitudinem iudicij, quod magis est nostri propositi.

QVÆSTIO. IV.

De Prælatis, & Iudicibus, quantum ad actum iudicandi, in decem articulos diuisa.

SVMMARIVM

1 *Hæretici asserunt nullatenus licere christianis iudicia exercere, aut quempiam damnare neque hæreticos esse puniendos, sed unumquemque suæ conscientiæ, & libertati relinquendum quo refellitur.*

2 *Iudicandi actus est licitus, dummodo fiat ab authoritatem habente, & procedat ex habitu, siue inclinatione iustitiæ, & iudicium sit secundum rectam rationem, & æstimationem prudentiæ.*

3 *Iudicium fieri debet ab habente authoritatem aliàs dicitur vsurpatum, & ex suo genere semper est peccatum mortale.*

4 *Debet procedere ex actu siue inclinatione iustitiæ.*

5 *Iudicium quandoque dicitur suspectum quandoque temerarium.*

6 *Iurisdictionis defectus semper facit, iudicium ex genere suo esse peccatum mortale regulariter loquendo.*

7 *Iudicium competens quid sit, & quid incompetens.*

8 *Iudicium ob carentiam iurisdictionis est nullum.*

9 *Iudicium nihil omninò est aliud, quā leges interpretari, illas applicando ad particularia negocia.*

10 *Iudex iudicans absque iurisdictione si bonis priuat aliquem, vel occidi iubet, dicitur latro, & homicida.*

11 *Iudex qui propter defectum inclinationis iustitiæ in materia graui aliquid contra ipsam facit peccat mortaliter aliàs verò venialiter.*

12 *Defectus inclinationis iustitiæ in aliquo casu in iudice esse potest peccatum mortale, nempe quando ex odio vehementi iudicaret. nu. 13.*

14 *Iudicandi opus an sit actus Iustitiæ, aut prudentiæ.*

15 *Iudicium, quod non est secundum rectam rationem, & æstimationem prudentiæ ex genere suo est peccatum mortale, aliquando veniale.*

16 *Paruitas materiæ excepto periurio semper excusat à mortali.*

17 *Iudicium sumptum pro actu indicādi iustum, & iniustum, & quid vtrumque sit declaratur.*

18 *Ritè factum à rectè facto an differat.*

19 *Dubium, suspicio, atque iudicium latissimè differunt, & quæ sit inter illos differentia declaratur, & numero 29.*

20 *Ex quibus causis procedat, quod aliquis sit dubius, seu malè suspicetur?*

21 *Indicia ex quibus dubium suspicio aut iudicium solet procedere, alia grauia alia leuia.*

22 *Indicia, & coniecturæ quæ sufficientia, & quæ legitima dici debeant iudicis arbitrio est remittendum.*

23 *Suspicio in genere loquendo quæ vergit in damnum, & præiudicium proximi ex leuibus iudicijs procedēs, est naturali, ac diuino iure prohibita.*

24 *Mala fama esse censetur de grauissimis damnis, quæ hominibus possunt accidere.*

25 *Dubitare de bonitate alicuius, nihil diffinitiuè determinando, sed fluctuando ex leuibus indicijs regulariter est peccatum veniale, in materia graui erit mortale exemplū quod peccet mortaliter habetur, numero 26*

27 *Opinari sinistrè, aut suspicari de bonitate alicuius ex leuibus indicijs regulariter est peccatum veniale, in materia graui mortale.*

siue criminalibus non competit eis de iure diuino, sed humano, diuino tamen multum conformi.

61 Iurisdictio Pontificis, & aliorum Prælatorum in suos subditos quantum ad spiritualia competit eis iure diuino, & sunt exempti ab Imperatoribus, & Regibus & secularibus principibus. n. 62.

63 Tributa dantur Regibus, & Principibus sæcularibus, vt gubernent sibi subditos dicantque illis ius.

64 Clerici in causis ciuilibus, & temporalibus se submittere possunt iudibus secularibus sicut, & iudici cuilibet arbitro siue compromissario, & quare. nu. 65.

66 Iudices sæculares iure defensionis, & bonæ gubernationis possunt in clericorum causas se intromittere.

67 Iudex secundum aliquorum opinionem in mortali existens alios iudicando peccat mortaliter quæ opinio probatur pluribus argumentis, vt nu. 68. quibus respondetur. nu. 76.

69 Iudices siue prælati in peccato mortali occulto existentes, dummodo non sint excommunicati aut suspensi, alios iudicando non peccant mortaliter, & rationem vide, numero 70. 71.

72 Iudices, siue prælati existentes in peccato publico, alios de eisdem, & similibus iudicantes peccant mortaliter propter scandalum. Quod declaratur. num. 73. & de ratione. num. 74.

76 Qui alienos carpit mores vitio carere debet.

77 Excommunicatio minor non priuat Iudices sua potestate, & iurisdictione.

78 Excommunicati alij occulti, alij notorij, & quales hi sint, & qui vitandi, & qui tolerandi.

79 Excommunicati nominatim eo ipso in eo loco in quo nominantur, iam non dicuntur, ab ecclesia tolerari.

80 Excommunicati eo ipso, quod sunt excommunicati prohibentur ex præcepto Ecclesiæ alijs communicare.

81 Non excommunicati, & fideles non tenentur excommunicatos vitare, nisi sint nominatim excommunicati, & publici clericorum percussores.

82 Excommunicatus secundum vnam opinionem etiam occultus, peccat mortaliter exercendo actus iudiciales, sed ab eo gesta valida sunt: à notorio autem excõmunicato inualida, quæ probatur argumentis.

83 Gesta à suspensis à suo officio omninò inualida sunt quia carent iurisdictione. nu. 88

84 Excommunicati non possunt agere, nec testificari, nec aduocare.

85 Sententia lata ab excommunicato non valet.

86 Excommunicatus secundum aliam opinionem peccat mortaliter exercendo actus iudiciales gesta tamen ab eo etiam notorio firma manent, & valida quamdiu ab ecclesia tolerantur.

87 Iudices atque prælati excommunicati maiori excommunicatione, etiã si non sint notorij sed occulti exercendo actus iudiciales peccant mortaliter.

89 Excommunicati occulti etiam excommunicatione maiori non sunt suspensi, aut priuati iurisdictione valida sunt per eos gesta, sed peccant mortaliter.

90 Excommunicati publici, & notorij non sunt priuati iurisdictione, nisi sint nominatim excommunicati; & gesta per eos sunt valida. Immo & si idipsum ignoretur quod sint nominatim excommunicati, seu percussores clericorum, quamdiu tolerantur gesta valida sunt, numero 91

92 Collationes beneficiorum & electiones, & confirmationes factæ ab excommunicatis sunt validæ quam-

diu ab ecclesia tollerantur.

93 *Potestas sæcularis, & laica, spiritualem & ecclesiasticam nullatenus impedire debet sed iuuare tenetur, & auxilium illi præstare.*

94 *Iudex ecclesiasticus vbi, & quando requirit Iudicem sæcularem, vt suam sententiam exequatur. & potest censuris compellere numero 97.*

95 *Iudex sæcularis quando non teneatur stare processui facto coram Ecclesiastico.*

96 *Iudex ecclesiasticus tenetur sæcularem iuuare. & cum opus fuerit auxilium ferre.*

98 *Non tenetur stare processui facto coram sæculari.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm aliquem iudicare sit licitum?

HIc Articulus proponitur, ad explicandas conditiones, quæ concurrere debent, ad hoc vt iudicium sit rectum, & iustum. Pro cuius intelligentia præmitto, haud quaquam esse nobis in votis, contendere in præsentiarum cum hæreticis, affirmantibus, & dicentibus nullatenus esse licitum quempiam iudicare, seu hominem aliquem (vtcunque sceleratum, & pessimum) ad pœnam damnare: id cum expresse videatur prohibitum, in Euangel. Matth. 7. in illis verbis: Nolite iudicare, & non iudicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini. D. etiam Paulus in Epist. ad Roman. c. 14. dicit: Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit. Si abit autem, potens est enim Deus statuere illum. Item & 1. Corint. 4. inquit: Nolite ante tempus iudicare, quo adusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo. Hunc errorem Guido Carmelita impingit Vualdensibus, vt refert noster Castro, lib. quem inscripsit aduersus Hæreses, verbo, iudex. Quibus & consentire videntur nostri temporis Hæretici Lutherani, asserentes † nullatenus licere Christianis iudicia exercere, aut quempiam damnare: neque Hæreticos esse puniendos: sed vnumquemque suæ conscientiæ, & libertati relinquendum. Qua de re videatur Bellarmin. libro tertio, suarum controuers. controuersia, 5. cap. 9. haud quaquam mirandum est, Hæreticos in eiusmodi errorem, seu potius insaniam deuenisse: cum sit hominum sceleratorum proprium, quò securius viuant, atque liberius peccent, suis criminibus, & sceleribus veniam, & immunitatem prætendere. Sed prætermisso hoc errore, cum expresse sit contra scripturam sacram, vbi innumera referuntur testimonia, quibus dicitur iudicandi actum debita authoritate factum, suisque circunstantijs comitatum, ornatum, atque vestitum, nec dum non esse illicitum, quin verò quam maximè licitum, iustum, sanctum & meritorium, & Reipublicę summopere necessarium: in eumque finem constitutos fuisse olim à Deo Iudices, & Magistratus, vt constat ex Exodo 13. & ex Deuteronomio 16. & ex his quæ dixit D. Paulus ad Roman. 13. pluribusque alijs locis, breuitatis gratia omissis pro propositi articuli resolutione, sequentem statuo conclusionem. 1

Conclusio.

IVdicandi actus † de se quam maximè licitus est, dummodo fiat ab authoritatem habente: & procedat ex habitu siue inclinatione iustitiæ, & iudicium sit secun- 2

secundum rectam rationem & æstimationem prudentiæ. Hæc conclusio est expressa D. Thom. 2. 2. quæst. 60. vbi per plures articulos hac de re agit: multis & authoritatibus & rationibus monstrando, qualiter iudicandi actus sit licitus: & dicendo quę nam conditiones in iudicio debeant concurrere, ad hoc vt ipsum sit rectum & iustum. Et quidem prætermissis alijs, quod actus ipse iudicandi sit licitus, vel ex eo quam maximè constat: nam nihil esse videtur magis licitum, quam actus virtutum exercere, eo modo quo exerceri debent, & iuxta iuris ordinem præscriptum: sed iudicare est actus virtutis iustitiæ, vt de se patet: ergo id ipsum facere cum debitis circunstantijs, nullo esse potest modo illicitum, quin verò licitum, & quam maximè meritorium: eo presertim cum ex huiusmodi actu pendeat quies, & gubernatio totius Reipublicæ, quod fieri haudquaquam posset, nisi Iudices facultatem haberent, ad continendos homines in officio, pęna, aut præmio: & ad reddendum quod suum est vnicuique qui proprius est actus virtutis iustitiæ. Neque argumenta, & sacræ scripturæ authoritates, quæ ab Hæreticis adducuntur, quidpiam in contrarium concludunt: nam intelligendæ sunt de particulari iudicio, & iudicandi actu temerario: aut de iudicio publico indebitè facto, à non authoritatem habente, seu absque iusta, & legitima causa, neque comitatò, vestito, siue ornato debitis circunstantijs.

Aduertendum tamen est, quod inter circunstantias ad rectitudinem iudicij requisitas, prima, atque potis-
3 sima est, † vt ab authoritatem habente fiat, ob cuius defectum iudicium aliter factum dicitur vsurpatum: & ex suo genere (secundum omnium Doctorum opinionem communem) semper est peccatum mortale. Nam eius est iudicare, per se siue per alium, cuius est & leges condere, ipsasue interpretari (etenim iudicare nihil est omnino aliud, quam leges interpretari, illas applicando ad speciales casus, & particularia negotia) sicut igitur leges condere, aut ipsas interpretari, non pertinet, nisi ad habentem authoritatem: ita neque iudicare: & contrarium facere ex suo genere est peccatum mortale, vt latius dicemus infra cum hac de re specialis sermo fiet. Sed quod ad rectitudinem etiam
† iudicij necessum sit, quod procedat 4
ex habitu siue inclinatione iustitiæ, quæ est 2. conditio requisita: probat D. Tho. loco vbi supra, dicendo quod ob defectum huius conditionis, iudicium redditur iniustum atque peruersum. Quod vt plenius notum fiat, aduertere oportet, quod iudicium ad hoc vt sit rectum, procedere debet ex habitu & inclinatione iustitiæ: aut saltem ex isto actu, volo reddere quod suum est vnicuique: qui est proprius virtutis iustitiæ: per quem actum seu habitum, propenditur & inclinatur iudicis animus, ad hoc vt rectè valeat iudicare, ac ius suum reddere vnicuique. Disponit enim eiusmodi habitus, siue actus, iudicis intellectum, & afficit ipsius voluntatem, & inclinat eam, ad hoc vt suum iudicium fiat secundum rectam rationem, & æstimationem prudentiæ: quæ est tertia conditio requisita, ad hoc vt iudicium sit rectum, & iustum. Ob cuius etiam conditionis defectum, inquit prædictus D. Thom. quod iudicium
† quandoque dicitur suspectum, 5
quandoque verò temerarium. Debent enim iudices, secundum iuris regulas, terminos ac circunstantias iudicare: non verò pro libito: ad quod (vt de se patet) magna rationis consultatione opus est, & prudentię æstimatione. Nam certè iudex qui iuris prætermisso ordine quempiā iudicat, iudiciū suū suspectū quā maximè reddit: qui verò leuiter, seu leuibus de

causis, aut indicijs, vel absque legitimis probationibus iudicium profert: temerarium eo ipso se ostendit. Ex quibus omnibus colligitur, id quod in conclusione est dictum: nępe quod iudicandi actus est licitus, iudiciumque ipsum rectum & iustum: comitatum si sit prędictis circunstantijs, & conditionibus: hoc est quod procedat ab habente legitimam authoritatem & potestatem, & ex habitu siue inclinatione iustitiæ: & quod fiat secundũ rectam rationem & æstimationẽ prudentię. Hęc pro nunc dicta sufficiant: nam de prędictis conditionibus & circunstantijs in particulari, in sequentibus articulis fusior futurus est sermo, propter ea quod maiori indigent explicatione, atque declaratione.

ARTICVLVS II.

Vtrùm iudicium vsurpatum, & quod fit à non habente legitimam authoritatem & potestatem, sit semper peccatum mortale?

Prima Conclusio.

6 Defectus iurisdictionis, † semper facit iudicium ex genere suo esse peccatum mortale: ita quod iudex qui nõ habens iurisdictionem, seu alienam vsurpans, cum iudicat, qui non est sibi subiectus, regulariter loquendo semper mortaliter peccat. Hęc conclusio communis est omnium Doctorum resolutio. Qua quidem ratione Doctores iuris periti, iudicium omne diuidentes, aliud esse
7 dicunt † competens, aliud verò incõpetens, siue vsurpatum: & competens aiunt esse illud, quod fit ab habente authoritatem & potestatem: de quo loquitur, lex 1. cum quinque sequentibus, ff. de iurisdict. omni iud. & de quo intelligenda veniunt, plura capita, quæ habentur in iure sub titulo de foro competen. Iudicium verò incompetens, siue vsurpatum est, quod fit à non habente authoritatem: de quo loquitur, lex eum qui. & l. fin. ff. & C. eodem titul. de iurisd. omn. iud. & cap. 2. de Const. lib. 6. & plures leges, C. si à non competenti iudice per totum. Conueniuntque omnes vnanimiter in hoc, quod iudex sine legitima authoritate quempiam iudicans regulariter loquendo mortaliter peccat nũ ob id solum, quia cum non habeat authoritatem, & potestatem, legem interpretatur: eandem applicando ad aliquem particularem casum, siue negotium (vt dicemus statim) verum etiam & quia re vera officium alienum vsurpat: & est quasi fur: id quod & ex ipso vocabulo iudicij vsurpati satis colligitur. Vsurpatum enim iudicium (vt nomen ipsum sonat) idẽ prorsus pollet atque significat: ac furto sublatum Quod autem furtum cu iusque rei grauis, & vsurpatio illicita, peccatum sit mortale contra legem naturæ, & septimum præceptum decalogi: nemo est qui dubitet: constatque id ipsum manifestè ex cap. pœnale, 14. q. 5. imo verò duplex in eo casu vsurpati iudicij, simul irrogatur iniuria: altera iudici cuius iuridictionem vsurpat, & aufert, ac veluti furto surripit, is qui iudicat eos, in quos authoritatem, & potestatem non habet: altera verò, ijs, quos iudicare præsumit sine prædicta authoritate & potestate: quorum vtrumque ex suo genere est mortale (vt de se patet.) Vnde & talia facientibus applicari illud optimè potest, quod in simili proposito dixit olim D. Paulus, ad Rom 14. Tu quis es, qui alienum seruum iudicas? Quasi diceret, in qua hoc potestate facis? Cur in alienam messem falcem mittis? Nec solum mortaliter peccat eiusmodi iudex, verum etiam & iudiciũ ipsum † in se est nullum: vt expressè 8
tenet D. Tho. 2. 2. quæst. 60. artic. 6 agendo de prædicto iudicio vsurpato, & omnes vnanimiter Docto-

res, in cap. in primis 2. quæst. 1. cap.
ad nostram de consuetudine, cap. vt
animarum, c. at si clerici de iudicijs, fa
cit, & cap. in gallia 25. quæst. 2. Qui-
bus in locis, & sæpè alibi dicitur,
quod sententia lata à non suo iudice
(hoc est à iudice nō habente legitimā
authoritatem, & potestatem) ipso iure
nulla est: nullamq; vim, & robur ha-
bet. Sed præter ea quæ dicta sūt, quod
iudiciū fieri nō possit, aut debeat, nisi
ab habēte authoritatem, & potestatē
speciali alia ratione probatur. Nā iudi
cādi actus ex sui ratione requirit vim
coactiuam & coercitiuam, vt enim di
citur, in c. Pastoralis de offic. & pote-
state iud. deleg. Iurisdictio quæ coer-
ctionē nō habet, nullius momenti est:
sed eiusmodi vis coactiua, & coerci-
tiua, esse nō potest, nisi in authoritatē,
& potestatē habentibus ergo qui illā
nō habent, nullatenus possunt iudica-
re, & omne per eosdem gestum erit
omninò nullū. Quod autē cogere nul
lus possit nisi sibi subditū: constat etiā
exemplo rerum naturalium: nun-
quam enim ignis agit, nisi in subie-
ctum sibi positum, & quod habet
intra sphæram actiuitatis suę: & cœli
superiores non agunt, nisi in inferio-
res. Est pręterea specialis alia ratio,
ad probandum quod iudex sine debi-
ta authoritate iudicās mortaliter pec-
9 cat: & ea est: nam iudicium † nihil est
omninò aliud, quam leges interpre-
tari, illas applicando ad particularia
negotia: siue speciales casus: sed leges
interpretari, non pertinet nisi ad il-
lum, qui potest illas concedere: ergo
qui sine authoritate debita quempiā
iudicat mortaliter peccat: vsurpando
quod alienum est, & ad ipsum non
pertinet. Videatur hac de re Sot. lib.
3. de iustitia, & iure, quęst. 4. artic. 2.
documento, 1. in fine, & Nauarro in
rubricam de iudicijs, num. 68. & in
Manual, cap. 27. num. 69. Vbi vterque
prædictam ob causam, acriter reprehē
dunt Iudices, tam Ecclesiasticos, quā
sęculares, qui contra ius, & contra
omnem prorsus rationem, ac propriā
conscientiam, extendere, dilatare at-
que protrahere semper conantur suā
iurisdictionem: intromittentes se:
alteri in causas temporales, alij verò
in spirituales: sine legitima authori-
tate & potestate: in quo (inquiunt) eos
dem mortaliter, atque grauissimè pec
care alienum vsurpando iudicium, &
in nō suam messem mittentes falcem,
& præterea quidquid ab ipsis geri-
tur esse ipso iure omninò nullum: vt-
poté factum à non habente autho-
ritatem & potestatem. Et speciali-
ter contra iudices sæculares in cle-
ricorum causas se intromittētes, dicit
prædictus Soto vbi supra quod quam
uis aliàs non essent excommunicati,
per cap. si quis suadente diabolo, 17.
quæst. 4. mortaliter peccant: haud qui
dem minus quam peccaret priuata,
& particularis quædam persona, si
absque vlla prorsus authoritate, & po
testate: quempiam præsumeret iudi-
care, quin verò, & eò grauius, quo
sub prætextu publicæ potestatis, iuris-
dictionē exercent in non suum subdi
tum, & in eum super quem nullam
omninò habent. Et addit, quod † si 10
aliquem talem bonis priuat, sunt verè
& realiter latrones: & si occidi iu-
bent: homicidę: quod quidem est val-
de notandum, ac memoriæ commen-
dandum, & hęc pro isto articulo di-
cta sufficiant.

ARTICVLVS III.

Vtrùm iudicium non procedens ex habitu siue inclinatione iustitiæ sit semper peccatum mortale?

Prima Conclusio.

SI Habitus † seu inclinatio iusti- 11
tię, taliter in iudice deficiat, vt a-
liquid contra ipsam fiat: quæ &
de se ex postulat vt sincerè quod suū

est reddatur vnicuique, idq; in materia graui, omni proculdubio erit peccatum mortale, sin minus tantum veniale. Hæc conclusio est expressa D. Thom. & concors omnium Doctorum doctrina. Et quo ad primam partem satis de se patet, cum eiusmodi iudicium in prædicto casu quando fit aliquid contra iustitiam: sit iniquum, iniustum atq; peruersum, & cum vt (supponitur) id fit in materia graui; non esse poterit absque peccato mortali. Sed quoad secundam partem, nẽpe quando in iudicio non fit aliquid cõtra iustitiam, quin verò ad vnguem seruatur ipsa: pro eo solũmodo quod non id fiat ex habitu siue inclinatione iustitiæ, aut procedat ex ipsius actu, quo intendat reddere quod suum est vnicuique: sed vel ob inanem gloriã, aut propter aliquem similem respectũ: quod in tali casu qui iustam sententiam profert (cum ipse improbus sit, ac deprauatis moribus) non peccet mortaliter, sed tantum venialiter: etiã satis est perspicuum: postquam (vt supponitur) iustitiam seruat, & facit id quod tenetur: solummodoque illi deficit, quod cum sit iustitiæ custos, & ex ipsius affectu deberet iudicare, nõ id quidem facit, sed alio minus recto, ac iustificato fine. In quo conueniunt vnanimiter Doctores.

Secunda Conclusio.

12 INclinatio, † seu virtus ipsa iustitiæ, adeo potest in actu iudicandi deficere: iudicisq; affectus ita esse prauus, & charitati contrarius: vt iudiciũ ab eo procedens, non solum sit peccatum veniale, verũ etiam mortale. Pro huius conclusionis intelligentia simul & probatione: constituo exemplum in eo iudice, qui iuberet occidi insignem quendam lattronem, confessum quidem, atq; conuictum: sed ad id faciendũ nõ moueretur ex habitu, siue inclinatione iustitiæ, & ex fine, quem in eiusdem executione deberet habere (qui est quod suum est reddere vnicuique, illumque proinde iuxta sua merita punire) nec solummodo moueretur ex affectu inanis gloriæ, seu alterius rei similis venialis: sed ex alio fine multo peiori: nempe † ex odio vehementi, quem erga eundem habebat: dico quod in tali casu, eiusmodi iudex peccat mortaliter: non quidem pro eo quod aliquid malum fecerit, siue contra iustitiam (nam ipsam obnixè obseruauit, latronem prædictum excruciando, ac morte damnando) sed quia fecit contra charitatem proximi: & quia ex iniquo animo fecit, id quod ex iusto, & recto zelo tenebatur facere. Notãdum tamen est, quod non propterea eiusmodi iudex censendus erit homicida: etiam si ex mortifero, siue mortali odio illum occiderit, ac si esset priuata, & particularis persona: vt latè probat Salon 1. tom. de iust. & iur. in quæst. 60. D. Tho. artic. 2. cum non in eo fecerit contra iustitiam, quin verò ius habuit occidendi ipsum, & in eo faciendo eandem obnixè seruauit: quod est certissimum, atque constitutissimum. Quã quidem ratione, vt omnia vnico concludam verbo, dico, quod iuxta conditionem appositi finis in iudicando, discernendum, atque determinandũ est, an defectus iustitiæ, seu inclinationis ipsius in iudice, peccatum sit mortale, aut verò veniale. Nam si defectus recti, & iustificati finis, fuerit venialis peccatum etiam ipsum erit veniale: si verò mortalis, mortale. Quã de re videatur etiam Aragon 2. 2. qu. 60. articul. 2. vbi ad hoc propositum adinuenire licebit plura, eaque notatu dignissima. In calce huius articuli admonere libuit omnes in vniuersum Prælatos siue Iudices, vt studeant, atque procurent quam maximè, iustitiam prædictam in se veluti habere imbibitam: cum iuxta mentem, & sen-

& sententiam Aristot.5.Ethic.cap.6. esse ipsi debeant adeo iusti, vt ad eosdem miseri, & grauati homines tuti, ac securi debeant confugere, tanquam ad iustitiam quandam animatam.

ARTICVLVS.IIII.

Vtrum iudicium quod non sit secundum rectam rationem, & æstimationem prudentiæ, sit semper peccatum mortale?

PRO Huius articuli intelligentia, prius quam ad ipsius resolutionem deueniamus, adnotare oportet, litem esse atque controuersiam quam maximam inter scholasticos Doctores, an iudicare, † siue
14 iudicādi opus, sit actus iustitiæ, an verò prudentiæ? Qua de re agit D.Thom. 2.2.q.60 art.1.& aliquibus hinc inde propositis argumentis, pro ratione dubitandi, (nam ex vna parte apparet quod sit actus virtutis iustitiæ, ex alia verò prudentiæ) resolutiuè respondendo dicit, quod iudicandi actus, siue iudicium sumptum pro determinatione facta à iudice, qua ius inter litigantes dicit: verè est actus virtutis iustitiæ, tamquam elicietis, & affectum, siue potentiam disponentis: licèt etiam sit actus prudentię, tamquam sententiam proferentis. Pro cuius intelligentia, & vt quod dicitur plenius fiat, supponit prædictus D. Thom. quod in omnibus rebus, ad rectitudinem iudicij duæ simul virtutes concurrunt, seu quod in idem redit iudicium propriè, & formaliter loquendo, procedit ab vna potentia, duabus in id virtutibus concurrentibus: quarum vna iudicium profert: alia verò potentiam iudicantis disponit: ad hoc vt ipsa sit apta, & idoneâ ad rectitudinem talis iudicij. Horum primum inquit D. Thom. esse opus rationis, siue intellectus, cuius est propriū loqui, & rē quālibet determinare, atq; diffinire. Et pertinet ad prudentiam, & quādā ipsius partem, quæ dicit synisis, quę est, verè iudicatiua: alterū verò est opus, siue actus, illius peculiaris habitus siue virtutis, bene afficientis, & disponentis potentiā ad suū propriū obiectum. Ponamus exēplū in materia temperantiæ, ad cuius rectū iudiciū, duæ simul virtutes cōcurrunt: prudentia, quæ iudiciū profert (hæc enim est quæ in materijs omnium virtutum moralium sententiam pronuntiat) & temperantia ipsa, quę disponit potentiam ad rectum iudicium circa proprium eius obiectum. Idem dicendum est de fortitudine, & alijs virtutibus: quarum proprium est officium affectum præparare ad rectum iudicium circa propria obiecta: sed prudentia est, quæ sententiam profert: atque iudicat. Nam quo pacto rectè iudicabit de temperantia, & quod melius sit vti ciborum moderamine, quam in ipsis immergi: nisi qui temperatus extiterit? Quo etiam pacto iudicabit de fortitudine, & quando oporteat aggredi, aut terga vertere: nisi qui fortis fuerit? Ad propositum ergo, & quonam pacto rectè iudicabit, seu dijudicare valebit, de ęquo & iusto, & quod iustum sit ius suum vnicuique tribuere, nisi qui fuerit iustus? Constat igitur ex his omnibus qualiter in omni virtutum materia, ad rectitudinem iudicij duæ simul virtutes concurrant: quarum altera iudiciū profert (& hæc est prudentia) altera verò quę potentiam iudicantis disponit (respectiuè) in ordine ad suum proprium obiectum, seu ad actum ad quem disponit. Hoc est igitur quod dicit D. Tho. in præsenti, quod iudicare est actus virtutis iustitiæ, tamquam elicientis, & potentiam disponentis, ad rectitudinem iudicij: & etiam actus prudentię, tanquam sententiam proferentis. Quo præmisso,

atque

atque præsuppoſito (quod multum oportet memoriæ commendare) poſtquam in præcedenti articulo diffinitum, atque determinatum eſt, an defectus virtutis iuſtitiæ in iudicio, ſeu actus non procedens ex affectu atque inclinatione ipſius, peccatum ſit mortale, an verò veniale: meritò etiã quæritur in præſenti, an defectus prudentiæ faciat ipſum: & neceſſariò iudicium procedere debeat, ex recta ratione, & æſtimatione prudentiæ, & an aliàs ſit peccatum mortale aut ſaltem veniale? Cui difficultati reſolutiuè reſpondetur per ſeq. concl.

Concluſio.

15 IVdicium † quod non eſt ſecũdum rectam rationem, & æſtimationẽ prudentiæ, ex genere ſuo eſt pecca tum mortale: ſed tamen ex paruitate materiæ, eſſe quandoque poterit veniale. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Tho. loco vbi ſupra, & quæ communiter tenetur ab omnibus Doctoribus. Et quidem quod huiuſmodi iudicium ex genere ſuo ſit peccatũ mortale; perſpicuum eſt, cum iudex teneatur procedere non pro libito; ſed judicare ſecundum rectam rationem, & æſtimationem prudentiæ: hoc eſt ſecundum regulas, & terminos iuris (de quibus dicemus infra) ita vt ſi fieri poſſit, ex his nihil omnino prætermittat. Quod vero quandoque ex leuitate, ſeu paruitate materiæ, eſſe poſſit veniale, etiam eſt certum: nam
16 paruitas † materiæ in omni ferè materia (periurio excepto) ſemper excuſat à mortali, & facit vt illud quod aliàs ex genere ſuo erat mortale: fiat veniale. Et ſit exemplum in caſu, quo iudex leues aliquos iuris terminos prætermittat, vel iudicet quempiam leuiter, ſeu cum minori fundamento de aliqua re leui: certum eſt, quod tunc & in ſimilibus caſibus, nõ peccabit mortaliter, ſed tantum venialiter. Et vt ex hac generali regula ad particularia deſcendamus, breuiterque dicamus aliquid, quod propoſito inſeruiat, dico quod hanc ob cauſam, quàm maximè Doctores iuriſperiti communiter diuidunt iudiciũ,
† ſumptum pro actu iudicandi, iniu- 17
ſtum, atque iniuſtum. Et iuſtum illud eſſe dicunt, quod ſit ſecundum rectam rationem, & æſtimationem prudentiæ, & ſecundum regulas iuris (comprehendendo in hoc omnes leges, ſed præcipuè naturalem, & diuinam, atque etiam humanas: & præſcriptas conſuetudines, quas omnes judices obſeruare tenentur) iniuſtum verò non ſolum dicũt eſſe illud, quod eſt in ſe iniquum, ſiue contra iuſtitiã: verum etiam & quod eſt inordinatum, ſiue contra iuris ordinem præſcriptum; nam vtrumque contra leges eſſe cenſetur, iuxta cap. cum dilecta de reſcriptis, & c. prudentiam, de offic. deleg. Quin verò dicunt Doctores iuriſperiti, quod frequentius ob omiſſam formam, & ſolemnitatẽ iuris, nullitas iudicij incurritur, quam ob violatam, ſeu omiſſam aliquam legem, æquitatem, ſiue iuſtitiam partibus conuenientem, vt latiſſimè tradunt in capit. 2. de re iudic. & in l. 1. de appella. & facit ad idem, l. prolatam, C. de ſenten. & l. 1. & 2. C. quando prouocare non eſt neceſſe. Nam
licèt quidam dicant, † ritè factum à 18
rectè facto differre, penes hoc, quod iſtud ad iùs, ſiue iuſtitiam referatur; illud verò ad ſolemnitatem iuris: iuſtè tamen factum (inquiunt) aut bene factum, vtrumq; includit: iuxta ſententiam Alciati, in l. hæc verba in ſtipulatione, ff. de verbor. ſignificatio. comprobata authoritate Latinorum Doctiſſimorum, & præfata differentia poſita, ſiue conſtituta inter ritè factum, & rectè factum: non eſt vera, quin verò vana, & ſine fundamento, ac nimia ſubtilitate laborat: nam re vera omnia nõ ritè fa-

cta;

cta: sunt etiam non rectè facta, & è contra. Ex quibus superq; satis constat, peccare mortaliter, aut saltem ad minus venialiter (in materia parua) omnes in vniuersū Iudices, siue Prelatos, nō seruantes leges in suis iudicijs, iurisq; præscriptum ordinem, & procedentes pro suo arbitrio siue sensu: & non secundum rectam rationem, siue æstimationem prudentiæ: quod fuit intentum propositi articuli.

ARTICVLVS V.

Vtrum liceat Prælatis, siue Iudicibus, aliquando ex suspicione iudicare?

HAudquaquam quidē congruè, & sufficienter, explicari posset præsens articulus, quin prius de dubio, siue dubitatione, suspicione, atque iudicio, etiam respectu cuiuslibet particularis personæ, & iudicis, pauca quædam dixerimus: vt exinde veniamus ad illud, quod prædicti Prælati, siue Iudices, præ oculis habere, obnixèque obseruare tenentur, vt rectè suo fungantur officio, & munere. Vt igitur hoc plenius fiat: pro propositi articuli resolutione, sequentia libuit præmittere fundamenta.

19 Primò est notandum, quam † magnum & latissimum esse discrimen, inter dubium siue dubietatem: suspicionem, atque iudicium. Licèt enim hæc multoties à Doctoribus confundantur, & accipiantur pro eodem: multum tamen inter se differunt, suasque habent proprias, formales, & specificas rationes, quibus adinuicem distinguuntur. Nam dubium, siue dubietas propriè loquendo, tunc de re aliqua habetur, quando ipsius respectu alicuius animus est suspensus, hæretque quasi in ancipiti, nec magis in vnam, quam in alteram partem propenditur, siue inclinatur, neutriq; assentitur: vt cum v.g. quis dubitat, an astra cæli sint paria, vel imparia. At suspicio addit supra dubium, siue dubietatem, assensum aliquem est enim suspicio opinio quædam mali, procedens ex leuibus, iuxta legem absentem, ff. de pænis, & legem fin. ff. de quæstio. Vbi & in eo, quod dicitur, quod est opinio, datur intelligi, quod iam aliqualem habet assensum vnius partis, quamuis cum formidine alterius: quod opinionis est proprium: & huiusmodi assensum dubium addit suspicio supra dubietatem: quia cum dubietas ex se nullum assensum dicat (vt docet D. August. lib. de mendacio, cap. 1. & tradit glos. & Bartol. in lege 2. §. antepen. ff. de aqua plu. arcen. glos. item in l. si duo, §. penul. ff. vti poss. & prædictus Bartol. in l. admonendi, ff. de iureiurand. sed solam animi fluctuationem) suspicio tamen prædicta assensum dicit: in quo conuenit cum opinione: quamuis ab ea differat penes hoc, quod opinio versatur tam circa bonum, quàm circa malum: suspicio autem semper sumitur in malam partem, & dicitur de malo: vt tenet communis Doctorum iurisperitorum solutio. Sed iudicium addit supra dubietatem prædictam, suspicionem, & opinionem, sententiam & firmitatem, quam non habet suspicio, neque opinio: cum sit semper cum formidine in alterutram partem: quod est multum notandum, & pro præsenti difficultate, quam maximè memoriæ commendandum.

Secundò ad idem præmitto, quod † ex tribus causis prouenire potest, 20
aut solet, quod aliquis sit dubius, suspicetur, seu male iudicet de aliquo. Primò ex eo, quod id ipsum, qui facit malus est, iuxta illud Ecclesiast. cap. 10. In via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, stultos omnes esse existimat. Cuius quidem contrarium omnino contingit in bonis: nam teste Cicerone, ad Quintū fratrem: Vt quisq; opti-

optimus est difficulter putat alios improbos esse atq; vt dicit Arist. Qualis vnusquisq; est, talis finis sibi videtur & tales alios esse iudicat. Secundo potest id ipsum prouenire ex praua affectione, siue odio, quod quis circa aliquem habet: nam ex eo, quod quis aliquem odio habet, inuidia ve prosequitur: erga illum malè afficitur: & facilè credit ac sibi persuadet eúdem esse malum. Mouet enim voluntas intellectum, sicut & alias potentias per trahitq; ipsum, vt intelligat & iudicet id, quod & voluntas ipsa appetit: & cum vellet eum quem odio habet, seu inuidia prosequitur esse malum, attrahit intellectum ad hoc vt illud sibi persuadeat: nam quæ optamus facile credimus. Tandem tertiò & vltimo id ipsum solet procedere, ex longa malorum experientia. Qua ratione Aristot. 2. rethor. cap. 13. dicit. Senes esse maxime suspiciosos, nam pro eo quod multoties experti sunt, nonnullos in aliquo genere esse malos, exinde id ipsum facile de alijs suspicantur. Hæc omnia multum sunt notanda, & desumpta sunt ex D. Th. 2. 2. q. 60. art. 3. interim agendum, vtrum iudicium procedens ex suspicione sit licitum, an verò illicitum, & peccatum.

Tertiò pro eadem difficultate præ-
21 mitto, quod indicia † & coniecturæ, ex quibus dubium, suspicio aut iudicium, possunt suboriri, sunt in duplici differentia: nam quædam sunt sufficientia, & legitima: alia vero insufficientia & leuia. Et hoc est quam maximè notandum pro tota hac indiciorum materia, vt sciant Iudices, siue Prælati (quin verò & personæ ipsæ particulares) qualiter in rebus dubijs, suspicionibus, opinionibus siue indicijs se habere debeant. Etenim si indicia sunt legitima, & sufficientia, dubium, suspicio aut iudicium ex illis procedens, nullatenus erit peccatum, neq; eiusmodi iudicium dici poterit iniustum, aut temerarium: aliàs verò sic. Opponitur enim iudicium temerarium, prudentiæ: & est illud quod sine legitima causa, & prudentia inconsulta concipitur: nam quod secúdum prudentiam est, non potest, aut debet dici temerarium. Sed non facile quispiam scire potest, quænā indicia dici debeant † sufficientia & legi- 22
tima, quæ verò insufficientia, & leuia. Qua quidem de re agendo Doctores iurisperiti, in hoc standum esse inquiunt, iudicio & arbitrio boni, atque prudentis viri, vt & cætera alia, quæ à iure determinationem nō habent, iuxta cap. de causis de offic. deleg. & l. 1. ff. de iure deliberandi: ita vt illa dicantur indicia legitima, & sufficientia: quæ vir bonus & prudens talia esse dijudicaret. E contra verò insufficientia, & leuia: quæ secundum æstimationem prudentiæ, non sufficerent ad causandam talem præsumptionem. Sed aduerto, contingere optimè posse, vt aliquod indicium respectu vnius personę sit graue, & sufficiens, quod respectu alterius erit leue, & insufficiens. Item quod sit graue, & sufficiens in vna materia, & leue: atque insufficiens in alia. Et præterea aliqua indicia esse possunt sufficientia ad causandam dubietatem, insufficientia verò ad causandam suspicionem, multoq; amplius iudicium. Et quædam sufficere ad causandam suspicionem, quæ ad iudicium (quod firmam determinationem dicit) omnino erunt insufficientia: & consequenter dubium, aut suspicio ex talibus indicijs procedens non erit temeraria: erit autem temerarium iudicium, pro eo quod ad ipsum eiusmodi indicia erant insufficientia: nam minora indicia sufficiūt ad dubium, siue dubietatem, & aliquanto maiora requiruntur ad suspicionem, & multo maiora sunt necessaria ad iudicium. De quibus omnibus in particulari, exempla specia-

lia

lia cum facilè possem adducere, consulto pro nunc prætermitto: nam hęc materia de indicijs proprium suũ inferius habebit locum. Prædictis notabilibus sic propositis, & constitutis, vt quod hac in re tenendum est breuiter resoluam, sequentes statuo conclusiones.

Prima Conclusio.

23 Loquendo † de suspicione in genere, & prout in se cõprehendit dubium: siue dubietatem, suspicionem, atque iudicium, omnis talis, quæ est in damnum, & præiudiciũ proximi, & ex insufficiẽtibus indicijs suboritur: mala est, & peccatũ mortale ex suo genere: & naturali, atq; diuino iure prohibita. Hæc conclusio communis est omnium Doctorũ resolutio: Et quidem, quod huiusmodi suspicio sic generaliter sumpta sit mala, non cadit sub dubio. Solummodo restat probandum, quod ex suo genere peccatum sit mortale, & quod sit naturali, ac diuino iure prohibita. Et quantum ad primum constat ex communi illo, & generali præcepto legis naturæ: Quod tibi nõ vis alteri ne feceris. Ex quo eiusmodi confici potest argumentum: Nullus est, qui velit, quod de eo, seu de ipsius bona fama, & æstimatione aliquis sit dubius, & multo minus, vt malè suspicetur, aut perperam iudicet de illo: ergo id ipsũ facere de alio absq; iusta, legitima, ac rationabili causa, sufficientibusq; indicijs, omninò est contra ius naturale, & ex consequenti ex suo genere peccatum mortale. Quod & ex sequẽti ratione confirmatur. Nam certum est, quod vir prudens magis velit amittere centum aureos, quam bonam æstimationem, & nomen, quod habet apud alium: sed qui sine iusta, & rationabili causa, auferret ab aliquo cẽtum aureos, omni procul dubio peccaret mortaliter: ergo & qui sine eadem dubitat, aut malè suspicatur, siue iudicat de illo, eo vel maximè, quia teste Aristot. mala opinio, siue mala fama,
† esse censetur de grauissimis damnis, 24
quæ homini possunt accidere. Sed qđ id ipsum sit positiuo, & Diuino iure prohibitum, satis constat ex illo, quod habetur Matth. 7. Nolite iudicare, & non iudicabimini: qui quidem locus, quamuis vt plurimum interpretari sołeat de illis hominibus, qui cum similibus, aut certè maiorib. criminib. sint irretiti, atq; immersi, peccata sua ceteris objiciunt: nihilominus tñ cõgruẽtissimè, atq; ad literam multũ conformiter, applicatur ad hoc, vt de alijs sinistram opinionem, & existimationẽ non habeamus, & ita ipsũ exponit D. Aug. ser. 2. de verbis Dñi in mõte: quẽ sequitur Iansenius nouissimus expositor, lib. suo de concordia Euãgelist. super eũdem locũ. Facit, & ad hoc illud quod dixit ẽt D. Paul. ad Rom. 14. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Dño suo stat, aut cadit. Stabit autẽ: potens est. n. Deus statuere illũ. Pauloq; ante dixerat. Is, qui manducat, nõ manducantem non spernat: & qui nõ manducat, manducantẽ non iudicet. Quo quidẽ loco fit sermo de interiori iudicio, quo quis alium diiudicat, siue cõtemnit. Et 2 Cor. c. 4. ad idem propositum dixit. Nolite ante tempus iudicare, quoadusq; veniat Dñs, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuiq; à Deo. Quod fuit ac si expressius diceret, quod quæ incerta sunt & dubia: pro certis & indubitatis non sunt habenda: cum diuino sint iudicio reseruata: qua propter præsenti hoc sæculo, & tempore ea velle dijudiare, quã maximè est temerarium & quasi iudiciũ Dei vsurpare. Sed vt quæ dicta sunt in genere expressius ac magis in particulari habeantur, sit secunda conclusio.

Secun-

Secunda Conclusio.

25 DVbitare † de bonitate alicuius, nihil diffinitiuè determinando, sed fluctuando: ex leuibus indicijs, regulariter loquendo est peccatum veniale, poterit tamen esse mortale: si materia circa quam versatur eiusmodi dubium, sit valde grauis. Hæc conclusio est expressa D. Tho. 2. 2. q. 60. art. 3. quam & tenent omnes communiter DD. Et quidem quod eiusmodi dubiũ regulariter loquendo, nõ sit peccatum mortale, sed solummodo veniale: ex eo probatur, quia ex genere suo non expellit charitatem, quamuis aliqualiter illam diminuat: & quia huiusmodi dubietates (vt dicit glosa super prædicta verba, nolite ante tempus iudicare) ad humanam tentationem pertinent, sine quibus vix possumus vitam istã transigere: ex quo sequitur non esse grauioris, sed leuioris culpæ (etiam ex leuibus indicijs) sine adhæsione de bonitate alicuius dubitare. Sed quod id sit aliquale peccatum, saltem veniale, probatur. Nam vnusquisque iure naturæ habet, quod apud omnes bene audiat, bonamq; habeat æstimationẽ, quousq; legitima testimonia aut indicia, aut verò propria ipsius delicta eũdem infament: ergo qui tale ius sine iusta causa, ex leuibus indicijs ab aliquo adimit (etiam sub dubio) iniuriã illi irrogat, ac proinde aliqualiter saltim venialiter peccat. Quod & confirmatur hac ratione; nam qui de bonitate alicuius dubitat, semper illum minus, quam decet æstimat; quin verò multoties eundem despectui habet: & periculum est ne illum odio prosequatur, aut fortè infamet; ergo, qui talia facit sine iusta, & legitima causa, de bonitate sui proximi dubitando, & iniuriam in eo ipsi irrogando; ad minus peccat venialiter. Solũmodo restat probandum, quod eiusmodi culpa esse possit mortalis, in casu quo materia, circa quam versatur huiusmodi dubium sit grauis, aut procedat ex aliquo deprauato affectu. Et certè probare hoc vltimum, haud erit multum difficile: nam si dubium proueniat ex praua voluntate, aut ex mala natura ipsius iudicantis, qui pro eo, quod ipse malus sit, de aliorum bonitate semper dubitat: aut ex odio, seu inimicitia, quam erga aliquem habet procedat: certum est, quod id ipsum peccatum erit mortale, maximè in materia graui. Pono exemplum, † in casu quo semper sum arbitratus quempiam esse catholicum, sed postea ex leuibus indicijs, seu praua voluntate, & mala mea natura, aut ex odio, siue inimicitia, quam erga illum habeo: dubitare incipio, sitne Catholicus, an non? quamuis sub dubio maneam, & neutri parti assensum præbeam, propter materiæ grauitatem, quis dicet, quod in tali casu, id ipsum facere non sit peccatũ mortale? Clara res est. Et certè saltim ex damno, & nocumento, quod ex tali dubio sibi resultat, potest satis diiudicari. Nam certum est, quod vir sapiens, & prudens magis, atque grauius sentit, prædictę bonæ æstimationis, & famæ in re adeo graui sine causa fecisse iacturam, quam si ablati ab eo fuissent centum aurei: sed si quispiam sine causa auferat ab aliquo centum aureos, omni procul dubio peccabit mortaliter: ergo etiam & in proposito casu. Quamuis autem hoc ita sit, regulariter tamen loquendo, & de ijs, quæ vt plurimum contingunt (qualiter sẽper loqui oportet in materijs moralibus) dubitare de bonitate alicuius, nõ est plusquã peccatum veniale, & maximè, quando eiusmodi dubium est in senibus, qui (vt dictũ est) ob longæuam suam ætatem, & propter longam experientiam, quam habent, natura sua proni, atque propensi semper sunt, ad dubitandum de alio-

aliorũ bonitate. In his certiſſimum eſt, quod huiuſmodi dubietas, minus eſt peccatum: nam cum dubietas ſua maiorem, & magis certam habeat cauſam, magis deficit à ratione ſuſpicionis.

Tertia Concluſio.

27 SInistrè † opinari, ſeu ſuſpicari de bonitate alicuius ex leuibus indicijs, regulariter loquendo eſt etiam peccatum veniale: ſed in re graui erit mortale. Hæc concluſio, ſuperq; ſatis conſtat ex dictis in præcedenti, cuius etiam probationes pro ea faciunt. Sed vt aliquid etiam addamus, ratio eiuſdem eſt. Quia vnuſquiſque iure naturæ habet, quod omnes de illo bonam æſtimationem habeant, & vt non quiſpiam ſiniſtrè de eo ſuſpicetur, quamdiu non fuerit diffamatus, ſeu in id legitima teſtimonia, aut indicia, ſeu ſua propria delicta ipſum infament: ergo illud, qui facit iniuriam illi irrogat, & conſequenter peccat. Et quamuis regulariter loquendo in rebus parui momenti, eiuſmodi ſuſpicio peccatum ſit veniale: in re tamen graui omni procul dubio erit mortale. Et quod hoc ita ſit, hac vel vnica ſpeciali ratione etiã probatur: nam qui opinatiuè credit, aut ſuſpicatur, quod Petrus (v.g.) rem hab[ui]t cum ſorore ſua, maiorem procul dubio ini[ur]iam illi irrogat, quam qui ex leuibus indicijs pro certo crederet e[u]ndem hab[u]iſſe rem c[u]m ſ[o]luta: ſed hoc ex leuib[u]s indicijs diiudicare, eſt peccatum mortale: ergo & illud primum ex eiſdem le[u]ib[u]s indicijs, ſiniſtrè opinari, ſiue ſuſpicari. Conſequentia cum minori eſt legitima, maior autem exinde patet: nam peccata, quæ in proximos committuntur, ex quantitate damni ſemper ſunt penſanda, atque diiudicanda, nec negari poteſt, quod malè Petrus, & pro minori damno æſtimaret, vt quis pro certo crederet ipſum rem habuiſſe cũ ſoluta, quam vt opinaretur, aut ſuſpicaretur de illo, accubuiſſe cum ſorore ſua. Et quod vtrunque ſuſpicari ſit peccatum mortale vlterius probatur: nam pro minimo habuiſſet prędictus Petrus, quod auferrentur ab eo centũ aurei, quam quod ſimilis de eo haberetur opinio ſiue ſuſpicio: ſed ſi centũ aurei, ſine iuſta cauſa ablati fuiſſent ab ipſo, omni dubio procul eſſet peccatum mortale: idem ergo dicendum eſt in propoſito caſu.

Quarta Concluſio.

MAlè de aliquo iudicare † ex leuib. indicijs, ex genere ſuo ſẽper peccatũ eſt mortale, ratione tñ paruitatis materiæ eſſe poterit veniale. Hæc ẽt concl. ſatis eſt cõperta ex dictis in præced. concluſionibus. Etenim ſi dubitare de illo, qui apud me quondam bonam habuit æſtimationem, aut malè de eo ex leuibus indicijs opinari, ſiue ſuſpicari: peccatum eſt ſaltim veniale (vt ibidẽ diximus) multo ergo magis, & amplius peccatũ erit, id ipſum pro certo habere, ꝙ ſonat verbũ iudicare: cũ certũ ſit ꝙ in eo maior irrogatur iniuria proximo, & maius nocumẽtum, & vix, aut nullatenus fieri põt, vt qui certò malè de aliquo iudicat, non ẽt ipſũ odio habeat, ſiue contemnat, quod (vt de ſe patet) charitati aduerſatur ex conſequenti ex genere ſuo, & ſẽper eſt mortale. Quia tamen in hac cõcluſione diximus, eiuſmodi iudicium ex genere ſuo eſſe peccatum mortale, & ratione paruitatis materię, aut parui nocumẽti fieri poſſe veniale: vt qui quempiam certò iudicaret eſſe indoctum, aut quid ſimile: oportet vt huius rei rationem reddamus, maximè cum in præcedentibus concluſionibus, agẽdo † de dubio, & ſuſpicione cõtrariũ omninò dixerimus. Et primo, quia qui ſine legitimis indicijs de aliquo iudicat, 28 29

dicat, quod sit malus, ea sui assensus firmitate, iam quasi Diuinum vsurpat iudicium: nam iudicare de occultis, solius Dei est proprium, iuxta illud D. Pauli: Nolite ante tempus iudicare, quo ad vsq; veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordiū, & alibi: Tu quis es, qui alienum seruum iudicas? Domino suo stat aut cadit: ergo qui sic sine legitimis indicijs proximum iudicat, diuinū iudciū vsurpans, ex genere suo mortaliter peccat. Certum est enim quod de ijs quæ superiori sunt iudicio reseruata: inferior iudicare non potest, idq; faciendo peccat mortaliter, regulariter loquendo. Quod & confirmat D. Iacob. in sua Epist. Canonica, cap. 4. dicens: Quod qui detrahit fratri, aut iudicat fratrem, detrahit legi, & iudicat legem. Si autem (inquit) iudicas legem, non es factor legis: sed iudex Ac si diceret expressius, quod id qui facit diuinum vsurpat iudicium, peccatq; pro inde mortaliter, si quidem vt statim addit, vnus tantum est Legislator & Iudex, nempe Deus, qui potest perdere, & liberare. Sed prçterea,
30 quod huiusmodi iudicium † ex genere suo semper sit peccatum mortale, non autem dubium siue suspicio, etiā ex leuibus indicijs: probatur appositissima ratione D. Thom. & ea est, quia vt dicit D. August. super illa verba Matth. 7. Nolite iudicare & non indicabimini: quāuis dubietates & suspiciones omnino vitare non possimus, quia sumus homines: iudicia tamen (id est diffinitiuas & firmas sententias) reprimere possumus, quin verò & debemus: ergo id ipsū qui nō facit, & sine legitimis indicijs proximum iudicat (quod firmum assensum dicit) ex propria sua ratione, & ex suo genere peccat mortaliter, si quidem aduersatur charitati, in quo consistit radix, & origo omnis peccati mortalis. Hoc itaque est certum atque sine dubio. Quod quidem peccatum etiam ad iniustitiam reducitur, quamuis non ad exteriorem actum reducatur: quia habet in se quandam iniustitiam latentem, seu imbibitam: pro eo, quod proximum suum absq; iusta causa infamat, surripitque ab eo bonam æstimationem & famam, quam antea habebat apud ipsum. Sed quia multoties dictum est à nobis in præcedentibus conclusionibus, criminis grauitatem pensandam esse penes grauitatem materiæ, atque ex hoc dijudicari debere, quādo dubium, suspicio, aut iudicium sit peccatum mortale aut veniale: operæ pretium est, vt breuitér dicamus, quæ nam materia dicenda sit grauis, quæ verò leuis? Circa † quod D D. 31
iurisperiti, & maximè Summistæ communiter dicunt, quod illa materia censetur esse grauis, quę in se est peccatum mortale, illa verò leuis, quæ in se nullum est peccatum, aut saltem veniale. Et consequenter dicunt, quod qui dubitat, opinatur, aut certo credit, siue iudicat ex leuibus indicijs, quempiam fecisse aliquid, quod de se est peccatum mortale, vt pote fornicasse, furatum fuisse, &c. quia illud est mortale: eiusmodi dubium, suspicio siue iudicium est (inquiunt) etiam peccatum mortale. At verò si illud de quo quis dubitat, suspicatur, aut iudicat, nullum de se est peccatum, aut saltem veniale, vt (v. g.) quempiam esse indoctum, aut ignorantem, vel aliquod leue peccatum commisisse: id dubitare, suspicari, aut iudicare, tātūmodo erit peccatum veniale. Hoc est quod cōiter dicit̃ à Doctoribus: qua de re nouissimè videatur Salon de iustitia & iure, 1. tom. super quæst 60. D Tom. art. 3. At quāuis hęc regula, regulariter loquendo vera sit, in multis tamen casibus eiusmodi grauitas (vt etiam dicit prędictus Salon) non tam venit pensanda ex peccato aliquo, quàm ex infamia,

mia, seu alio nocumento, quod ex tali dubietate, suspicione aut iudicio proximo resultat. Etenim † si quis sine
32 iusta causa, & sufficiēti ratione, dubitaret, suspicaretur, aut iudicaret de aliquo viro aliàs nobili, quod aliqua ex parte sit infirmę fortis, nempe oriūdus ex Hebræis, aut Mahumetanis, vel quidpiā simile: quamuis in eo (vt videtur) nullum committat peccatum: quia tamen ex tali dubio, suspicione, siue iudicio, infamia, & iniuria resultat proximo: extra controuersiam est, quod tale dubium, suspicio, siue iudicium, erit peccatum mortale. Quod vel hac etiam ratione probatur: nā ille talis grauius quidem ferret, quod de eo tale iudicium habeatur, quam si iudicaretur, fornicarius, alteriusve similis peccati patrator; & pluris ęstimat bonam apud illum opinionem habere, quam æstimaret centum aureos, si auferrentur ab eo: sed in dictis casibus, illud qui faceret peccaret mortaliter: idem ergo dicēdum est in proposito. Ex quo colligitur dari posse casum, in quo ratione nocumenti, seu aliàs, aliquod sit peccatum mortale, quamuis materia ipsa in se non sit mortalis.

Quinta Conclusio.

33 Dubitare, vel male suspicari, † aut iudicare de aliquo, ex causa sufficienti, & existentibus legitimis indicijs siue probationibus: nullum est peccatum. Hæc cōclusio satis de se patet, & constat ex rationibus adductis pro præcedentium probatione: nam ratio & causa ob quā (vt dictum est) dubium, suspicio siue iudicium factum sine legitima, & sufficienti causa prohibitum est, & ipsorum quodlibet diximus esse peccatum mortale, aut veniale: pro eo est, quia in his temerè quadam ratione vsurpatur diuinum iudicium: sed non id fit quando superius dicta concurrunt, nempe causa sufficiens, legitima & sufficientia indicia, siue probationes: ergo in his nullum omninò peccatum committitur. Quia tamen (vt etiam supra diximus) non potest tradi certa, atq; determinata generalis regula, ad insinuandum quando eiusmodi coniecturæ, siue indicia sint sufficientia, ita vt totaliter excusent à peccato, aut saltim mortali: dico breuiter, quod quādo indicia fuerint vehemētissima, adeo vt iudicio probi, ac prudentis viri nulla interueniat temeritas: in his dubitare suspicari, aut etiam iudicare de bonitate alicuius, nullum erit omninò peccatum. Sed tamen si fuerint leuia, & non adeo sufficientia: in tali casu id ipsum facere, erit peccatum veniale, aut mortale: habita ratione ad dubij, suspicionis, siue iudicij qualitatem: & non solum (vt diximus) ad materiam, quod sit grauis, verum etiam & ad nocumentum proximi, quod ex inde resultat. Et vt quod dicitur exemplis aliquibus propositis illustretur, ac planius fiat: dico quod si quis vidit (v. g.) hominem noctu per fenestrás scala conscendere, nullum erit omninò peccatum dubitare de bonitate ipsius. neq; verò suspicari, quod intēdere velit aliquod malum: quin verò & id ipsum diffinitiuè, aut determinatè iudicare. Similiter, si quis videt iuuenem secretò cum puella turpiter loquentem, non etiā erit peccatū: de bonitate illorum dubitare, aut malè suspicari, vel iudicare de ipsis. Et generaliter loquendo, quando aliqua de re firmum habetur duorum hominum fide dignorum testimonium idem testificantium, non etiam erit peccatum eisdem fidem facere: quin verò contrarium videretur reprehensibile. E contrario tamen si videret quis virum aliquem grauem (etiam secretò) loquentem cum quadam matrona graui, cum nullus qui sit vir prudens, & bonus,

ad dubitandum, seu verò male iudicandum de illis id ipsum sufficiens esse indicium dijudicaret: id certè facere, omni procul dubio erit peccatũ mortale. Secus autem esset si mulier prædicta non esset grauis, sed forsan meretrix: & is qui cum ea loquebatur persona haud multum spectatæ virtutis: nam in tali casu contrarium omninò erit dicendum. Præterea potest dari casus, quo in aliqua materia indicium aliquod sit graue, & sufficiens, non solum ad dubitandum seu male suspicandum de aliquo imo verò & ad id ipsum iudicãdum: non tamen in alia. Et pono exemplũ: nam si quis iuuenis dum eleuatur hostia, non multum deuotè eandem adoraret, licèt indeuotionis suæ sufficiens quidem esset indicium: non tamẽ proinde censeretur Hæreticus: at id ipsum si faceret quidam Anglicus, seu de Hæresi suspectus, quã maximum in eo foret indiciũ, non solum ad dubitandũ de bonitate ipsius, quin verò etiam & ad suspicãdum, & iudicandum malè de illo: concurentibus sique alijs, & ad existimandũ eundem esse Hæreticum. Multa alia ad hoc propositum exempla possent adduci: sed ista sufficiant: semper aduertẽdo, ac memoria retinendo, quod quamuis ad dubietatem minora indicia sufficiant, & ad suspicionem aliquanto maiora requirantur: ad iudicium tamen multo maiora sunt necessaria, & quod aliquod sufficiens erit indicium ad dubitandum, quod non sufficiet ad suspicandum: multoque minus ad iudicandum malè de aliquo. Hæc dicta sint in communi, non solum pro Prælatis, atque Iudicibus, verum etiam & pro quibusuis personis particularibus. Sed de iudicibus & Prælatis particulariter, & de exteriori foro loquendo, sit sexta & vltima conclusio.

Sexta Conclusio.

IVdices † atq; Prælati non possunt in exteriori iudicio de bonitate alicuius dubitare, multoq; minus malè de illo suspicari, nisi ex legitimis, & sufficientibus indicijs: iudicare verò, aut condemnare quempiam, tãquam alicuius criminis reum, non nisi per legitimos testes, aut aliter id ipsum fuerit comprobatum: & contrarium facientes peccant omni procul dubio mortaliter. Hæc conclusio est expressa D. Thom. vbi supra: & communis omnium Doctorum resolutio. Cuius & ratio in promptu est, quia id est expresse contra legem naturalem, & contra diuinam, & simul humanam, strictè prohibentes cuipiam fieri præiudicium in suo honore, opinione, aut fama, & quibuscunque rebus, aut bonis temporalibus: & certum est quod qui Iudex, siue Prælatus in exteriori iudicio, sine sufficientibus indicijs, dubitat, aut suspicatur malè de cuiuspiam bonitate, iniuriam nec paruam, quin verò maximam eidem irrogat: & multo maiorem illum, qui condemnat, tamquã alicuius criminis reum, quin prius id ipsum per legitimos testes, aut aliter fuerit comprobatum. Qua propter D. Tho. loco vbi supra, in solutione ad tertium, vehementer admonet omnes in vniuersum Iudices, siue Prelatos iurisdictionem exercẽtes, vt non sint nimium proni, atque procliues ad dubitandum, vel suspicandum: multoque minus ad iudicandum malè de aliquo: nam quamuis (inquit) in id spectari non debeat rerum euidentia: sed sat sit adesse eam certitudinem, quæ haberi potest, ad dubitandum, & suspicandum per sufficientia indicia: ad iudicandum verò per idoneos atq; legitimos testes: citra tamen ipsa nullatenus se debent præcipitare, dubitando, suspicando, aut male iudicã-

do

do de aliquo: nam id facere omninò est prohibitum, & peccatum mortale: vtpote contra legem naturalem, diuinam, & humanam, de non lædẽdo proximo, aut inferendo cuipiam damnum. Et hoc admonet specialiter D. Tho. loquendo de Prælatis, & Iudicibus, in quantum procedunt, vt tales (vt scilicet personæ publicæ sunt) nam in eis aliquid maius requiritur ad dubitandum, suspicandum, siue iudicium ferendum: & inferendum in exteriori iudicio proximo damnũ: quam requireretur ad id ipsum faciẽdum iudicio interiori, & vt personæ quædam priuatę, & particulares, propter maius nocumentum. Vnde & communis est Doctorum resolutio, quod peccant prædicti Iudices, siue Prælati quam maximè, dubitãdo, aut suspicando malè de aliquo, & procedendo proinde contra ipsum ad inquisitionem particularem, torturam, siue iuramentum, sine sufficientib. indicijs: & multo amplius iudicando ipsum, aut damnando aliqua pœna, absque eo, quod existat prius crimen per idoneos testes, & legitimas probationes comprobatum. De quo plura dicemus infra, quando agemus de inquisitione in particulari, & alijs procedendi modis. Aduerto tamen,
35 † quod quamuis superius dicta vera sint, bene possunt nihilominus Prelati, & superiores hominem aliquem sufficientibus indicijs de aliquo vitio suspectum, ad officium aliquod non promouere: quamuis eiusmodi vitiũ non sit per idoneos, & legitimos testes comprobatum: nam id non est ita propriè illum iudicare, quam damnum, quod exinde euenire potest euitare: & vt diximus supra, minus requiritur ad dubitandum, seu malè suspicandum de aliquo, quam ad eundem iudicandum: siue pęna aliqua condemnandum.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm dubia semper sint meliorem in partem interpretanda?

HÆC Difficultas proponitur à D. Thom. 2. 2. quæst. 60. art. 4. & eundem sequendo volo ipsam aliquibus propositis argumentis hinc inde discurere, difficilemq; reddere, vt quod quæritur plenius fiat. Et primò, † quod dubia non sint semper meliorem in partem interpretanda, exinde colligi videtur, quia iudi- 36
cium † magis esse debet de eo, quod in pluribus accidit, quam è contrario de eo, quod rarò accidit, aut nunquam: sed quod homines malè agant in pluribus accidit: postquam vt habetur Genes. 8. sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua: & vt inquit Sapiens Ecclesiastic. 1. stultorum infinitus est numerus: ergo dubia semper magis interpretanda sunt in malum, quam in bonum. Secundò probatur id ipsum: nam homo † non debet amplius diligere proximum suum, quam se ipsum; sed circa seipsum quicunque sapiens, ac prudens est, dubia debet peiorem in partem interpretari, iuxta illud Iob, capit. 9. verebar opera mea omnia: ergo & circa proximos id ipsum quilibet potest facere. Tertiò sic argum. ad idem: nam demus casum, quo quis audit ab aliqua insigni persona, & multum fide digna, matronam quandam (quę aliàs putabatur honestissima) crimen aliquod commisisse, vtpotè quod non fidẽ viro suo seruauit, & res est sub dubio, nec satis constat, an ipsa eiusmodi commiserit delictum: in hoc casu videtur, quod nõ teneatur tale dubium meliorem in partem interpretari, cum id facere non possit absque iniuria insignis illius, & magnæ authoritatis viri, qui illud dixerat, iudicando

eundem fuisse mentitum: ergo in tali casu licitum erit sibi rem priorem in partem vertere, iudicando eam adulteram: & idem erit dicendum in multis alijs casibus, cum vt dicitur, de similibus simile sit iudicium. Quartò & vltimò probatur, quod dubia non debeant meliorem in partem interpretari: nam vt inquit Diuus Augustinus libro primo, de Doctrina Christiana, capit. 27. ille piè, & iustè viuit, qui rerum integer est æstimator, in neutram partem declinando: ergo sat erit id ipsum facere, nec semper dubia in meliorem partem sunt interpretanda, cum id, qui facit iam declinat in alteram partem, quod non videtur esse faciendum. His tamen argumentis non obstantibus, in contrarium est † veritas, pro cuius pleniori intelligentia, aliquot oportet breuiter præmittere fundamenta.

39

Primò præmitto ex doctrina D. August. libro quinto, de serm. Domini in monte, capit. 28. quod res, † & facta proximorum in triplici sunt differentia. Quædam enim fiunt, quæ videntur mala, & re verà sunt talia; qualia esse videntur; vt fornicationes, homicidia, furta, &c. quæ & intrinsecè sunt mala, & nullo modo possunt bene fieri. Alia sunt, quæ se ipsis sunt, & videntur bona: possunt tamen aliquo malo fine fieri: cum talis sit quandoque hominum natura; & humana malitia, vt bonis etiam rebus abutatur in malum finem: tales sunt eleemosynæ, orationes, & ieiunia, &c. Alia sunt ex se indifferentia, neque bona, neque mala, quæ possunt bene, & malè fieri: vt comedere carnes ieiunij tempore, seu quidpiam aliud facere: nam fieri potest licitè de licentia Medici salutis causa: & etiam ex gula, & contemptu præcepti Ecclesiæ. Ad propositum ergo dico, quod † iudicare malè de facientibus aliqua ex contentis in primo genere, nullum prorsus est peccatum; quin verò eiusmodi iudicium est rectum & prudentissimum: & dicit Diuus Augustinus, quod de eiusmodi intelligenda sunt illa verba, quæ dixit Christus: A fructibus eorum cognoscetis eos. At iudicare † malè de facientibus res secundi generis, quando non certè constat de intentione ipsorum, & quod fiant sinistrò, & deprauato aliquo fine: est (inquit) peccatum, illudque grauissimum, & quodammodo blasphemia in Spiritum sanctum: qui auctor est omnis boni: & simile olim peccato Pharisæorum, qui opera & miracula Christi Domini, quæ ipse in digito: id est in virtute Dei faciebat, calumniabantur: dicentes, quod in Belzebuth Principe Dæmoniorum eijciebat Dœmonia. Quando igitur queritur in præsenti articulo, dubia an sint meliorem in partem interpretanda: non fit sermo de rebus primi, aut secundi generis, quæ adeo sunt mala, aut adeo bona: sed de rebus tertij generis, nempe indifferentibus, quæ natura sua, nec bona nec mala sunt, & possunt bene, & malè fieri.

40

41

42

Secundò præmitto, quod de predictis † operibus indifferentibus Iudicium dupliciter potest contingere, vno modo ex idoneis, & sufficientibus indicijs: alio verò ex leuibus, & minus sufficientibus. Dubitare de bonitate alicuius, seu de operibus illius: ex leuibus, & sufficientibus indicijs, iam diximus supra esse ad minus peccatum veniale, & quod in re graui erit mortale: pro eo, quod absque iusta, & legitima causa, priuatur bona opinione, & fama, quam antea habebat: quod esse non potest absque magna iniuria, quam verò & contemptu ipsius. Non est ergo quæstio de hoc: sed de illo, qui dubitat ex idoneis, & sufficientibus 43

bus

bus indicijs, quæ licèt sint insufficiẽtia ad iudicandum male de aliquo, sufficiunt tamen viri prudentis arbitrio, ad suspendẽdũ actũ, & dubitandũ de bonitate ipsius, sit ne bonus, qui hoc, aut illud egit: & an fecerit illud bono aut malo animo? An in tali casu sub pæna peccati mortalis: eiusmodi dubium sit meliorem in partem interpretandum, de hoc est difficultas.

44 Tertiò & vltimò præmitto, ex D. Thom. loco supra citato, quod duplex est iudicium, quoddam quod dicitur diffinitiuum, & determinatiuum: quo aliquid interpretamur, diffinimus, aut determinamus in bonã, siue in malam partem, aliud verò suppositiuum, seu ex suppositione, quo non id ipsum facimus: sed prouidemus de remedio aliquibus malis, nostris, seu alienis, quæ ex aliquo facto possunt euenire. Quibus sic præmissis, propositæ difficultati respondetur per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

45 LOquendo de iudicio † diffinitiuo, & determinatiuo, dubia semper sunt à Prelatis & Iudicibus, & quibusuis personis particularibus meliorem in partem interpretanda. Hæc conclusio est expressa D. Tho. vbi supra, & communis omniũ Doctorum resolutio. Et probatur à D. Thom. authoritate D. August. lib. 2. de serm. Domini in monte, cap. 28. Vbi explicando illa D. Paul. verba ad Rom. 14. Qui non manducat, manducantem non iudicet: inquit. Nihil aliud his verbis nobis præcipi existimo, nisi vt ea facta quæ dubium est, quo animo fiant, meliorem in partem interpretemur. Id quod & habetur etiam, in cap. 2. de regulis iuris: vbi traditur pro generali regula, quod dubia semper sunt meliorem in partem interpretanda. Cui & concinit alia, quæ ordine, est 11. eodem tit. de regulis iuris, lib. 6. ab omnibus iurisperitis communiter recepta, qua dicitur: quod cum partium iura sunt obscura: fauendum est potius reo, quam actori. Et in alia regula quæ numero, est 65. eodem tit. & lib. habetur quod in pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis. Et in l. ambigua ff. de legibus. traditur pro generali regula. Quod in rebus dubijs generale verbum, quod potest ad bonum, & ad malum sensum trahi: semper interpretetur in bonum. Quod & simili ratione dicendum videtur de factis dubijs, iuxta id, quod dictum est in conclusione, nempe quod diffinitiuè, seu determinatiuè loquendo: dubia semper sunt meliorem in partem interpretanda. Ratioque in id est appositissima, quam loco citato adducit D. Tho. quia (inquit) nullus debet alium contemnere, aut nocumentum alicui inferre, ab sq; iusta, & legitima causa in id cogente: aliàs enim iniuriam procul dubio illi faceret: ergo vbi manifesta non apparent indicia, seu aliquid quod ad id ipsum sufficiat, & res manet sub dubio: non debemus quidpiã mali de aliquo suspicari quin verò eiusmodi dubiũ semper meliorẽ in partem interpretari. Res est certissima, & quæ omni dubitatione caret. Solum modo est differentia, & controuersia inter Doctores, circa conclusionem prædictam, qualiter veniat intelligenda: an scilicet intelligi debeat, quod dubia sint semper meliorem in partem interpretanda positiuè: ad hunc sensum quod teneamur positiuè meliori parti semper assentiri: an vero sufficiat id ipsum facere negatiuè: nihil mali iudicando, aut suspicando de aliquo: sed suspendendo actum, nullum assensum de bono aut malo producendo? De qua differentia videatur Sot. lib. 3.

de iustitia & iure, qu.4. art.4. & Aragon, 2.2. quæst.60. art. etiam 4. & nūc nouissime Salon de iustitia & iure, tom.1. super 2.2. D. Thom. quæst.60. art.4. Et prætermissis (breuitatis gra-
46 tia) † varijs dicendi modis, quod hac in re verius videtur, atq; tenendum, est quod sufficit non habere assensum positiuum in deteriorem partem: nec teneri præbere assensum positiuum in meliorem: sed sat est nos habere negatiuè, id quod & insinuate visus est olim Christus Dominus, Matth.7. vbi hac de re agendo, vsus est verbo negatiuo, dum dixit; Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare & non condemnabimini: quibus verbis (vt videtur) datur intelligi, in rebus dubijs non esse necessum semper bonæ, siue meliori parti assentiri, quin verò satis esse mali nihil de aliquo suspicari, aut iudicare: seu (quod idem est) nullum actum positiuum producere: & habere se quempiam erga suum proximum negatiuè: eo modo quo antea se habebat, & ex leui causa non moueri, ad suspicandum, siue iudicandum male de illo.

Secunda Conclusio.

47 Loquendo de iudicio suppositiuo, † seu ex suppositione alicuius mali quod potest euenire: ad habendum remedium eidem, dubia semper sunt deteriorem in partem interpretanda. Hæc conclusio expressa etiam est D. Thom. quam & probat: quia cum debemus aliquibus malis nostris, seu alienis remedium adhibere, vt securius apponatur remedium, semper expedit vt supponatur id quod deterius est: nam remedium quod cōtra maius malum efficax est, multo magis erit efficax contra minus malum, & cum in tali casu nihil definiatur, siue determinetur, sed tantummodo agatur de remedio, & cautela, respectu eorum malorum, quæ possunt euenire, & contingere proficuum quidem nobis erit & nulli omninò iniuriosum, quod dubia deteriorem in partem interpretantur. Hæc est expressa sententia D. Thom. & sit exemplum.
† Habet quis quandam filiam Virginem, pulchram, & speciosam nimis, ni- 48
hilque omninò mali de illa suspicatur, neque de alijs: at cupiens eandem in sua honestate, & integritate conseruari, ex suppositione quod mali aliquid forsan poterit sibi contingere, si cum hominibus, & maximè iuuenibus colloquatur quis dicet: quod non possit eiusmodi pater, dubia deteriorem in partem interpretando, lasciuos iuuenes, & quoslibet homines, ab ipsius aspectu, & conuersatione abigere: portas & fenestras præcludere: & eius generis alia facere? Inficias nemo ibit. Neque id imputari sibi poterit imprudentia, temeritatiue, quin verò prudentiæ quam maximæ. Idem dico de illo, qui videt hominem domum suam ingredientem, & ex habitu, atque alijs, absque iudicij temeritate posset suspicari illum esse furē, siue latronem, non tamen id facit iudicio diffinitiuo, aut determinatiuo: ex suppositione tamen quod id esse potest, haud quidem male faciet, quin verò prudentiæ erit, quam maximæ, dubium deteriorem in partem interpretando, illi dicere: vt ex sua domo exeat, quia in eo iniuriam nullam illi facit. Non enim furem, aut latronem eum esse determinatè iudicat: sed tantum rebus suis prouidet de remedio, & cautela. Ex hac doctrina & resolutione, eam applicando ad iudicium sine Prælatorum propositum. Satis colligitur quod quamuis iudicio diffinitiuo, & determinatiuo, dubia semper debeant meliorem in partem interpretari: at loquendo de suppositiuo, & ex suppositione, quod ex aliquibus suorum subditorum factis: malè aliquid potest euenire, & contingere: prouidere debent de remedio, & caute-

la

la in rebus dubijs, eadem deteriorem in partem interpretando, ac si re vera de facto iam adesset huiusmodi malum. Nam cum id non faciat ad lędendos, & cōdemnandos eosdem, sed solummodo ad periculis obuiandum: nullum erit omninò peccatum id facere: quin verò prudentia, & prouidētia quam maxima, quia (vt dictum est supra) remedium quod est efficax ad euitandum maius periculum, & maius damnum: multo magis erit efficax, ad euitandū id, quod est minus.

Ad argumenta ergo, in contrarium adducta respondeo.

Ad primum cum D. Thom. quod quamuis possit contingere, quod qui meliorem in partem rem interpretatur, frequentius fallatur, quam si fecisset contrarium: melius tamen est quòd aliquis frequentius falatur, bonam habens opinionem de omnibus: quam quod fallatur rarius, malum habēs opinionem de aliquo, quia ex hoc fit iniuria alicui: non autem ex primo: quod multum est notandum.

Ad secundum respondetur, quod verba Iob intelligenda sunt; non quidem de iudicio diffinitiuo, sed de præsuppositiuo: ex eo enim quod ipsius opera, vtcunque sibi uiderentur bona, ac nitida, in conspectu Dei, poterant forsan non apparere talia: ideo (inquit) ꝙ verebatur opera sua omnia: quod & omnes similiter facere optimum erit consilium, & eundem penes hoc imitari, vereri, & timere opera nostra omnia (etiam bona) ne forte è quæ talia esse apparent, labe aliqua & macula infecta, in conspectu Dei non ita esse appareant.

Ad Tertium respondetur, quod in tali casu, & propter vnius hominis cuiusuis eximiæ authoritatis viri testimonium, non debet quis priuare matronam illam bona sua fama, & opinione, quam antea apud ipsum habebat, nec rem deteriorem in partem interpretari, quin verò tenetur suspendere actum, & in neutram partem declinando, in ancipiti manere, nullum omnino formādo assensum, siue iudiciū, vt non eorum cuipiam irroget iniuriam, quod si facere non potuerit, & necessum fuerit in alterutram partem declinare, potius debet rem meliorem in partem interpretari, diiudicando prædictam mulierem esse bonam, quā è contra. Cuius quidem ratio est, quia (vt supra diximus) quando partium iura sunt obscura, potius fauendum est reo, quàm auctori, quod & quam maxime habet verum in proposito casu, & ad hoc propositum facit valde c. quādo de præsumpt. vbi dicitur quod iura † promptiora sunt ad absoluendum, quam ad condemnandum. Et 49 addit ibi vnum notatu dignissimum, nempe quod etiamsi maior sit probatio ex parte actoris, siue accusatoris, quàm ex parte rei, si tamen excessus, sit exiguus; potius pro reo, quàm pro actore est iudicandum, id quod & dicit glos. in cap. clerici, dist. 81. vbi habetur, quod si duo clerici affirment Petrum, aut Paulum certa die fuisse fornicatum, & duo laici dicant contrarium: & apud ipsos eundem fuisse, ita vt non potuerint crimen illud commisisse: inquit glossa, quod præponendi sunt laici clericis: nam licèt cæteris paribus maior sit authoritas testis clerici, quam laici, quia tamen in tali casu modicus est excessus, potius pro reo, quam pro actore est iudicandum: quod est multum notandum, atque memoriæ commendandum.

Ad quartum & vltimum dico cum D. Thom. quod aliud est iudicare de rebus, aliud verò de persona. In iudicio enim, in quo de rebus iudicamus, non attenditur bonum, aut malum ex parte personæ, de qua iudicamus: nam nihil ei nocet qualitercunque de ipsa iudicemus: sed attenditur ibi solummodo bonum iudicantis, si verè iudicet, aut malum, siue falsum. Vt enim inquit Aristotel. 6. Et

hic verum est bonum intellectus, & falsum malum ipsius: qua propter vnusquisque niti & procurare debet, quod de rebus iudicet secundũ quod sunt. At in iudicio, quo iudicamus de persona, præcipuè attenditur bonum vel malum ex parte illius, de quo iudicatur: qui in hoc ipso honorabilis habetur, si bonus iudicetur, aut contemptibilis, si iudicetur malus. Hinc fit, vt in eiusmodi iudicio potius attendere debeamus ad hoc, quod hominem iudicemus bonum, nisi manifesta ratio conuincat in contrarium: nam in hoc, quamuis contingere possit, quod falsum sit iudicium, quo bene iudicamus de illo: non id pertinebit ad malum nostri intellectus, (sicuti neque ad eius perfectionem pertinet secundum se cognoscere veritatem contingentium singularium) sed potius pertinebit ad bonum affectum, & bonã voluntatem, qua bene iudicamus de omnibus, quod nullum est inconueniens, quin verò bonum id facere.

ARTICVLVS. VII.

Vtrùm liceat Iudicibus siue Prælatis in aliquo casu eos qui non sunt sibi subditi & subiecti iudicare?

HAec Difficultas etiam proponitur à D. Thom. 2. 2. quæst. 67. art. 1. Et quamuis aliqua ex parte coincidere videatur cum difficultate à nobis proposita in art. 2. huius quæstionis, quo egimus de iudicio vsurpato: de qua etiam agit idem D. Thom. q. 60. art. 6. non tamen (vt mihi videtur) inutile omninò erit eandem in medium adduxisse; propter multa specialia, & particularia, quæ habet, quæ haudquaquam pigebit legisse. Agendum est enim in hoc articulo, de exemptione Clericorum, & Ecclesiasticorum, à potestate sæculari, & laica: & quonam iure hoc ipsis conueniat, Diuino an solum modo humano: & insuper an sæculares Iudices, in aliquibus casibus de Clericorum causis possint cognoscere, ipsiue eorundem iurisdictioni se submittere, multisque alijs. Et vt pro more nostro hac in re clarius, atque distinctius procedamus, libet difficultatem prædictam aliquibus propositis argumentis hinc inde discutere: seu quod dicitur difficilem reddere: Et quidem quod interdum aliquis possit iustè iudicare, in aliquo casu, eum qui non est sibi subditus, atque subiectus, in primis colligi videtur, ex facto olim Prophetæ Danielis, qui vt habetur in ipsius historia, cap. 13. senes quosdam de falso testimonio conuictos suo iudicio cõdemnauit: qui quidem senes (vt ex eodem loco constat) non erant subditi Danieli, imo verò erant iudices populi, & Daniel forsan non erat iudex: licitum est ergo in aliquo casu, quempiam non sibi subditum iudicare, & condemnare.

Secundò probatur id ipsum: nam Christus † Dominus (vt de se patet) nullius hominis fuit subditus, quin verò vt habetur Apocalypsis 19. Ipse erat Rex Regum & Dominus Dominantium: & tamen subiecit se iudicio Pilati, qui & ipsum iudicauit: neque de eo ab aliquo reprehenditur, sed tantummodo, quia cum esset innocens inique eundem morti condemnauit, de quo prius dixerat nullã in eo mortis causam se inuenisse, non ergo est omnino illicitum, quod in casu possit aliquis non sibi subditum iudicare. 50

Tertiò. Ad idem sic argumento: nam secundum † Ciuilia, & Canonica iura, quilibet sortitur forum secundum rationem delicti, quod committit: & quandoque contingit, quòd qui delinquit, non est subditus eius, ad quem pertinet forum illius loci, sed vel est exemptus aut alterius diœcesis, & tamen illum iustè iudicat: ergo bene potest 51

test quis in casu, eum qui non est sibi subditus iudicare. Quod hac in re tenendum est, explicabitur per sequentes Conclusiones.

Prima Conclusio.

52 NVlli Prælato † siue Iudici, Ecclesiastico aut Sæculari, licitũ est eum qui iure ordinario, seu alio speciali non fuerit sibi subditus iudicare, & contrarium faciens (prterquam quod peccabit mortaliter) omnia per eum gesta, erunt ipso iure nulla, & nullius prorsus valoris, atque momenti. Hæc conclusio est expressa D. Tho. loco vbi supra, nullaque alia indiget probatione, quam ea quam adduximus in art. 2. huius quæstionis ad probandum esse iniquum, iniustũ, atque illicitum: quin verò, & omninò
53 nullum iudicium † vsurpatum: & tale vocat D. Thom. omne illud quod fit ab incompetenti Iudice, & non legitimam authoritatem & iurisdictionem habente. Sed vt quod dicitur plenius elucescat, oportet aduertere, qđ quatuor modis contingere potest,
54 † vnũ subditum esse alteri. Primo iure ordinario, atque simpliciter: quomodo omnes fideles in spiritualibus subditi sunt Papæ, & in temporalibus Imperatori, Regi, siue Principi. Secũdò potest contingere id ipsum iure extraordinario, & per potestatem delegatam: quomodo quælibet prouincia subijcitur suo proconsuli, & quælibet ciuitas proprio Prætori, cuius ciues subduntur ipsis non quidem iure ordinario, & de per se sed per potestatẽ acceptam, & delegatam ab Imperatore, Rege, siue Principe. Tertiò quãdo quis sua sponte alterius iudicio se submittit, vt qui sua voluntate eligit iudicem arbitrum, siue compromissarium: id quod & fieri contingit frequenter ex consensu partium litigantium, & voluntariè conuenientium in Iudicẽ aliquem. Potestque interdũ contingere, vt in eo casu ipsi Iudices sint inferiores, & subditi illis, quos iudicant, cum superiores possint liberè proprias suas causas, etiam sibi subditis dijudicãdas, atque determinandas committere: eruntque tunc eiusmodi iudices arbitri, & compromissarij, simpliciter sunt inferiores, & secundum quid superiores, quantum ad illud negotium, quod habent dijudicare. Quarto, & vltimò esse potest quis alteri subditus, & quempiam in ipsum potestatem habere (etiam si aliàs non esset sibi subditus) ratione delicti cõmissi: vt qui peccat in alieno territorio, siue districtu: nam omnes † superiores, siue iudices propria habent ter- 55
ritoria, & proprios districtus, in quibus ferre possunt iudicium de omnibus ibidem accidentibus: extra quæ nullũ omninò possunt iudicare, iuxta caput, vt animarum de constitution. libr. 6. vbi dicitur: Quod iudici extra territorium ius dicenti non paretur: intra verò ipsum omnes illis obedire tenentur, & omnes indiscriminatim iudicare possunt; etiam si sint exempti, & alterius territorij, siue diœcesis ibidem si deliquerint, modò non delinquant in re exempta à tali tribunali, de quo est alia ratio, & id in præsenti tractare non libet, vt ne dum omnia simul dicũtur cõfundãtur. Sat sit dicere quod in tali casu iudicabitur à iudice competenti, non verò ab alio. In capitulo licet ratione de foro competenti adducuntur aliæ causæ præter delicta, quæ ius faciunt iudicibus cõprehendendi, & castigãdi alienos subditos: quæ videantur ibidẽ: nec enim possunt omnia simul dici. Hoc præmisso ac præsupposito notabili, dicit modò nostra conclusio, quod nulli Prælato siue iudici, Ecclesiastico aut sæculari, licitum est iudicare eum qui non fuerit sibi subditus, iure ordinario, seu aliquo speciali extraordinario ex supradictis, & quod contrarium faciens peccat mortaliter, & omnia

per

per eum gesta sunt ipso iure nulla. His sic in communi dictis, descendendo ad particularia, sit secunda conclusio.

Secunda Conclusio.

56 NVllus iudex † sæcularis, in clericorũ causas potest se intromittere: nam clerici tam in ciuilibus, quam in criminalibus, exempti sunt à sæcularium iudicum iurisdictione. Hæc conclusio satis constat ex supradictis: atque ex dictis supra quæstion. 1. artic. 5. & 6. agendo de causis in quibus iudices Ecclesiastici, & sæculares possunt se intromittere. sed specialiter probatur, ex sententia D. Gregorij quam affert D. Thom. in præsenti articulo; & refertur, in capitulo scriptum est, 6. quæst. 3. vbi explicando illa verba Deuter. 23. Si intraueris segetem, &c. (inquit) Quod qui iudex alterius subditum iudicat, est quasi qui falcem in alienam messem mittit. Idem habetur, in cap. in Galliarum. 25. quæst. 2. quod est eiusdem Diui Gregorij in Epistola ad Augustinum Anglorum Episcopum; sed ad
57 probandum † quod clerici tam in ciuilibus quam in criminalibus, exempti sint à sæculari iudicio, habentur plura ac ferè in numera iura, & decreta dist. 96. per totam, & 2. quæst. 2. per totam, & in decretalibus toto titulo de immunit Ecclesiæ. Sed specialiter facit ad idem cap. cum non ab homine, ca. at si clerici cap clerici, cap. qualiter, de iudicijs, cap. cum diligenti, cap, significasti, de foro competenti, & cap. secularis, eo titul. lib. 6. cap. cõtinua, & cap. placuit, cap. cum nullus, 11. quæst. 1. & cap. si iudex laicus de sentent. excommunicationi, lib. 6. Idẽ habetur de iure Ciuili, in authentico, vt clerici proprios iudices conueniant collatione, 6. & de iure nouo Hispaniæ, facit ad idem lex 17. tit. 6. part. 1. & l. 7. tit. 3. lib. 1. ordin. Facit & ad hoc Concilium Constantiense, sessione 8 vbi damnatus, † olim fuit error 58
Ioannis Hus, Vvicleph, aliorumque Hæreticorum, subijcientium Ecclesiam, & viros Ecclesiasticos Imperatoribus, Regibus, atque Principibus, & Iudicibus secularibus. Quem eundem errorem postmodum suscitauit Lutherus, qui & propterea, ac propter innumeros alios damnatus est id que meritissimè: & in Concilio Tridentino, sessione vigesima quinta, ca. 20. de nouo approbata, & confirmata sunt omnia priuilegia, & immunitates, quæ actenus pro Ecclesijs fuerant concessa. Videatur hac de re Extrauagans Ioannis, 22. quæ incipit: licèt iuxta doctrinam Apostoli: Turrecremata, libr. 2. de Ecclesia, capit. 25. vbi ad hoc propositum reperire licebit multa, eaque notatu dignissima, quæ ipse breuitati studens, in præsentiarũ referre ommitto. Sed inter omnia ad hoc propositum est summa animaduersione dignum, id quod tradit Rufinus, lib. 10. suæ historiæ Ecclesiasticæ cap. 2. nempè in Concilio Nicæno tradita fuisse à non nullis Episcopis † Imperatori Constantino, multa me 59
morialia scripta, & libellos, continentes aliorum Episcoporum crimina, vt iudicarentur, & punirentur ab ipso, pijssimumque Imperatorem acceptis illis, publicè in præsentia totius Concilij, omnes eos clausos, nec lectos, igni tradidisse, sequentiaque notabilia verba protulisse: Deus constituit vos sacerdotes, & potestatem dedit vobis de nobis quoque iudicandi, ideoque nos à vobis rectè iudicamur, vos autem à nobis non potestis iudicari. Verba sunt profectò, aurea, & mira, ac toto corde à cunctis Principibus, sæcularibusque iudicibus semper memoria retinenda. Hoc itaque est certissimum, ac constitutissimum; de quo nulli licèt dubitare. De hoc etiam videatur latissimè Farinacius, tomo primo, quæstione octaua per totam, vbi

& ad

& ad hoc propositum reperire licebit multa notatu dignissima. Solummodo est inter Doctores controuersia, quonam iure hæc Clericorum, & Ecclesiasticorum exemptio, à sæcularium iudicum iurisdictione ipsis conueniat: humano solummodo, an etiam diuino? A cuius quidem rei tractatione consultò in præsentiarum supersedeo: cum non sit præsentis loci: & quia de hoc supra aliquid dixi, & in primo tomo nostri Manualis, seu directorij Prælatorum regularium, quæstió 13. artic. 1. latissimum de eo fecit sermonem. Vt tamen etiam hic aliquid præ manibus habeatur, sequens statuitur conclusio.

Tertia Conclusio.

60 Clericorum, & Ecclesiasticorum exemptio † à potestate sæculari & laica, in rebus temporalibus, ciuilibus, siue criminalibus, non competit eis immediatè ex iure diuino, sed ex papali, siue etiam Imperiali humano: diuino tamen ac rationi naturali multum conformi. Pro cuius conclusionis intelligentia: antequam ad ipsius probationem accedam præmittere libuit, esse certissimum, atq; con-
61 stitutissimum, Pontificis † Summi aliorumq; Prælatorum Ecclesiasticorum iurisdictionem in suos subditos, quantum ad spiritualia omni procul dubio sibi competere ex iure diuino:
62 nulloq; modo † eos esse subiectos Imperatoribus, aut regibus, sæcularibus ve Principibus: sed ab eis omnibus omninò exemptos iure diuino: quod probari posset multis iuribus, & rationibus: sed specialiter constat, ex capite duo sunt, & capite, si Imperator, dist. 69 Quibus dicitur ex diuino iure, ac diuina ordinatione, principes sæculares quantum ad spiritualia iudicare non posse de clericis, & Ecclesiasticis personis: estque communis Doctorum omnium resolutio, vt iam etiam supra diximus, quæstione secunda, articulo secundo, & tertio: & potestates prædictas, temporalem scilicet, & spiritualem: diuino iure esse distinctas, pertinereque primam ad Imperatorem, Reges, & sæculares Principes: hanc verò secundam ad Pontificem Summum, reliquosque Ecclesiæ Prælatos (respectiuè) de quo nulli dubium. Nam solummodo Diuum Petrum, & Apostolos, eorumq; successores: non verò Imperatorem, Reges, aut sæculares Principes, in spiritualibus reliquit Christus Dominus, Ecclesiæ suæ sanctæ gubernatores, ac fecit esse fidei Magistros, & causarum omnium spiritualium Iudices: vt superq; satis constat ex tota pagina noui testamenti: & ex antiquissima perpetua, semperque obseruata, iam inde à prædictorum Apostolorũ tempore traditione. Sed quod quantum ad temporalia, exẽptio prædicta tam in Ciuilibus, quam in criminalibus, Clericorum, & Ecclesiasticorum, à sæculari foro, & iudicio non eis competat de iure diuino, sed ex papali humano, cui etiam ius Ciuile, & consensus Christianorũ Principum subscripsit (vt tenet expresè Syluest. verbo, iudex 1. num. 4.) probari potest efficacissimè sequentibus rationibus. Primo ratione deducta à tributis: nam tributa † ideo dantur 63
Regibus, & Principibus sæcularibus, vt gubernent sibi subditos, dicantque illis ius: & eadem videtur esse omninò ratio, (stando in iure naturali, & diuino) fori, & tributorum: ita quod qui tenetur ad vnũ in temporalibus, etiam teneatur ad aliud: sed clerici, & Ecclesiastici (vt expresè dicit D. Thom. in 1. Episto. ad Timot. cap. 13. tenetque illud communis Doctorum resolutio) non sunt liberi, & exempti iure diuino à soluendis tributis, & vectigalibus: sed solummodo iure Pontificio, cui & per sua priuilegia subscripserunt postmodum Imperatores,

Reges,

Reges, & sæculares Principes: ergo prædicta Clericorum exemptio à sæculari foro, & iudicio, non sibi competit ex prędicto iure diuino: sed de Papali humano, & positiuo, ad sensum supradictum. Cui efficacissimæ rationi quam maximè etiam fauet doctrina D. Pauli ad Rom. 13. vbi agendo de vectigalibus & tributis prædictis, absque vlla prorsus distinctione, & discrimine, de Clericis, aut non Clericis, præcepit, vt reddantur oĩbus debita, cui tributum, tributũ: cui vectigal, vectigal: ergo clerici eo tpe non habebant eiusmodi exemptionem non soluendi tributa, & consequenter non sunt exempti in temporalibus à sæculari foro, & iudicio de iure diuino: sed tantummodo ex Papali humano.

Secundò probatur id ipsum: nam distinctio Clericorum, & laicorum est à iure diuino positiuo (vt de se patet) potestas autem ciuilis sæculariũ Principum in suos subditos, Clericos & non Clericos circa temporalia, est à iure naturali: sed gratia nõ destruit, quin verò perficit naturam, nec ius diuinum distinguens Clericos à laicis credendum est spoliasse sęculares principes iurisdictione, & potestate, quam de iure naturali habebant in suos vassallos etiam clericos circa temporalia: ergo dicẽdum est quod exemptio prędicta non sibi competit præcisè ex iure diuino: sed ex pontificio, & papali humano, cui subscripserunt post modum Imperatores, Reges, & sæculares Principes.

Quod autem id ipsum fecisse, iuri diuino ac rationi naturali fuerit multum conforme, constat in primis: ex doctrina D. Pauli, 1. Corin. 6. vbi agendo de iudicijs forensibus, acriter reprehendit quosdã, qui fideles illius temporis (forsan loquitur de Ecclesiasticis, & specialiter Deo sacris) ad sæcularia trahebant tribunalia: Audet (inquit) aliquis vestrum, habens negotium aduersus alterum, iudicare apud iniquos, & non apud sanctos? Vbi iniquos infideles vocauit iudices, sanctos verò fideles, & baptizatos. Ex quo loco pluribusque alijs verbis, quæ ibidem dicit à me in præsentiarum breuitatis gratia prætermissis: haud incongruè quidem colligitur, prædictã clericorum exemptionem à sæculari foro, & iudicio, quam maximè rationi naturali, ac iuri diuino fuisse consonam. Fauet præterea prædictæ nostræ resolutioni alia specialis ratio: vt non si quidpiam incontrariũ fuisset statutum, siue ordinatum: sęculares iudices in suis tribunalibus clericorum, & Ecclesiasticorum crimina cognoscentes, eosdem despicerent, atque contemnerent, & nec par etiam esse videbatur, vt pastores iudicarentur à suis ouibus: & qui ex ratione sui officij diuino erãt seruitio mancipati, profanis iudicijs per potestates sæculares adstricti: à proprijs ministerijs alienarentur, & apud tribunalia sæcularia diuagarentur: quæ omnia multum rationi, ac iuri diuino sunt conformia. Videatur hac de re Farinacius vbi supra nu. 2. cum seqq.

Quarta Conclusio.

IN causis mere temporalibus, † & 64
ciuilibus, benè possunt etiam nũc clerici, & Ecclesiastici (si volunt) iudicibus sæcularibus, seu arbritris aut compromissarijs se submittere sicuti & quilibet alij litigãtes id ipsum possunt facere. Hæc conclusio constat in primis exemplo Christi, qui se Pilato subiecit, tanquam iudici cuidam arbitro: item & exemplo Leonis IIII. qui vt habetur in cap. nos si incompetenter 2. quæstione, 7. in quadã causa ciuili, Ludouico olim Imperatori se subiecit: vbi glos. verbo, aliena, dicit optimè eundem id ipsum facere potuisse: pro quo allegat, legem est receptum, ff. de iurisd. omnium

iudi-

iudicum, & (vt videtur) intendit dicere, quod potuerit id etiam facere in aliqua causa criminali: quamuis nemo eum potuisset deponere: iuxta ca. nemo 9. quæstione. 3. sed de hoc statim dicemus. Solummodo dico, quod id ipsum quod prædictus Leo fecit, cõstat ex Historijs fide dignis, plures alios Pontifices fecisse: & Imperatorum iudicium subijsse. Probatur præterea supradicta conclusio: nam (vt supradictum est) clericorum exemptio à iudicibus sæcularibus, conuenit sibi (nõ quidem de iure diuino) sed papali humano, & ex priuilegio põtificio, per Imperatorem, Reges, & sęculares principes postmodum etiam confirmato, & approbato: sed priuilegio
65 † in proprium fauorem concesso quilibet potest quemadmodum & iuri suo cedere, & renunciare, nisi lege aliqua prohibeatur id ipsum: & legibus Ecclesiasticis non reperitur prohibitum, vt clerici in causis temporalibus, & ciuilibus, sæculari iudicio nõ subijciantur: sed tantummodo in criminalibus, vt constat ex capite inolita, & capite placuit 11. quæstion. 1. & capit. si diligenti, de foro competenti. Bene ergo possunt id ipsum facere si voluerint: & simili ratione cuilibet alteri iudici arbitro, siue compromissario. Quod est etiam certissimum.

Quinta Conclusio.

66 IVre defensionis † seu bonæ gubernationis, bene possunt iudices sæculares in aliquibus casibus in clericorum causas quodammodo se intromittere, & aliqualem iurisdictionem exercere eosdem capiẽdo, & detinendo (si necessarium extiterit,) & proprijs prælatis, siue iudicibus postmodum tradendo. Hæc conclusio de se est manifesta, & communi vsu cõprobata, & recepta: nam si (verbi gratia) aliquis clericus sit insolens, & facinorosus, velitque aliquem innocentem inuadere: occidere, aut per vim opprimere: si perturbat rempublicam, vel quidpiam aliud facit simile: in his casibus, & similibus certum est, quod iure defensionis, & bonę gubernationis, bene potest iudex sæcularis eiusmodi clericum capere, & detinere: donec commoditate habita, illum suo iudici, & prælato tradat: nam id spectat ad bonam gubernationem reipublicæ: innocentes, & iniuriam patientes defendere: eandemque à perturbatoribus tueri. Iudicare autem, aut punire eiusmodi clericum, nullo modo poterit sæcularis iudex: nam in id requiritur iurisdictio: quam in clericos ipsi nullatenus habent, vt dictum est. Videatur Farinacius vbi supra à num. 47 cum seqq. latissimè. Nunc superest respondere ad argumẽta proposita in initio articuli.

Ad primum de Daniele, dico, quod id facit quidem & iure optimo, sed ex auctoritate, & potestate sibi à Deo delegata, & demandata: quod satis indicat ibidem Scriptura sacra, dum dicitur: Quod cum Susanna à falsis iudicibus accusata, atque ad mortem damnata, magna voce exclamaret ad Dominum: exaudiuit Dominus vocem eius, & suscitauit spiritum pueri iunioris, cuius nomen Daniel: qui conuictos falsos illos iudices de testimonio falso, quod ipsi imposuerant, auctoritate eiusdẽ Dei eosdem suo iudicio damnauit. Sicque argumentum nihil omninò concludit, aut continet difficultatem: neque enim id fuit Danielem iudicare non sibi subditos (vt argumentum prætendit) quin iudicauit illos, quos subditos habuit, auctoritate sibi à Deo delegata.

Ad secundum de Pilato, qui iudicauit Christum: Respondet D. Tho. in presenti articulo: quod sua voluntate ipse Christus se eidem submisit ab eo vt iudicaretur, exemplo eorum,

qui

qui eligunt iudicem aliquem arbitrum, cuius arbitrio parere tenentur, & stata pœna obligantur. Circa quam D. Thom. solutionem, eius sdem discipuli, & expositores, varias, ac ferè innumeras adducit difficultates, circa exemplum adductum iudicis arbitri, quærentes etiam & incontrouersiam adducentes: an Papa & Summus Pontifex Christi eiusdem exemplo, alterius iudicio, siue iurisdictioni possit se submittere, atque subijcere? & in quibus causis id possit, aut non possit facere? Quibus de rebus haud quaquam vacat per tempus dicere: sunt enim longissimæ: videatur de hoc prædictus D. Thom. vbi supra & in 4. sententiarum, distin. 19. quæstion. 1. articul. 3. & Richardus distinction. 18. articul. 5. & Paludanus ibidem, quæstion. 2. Caiet. 2. 2. quæstion. 67. articul. 1. in solut. ad 2. Turrecrem. lib. 2. de ecclesia, capit 69 & capit. 104. & 105. Et ex iunioribus Soto, lib. 5. de iustit. & iure, quæstion. 4. articul. 1. in solut. ad primum: & Salon de iustitia & iure, super 2. 2. D. Thom. quæstion. 67. articul. 1. Controuersia 2. vbi reperire licebit multa, eaque notatu dignissima. De clericis autem iam dictum est in 4. conclusione: quod in rebus temporalibus, & ciuilibus, iudicibus sæcularibus, sicut cuilibet alij arbitro possunt se submittere.

Ad tertium de delinquentibus in alieno territorio: iam etiam dictum est in notabili posito: in comprobatione 1. conclusionis qualiter etiam possint puniri, modò non delinquant in aliqua re exempta, vt puta in administratione bonorum alicuius monasterij exempti: nam in tali casu puniuntur à iudice competenti. Et hæc dicta sufficiunt de isto articulo: nam non licet per tempus, in particulari tot ac tanta dicere. Videantur de ijs omnibus Doctores supracitati, & Farinac. tom. 1. in dicta q. 8. per totam.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm iudices siue prælati in peccato mortali existentes, alios iudicando peccent mortaliter?

PRo huius articuli intelligentia oportet præmittere, errorem fuisse olim Vualdensium, & Ioannis Vuicleph, aliorumque Hæreticorum, quos refert Castro libr. 9. aduersus Hæreses, verbo, potestas, asserentium per quodcunque peccatum mortale illam amitti, peccareque proinde omnes Iudices, tam Ecclesiasticos, quàm sæculares, in peccato mortali iurisdictionem aliquam exercentes. Huius erroris potissimum fundamentum est, quia existimabant iurisdictionem omnem, tam Ecclesiasticam, quam Ciuilem, fundari in gratia, & amicitia Dei, quæ cum per peccatum mortale deperdatur (vt certum est) consequenter aiebant, omnem cuiuscunque peccati mortalis reum, iurisdictionem amittere: peccareque proinde illam exercendo & alios iudicando: cum huiusmodi iudicium sit vsurpatum, de quo dictum est supra esse semper peccatum mortale. Sed hæc sententia manifestus est error: & vt talis condemnatus, in Concilio Constantiensi, sess. 8. cap. 15. Qua de re videatur Thomas Vuald. tom. 1. lib. 2. cap. 81. & tom. 2. lib. 1. cap. 8. & Castro, loco supra citato, vbi ex sacra Scriptura multis petitis locis, & argumentis id ipsum comprobant, & iurisdictionem Regum, Principum & iudicum sæcularium quam maximè, non fundari super gratia, neque amitti per peccatum mortale, quod est certissimum, atque cōstitutissimū.

Sed prætermissis Hæreticis, ex Catholicis non etiam defuere, qui dixerint, omnem † iudicem tam sæcularem, quam Ecclesiasticum, in pecca- 67
to mortali alios iudicantem, peccare mor-

mortaliter. Hanc sententiam in primis tenuit olim Alexand. Alens. vt refert Syluest. verbo iudex, 1. num. 10. qui & tenuit eam de vniuersis iudicibus, tam sæcularibus, quam Ecclesiasticis in peccato mortali existentibus. Cuius opinioni, quamuis totaliter prędictus Syluest. non adhęreat: dicit tamen eam esse veram, saltim in Prælatis, & Iudicibus Ecclesiasticis, qui existentes in peccato mortali publico, siue occulto, alios iudicando, & sententiam in illos proferendo, peccant mortaliter. Tenet hoc etiam Syluester, verbo correctio 1. §. 15. & 16. Quam etiam sententiam, & opinionem tenuit olim D. Thom. in 4. sentent. distin 19. quæst. 2. artic. 2. & Palud. ibidem, quæstio. 3. nec desunt pro illa aliqua non infimi ponderis argumenta, & rationes. Et quod id

68 ipsum † sit dicendum, colligi videtur, 1. ex illo Matth. 7. vbi Christus Dominus dixit: Nolite iudicare, & non iudicabimini: Nolite condemnare, & non condemnabimini: In quo enim iudicio alios iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remittetur vobis. Post quę & subdit: quid tu vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non vides? vocatque talia facientes hypocritas, idest fictos Quibus verbis insinuari videtur, non licere iudicibus, in similibus, aut forsan maioribus peccatis existentibus, alios in minoribus existentes, iudicare, aut damnare. Quod & comprobari potest etiam exemplo mulieris olim in adulterio deprehensæ, cuius historia refertur Ioan. 8. vbi dicitur, quod cum Scribæ, & Pharisæi eandem ad Christum adduxissent, vt iuxta legem Moysi Leuit. 20. iuberet illam lapidari, aut viderent quid diceret, vt possent eum accusare: dicit sacer textus, quod ipse deorsum se inclinans, digito scribebat in terra: qui sine peccato est vestrum, primus mittat lapidem in illam. Quod cū semel, & iterum fecisset, id ipsum audientes, & quasi misterium intelligentes: vnus post alterum exierunt. Remansitque Iesus solus, & mulier in medio stans. Cui & dixit idem Christus: mulier vbi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnauit? At illa, nemo Domine, cui & Christus, neque & ego te condemnabo: quasi diceret: qui solus possem cum sim sine peccato: vade & iam amplius noli peccare: quod fuit quasi eandem ab instantia absoluere. Quid clarius, aut efficacius ad hoc propositum adduci potest ad ostendendum quod existentes in similibus aut maioribus peccatis, haudquaquā possunt alios iudicare, aut damnare.

Secundò probatur id ipsum, ex doctrina D. Pauli in Epistola ad Rom. capit. 2. vbi verba faciens cum omnibus in vniuersum iudicibus, inquit. Propter quod inexcusabilis es, ò homo tu omnis qui iudicas: in quo enim alterum iudicas, te ipsum cōdemnas: eadem enim agis quæ iudicas. Ex quo loco sic potest formari argumentum. Nemo condemnatur, aut condemnari potest, nisi propter peccatum mortale: sed iudex, qui iudicat alios, in his, quæ idem ipse facit, ex sententia D. Pauli condemnatur, seque per eiusmodi iudicium reddit condemnabilem: ergo quicunque iudex sæcularis siue Ecclesiasticus illud facit, peccat mortaliter Et certè valde ponderanda est illa coniunctio causalis, enim: dum quasi rationem reddens eorum, quæ dixerat, & prædictæ condemnationis (inquit) eadem enim agis, quæ iudicas.

Tertiò sic ad idem potest argumentari: nam ministri per omnia, quoad maximè fieri poterit, debent assimilari principali agenti, iuxta illud quod habetur Leuitic. 10. de illis, sancti eritis, quoniam ego sanctus sum: sed iudices (vt satis constat ex tota sacra pagina) sunt Dei ministri, vt enim

habe-

habetur Sapien.8.& ad Rom.10.per ipsum Reges regnant & Principes imperant, & legum conditores iusta decernunt: ergo in peccato mortali existentes cum Deo principali agenti non assimilentur, quin verò quàm maximè se reddant dissimiles; eiusmodi munus, & officium in eo statu exercẽtes mortaliter peccant.

Quartò & vltimo potest id ipsum probari, specialiter de iudicibus Ecclesiasticis, ex cap. quæsitum de temp. ordinan. vbi habetur admonendos esse sacerdotes omnes, sub interminatione diuini iudicij, ne existentes in peccato mortali ministrent in ordinibus suis, ex quo loco non incongruè colligitur: quod idem sit dicendum de prædictis iudicibus (saltem Ecclesiasticis) & quod sicuti sacerdos in peccato mortali etiam occulto existens, sacerdotale munus exercendo, & sacramenta administrando mortaliter peccat: ita & iudex, qui in mortali iudicat. Videtur enim consequentia legitima, à paritate rationis, postquam vtraque est iurisdictionis potestas, & sicut vna est à Deo, ita & alia. Ex quo proinde sequi videtur, quod vtriusque exercitium similem dispositionẽ requirat, & vtrobique mortale sit peccatum ministrare sine ipsa. Hæc sunt fortissima quæque argumenta, quæ pro hac parte, & sententia possunt, & solent adduci: quibus non obstantibus in contrarium est veritas, quæ explicabitur, per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

69 IVdices siue Prælati† in peccato mortali occulto quantumuis grauiter existentes, ni forte sint excommunicati aut suspensi: alios de similibus seu etiam grauioribus iudicando, non peccant mortaliter. Apposita sunt consulto illa verba, ni forte sint excõmunicati aut suspensi: nam de his aliud est iudicium: vt dicemus statim in sequenti articulo. Sicque explicata prædicta conclusio est expressa sententia D.Thom.2.2.q.33.art.5. & q.60. art.2. in solutione ad tertium & 3.p. q.64.art.6. quibus in locis: apertè retractauit opinionem, quam tenuit in 4.sent.dist.19 quæst.2.art.2.quæst.2. & expressè dicit non peccare iudicem existentem in peccato mortali occulto alios iudicando; sed tantummodo id ipsum si faciat existens in peccato publico ratione scandali, vt statim dicemus in sequenti conclusione. Eandem sententiam tenet Caiet. eisdem in locis, & specialiter in Opusculis tom. 3. in particulari quæstione, quam facit de vsu rerum spiritualium. Id ipsum dicit Sot.lib.3.de iustit.& iure, quæst. 4. art. 2. & Nauarro in rubricam de iud. num. 42. & omnes communiter Thomistæ: qua de re videatur nunc nouissime Salon, 1.tom.de iustit.& iure super 2.2.D.Thom. quæst. 60. art. 2. Et probatur conclusio ratione: nã, iudex† in peccato mortali occulto existens, vt cunque sceleratus sit, verum 70
habet titulum & facultatem alios iudicandi: cũ eiusmodi potestas nec fundetur in gratia, aut per peccatum mortale amittatur, vt contra Vuicleph, & alios Hæreticos, ingenue probat Vualdensis, & Castro, loco vbi supra, & omnes communiter DD. in materia de dominio: ergo saltem ex hac parte, suum munus, & officium exercendo, quicunque ille sit, ecclesiasticus, siue secularis, haudquaquam peccat mortaliter. Et confirmatur: nam aliàs sequeretur, quod omnes olim Gentiles iudices cum iudicabant, iustitiamq; administrabant, in eo peccabant mortaliter, postquam erant extra gratiam, vel etiam in actuali peccato mortali; consequens autem est falsum, & contra expressam doctrinam D. August. qui in libris de ciuitate Dei, Romanos olim frequentissime laudat de rebus à se gestis, & de suis iudicijs, & æqui-

æquitate, quam in iudicando seruabant: non ergo dicendum est quod in eo munere, & officio exercendo, mortaliter peccabant.

71 Secundò probatur id ipsum, † hac etiam efficacissima ratione: nam qui iudex in iudicando, seruat conditiones in id ipsum requisitas, nullatenus dici potest, aut debet, quod peccet mortaliter: sed existens in peccato mortali, si legitimam habeat authoritatem, & potestatem, feratq; iudiciũ (vti tenetur) ex inclinatione iustitiæ, ac secundũ rectam rationem, & æstimationem prudentiæ plenissimè seruat omnes conditiones ad iudiciũ requisitas: vt constat ex dictis in art. 1. huius quæstionis: ergo in hoc faciendo non peccat mortaliter, imo verò quandoq; nec venialiter: quidquid dicat Caietanus, & Soto locis supra citatis: nam talis iudex facit opus, quod de se est moraliter bonũ, nempe iudicare: sicut & qui dat eleemosynã, aut facit quodcũq; aliud opus moraliter bonum in peccato mortali: de quo certum est, quod quãuis in eo nõ promereatur gratiam, aut gloriã, non tamẽ peccat mortaliter, nec venialiter: idẽ ergo dicendum est in proposito. Sed loquendo de iudicibus siue Prælatis, existentibus in peccatis publicis, fit secunda conclusio.

Secunda Conclusio.

72 IVdices siue Prælati † existentes in peccato publico, alios de eisdem, seu similibus iudicantes, in eo faciendo peccãt mortaliter, propter scãdalũ. Hęc conclusio est etiã D. Tho. locis supra citatis, omniumque Doctorum communis. Sed intelligenda

73 est † quando eiusmodi Iudices, siue Prælati (vt dixi) iudicant alios de eisdẽ seu de similibus, aut etiam grauioribus: vt si v.g. cum sint latrones publici, propter id ipsum latrones iudicant, siue condemnant; aut cũ sint publici adulteri, adulteros persequuntur, ac si ipsi essent iusti: aliàs enim crederim, quòd non peccabunt mortaliter, si publici fornicarij existentes, homicidia aut latrocinia vlciscerẽtur: nam id non vergeret in ira graue aliorum scandalum: sicuti nec peccarent mortaliter, ex eo quod non essent eleemosynarij, & aliàs alios de alijs criminibus & defectibus dijudicarent. Sic intellecta & cũ hac modificatione, probatur prædicta cõclusio. Nam † eiusmodi Iudices siue Prelati in peccato publico existentes, alios de similibus iudicando, graue de se cunctis videntibus ingerunt scandalum, præbeturque occasio (haud quidẽ parua) quin verò maxima, vt eorum iustitia & authoritas apud populum paruipendatur, & contemnatur: dum vident non habere eandem vim in iudice, quam habet in alijs: neque esse idem iudiciũ pro maioribus, & pro minoribus: sed scandalum ex suo genere est peccatũ mortale, tantoque grauius quanto persona illud dans magis in omniũ oculis patet, & est veluti ciuitas supra montem posita (nam magis nocet Reipublicæ eiusmodi scandalum) ergo Iudices, siue Prælati id ipsum facientes, omni proculdubio peccant mortaliter. Quod & ex hac speciali ratione confirmatur. Nam Iudices siue Prælati ex suo officio tenentur sibi subditos corripere, obnixeque omnia media procurare, quæ necessaria visa fuerint ad eorum debitam correctionem, idque ex debito iustitiæ commutatiuæ: sed in peccato mortali existentes, haudquaquam possunt congruè id ipsum facere, quin verò omninò se reddunt ineptos ad sibi subditos corripiendos: vt enim dicitur communi prouerbio, qui † alienos carpit mores vitio carere debet: quin verò ex eo incitatur vulgus ad cõmittenda eadẽ crimina, quæ in suis Prælatis, siue Iudicibus intuentur; sperãtes (neq; immerito) similia qui perpetrant futuros sibi mites, peccareq; proinde posse impunè, & absque

74

75

que omni pęnæ periculo: sed isthæc facere Iudices, siue Prælatos, ineptosque se reddere ad ea, quę ex officio tenentur, absque dubio est peccatum mortale: ergo intentum.

Ad argumenta in initio articuli adducta, respondetur per ordinem.

76 1. Ad primum † adductum ex Matt. 8. vbi dixit Christus, nolite iudicare, &c. Dico esse consilium, idque saluberrimum, neminem temerè iudicare interiori iudicio: nec vero exteriori, absque conditionibus & circunstantijs in id ipsum requisitis: exinde tamen non sequitur, quod Iudices, siue Prælati in peccato occulto existentes, iuxta iuris pręscriptum ordinem alios iudicando, peccent mortaliter: nec verò venialiter. Solummodo sequitur, quod huiusmodi facto, dum alios iudicant, atque condemnant, semetipsos etiam condemnabiles reddunt, seu quod idem est, simili sententia, ac pęna dignos: non aliud colligi potest ex prædicto loco. Vocauit autem hypocritas, eos qui eo animo iudicant, vt se iustos esse simulent, & odio habere peccata: quod qui faciunt peccabunt ad minus venialiter. In quo sensu verum habet, quod dicit Soto, & Caietanus: at qui sine eiusmodi simulatione iudicat in peccato existens, vt suum munus, & officium, expleat non erit hypocrita, neque ex eo peccabit mortaliter, aut venialiter, & hoc est certum & tenendum.

Ad aliud quod adducitur ex Ioanne, cap. 18. de muliere adultera respondeo similiter, haudquaquam ex eo loco colligi, Iudicem siue Prælatum in peccato mortali existentem, alios iudicando mortaliter peccare, nouo peccato: sed solummodo denotatur decentia, & congruentia, qua oporteret alios iudicantes, omni labe & peccati macula carere: vt omni ex parte exacta foret administratio sui muneris & officij. Vel dicere possumus illos Scribas, & Pharisæos, qui eiusmodi mulierem condemnandam ad Christum adduxerunt, haud quaquam potuisse eandem iudicare, & condemnare sine peccato: cum publici ipsi essent peccatores, similibus, & maioribus criminibus irretiti, vt satis constat ex Euangelio: quapropter meritissimè ab eodem Christo fuerunt exclusi, & repulsi, vt non illam iudicarent, aut condemnarent: quod cum ipse posset solus facere (quia solus erat sine peccato) noluit: quin verò indulgentiam eidem indulsit ea lege, & pacto, vt non amplius peccaret.

Ad secundum adductum ex doctrina D. Pauli, de iudicibus iudicantibus alios, cum ipsi in peccatis existerent: potest id ipsum responderi: quod loquitur de iudicibus existentibus in peccato publico, & punientibus in alijs eademmet crimina, quæ ipsi publicè committebant: quod satis insinuatur in illis verbis, ibidem positis, eadem enim agis, quæ iudicas. Vel dico cum D. Tho hic in solutione ad tertium, quod condemnare, ibi non sumitur pro nouo peccato damnatione digno: sed tantummodo (vt diximus) quod talia facientes exercebant actum, quo se ostendebant condemnabiles, propter idem commissum peccatum: neque enim nouum est in sacra Scriptura, vti hac voce condemnare, pro eo, quod est condemnabilem aliquem se ostendere: nam eo modo intelligenda sunt verba illa Christi, Matth. 12. viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt eam, id est ostendent eam esse condemnabilem.

Ad tertium respondetur, nihil etiam aliud concludere, quam decentiam, & congruentiam. Oportet enim quàm maximè, quod iudices atque Prælati, vt poté qui ministri sunt Dei, cuius etiam officium agunt, & personam repræsentant in terra in iudicando alios, principali agenti quoad fieri poterit assimilentur: non tamen inde

sequi-

ſequitur, quod contrarium facientes, pro eo, quod iudicent extra gratiam, mortaliter peccent: ſi habuerint alias conditiones & qualitates ad iudicandum requiſitas. Quamuis enim in eo iudicio, non promereantur: haud quaquam tamen peccabunt: cum faciant opus quod de ſe alias eſt moraliter bonum, nempe iudicare, & partibus iuſtitiam miniſtrare.

Ad quartum & vltimum reſpondetur, quod, cap. quæſitum de temp. ordinand. loquitur de miniſtrantibus ſacramenta in peccato mortali, de quibus eſt diſpar ratio: nam in hoc duplex exercetur poteſtas, ordinis & iuriſdictionis, ad quas exercendas in collatione (ſaltem ordinis) ſacerdotibus confertur gratia, per quam digni efficiantur miniſtri, vt quod ſanctum eſt, debitè & ſanctè exequantur. Quo facto proculdubio datur intelligi eſſe neceſſum, ijdem vt in ſtatu gratiæ munus, & officium ſuum exerceant: & quod aliàs contrarium facientes peccabunt mortaliter: ideo enim præſtatur illis gratia: & ſacerdos debet ea ſanctitate vigere, quam alijs præſtat: vt habetur in dicto, capit. quæſitum. At hoc non eſt ita præciſè neceſſarium in ſæcularibus Iudicibus: neque etiam in Prælatis Eccleſiaſticis, iudicantibus alios in foro exteriori. Licèt enim in executione ſui officij, quod ſint in gratia & vitæ ac morum integritate polleant, quàm maximè foret expediens Chriſtianæ Reipublicæ, non tamen adeo vt in peccato mortali occulto exiſtentes, alios iudicando cenſeri proinde debeant, quod mortaliter peccent, etiam ſi ſimilibus aut grauioribus ſint irretiti, ceſſante ſcandalo: per quod fit ſatis propoſito articulo.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm Iudices ſiue Prælati excommunicati excommunicatione maiori, exercere poſſint actus iudiciales, & an ab eiſdem geſta, & facta ſint valida?

PRo huius articuli intelligentia, ac pleniori reſolutione, ſunt aliqua præmittenda. Et primo dico, conſulto à me fuiſſe propoſita verba illa, excommunicati excommunicatione maiori: nam de minori † loquen 77
do, quod quæritur nullam habet difficultatem quia ex communi omniũ Doctorum conſenſu, non priuat Iudices ſiue Prælatos actiua ſua poteſtate, & iuriſdictione: ſiue vſu ipſius: quod eſt certum & verum: & hac de re nulli dubium.

Secundo præmitto, eſſe varia ex-
communicatorum † genera, loquen- 78
do de excommunicatis excommunicatione maiori. Nam quidam ſunt occulti & qui tales eſſe penitus ignorantur: alij vero ſunt manifeſti ſeu potius notorij: quos multi aut plures intelligunt excommunicationem prędictam incurriſſe: vel per ſententiam iudicis, quæ dicitur a iure. Ex quibus etiam notoriè excommunicatis, alij ſunt vitandi ex decreto Concilij Conſtantienſis, poſito in extrauaganti, ad euitanda, nempe nominatim excommunicati, vel manifeſti per. uſſores Clericorum: alij non ſunt euitandi: nempe non contenti ſub prædicto decreto. Addo etiam vlterius, quod ex his omnibus quidam tollerantur ab Eccleſia, alij verò non tollerantur. Dicunturque tollerari qui præſtant ea, quæ alij fideles non excommunicati ſolent præſtare, ſciente Prælato & conſentiente, aut non prohibente: etenim ſi prohibente, non dici poſſunt tollerari.

Tertiò præmitto, quod nomina-
tim † excommunicati, eo ipſo quo 79

nominantur in loco, quo nominantur, iam non dicuntur ab Ecclesia tollerari: nam illa nominatio est simul mandatum & prohibitio Prælati, vt non ipsi cum alijs, aut alij cum ipsis communicent. At contingere potest, & dari casus, in quo quispiam vno in loco sit nominatim excõmunicatus, & in alijs id ipsum omninò ignoretur: de quo dico, quod vbi eiusmodi nominatio ignoratur, & quãdiu ignoratur, quantum ad alios perindè est, ac si eiusmodi non esset nominatus, aut exhibitum fuisset eiusmodi mandatum: & consequenter quamdiu ibi Prelatus expresse non prohibet tollerari dicuntur. Aliter enim esset in maximum damnum, & detrimẽtum boni communis: quod multi excommunicationem ipsorum inculpabiliter ignorantes, videntes ipsos se gerere tanquam non excommunicatos: bona fide cum illis communicarent, suaque negotia gererent: & quod ipsa postea haberentur inualida. Dicendum est ergo, quod nominatim excommunicatus, vbi id ipsum ignoratur, & quamdiu ignoratur: est ac si esset occultus. Vnde sicuti occulte excommunicatus, quandiu est occult⁹ tolleratur, seu tollerari dicitur: ita etiam & nominatim in vno loco excommunicatus, in alio vbi id ipsum ignoratur, & quãdiu ignoratur, etiam quadam ratione dicitur tollerari. Quod intelligendum similiter est de percussore clerici: quod duobus modis potest contingere. Primò quandiu non manifestè constat de ipsius culpa, & tali percussione: sed res est dubia, & adhuc sub iudice. Et de isto certum est, quod non est vitandus: nam Concil. Constan. prædictum, non quemcunque sed manifestum clerici percussorem vitandum præcepit. Vocatur autem manifestus, vel per euidentiam facti, aut per sententiam iudicis. Alio modo potest contingere, vt quispiam sit vno in loco manifestus percussor clerici, & in eo proinde vitandus: non autem in alio, vbi id ipsum inculpabiliter ignoratur: nã vbi ignoratur, est ac si esset occultus excõicatus, quadamq; rõne ab Ecclesia tollerari dicitur: quãdiu Prælatus illius loci non specialiter eũ prohibet, sicut dictũ est de nominatim excõicato: propter eandem rationem boni cõis, & vt fideles non inquietentur, & negotia cum eis gesta nullitatem habeant: quod est multum notandum, & memorię cõmendandum: pro his quę in sequentibus conclusionibus sunt dicenda.

Quartò & vltimò præmitto, hoc interesse discriminis inter excõicatos, & alios fideles non excõicatos: nam excommunicati † eo ipso, quo excommunicati sunt, ex præcepto Ecclesiæ prohibiti sunt cum alijs communicare, quod præceptum non licet sibi præterire: & saltim in rebus grauibus obligat sub mortali: à qua quidem culpa non excusantur, ni fortè per ignorantiam inculpabilem. Etenim qui sciens, & prudens, contra huiusmodi præceptum communicat cũ alijs, iam contemnit Ecclesiam: cuius contemptus omni procul dubio ex suo genere est peccatum mortale. 80
At verò reliqui fideles † non excommunicati: non tenentur excommunicatos prædictos vitare, nisi tantum in supradictis duobus casibus expressis à supradicto Concil. Constan. in dicta extrauag. ad euitanda: nempe qñ sunt nominatim exõicati, aut manifesti percussores alicuius Clerici. Et rõ prædicti discriminis est: nam vt probè d cit Soto in 4. dist. 22. q. 1. artic. 4. decretum Concilij Constan. non est editum in fauorem prędictorum excommunicatorum: sed solummodo in fauorem aliorum fidelium, ad vitandos scrupulos, & pacandas, & assecurandas ipsorum conscientias. Quocircà isti tantũ tenentur vitare excõmunicatos in casibus prædictis, 81

dictis, illi verò in omnibus manent cum vinculo, & obligatione abstinendi, & subtrahendi se à communicatione aliorum fideliũ, quicunq; ipsi sint, eo ipso, quo sciunt se esse excommunicatos: quod multum est notandũ, ac memoriæ commendandum.

His præmissis dico, quod circa difficultatem propositam, sunt duæ extremæ DD. opiniones.

Prima opinio est antiquorum, asserentium † quemcunq; excõmunicatum (etiam occultum) cui id innotescit, peccare quidem mortaliter exercendo actus iudiciales, gesta tamen & facta ab eo tenere, & esse valida: at verò de publico, & notoriè excommunicato: dicunt prædicti, non solum in eo peccare mortaliter, verum omnia ab ipso gesta, & facta, esse omninò nulla, & in valida. Hanc sententiam & opinionem tenent imprimis, Innocen. & Panor in cap. veritatis de dolo, & contumacia. Idemque sentire videtur Richardus in 4. dist. 18. artic. 7. quæst. 1. & Syluester verbo excõmunicatio, 2. nu. 11. & 23. Et certæ probari potest hæc opinio primo ex c. ait Cœlestinus, c. aperte, ca. miramur, 24. quæst. 1. quibus in locis habetur expressè, notoriè excõmunicatos (de quibus ibidẽ est sermo) nõ posse iudicare, nec eorum sententias esse validas, quin verò inualidas, & omninò nullas. Et probari potest id ipsum ratione. 82

83 Primò nam certum est † quod illa, quæ fiunt à suspensis à suo officio, omninò inualida sunt: sed vt habetur in cap. 1. de exceptione, lib. 6. eiusmodi excommunicati sunt a suo officio suspẽsi: ergo & omnia per eosdẽ gesta sunt omninò nulla, atque inualida.

Secundò probatur id ipsum: nã vt satis constat ex supradictis: qui non habent iurisdictionem nec subditos, neminem possunt iudicare: nec per eos facta sunt valida, seu alicuius momenti: sed excommunicati durãte excommunicatione, sunt priuati omni iurisdictione, & ipsius vsu, iuxta capit. nos sanctorum, & capit. iuratos, 15. quæstion. 6.: ergo omnia per eos gesta sunt inualida.

Tertiò probatur, ex capit. decernimus, de sententia excommunicationis, lib. 6. vbi strictè præcipitur, quód excommunicati † non sint actores, nec testes, nec aduocati: quod si admittantur omnia illorum facta sint nulla & inualida: multo ergo minus esse poterunt iudices; cum iudex sit præcipua persona, quæ occurrit in iuditio, & si quidpiam incontrariũ fiat, sintque notorij excommunicati, omnia per eos gesta, erunt omninò nulla, atque inualida. 84

Quartò, & vltimo probatur id ipsum: ex capit. ad probandum de sententia, & re iudicata, vbi habetur, sententiam † latam ab excommunicato non valere: adeo vt si plures iudices ad eandem ferendam sententiam conueniant: vno eorum existente excommunicato, ratione illius omnium sententia sit inualida, & nulla: quæ omnia supradicta iura loquuntur de notoriè excommunicatis, absque vlla prorsus differentia, & discrimine, neque facientes mentionem an sint nominati, vel non nominati: tollerati ab Ecclesia aut non tollerati: ergo vbi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus. Hæc faciunt pro prædicta opinione. 85

Secunda sententia est recentiorum † qui quamuis conueniant cum prædicta in eo, quod quicunque excommunicatus, siue publicè, siue occultè, exercendo actus iudiciales peccat mortaliter: differt tamen ab ipsa in hoc quod dicit: gesta & facta per eiusmodi excommunicatos (etiam notorios) esse firma, & valida, quandiu ab Ecclesia tollerantur, & nisi sint nominatim excommunicati: aut manifesti percussores clericorum. Quin verò addunt quidam Doctores: quod etiam si sint nominatim excõ- 86

municati, aut manifesti percussores clericorum, gesta per eos valere quandiu ignoratur, & in loco vbi id ipsum ignoratur. Hanc sententiam tenent modò omnes fere vnanimiter Doctores, & quia magis placet, & arridet: pro propositi articuli resolutione, sequentes statuo conclusiones.

Prima Conclusio.

87 IVdices siue prælati excommunicati † excommunicatione maiori, quamuis non sint notorij: sed occulti modò re vera sint excommunicati, ac sibi constet: exercendo actus iudiciales, peccant mortaliter. Hęc conclusio est expressa Mag Soti in 4. distin. 22. quæst. 1. arti. 4. & Caietani in Summa, verbo, excommunicatio. prope finem: quamuis in eiusdem probatione inter se differant, nam Soto probat illam ex eo: quia eiusmodi excommunicati excõmunicatione maioris, siue occulti, siue notorij ex præcepto Ecclesię prohibiti sunt, communicare cum alijs fidelibus: cuius quidem præcepti transgressio cum sit cõtemptus præcepti Ecclesiastici, in re graui ex suo genere omni procul dubio: est peccatum mortale, vt satis cõstat ex dictis in 4. notabil. Sed Caietanus alia procedit via, & dicit iudicem excommunicatum prædictum, non peccare mortaliter, ex eo, quod agat contra preceptum Ecclesiæ communicando cum alijs, vult enim Caietanus præceptum Ecclesiæ tantum separare sub mortali: excommunicatos à communicatione aliorum fidelium, in illis rebus, in quibus cõmunicant vt fideles, quales sunt orationes sacramenta, & similia, non autem in illis, in quibus non communicant vt fideles, sed communicare possunt tam cum fidelibus, quam cum infidelibus, & in quibus communicant ipsi fideles inter se non qua fideles sunt, homines naturali & ciuili societate, in his (inquit) excõmunicati non prohibentur cum fidelibus cõmunicare, nisi tantum sub veniali. Sed quod prædicti iudices, siue prælati excommunicati. (de quibus supra) exercendo actus iudiciales peccent mortaliter, probat Caietanus prædictus ex ratione iudicij vsurpati: quod quidem vt supradiximus, est iniquum & iniustum, & ex suo genere peccatum mortale. Quod autem † in hoc 88 casu eorum iudicium sit vsurpatum manifestè constat: nam vt si prædiximus in primo argumento, ad primam opinionem, excommunicati ipso facto sunt suspensi, ab vsu cuiuscunque iurisdictionis, & durante huiusmodi censura, nullum exercere possunt actum iudicialem, & faciendo contrarium peccant mortaliter: ratio ista est satis efficax, at ipse crediderim, quod ex vtroque capite peccet mortaliter. Vt dicit Soto, sed siue hoc siue illud dicatur, apposita conclusio est vera.

Secunda Conclusio.

EXcommunicati † occulti, etiam excommunicatione maiori, nõ 89 sunt suspensi, aut priuati suo officio, & iurisdictione, neque ipsius vsu, & exercitio, atque ita licèt exercendo actus iudiciales peccent mortaliter (vt dictum est) gesta tamen per eos, tenent atque sunt valida. Hęc conclusio est Paludani in 4. dist. 28. quęst. 2. & videtur etiam esse Richardi in eodem 4. dist. 18. quæst. 2. artic. 7. est etiam Syluestri verbo excommunicatio, 3. nu. 23. & Caiet. & Magistri Soto locis supra citatis, ac ferè communis resolutio. Cuius conclusionis ratio est, quia omnia iura supra adducta expresse loquuntur de excommunicatis publicis, & notorijs, nulla mẽtione facta de occultis. Et secũdò probatur id ipsum, quia in c. Infamis, 3. q. 7. habetur quod iudicia facta per quendam seruum, qui ignorabatur esse

esse talis, & habebatur pro libero, fuerunt valida cum tamen seruus nullatenus esse possit iudex, nihil ob aliud, nisi quia erat occultus, idem ergo dicendum est de iudice, occultè excommunicato. Probatur præterea id ipsum. Tertiò quia in l. Barbarius, ff. de officio prętor. dicitur, quod quãuis proditor ciuitatis, siue Reipublicæ, nullatenus esse possit prętor, quan diu tamen id ipsum ignoratur, & oc culta est ipsius proditio, & dubitatur an in Rempublicam conspirauerit, omnia facta, & gesta per eum tenent, & sunt valida. Idem ergo dicendum est in proposito casu. Quartò probatur id ipsum: nam quod excommunicati sint suspensi à suo officio publico, introductum est iure humano Pontificio: sed Ecclesia non est censenda suspendere excommunicatos occultos, vergeret enim id in magnum damnum & præiudicium Reipublicæ, ac totius boni communis, quin verò & ipsorum particularium: nam qui possiderent aliqua bona per sententiam iudicis, essent dubij, & non tuti, an bona, aut mala conscientia illa possiderent, similiter & qui confiterentur peccata sua alicui sacerdoti essent dubij & non tuti de suo bono, aut malo statu, si eius modi iudex, aut sacerdos erat excommunicatus, aliqua excommunicatione oculta, quę postea innotescat: ergo intentum.

Tertia Conclusio.

90 EXcommunicati † excommunicatione maiori etiam publici & notorij, quamuis peccent mortaliter, potiorique ratione quam prædicta exercendo actus iudiciales, non tamen sunt suspensi suo officio, & iurisdictione, nisi sint nominatim excommunicati, vel manifesti percussores clericorum, & omnia per eos gesta sunt valida. Hæc conclusio probatur primò ex supradicta Extrauaganti ad euitanda, iuxta quam non tenemur vitare excommunicatos, etiam publicos & notorios, nisi sint nominati, aut manifesti percussores clericorum: sed si excommunicati prædicti essent ipso facto priuati sua iurisdictione, & per eos gesta non essent valida, præterquam quod iudicando ipsi peccarent mortaliter, nos etiam teneremur eosdem vitare, & nõ cooperari ipsorum peccato, & senten tijs inualidis ab eisdem Prælatis: ergo cum hoc non sit dicendum (esset enim contra tenorem prædictæ extrauagantis, nec primum illud. Quod & probatur secundò: nam excommunicati non minus sunt exclusi à ministerio sacramentorum, quam ab actiuus iu dicialibus, quin verò magis ab illis, quam ab istis, cum potissimus excommunicationis effectus sit, excludere eos à communicatione Sacramentorum, & diuinorum: sed qui non sunt nominatim excommunicati, aut manifesti percussores clericorum, licèt ministrando sacramenta, & diuina peccent mortaliter: omnia tamen per eos gesta sunt valida, ac firma, neque censentur priuati iurisdictione. ergo idem ipsum dicendum est de Prę'atis, & Iudicibus, non nominatim excommunicatis, aut manifestis percussoribus clericorum: nempè quod nõ sunt priuati iurisdictione, & per consequens quod per eos gesta, & acta sunt valida. Quin verò, & addo (& hoc est peculiare quorundam Doctorum) quòd † quamuis sint nominatim ex- 91 communicati, seu manifesti percussores clericorum, si id ipsum ignorari contingat aliqua ex causa in loco vbi actus iudiciales exercuerint, licèt (vt prædictum est) ipsi mortaliter peccẽt: quandiu tamen ab Ecclesia tollerantur, omnia per eos gesta & acta sunt valida: & quo ad hoc dicũtur tollerari, quandiu non expresśè ibidem nominantur, & excõmunicati prohibentur. Vt verbi gratia, si quispiã Iudex

Toleti fuerit nominatim excommunicatus, aut manifestus percussor alicuius clerici, & Salmanticę, vbi publicè iurisdictionem exercet, id penitus ignoretur: dico quod quamuis ipse grauissimè peccet, in eo quod actus iudiciales exercet existens in tali statu: quandiu tamen Salmanticæ id non constat & tolleratur, omnia per ipsum gesta sunt valida. Quod constantissime tenet Salon, tom. 1. de iustitia & iure, super secundam secundæ S. Thom. quęstione 67. artic. 1. controuersia 3. conclusione 4. cuius & præcipua ratio est, quia eiusmodi iudex: etiam nominatim excommunicatus, siue manifestus percussor clerici, in loco vbi id ipsum penitus ignoratur, & ab Ecclesia tolleratur, censendus est, ac si omninò esse occultus: & consequenter sicut acta, & gesta à iudice excommunicato occulto, sunt valida, ita & acta ab isto, de quo in præsentiarum est sermo, valida erunt Quod & comprobari potest, ex capite non ne, 8. quæstione, 4. vbi habetur, quod collationes † beneficiorum, & electiones, & confirmationes factę à Prælatis excommunicatis, quandiu ab Ecclesia tollerantur, sunt firmæ, ac validæ: ergo id ipsum dicendum est; de quibuscunque alijs actibus iudicialibus. Hoc etiam tenet expresè Innocentius, in capite primo de schismaticis: & Panormitanus, in capite ad probandum, de sententia, & re iudicata: vbi dicunt quod etiam si confessarius sit Hæreticus aut Schismaticus: si tamen publicè confessiones audiat, & sacramenta conferat in forma Ecclesiæ cõsueta, & iuxta intentionẽ ipsius: eiusmodi sacramenta sunt valida, suumque robur & vim habent quandiu ab Ecclesia tolleratur. Multas alias rationes tradit prædictus Salõ in huius rei comprobationem, quas ego breuitatis gratia omitto. Et tandem concludendo dicit de mente Syluest. vbi supra, hanc esse generalem regulam, quod quæcunq; facta ratione officij publici à quibuscunque etiã notoriè excõmunicatis, quãdiu ab Ecclesia tollerantur sunt valida: quod & dicendũ videtur modo post prædictam Extrauag. Ad euitanda, etiã in opinione Doctorum primæ sententiæ: nam alias contrarium vergeret in magnum dãnum boni communis, & totius Christianæ reipublicæ, dum putarent homines se agere cum legitimis Prælatis atque Iudicibus, & deciperentur agẽdo cum excommunicatis, qui iudicare non possent. Quorum etiam gesta essent omninò inualida & nulla: quod non est dicendum. Vnde, dico quod omnia illa iura pro prima sententia, & opinione adducta, intelligẽda sunt de notoriè excommunicatis, & nominatim declaratis, vel manifestis clericorum percussoribus vbi id ipsum constat, non verò aliter. Nec enim nouum est in iure, quod iura antiqua, & vetera, per noua & specialia ad eandem materiam pertinentia corrigantur, seu potius explicẽtur, & declarentur: id quod factum est per Extrauagantem prædictam, factam in Concilio Constantiensi, & renouatã post modũ in Lateranensi habito sub Leone X. sess. 11.

ARTICVLVS X.

Vtrùm potestas sæcularis & layca spiritualem & Ecclesiasticã viceque versa (cum opus fuerit) se inuicem debeant iuuare?

Prima Conclusio.

POTESTAS † Sæcularis, & laica, spiritualem & Ecclesiasticam nullatenus debet perturbare, aut impedire: quin verò cum opus fuerit iuuare tenetur, eidemq; omninò ferrè auxiliũ. Hæc conclusio quoad primã partem cõstat expresè, ex c. 93

Cum

Cum ad verum, c. duo sunt, c. Si Imperator, dist. 96. & c. causã quæ, el 2. qui filij sunt legitimi, & c. nouit, de iudicijs. Iure etiam regio idipsum cauetur, l. 4. & 5. tit. 3. lib. 1. recop. & l. 3. tit. 1. lib. 4. recep. Sed quoad secundam partem probatur ex omnibus supradictis iuribus, & glos. in cap. 1. de offic. ord. verb. publicum, gl etiã in c. 2. de male. verbo p testatem. Idem habetur in c. postulasti, de homic. & in c. vt officium, de hæreticis, lib. 6. §. compescendi, & in l. Episcopalem, C. de Episcopali Audientia. Qua de re videatur Panormi. in d. c. nouit, de iudicijs. Couar. in Pract. qq cap. 10. num. 1. & Paz in Praxi tom. 2. in Prohæmio num. 1 & 2. Quo fit vt postquam

94 iudex † Ecclesiasticus, aduersus clericos, siue laicos, vsus fuerit suis censuris, neque ipsarum virtute iustitiam potuerit ministrare, aut sententiam suam exequi: requirere potest iudicem sæcularem, qui capiis rebus, siue persona rei Ecclesiastici, siue sæcularis, eiusdem sententiam exequatur: id quod ipse strictè facere tenetur. Neque id solum obseruandum est cum iudice ordinario Ecclesiastico, verum etiam & cum quocunque delegato, aut subdelegato: argum. capit. dilecto, de sententia excommun. lib. 6. quod tenet Speculat. tit. de Iudic. deleg. §. sequitur, nu. 6. de quo videatur Nauarro, in cap. cum contingat, de rescriptis in 15. causa nullitatis, remedio. 1. nume. 1. vbi dicit hanc esse communem sententiam, quam tenet Innocent. in cap. Significasti, nu. 3. de offi. delegati, in qua etiã (inquit) sunt Panormit. Imola, Felinus, & Decius, super cap. Administratores, 23. quæst. 5. Videatur ibidem: nam plura dicit ad hoc propositum notatu dignissima, quæ per tempus non vacat referre. Solum modo est notãdũ, quod quando iudex Ecclesiasticus pro sententiæ suæ executione, in causis ciuilibus, siue criminalibus, aduersus clericos, siue laicos, inuocat auxiliũ brachij sæcularis: iudex ipse sæcularis nullo alio spectato, aut requisito, tenetur eidem eiusmodi auxilium exhibere: & absque eo quod sibi constet de iustitia, aut iniustitia iudicis Ecclesiastici, eiusdem sententiam exequi. Nam in eo casu, tantummodo sibi competit illa cognitio, quæ mero executori [illegible] iuxta notata in l. 1. C. de iuris & facti ignorantia: quo fit vt nullo modo debeat se intromittere in cognitione causæ siue criminis. Quod quidem maxime verum habet, in illis criminibus, quæ sunt merè Ecclesiastica, quorum cognitio nullo modo spectat ad prædictum iudicem sæcularem. Secus † tamẽ esset in illis, 95
quæ sunt, & dicuntur mixti fori, quorum cognitio ad vtrumq; iudicem, Ecclesiasticum scilicet & sæcularem spectat: nam in his non tenebitur sæcularis iudex stare processui facto à iudice Ecclesiastico: imo verò neque illi auxilium prestare, antequam cognoscat de causa: sicq; potest efficere, vt sibi fiat fides de processu, ad hoc vt sciat ipse an sententia iudicis Ecclesiastici sit exequenda, & iustè fuerit lata, nec ne? Et ratio diuersitatis est, quia in eo casu iudex sæcularis, non censetur quasi merus executor, sed iudicat vt in subditum, vt latè prosequitur Panormitanus, in capit. veritatis de dolo & contumacia. Idemque sẽtire videtur, Richardus in 4. distin. 18. articul. 7. quæst. 1. & Syluester, verbo, in cap. 1. de offic. ordin. Qua de re videatur supradictus Paz loco vbi supra, numero septimo & octauo.

Secunda Conclusio.

IVDEX Etiam † Ecclesiasticus, tenetur iudicem sæcularem cum opus fuerit iuuare, & ipse ad melius iustitiam ministrandam, & pro executione suę sentẽtię, potest etiã inuocare auxilium iudicis Ecclesiastici, 96
aduer-

aduersus eos, in quos coerctionem nō habet, & tenetur iudex Ecclesiasticus eidē eiusmodi auxiliū præstare. Hæc conclusio probatur eisdē ferè iuribus, quæ adducta sunt ad probationem præcedentis. Et vlterius habetur expressè in authentico, sed hodie, C. ad legem Iuliam, de adulterijs. Facit & textus in capit. dilecto, de sententia excommunicationis, libro 6. in fine, & tradit Socinus in capit. cum sit generale, de foro competen nu. 24. Sed est aduertendum, esse hac in re duplex discrimen: primum, quod iudex
97 Ecclesiasticus † suis censuris, & pœnis spiritualibus compellere potest sæcularem ad exhibendum sibi eiusmodi auxilium, vt probat textus in præallegato cap. 2. de maledicis, at verò sæcularis iudex, non potest per se compellere Ecclesiasticum: sed si auxiliū sibi præstare noluerit (vt tenetur) adire debet ipsius superiorem, postulare, & petere ab eo, vt inferiorem compellat ad præstandum sibi tale auxilium pro iustitia ministranda: seu executione suæ sententiæ necessarium, secundum Innocentium, & Panormitanum in dicto capite 1. de offi. ordin. Secundum discrimen est, quod
98 quando † iudex sæcularis, inuocat auxilium Ecclesiastici; non tenetur ipse stare processui facto à iudice sæculari: sed vel de nouo poterit cognoscere, aut saltim extrahi facere processum, à protocollo tabellionis sæcularis, ad ipsius instructionem in causa; quod & semper faciendum esse consulit Bernardus Diez de Lugo, in sua Practica criminali Canonica, ca. 116. & hoc est, quod communiter obseruatur in praxi: secus est autem de iudice sæculari, vt dictum est in præcedenti conclusione. Qui hac de re plura, eaque notatu dignissima videre voluerit: consulat Panormitanum, & Alciatum in dicto capite 1. de officio ordin. & Iulium Clarum, libro 5. sent. §. fin. quæstio. 69. & prædictum Bernardum Diez de Lugo, vbi supra capit. 133 & nouissimè supra dictum Paz loco etiam vbi supra in secundo tomo. 1. præludio, & magis nouissimè Farinacium tomo primo, quæstione octaua, per totam, quia tota est de hac materia.

QVÆSTIO. V.

De secreto, & stricta obligatione, quæ cuncti tenentur celandi, seu non propalandi ipsum, & iudices, atque Prælati non exquirendi præter ordinem iuris in quinque Articulos diuisa.

SVMMARIVM

1 *Secretum est res, quæ suaptè natura digna est, vt non reueletur. & quare, & quæ sint secreta, numero 4.*

2 *Secretorum secreta est ratio.*

3 *Virtutes non sunt celandæ, sed reuelandæ.*

5 *Secretum seruare officium est fidei, & ad fidelitatem spectat.*

6 *Fides ex ius totale, est opinio cum vehementia, id est assensus firmus, & sine hæsitatione. & hæc duplex diuina, & humana.*

7 *Fidelitas duplex est, altera legalis, altera naturalis.*

8 *Fidelitas legalis, est ipsamet iustitia.*

9 *Naturalis, & moralis est quædam pars potentialis ipsius iustitiæ.*

10 *Secretum seruare, quod quis tenetur ex publico, aut legali debito est officium fidei, quod est pars potentialis iustitiæ, dantur exempla. numero 11.*

12 *Sacerdos strictiori vinculo tenetur seruare secretum, quod nouit in confessione, & nu. 29.*

13 *Fidelitatis officium, quod seruus seruare tenetur potissimum est secretum non reuelare.*

14 Se-

14 Secretum seruare de re propria non est officium fidei, sed vel prudentiæ continentiæ, aut charitatis. contrarium facere, & secretum propriũ propalare vanitas, & incontinentia est. nu. 15.
16 Secretum proprium reuelare est esse prodigus suæ famæ, & contra charitatem.
17 Secretum alienum seruare non semper obligare sub mortali probatur quinque argumentis.
18 Contrarium statuitur, & quod obliget sub præcepto naturali, diuinô, & humano.
19 Differentia inter virtutes, et vitia in secreto reuelando.
20 Fama proximi est valdè necessaria pro isto sæculo.
21 Pœna contra spargentes libellos famosos est capitis; quãdo libellus capitalia crimina continet nu. 22.
23 Deferentes, & non probantes crimen idoneis testibus puniuntur, vt calumniatores.
24 Iudices, & Prælati prohibentur vtroque iure crimina punire, nisi in Iudicio fuerint legitimè comprobata.
25 Secretorum cognitio, & Iudex est Deus.
26 Secretum alienum reuelare temerè, & sine causa peccatum est mortale, leuius, quam homicidium, & adulterium seu grauius, quàm furtum. & quare.
27 Fama maius bonum est, quàm quæcunque bona temporalia & quare.
28 Gradus multi reperiuntur in reuelatione alieni secreti, quorum vnus cæteris paribus maius peccatũ est, quàm alius. & qui sint isti gradus vide nu. 29.
30 Qui temere, & sine causa alienum reuelat secretum, & non seruato iuris ordine, etiam si crimen sit verum tenetur ad restitutionem.
31 Famæ restitutio quando iniustè reuelatur secretum, sed quod dictum est verum fuit qualiter facienda?
32 Tolluntur argumenta supra deducta num. 17.
33 Infamare seipsum absque iusta, & legitima causa præter ordinem iuris est semper peccatum mortale ex suo genere, secundum opinionem Caiet. quæ probatur, vt numero 35.
34 Peccatum hoc est contra charitatẽ, & contra Iustitiam. quod probatur vt nu. 36.
37 Infamare seipsum proprium secretum crimen reuelando ex suo genere non est peccatum mortale, sed solum veniale ex Adriani opinione. quod probatur nu 39.
38 Non est contra iustitiam se ipsum infamare, quod probatur nu. 40.
41 Simpliciter, & absolutè loquendo homo, quamuis non sit Dominus propria vitæ, est tamen dominus proprij honoris, & famæ quod probatur, quod primam partem, vt nu. 42. & quoad secundam partem probatur nu. 43.
44 Persona familiaris se infamando ex suo genere peccat venialiter, licèt grauius, quàm peccatum prodigalitatis pecuniarum. quod probatur num. 45.
46 Personam publicam famam prodigere ex suo genere peccatũ est mortale non solum contra charitatem, verum etiam contra iustitiã. quod probatur nu. 47.
48 Casus, in quibus persona particulares se infamando peccant mortaliter non tamen contra iustitiam, sed tantummodo contra charitatẽ, & ponuntur exempla.
49 Casus, in quibus famam contemnere non est peccatum mortale, neque veniale, quin verò officium virtutis. adducuntur exempla.
50 Infamare quempiam seipsum in Iudicio falsum sibi imponendo crimen in re graui, grauissimum est peccatum mortale, quamuis non con-

contra iustitiam sed tantum contra charitatem quod probatur.

51 Mendacium in re graui & cum alterius, seu proprio ipsius nocumento est peccatum mortale, cum sit contra ordinem charitatis.

52 Persona particularis etiam si per mendacium se diffamauerit non tenetur ad restitutionem suæ famæ.

53 Resoluuntur argumenta Caietani, vt supra nu 35.36.

54 Secretum seruare an adeo obliget sub mortali, vt teneatur quis potius mortem subire, quam illud reuelare probatur nu. 55.

56 Secretum in confessione cognitum adeo strictè est seruandum, vt potius mors sit subeunda, quam ipsum reuelandum.

57 Secreti sigillum est de necessitate confessionis, & Sacramenti Pœnitentiæ.

58 Pœna frangentis sigillum de iure antiquo, & de iure nouo.

59 Sacerdos interrogatus etiam sub iuramento de re, quam in confessione nouit benè potest respondere, se de ea nihil omninò scire.

60 Quæ in confessione nouit non vt homo sed vt Deus nouit.

61 Confessionis sigillum seruare tenetur sacerdos, & quicunque alius aliquid ad confessionem pertinens nouerunt, quamuis non sub eisdem pœnis. ponuntur exempla. numero 62.

63 Senatores, & Consiliarij, qui officiū tenent publicum ad secretum seruandum tenentur ex mera, & propria ratione iustitiæ, etiam cum periculo, & dispendio propriæ vitæ.

64 Secreta Reipublicæ hostibus enunciantes proditores dicuntur.

65 Secretum extorquens per iniuriam, si res sit magni momenti, illud seruare tenetur, etiam cum dispendio, & periculo propriæ vitæ.

66 Literas aperiens mala fide tenetur ad seruandum secretum.

67 Secretum, quod quis bona fide custodiendum accepit, seruare tenetur, sed non cum dispendio, & periculo vitæ, aut graui iactura sui honoris, & aliorum bonorum temporalium.

68 Secretum quod quis casu nouit, licèt reuelare non teneatur sub mortali si res sit magni momenti, non tamen tenetur grauia pati, & periculo propriam vitam exponere.

69 Secretum proprium seruare nemo tenetur, cum vitæ dispendio, atque periculo nec grauia pati.

70 Vita hominis cuiuslibet maius bonum est, quam fama, cuiuscunque ea sit, & est potissimum omnium bonorum, quæ habere potest homo.

71 Falsum crimen sibi imponere non licet.

72 Resolutio argumentorum, vt supra num 55.

73 In causis criminalibus tribus vijs proceditur ad occultorum & secretorum criminū cognitionem nempe per viam inquisitionis, denunciationis, siue accusationis.

74 Gradus primus secreti est, quod cognitum fuit in confessione, de quo non est humanum iudicium.

75 Alter secreti gradus quod est improbabile nec potest legitimus testibus comprobari.

76 Alter secreti gradus est, quod opponitur publico.

77 Tertius siue quartus quod probari potest non tamen est publicum neque publica laborat infamia.

78 Quartus est quod opponitur notorio.

79 Particularis inquisitio solummodo est de crimine cuius percrebuit infamia, & quod est fama publica proclamatum.

AR-

ARTICVLVS PRIMVS.

Quidnam sit secretum, & ad quam virtutem spectet, celare, seu non propalare illud?

Prima Conclusio.



1 SECRETVM † quantum ad præsens attinet propositum, est res, quæ suapte natura digna est, vt non reueletur, vt potè quia vel mala est, & peccatum, aut cuius reuelatio, reipublicæ, seu alicui personæ particulari est nociua. Hæc conclusio, potius indiget explicatione & declaratione, quam probatione. Et pro pleniori ipsius intelligentia, dico quod quamuis secreti nomen, secundum suam primæuam, atque originariam significationem: idem omninò polleat, atque separatum: in quo sensu inquiunt Doctores Iurisperiti,
2 quod † secretorum secreta est ratio: ac si diceretur, diuersorum diuersam esse rationem & iudicium: vnde & in secreto loqui, idem est, ac loqui in secessu separatū, iuxta sine arbitris; exinde rē congruentissimè deriuatum est, ad significandam quamcumque rem celatu dignam, & quæ secretam, siue separatam esse oportet ab hominum cognitione, nisi in certis quibusdam casibus, & iuris seruato ordine. Talia sunt omnia cordis arcana, sed præsertim peccata occulta, quorum reuelatio reipublicæ, siue personis ipsis particularibus esse potest perniciosa, atque nociua: non verò esse videntur
3 tales virtutes, † & res, quæ natura sua bonæ sunt, ac laude dignę. Etenim cū ad Dei gloriam, & illas operantium honorem, haudquaquam parum, sed multū spectent, non quidē celari debēt, quin potius dignę sunt, vt reuelentur, & vt corā omnibus appareant. Hinc est, quod Christus Dñs de ijs agens. Matth. 5. Sic inquit. Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. E contrario verò Isa. 3. reprehenduntur, & acriter, qui peccata sua sicut Sodoma, & Gomorrha prædicauerunt, neque absconderunt. Vnde sicut natura ipsa dictante, quæ in nobis pudenda, & imperfecta sunt contecta esse volumus: faciem verò econtra omnibus esse parentem: sic peccata, & crimina celatu sunt digna, virtutum verò operá, vt reuelentur, & manifestentur. Et aduerto, quod
secreta, † siue occulta in hac acceptione, 4
dicuntur omnia ea, quæ à nemine, siue à tam paucis sciuntur, vt neque notoria sint, nec publica voce conclamata: nam quæ eiusmodi sunt, qualiter sint reuelanda, punienda, & castiganda, iuxta iuris præscriptum ordinem, infra suo proprio loco dicemus. Sunt autem secreta prædicta in duplici differentia: nam quædam sunt propria illius, qui illa apud se continet: alia verò sunt de re aliena: de quorum singulis agendum est à nobis in subsequentibus qualiter semper sub secreto sint celanda, & nullo modo exquirenda, reuelanda, aut propalanda, præter iuris ordinem.

Secunda Conclusio.

SI secretum fuerit de re aliena, il-
lud seruare † officium est virtu- 5
tis fidei, & ad fidelitatem spectat. Pro huius conclusionis intelligentia præmitto, quod hoc nomen fides æquiuocum est, ad duas virtutes, alteram intellectualem, alteram verò moralem: significat enim primò habitum quendam, & virtutem mentis, qua certò constanter, ac firmiter dictis cuiuspiam assentimur, de qua
Arist. 5. Topic. fides † (inquit) est opi- 6
nio cum vehementia; id est, assensus firmus, & sine hæsitatione. Et hæc est du-

duplex: altera diuina qua credimus rebus à Deo reuelatis: alia vero humana, quã rebus humanis facimus fidem, de quibus nihil dicendum est modò, quia non faciunt ad præsens nostrum propositum. Secundo significat prædictum nomen fides, habitum quendam voluntatis, qui alio nomine fidelitas nuncupatur: qua dicta, & promissa factis complemus, ac certa facimus. Et de ea intelligitur illud commune dictum, accipe daq; fidem: quam & Cicer. Offic. 1. cap. de Iustitia, diffiniens dicit: Quod fides est dictorum conuentorumq; constantia, & veritas. Et dicitur fides (vt tradit August. lib. de Mẽdacio, c. 20. & Cic. loco vbi supra) quia fit id, quod dicitur. Id enim præseferunt duæ illæ syllabæ, fides, quarum prima significat facere, secunda vero dicere. Dicit ergo modò nostra conclusio, quod secretum de re aliena seruare, officium est fidei: & ad fidelitatis virtutẽ spectat: quod & sequẽti ratione probatur. Nã actus exterior ad illam virtutem spectat, cuius proprium obiectum proximè mouet ad talẽ actum; vt inquit Arist. habitus, & actus versantur circa eidẽ obiectum: sed obiectũ fidei (prout fidelitatem importat) est facere id quod quis dixit: & adimplere illud, quod promisit. Quod proximè mouet ad secretum seruandum: ergo id ipsum facere, officium est fidei, & ad fidelitatem spectat. Est tamen aduer-
7 tendum, quòd huiusmodi † fidelitas est duplex, altera, quæ versatur circa debitum legale (quod est debitum de iure) quale inuenitur in commercijs, & contractibus ciuilibus, in quibus est ratio dati, & accepti; vt v.g. emptorem statuto tempore promissum pretium persoluere, coniuges mutuas sibi operas impendere: ciues principibus parere; ac vice versa ijdẽ postquam tributa acceperunt, ciues vicissim armis tueri: moribus ornare: legibus emendare: & eiusmodi fides nulla ratione à iustitia separatur, imo
verò est ipsamet iustitia, † & per om- 8
nes eiusdẽ materias diffunditur. Sicq; Cicero loco vbi supra, vocat ipsã fundamentum iustitiæ, pro eo, quod omnis iustitia inde pendeat: vt certum quisque faciat id quod dixit, maximè ad quod tenetur iure. Sed alia est fi-
des, siue fidelitas, † quæ versatur (non 9
quidem circa debitum legale) sed morale: quod non absolutè est debitum: sed ad quandam naturalem honestatem pertinet: & tale est, vt quis adimpleat id quod ex sua liberalitate, siue bonitate promisit, & huiusmodi fides non est propriè iustitia: nam vbi debitum fundatur in sola promittentis liberalitate, & bonitate: non est propria, & vera ratio debiti, ac proinde, neque est integra ratio iustitiæ. Est tamen quædam pars potentialis ipsius, vt docet D. Tho. 2. 2. q. 80. & omnes Philosophi communiter: qui vocant partem potentialem virtutis Cardinalis, illam in qua non inuenitur tota ratio ipsius, sed propter similitudinem, quam habet, reducitur ad illam: in quo sensu liberalitas etiam reducitur ad iustitiam. Quo præmisso, vt constet magis in particulari, cuiusnam virtutis sit seruare secretum de re aliena, sequens statuitur conclusio.

Tertia Conclusio.

Seruare secretum † ad quod quis 10
tenetur ex officio publico, aut legali debito, officium est fidei, quæ est pars subiectiua, & propria species virtutis iustitiæ; at seruare illud, ad quod quis tenetur solummodo ex naturali honestate; tantum est officium fidei, quæ est pars potentialis iustitiæ. Hæc conclusio potius indiget declaratione, quam probatio-
ne. Et dico, quod senator, † aut cano- 11
nicus, & quæcunque persona publica, iure iurando astringitur seruare secretum sui consistorij, siue capituli,

tuli, & ex iustitia id ipsum facere tenetur. Similiter, & Episcopus secretū Papæ, quod iurat seruare, iuxta cap. ego Episcopus, de iure iurando: quod si quidpiam in contrarium faciat, illudq; reuelet: iniustitiam procul dubio committit: & peccatum grauius ex genere suo, quam si committeret furtum, aut mutuum non redderet: quia est debitum legale. Et potiori ra-
12 tione, atque strictori † vinculo tenetur sacerdos seruare secretum, quod nouit in confessione: nam preterquā quod hoc illi incumbit ex officio, & contrarium faciendo faceret contra virtutem iustitiæ: facit etiam contra virtutem religionis: ac committeret sacrilegium nefandum. Et inter personas priuatas, qui data fide alicuius accepit secretum, tenetur illud non reuelare de iustitia legali: veluti qui promisit seruare depositum. Et qui per iniuriam ab aliquo secretum extorsit: tenetur celare illud: sicut & fur restituere furtum. Similiter & qui alicuius literas apperuit (præterquam, quod grauiter peccauit) obnoxius est secreti seruandi ex iustitia. At qui visu, aut ex relatione alicuius tertiæ personæ, secretum aliquod nouit, quamuis teneatur illud seruare: non tamē id est ex iustitia propriè: sed ex honestate naturali. Vtcunque tamen illud sit, seruare secretum proximi, propriè est officiū fidei, & ad fidelitatem pertinet, vt clarè etiam insinuauit sapiens, Prouerb. 11. quando dixit: Quod qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis est celat amici commissum. Et in capit. de forma, 22. quæst. 5. in Epistola Fulberti Episco-
13 pi, inter sex fidelitatis † officia, quæ seruus iurare debet Domino suo, vnum secundum numero est, de secreto seruando: in quo non est dubiū: neque quod contrarium facere ex suo genere peccatū sit mortale, vt dicemus statim.

Quarta Conclusio.

Seruare secretum † de re propria, 14
non est propriè officium fidei, sed prudentiæ, continentiæ aut charitatis. Probatur cōclusio. Et quidem, quòd non sit propriè officium fidei, perspicuum est: vt enim diximus, prædicta fides, siue fidelitas, vel est species iustitiæ, aut pars potentialis ipsius: sed homini ad se ipsum, nō est iustitia, neq; iniustitia, quia vt inquit Arist. 5. Ethic. iustitia est ad alterū: ergo seruare secretum de re propria, nō est propriè officium fidei. Quod verò sit officium prudētiæ: colligitur ex eo quod dixit Salomon in Prouerbijs, cap. 10. vbi dicitur: Quod qui moderatur labia sua prudentissimus est. Et in sequenti cap. 11. inquit: Quod vir prudens tacebit. Idest silentio teget, eà quæ publicari non expedit. Quod
verò cōtrarium facere, † & secretum 15
proprium temere sine causa effutire: vanitas atque incontinentia sit, eaq; quam maxima: docet expresse Aristotel. 6. Ethic. cap. 4. Nam quamuis continentia absolutè dicta, circa solos versetur voluptatis actus: cum addito tamen, etiam ad alias affectiones extenditur: & dicitur quis incontinens honoris, iræ, ac linguæ, & similium.
Quod circa qui † temerè, & sine cau- 16
sa proprium secretum reuelat, siue profundit, incontinentis linguæ, & vaniloquus meritò appellatur, & profligus suæ famæ. Est etiam contra charitatem qua quisque tenetur se diligere idipsum facere: vt de se constat. Potest etiam secretum seruare, pertinere in casu ad fortitudinem, vt cum quis in equuleo positus, nullis tormentis vinci potest, vt crimen prodat de quo interrogatur iniustè. Nihil enim obstat, quod vnum & idem opus, secundum varios respectus, à diuersis procedat virtutibus, seu à contrario à diuersis vitijs, sicque & sine

sine causa proprium temere reuelare secretum, proficisci potest ex defectu prudentiæ, & continentiæ, siue charitatis, & quandoque ex defectu fortitudinis.

ARTICVLVS II.

Vtrum alienum seruare secretum obligeat, semper sub mortali?

ET vt ex oppositione contrariorum veritas amplius innotescat, præsentem difficultatem aliquibus propositis argumentis hinc inde discutere libuit.

17 Et primò quod alienum seruare secretum non semper obliget sub mortali, exinde colligitur: nam Christus Dominus (cuius omnis actio teste D. Greg. nostra est instructio: quę etiam Apost. ad Ephes. 5. imitari nos admonet) vt habetur Ioann. 13. Secretum crimen proditoris Iudæ, cęteris nunciauit Apostolis. Post quam enim dicit: Amen dico vobis, quia vnus vestrum tradet me: mirantibus cunctis, & inter se quærentibus, quisnam esset qui hoc erat facturus; dicitur ibidem, quod interrogauit eum Ioannes, Dñe quis est? Respondit que illi Christus: Cui ego intinctum panem porrexero ille est. Et cum intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Ischariotæ: nō ergo alienū seruare secretum obligat sub precepto.

Secundò sic argumentor, nam omnia præcepta, quæ obligant sub mortali, & quorum obseruantia necessaria est ad salutem; continentur in Decalogo legis iuxta illud Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata: vbi & ad insinuandum quæ nam illa essent præcepta Decalogi, statim subtexuit, dicens: Non facies homicidium, non adulterabis, &c. Sed in toto Decalogo, nihil omninò de secreto seruando continetur, non igitur id obligat sub præcepto.

Tertiò ad idem sic argumentor nam in aliquibus casibus, tantum abest, vt alienum teneamur seruare secretum, vt potius strictè iubeamur reuelare illud, iuxta id quod Leuit. 5. habetur: Qui audierit vocem iurantis falso, testisque fuerit, nisi iudicauerit, portabit iniquitatem suam. Similiter, & D. August. vt refertur in c. Hoc videtur 22. q. 5. inquit: quod non solum ante peccatum admonendus est frater ne peccet: verum etiam postquam peccauit, denunciandus est illi, qui possit prodesse, & nō obesse, quamuis ipsius peccatum sit secretum: ergo celare illud non semper obligat sub præcepto.

Quartò ad idem sic argumentor: nam non minus malum esse videtur prædicere peccata futura, quam denunciare præterita; sed Astrologi multoties prænunciant hominū peccata futura, quæ vel ex astris, vel ex ipsorum complectione conjectant: vt habetur in l. Item apud Labeonem, §. si quis astrologus, ff. de iniurijs, neque id facere omnino videtur illicitum, dummodo non fiat arte Magica, tunc enim vltore gladio puniri iubentur, vt habetur in l. nemo, C. de malefi. & math. ergo aliena preterita nō reuelare peccata, non obligat sub præcepto.

Quintò, & vltimo probatur id ipsum: nam vt experientia superque satis constat, Historiographi suis scriptis multoties aliena reuelant peccata; quę vel erant occulta, aut saltim non essent adeo publica, nisi ab eisdem proderentur: nec propterea damnantur, aut peccati arguūntur; ergo alienum seruare secretum, no semper obligat sub præcepto. Hæc sunt argumenta, quæ pro hac parte communiter adducuntur, quibus non obstantibus in contrarium est verita, quę explicabitur per sequētes conclusiones.

Prima Conclusio.

18 ALienum seruare † secretum, ipsumque non propalare, aut reuelare præter iuris ordinem, obligat sub præcepto naturali, diuino, & humano. Hæc conclusio est omniũ Doctorum communis, de qua specialiter videndus est Soto, in relectione quam inscripsit de tegẽ. & detegẽ. secreto, memb. 2. q. 2. Et quod sit id de iure naturali, probatur primo ex ipsa secreti natura, de qua diximus supra esse rem celatu dignam, seu quæ non reueletur: maximè quando secretum est peccatum, seu aliquid cuius reuelatio proximo quamuis ratione esse possit perniciosa, & nociua. Diximus
19 enim hoc interesse † inter vitiorum, & virtutum opera, quod hæc cum sint virtutes bonæ sunt, & dignæ vt reuelentur: ac omnibus notæ fiant: illa verò cum sint mala & peccata: tenebris comparantur, & natura ipsa (vt videtur) abhorret, vt manifestentur & in publicum producantur: quinimo exposcit vt occultentur, & contegantur, nisi ex necessitate correctionis, siue punitionis gratia, iuxta iuris præscriptum ordinem. Secundò probatur eadem conclusio ex illo generali, principio legis naturæ, posito Matth. 7. quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, eadem & vos facite illis, hæc enim est lex, & Prophetæ. Ex quo à contrario sensu etiam colligitur, illud quod dixit olim Tobias, cap. 4. Vt quæ nolumus nobis ab alijs fieri: nec nos alijs vnquam faciamus: sed nullus mortalium recta ratione ductus, vult aut desiderat, vt quod alteri secretò commisit, seu forsan ille vidit ab eodem reueletur, cum ex eo quandoque pendeat honor, vita & fama: ergo ad secretum seruandum naturæ lege cuncti tenentur. Quod & confirmatur etiam ex præiudicio, & damno, quod ex contrario facto proximo potest obuenire, quod vitare naturæ lege cuncti tenentur: debemus enim nos inuicem diligere: vt passim in sacra scriptura dicitur, & charitatis naturale vinculum expostulat, vt proximum sicut nosmetipsos diligamus, & nulla ei ratione damnum inferamus. Sed quod id secretum alienum non reuelare, sit de iure diuino positiuo, alijs prætermissis superque satis colligitur ex illo, quod dixit olim Christus Dominus Matth. 18. agendo de correctione fraterna: Si peccauerit inquit in te (id est te sciente, aut vidente) frater tuus, vade & corripe illum inter te & ipsum solum. Super quæ verba, & maxime ex adiecta particula, solum, colligunt DD. quantum solicitus fuerit ipse famæ proximi, quantumcunque voluerit occulta crimina secreto vt corrigerentur, & vt non fierent manifesta, nisi prius tentatis omnibus, idque esse dicunt de iure diuino. quod etiam colligunt, ex illo quod habetur Matth. 7. vbi dixit idem Christus: Nolite iudicare, & non iudicabimini: Nolite condemnare, & non condemnabimini. Quibus verbis superque satis datur intelligi, † vsque adeo honoris nostri, & famæ eundem fuisse solicitum, 20
strictè vt cauerit ne etiam per coniecturas, occulta proximorum crimina vt dijudicaremus. Quod & fecisse quam maximè fuit rationi consonum etenim in hac mortali vita, vbi pœnitentiæ, & emendæ locus est, fama quam maximè est necessaria: tùm peccatori ipsi vt resipiscat: tùm etiam alijs, quibus sua bona fama potest prodesse. Et hanc ob causam, peccata præsẽti hoc sæculo celari, ac velari, voluit: nec vllo modo manifestari, nisi seruato iuris ordine, at in futuro sæculo in die iudicij: quia iam fama peccatoribus non erit necessaria, ad eorundem confusionem, & verecundiam, satisfactionemque communione

munione omnia crimina manifestabuntur, & ad ipsorum vindictam producentur in publicum, id quod & insinuare voluit Diuus Paulus, primo Corinthiorum quarto, quando dixit: Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo. Ex dictis constat superque satis qualiter alienum seruare secretum, sit de iure diuino positiuo. Sed quod sit etiam id ipsum de iure humano, constat ex multis, & primò: nam vtroque iure Canonico, atque Ciuili cautum est, ne quis nisi via iuris, alterius prodat crimen, habetur de iure Ciuili, in l. vnica, C. de libellis famosis: vbi Imperatores Valentinianus, & Valens, ijs qui extra iudicium libellos spargunt famosos, pœnam
21 † decernunt capitis, quæ lex recepta, & approbata est, iure etiam Canonico, in Concilio Illiberitano, vt habetur in cap. si qui, 5. quæstio. 1. vbi id ipsum facientes, præterea anathematizantur, & in cap. quidam maligni eadem causa, & quæstio. Dicitur, quod D. Gregor. excommunicauerit quendam, qui libellum produxit famosū. Et Adrianus Papa, in cap. qui in alterius, quod est primum eiusdem causæ, & quæstionis. Flagellari præcipit eiusmodi infamatores, etenim pęna capitis superius dicta, nō intelligitur,
22 † nisi quando libellus infamatorius, capitalia crimina continet, & in l. lex Cornelia, §. si quis, ff. de iniurijs, infamatoribus prædictis accumulatur pęna, vt intestabiles sint, id est, vt nec testamentum facere possint, neq; ad testamentum tanquam testes adhiberi, vt exponitur in l. is cui, ff. de test. §. si quis: quæ lex refertur in cap. si testes, 4. quæst. 3. Secundò probatur id ipsum: nam leges humanæ, non solum prohibent quemquam nisi in iudicio diffamari, verum etiam ne quis alium in iudicium deferat, † nisi 23
cuius crimen idoneis testibus potuerit comprobari, habetur in l. fin. C. de probationibus, quæ etiam lex reperitur recepta iure Canonico, in capit. sciant, secunda quæstione octaua: nam crimen quod non probatur, in iure pro falso habetur, & accusator, qui in probatione defecerit, ex decreto Damasi Papæ, pęna Talionis punitur, calumniator nuncupatur, vt habetur in capit. calumniator, secunda quæstione tertia, & in sequenti capit. quod incipit, Qui non probauerit, & est Adriani Papæ, dicitur, quod qui non probauerit, quod obiecerit, pęnam quam inferre parauerat, ipse patiatur, idem habetur in l. prima, ff. ad Senatus Consultum Turpilianum, & in l. fin. C. de accusationibus.

Nec solum vtroque iure cautum
est, ne † quis nisi via iuris quempiam 24
diffamet, seu alterius crimen prodat, quantum attinet ad personas priuatas, & particulares, verum etiam pro Prælatis, atque Iudicibus, habetur strictè præscriptum, vt ne crimina inquirant, aut puniant, quantumuis sibi sint nota, nisi in iudicio legitimè fuerint comprobata, habetur in capitulo cum oporteat, capit. inquisitionis, capit. qualiter & quando, el secondo, de accusationibus, cap. placuisset, de monumentis, capit. Deus omnipotens, secunda quæstione prima, & cap. si tantum Episcopus, & cap. placuit, 6. quæstione secunda, & in capit. erubescant, dist. 32. Dicitur, quod secretorum, † & cognitor & iu-
dex est Deus, & intelligenda est prędicta cōclusio de secreto semper, & pro 25
semper seruando & eodem nunquam reuelando, nisi iuxta iuris prętixū ordinem: nam præceptum seruandi secreti, quamuis habeat formam affirmatiui, est tamen negatiuum, obligatque semper & pro semper, seu quod idem est, pro quocunque tempore, & perinde

perinde est secretum seruare, ac proximum nullo modo nisi via iuris diffamare, si secretum est de re infami, seu non illi damnum inferre, si fuerit de re, cuius reuelatio est illi nociua, & perniciosa: nam certum est quod illud facit nocet illi, ac proinde ex suo genere peccat mortaliter, de quo nulli dubium. Sed vt sciatur quam graue eiusmodi sit peccatum secunda statuitur conclusio.

Secunda Conclusio.

26 SEcretum † alienum temerè, & sine causa reuelare, quamuis peccatum ex suo genere sit mortale: leuius tamen quam homicidium, aut adulterium: sed grauius quam furtũ. Hæc conclusio est expressa supradicti magistri Soto loco vbi supra, conclusione. 3. Et quidem quod sit secreti reuelatio ex genere suo peccatum mortale perspicuum est: nam ratione sui obiecti est expresse contra charitatem: & vergit in damnũ, & nocumentum proximi: nec stare potest vt quis proximum diligat vti tenetur: & famam illius denigret, seu lædat: quod est secretum illius crimen reuelare: nam fama est clara cum laude notitia, & qui crimen alterius reuelat, malam de eo in alijs opinionem generat. Quod verò eiusmodi peccatũ leuius sit quam homicidium, & adulterium, est expressa sentẽtia D. Tho. 2. 2. quæst. 73. art. 3. sed ratione probatur quantum ad homicidium: nam grauitas peccatorum ex genere, certum est quod attendi debet secundũ grauitatem obiecti: sed vita maius bonum est, quam fama, & mors maius malum quam infamia: ergo & homicidium grauius est peccatum, quam denigratio famæ, quæ fit per reuelationem secreti. Eadem omninò ratione probatur quod sit minus malum, quàm adulterium: nam adulteriũ de se opponitur futuræ vitæ, & educationi prolis, quod est grauius damnũ quã reuelatio cuiuscunq; criminis, siue denigratio famæ. Quod quidem intelligendum est ex genere (vt dixi) & enim in indiuiduo, si reuelatio fuerit contra vitam, aut si infamia fuerit valde notabilis: bene esse poterit secreti reuelatio, & famæ denigratio maius peccatum quam adulteriũ. Solummodo restat probandum, quod reuelatio criminis sit maius peccatum, quam furtum: quod constat ex eo, quia † fama maius bonum est, quam quæcunque bona temporalia: habetur enim Prouerb. 22. quod melius est habere bonum nomen, quàm multas diuitias. Et Eccles. 7. dicitur melius esse nomen bonum, quam vnguenta pretiosa: & cap. 42. (inquit idem sapiens) curam habe de bono nomine, hoc enim magis tibi permanebit, quàm mille thesauri preciosi, & magni. Sed alia ratione probat id ipsum. D. Thom. 2. 2. quæst. 33. art. 7. & ea est. Quia infamia plus nocet homini, quam amissio quorumcumque bonorum temporalium: nocet enim non solum in temporalibus, in quibus sæpe iacturam facimus, verum etiam & in spiritualibus, quia multi timore infamiæ arcentur à peccato, qui perdita fama obdurarentur in illo. Ad hoc propositum facit quam maximè, illud quod dixit olim D. Hieronym. super Matthæ. cap. 18. agendo de correctione fraterna, corripiendus est (inquit) seorsum frater, ne si semel pudorem, & verecundiam amiserit, peccare non erubescat, & in peccato permaneat. Probari potest præterea id ipsum ex alio capite, quia nempè vnius infamia, interdum vergit in multorum iniuriam, iuxta illud quod dixit etiam olim D. August. in Epistola ad plebem Hipponensem: Quod vno religioso infamato, totus infamatur conuentus: & prodito vnius peccato, illius exemplo multi trahuntur ad 27

ſimile: Ex dictis ſuperque ſatis colligitur intentum, ſcilicet quod alieni ſecreti reuelatio, grauius peccatum ſit quàm furtum.

Tertia Concluſio.

28 IN reuelatione † alicui ſecreti, plures reperiuntur gradus, quorum vnus cæteris paribus, grauius eſt peccatum, quàm alius. Hæc concluſio eſt etiam ſupradicti Soti loco vbi ſupra, concluſione, 4. vbi dicit, quod grauius peccatum eſt, reuelatio ſecreti quod quis ex debito iuſtitiæ ſeruare tenetur, quàm reuelatio illius, ad quod ſolummodo tenetur ex honeſtate naturali cæteris paribus. Conſtituit exemplum in Senatoribus, & Canonicis, qui reuelando ſecreta publica, grauius peccant, quam priuatæ perſonæ, reuelando illud quod facere non ſibi incumbit ex officio. Et ratio eſt: nam in vno caſu interuenit ratio iuſtitiæ, non autem in alio, aut ſaltem non ita propriè. Propter eandem rationem in ſacerdotibus ſummum ſcelus eſt, confeſſionis ſecretum reuelare, quia non ſolum eſt infidelitas contra iuſtitiam, & contra ius naturale, verum etiam contra religionem, poſtquam eſt contaminatio Sacramenti Pœnitentiæ contra ius diuinum: & præterea vergit in perniciem maximam totius Chriſtianiſmi: ſublato enim ſigillo ſecreti, omninò tolleretur confeſſionis Sacramentum, cuncti, Chriſtianis adeo ad ſalutem neceſſarium. Vnde prædictus Soto, ponit ſequentes ſecretorum ſeruandorum gradus. In pri-
29 mo gradu, † conſtituit confeſſionis ſecretum. In ſecundo, ſecretum publicum, hoc eſt ad Rempublicam pertinens extra confeſſionem. In tertiò ſecretum quod priuata perſona per alterius iniuriam extorſit, quod obnixè ſeruare tenetur, quemadmodum & fur reſtituere tenetur furtum. Idemque eſt iudicium de eo qui alienas literas aperuit, qui præter peccatum quod id ipſum faciendo commiſit, reuelando quæ in eiſdem continebantur, omninò facit contra iuſtitiam. In quarto gradu conſtituit ſecretum, quod quis data fide recepit ab amico, qui etiam ex iuſtitia tenetur ſeruare illud: poſtquam amicus non ſibi id commiſiſſet, ni fidem præſtitiſſet, quo circa illic ſecreti fides, eſt ficut fides depoſiti. In quintò & vltimo gradu eſt ſecretum, quod quis viſu aut ex relatione alterius nouit, quòd tantum ſeruare tenetur de honeſtate naturali: ſed nihilominus peccatum mortale erit illud reuelare, niſi via iuris: nam honeſtas naturalis, quamuis propriè non ſit ſpecies iuſtitiæ, eſt tamen pars potentialis ipſius. Addit etiam prædictus Soto, quod ex accidenti creſcere poteſt obligatio prædictorum ſecretorum, vt quando quis accepit ſecretum ſub iuramento, vel ipſius reuelatio vergeret in periculũ vitæ, ſeu in aliud quam maximum proximi nocumentum: in quibus caſibus cæteris paribus, ſecreti reuelatio, grauius eſt peccatum.

Quarta Concluſio.

QVi temerè, & ſine cauſa, † & non ſeruato iuris ordine, reuelat alienum ſecretum: etiã ſi crimen ſit verum, tenetur ad reſtitutionem famæ, quam abſtulit per eiuſmodi reuelationem. Hæc concluſio eſt ſupradicti Soto, loco vbi ſupra, concluſ. quinta, & communis omnium Doctorum reſolutio, cuius & ratio in promptu eſt: nam fama (vt ſtatim in ſequenti articulo dicemus) vnum eſt ex potioribus bonis, quæ ab hon ine auferri poſſunt, quin verò maius abſolutè poſt vitam abſque contradictione. 30

Solum-

Solūmodo eſt difficultas, circa modum, quo huiuſmodi ablata reſtituēda eſt fama: de quo nihil libet in præſentiarum dicere: nam huius rei proprius locus eſt in materia de reſtitutione. Tantum dico breuiter, quod talis ſecreti reuelator, non tenetur famam reſtituere ſemetipſum retractando, nam ſi crimen fuit verum (vt ſupponitur) id eſſet verè mēdacium, quod dicere non licet propter vllam cauſam. Quidā dicunt debere dicere, malè, & præter ius ſe fuiſſe loquutū. At hoc magiſtro Soto nō placet: eſſet n. (inquit) potius infamationē confirmare: nam qui non dicit ſe fuiſſe mētitum, apertè inſinuat verum dixiſſe. Vnde ait, q alia via facienda eſt eiuſmodi reſtitutio, benè loquendo de infamato, ſeu alijs bonis infamiā cōpenſando. Nam quod fama compenſari poſſit cum bonis alterius generis, expreſsè tenet D. Tho. 2. 2. art. 2. ad 2. aut poteſt expoſtulari venia ab ipſo diffamato, ipſeq; remittere reſtitutionem ſuæ famæ, ſicut & reſtitutionem cuiuslibet alterius boni temporalis. Solūmodo reſtat reſpōdere ad argumenta propoſita initio articuli.

32 Ad primum † de peccato proditionis Iudæ, reſpondet Eugenius Papa, in c. ſi Sacerdos de offic ordin. Quod Chriſtus Dominus, nō reuelauit peccatum Iudæ in ſingulari: ſed tantum indeterminatè, atque in communi dixit: Vnus veſtrum me traditurus eſt. Hec tamen ſolutio, non ſatiſfacit vſque quaque: nam quamuis id habeatur Matthæ. 26. ſtatim tamen ſubditur: Qui intingit manum mecum in paropſyde hic me tradet. Et vt ne quis dicat, multos ſimul intinxiſſe manū in paropſyde: Io. 13. Iudā eū eſſe futurum, apertè Chriſtus monſtrauit: poſtquam addidit: Cui ego panem intinctum porrexero, ille eſt. Et additur: Quod cum intinxiſſet panem, dedit Iudę Simonis Iſcariotę. Vnde hac ſolutione prætermiſſa, dicendum eſt cum D. Thom. 2. 2. q. 33. ar. 7. ad ſecundum: quod Chriſtus tāquam Deus, publicum habebat peccatum Iudæ: vnde & potuit ſtatum illud denunciare, & ad publicandum procedere: quod tamen non fecit, ſed ſub obſuris verbis, ipſum de peccato ſuo admonuit. Sed neq; hæc ſolutio vſquequaq; ſatisfacit: nam expreſsè militant contra ipſam ſupradicta verba, text. Ioann. 13. Vnde alia via eſt procedendum: & dicit prædictus Soto, quod Chriſtus ibidem, non denunciauit pręſens peccatum Iudæ, q ipſe iam haberet in animo complere: ſed tanquā Propheta prænūciauit id, quod futurum erat: quæ quidē prænunciatio fuit licita, quia fuit ad redēptionis finem neceſſaria, vt ſuis conſtaret diſcipulis, ſe non tradi inſcium, aut inuitum: & ſpecialiter inſinuauit illud Ioanni dilecto ſuo diſcipulo, ad inſtantiam, & petitionem Petri, quo tutus eſſet ſe non futurum illum traditorem quod quam maximè verebatur & formidabat ipſe.

Ad ſecundum arg. Dico quod præceptum fidelitatis, & ſecreti ſeruandi, reducitur ad illud Decalogi non falſum teſtimonium dices, quod eſt numero octauum: nam quod ſecretum eſt, & nō probatur, quamuis verum ſit, in iure tamen quaſi pro falſo habetur, vt amplius infra dicemus.

Ad tertium reſpondetur, concedendo, quod quicunque tenetur denunciare, & reuelare peccatum (etiā ſecretum) proximi via iuris, & iuxta ipſius preſcriptum ordinem; illi qui, poſſit prodeſſe, & non obeſſe: iuxta ſententiam D. Aug. vt amplius etiam infra dicemus, cum agemus de denunciatione, inquiſitione, & accuſatione, quæ eſt triplex via veniendi ad ſecretorum cognitionem, non vero aliter.

Ad quartū de Aſtrologis, reſpondet Soto loco vbi ſupra, & lib. 5. de iuſt. & iur. q. 10. a. 2. eiuſmodi Aſtrologos, qui

qui sæpè vitia falsa hominibus imponunt: vt puta latrocinia, seu alias turpitudines: haudquaquam esse ferendos, neque id omninò facere sine peccato cum infinitis quandoq; vtantur médacijs, & maxima eorum pars, quę sciunt, minima sit eorũ, quæ ignorãt. Sed tamen si nihil certè, & determinatè dixerint tãquam res manifesta, sed tantum in genere asserant: talem hominem, quia tali sidere natus est, in tale virtutum genus naturam temperatam habere, aut in tale genus vitiorum eandem habere corruptam: hoc (inquit Soto) nõ est alicuius occultum crimen reuelare: sed quid sit absconditum in rerum natura docere. At affirmare in particulari, hunc vel illum latronem esse futurum, aut hoc, vel illud crimen patraturum, dicit, quod ingens temeritas erit, & talia qui faciũt, non solum tanquam impostores, verum etiam tanquam publici infamatores, in vltimas cruces essent adigendi id, quod & satis insinuatur, in l. item apud Labeonem, §. si quis Astrologus, ff de iniurijs, & in l. nemo, C. de malef. & machi.

Ad quintum, & vltimum de Historiographis, dicit prædictus Soto, non esse necessum omnes historicos excusare, cum multa interdum scribant, quæ potius forent silentio prætereunda: sed tamen vbi non enarrantur infamia, & turpia peccata: sed solummodo bella, aut forsan homicidia ibidem facta, quæ in viris illustribus non videntur dedecora, non (inquit) omninò sunt damnandi: & quãuis aliquando dicant aliqua crimina occulta, seu quæ aliàs non ita forent publica, non etiam hoc vitio est illis tribuendum, cum id habeant ex officio, & quæ diuersis temporibus gesta sunt, optima fide debeant enarrare, hominumque memoriæ prodigere: propter bonum commune & publicum quò homines aliorum exemplis, instruantur, & perterreantur.

ARTICVLVS III.

Vtrum seruare secretum de re propria, sit etiam sub præcepto, & contrarium facere semper peccatum mortale?

HÆC Quæstio grauissima est, nimiumque cognitu necessaria, pro multis casibus, qui passim possunt occurrere, maximè in desumenda reorum confessione. Cuius quidem decisio pendet ex resolutione alterius celeberrimæ difficultatis, inter DD. Scholasticos multum controuersæ & agitatæ: an scilicet quilibet sit dominus suæ propriæ famæ, sicut & aliorum bonorum temporalium, liceatq; sibi proprium secretum reuelando, semetipsum infamare, idq; facere sit semper peccatum mortale? Qua de re duæ extremæ versantur opiniones.

Prima opinio † est Caietan. 2. 2. q. 73. artic. 2. & in summa, verbo detractio, quæ & continentur duobus dictis. Primò dicit Caiet. quod hominẽ seipsum infamare, absque iusta, & legitima causa præter ordinem iuris, est semper peccatum mortale ex suo genere: quemadmodum, & seipsum occidere. Et quamuis non ponat exemplum, nisi in casu, quo quis infamat seipsum, falsum aliquod imponendo sibi crimen: eius enim rationes æquè procedunt, quando præter iuris ordinem reuelat peccatũ, quod de se erat occultum, infamatq; seipsum contra charitatem, & dicit esse grauius peccatum, quam infamare alium. 33

Secundò dicit, eiusmodi peccatum † non solum esse contra charitatem, qua quis tenetur seipsum diligere, verum etiam, & contra iustitiam, & contra bonum commune Reipublicæ, cuius est propria cuiuslibet fama. Vnde colligit, quod nulla de causa excusatur quis à mortali peccato, se 34

ipsum

ipſum infamando, etiam ſi id faciat poſitus in tormentis, ad propriam vitam liberandam. Et addit quod id, qui facit, tenetur ſibi, ac Reipublicæ reſtituere famam, quam per iniuriam abſtulit: hæc in ſubſtantia Caiet. cuius primum dictum: nempè, quod quempiam infamare ſeipſum ſit ſemper peccatum mortale, ſequentibus argumentis, & rationibus poteſt comprobari.

35 Primò ex illo † ſapientis præcepto propoſito Eccleſiaſt. 41. Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille theſauri pretioſi, & magni. Et Iſaiæ 3. Reprehenduntur acriter, qui peccata ſua, ſicut Sodoma, & Gomorra prædicauerunt, neque abſconderunt.

Secundò probari poteſt id ipſum, ex eo, quod reuelare peccatum ſecretum eſſe videtur quodam modo contra rerum ipſarum naturam, diximus enim ſupra art. 1. peccata ſuaptè natura, digna eſſe, quæ celentur, & abſcondantur; & non niſi ex neceſſitate, & iuxta iuris præſcriptum ordinē publicentur. Facere autem aliquid quod ex ſe ſit contra naturam, certè eſſe videtur peccatum mortale, quod & probari poteſt.

Tertiò: nam fama, vt de ſe patet, eſt bonum quoddam, & maius quodlibet pretioſo theſauro: ergo illam negligere ſine ratione, & cauſa, ac prætermiſſo iuris ordine, peccatum mortale eſt: cum ſit contra naturam boni, quod omnia ſuaptè natura appetunt.

Quartò ſic argumentor ad idem, ex authoritate Diui Auguſtini, lib. de bono viduitatis, cap. 20. & refertur, in c. non ſunt audiendi, 11. quæſt. 3. vbi valde increpat illos, qui putant ſatis eſſe ſibi habere bonam conſcientiam apud Deum: & imprudenter, atque crudeliter contemnunt propriam famam: ad quod propoſitum (inquit) Quod vita noſtra nobis neceſſaria eſt, fama verò noſtra *aliis*: id, quod & dicit in ſermone de communi vita clericorum, & habetur in cap. nolo, 12. queſt. 1. vbi ait: quod qui fidens conſcientiæ ſuæ, famam negligit crudelis eſt. Sed nullus dicitur crudelis, propter commiſſum aliquod peccatum veniale, ſignum igitur eſt, quod famam negligere, ſeu quempiam infamare ſeipſum, ſemper eſt peccatum mortale.

Quintò & vltimo, probari poteſt id ipſum, ex eodem D. Auguſt. lib. 1. de ciuitate Dei, cap. 10. vbi ait, quod illo 8 præcepto: non falſum teſtimonium dices, non minus prohibemur noſmetipſos infamare, quam proximos, ſicut & illo quinto non occides, non minus prohibemur nos occidere, quam proximos; ſed hominem alium infamare, aut ſemetipſum occidere peccatum eſt mortale; ergo & ſemetipſum infamare erit etiam peccatum mortale.

Secundum † Caietani dictum: 36
nempè, quod eiuſmodi peccatum non ſit ſolummodo contra charitatem, verum etiam, & contra iuſtitiam, ſequentibus etiam rationibus poteſt comprobari.

Primò, nam bonorum quorum tantummodo nobis cura, & cuſtodia committitur, nec ſumus propriè Domini, ſed tantum cuſtodes: illa profundere omni procul dubio eſt non ſolum contra charitatem, verum etiā & contra iuſtitiam; ſed talis eſt fama, iuxta illud, quod ſupra diximus de mente Eccleſiaſt. 41. Curam habe de bono nomine; ergo illam prodigere peccatum eſt mortale, non ſolum contra charitatem, verum etiam, & contra iuſtitiam.

Secundò probatur, ex eo, quod cuſtodia famæ & honoris, non eſt penes perſonas ipſas particulares; ſed potius penes totā rēpublicam, nā ex fama & honore ciuium, dependet fama, & honor totius Reipublicæ, &

cum homo sit pars Reipublicæ, quodlibet ipsius bonum vergit in bonum totius Reipublicæ, viceque versa, quodlibet ipsius malum, redundat in malum Reipublicæ: sed infamia, quam maximum est malum (vt de se patet) ergo semetipsum hominem infamare, proprium sine causa reuelando crimen dedecus, & damnum vergit totius Reipublicæ. Et consequenter id ipsum facere, nedum est contra charitatem, verum etiam contra iustitiam. Hoc est potissimum, ac præcipuum fundamentum Caietani. Existimat enim, quod homo non sit magis Dominus suæ famæ, & honoris, quam vitæ: & vtriusq; Dominium esse penes Rempublicam: sicq; qui seipsum infamat, proprium sine causa reuelando crimen iniuriam facit Reipublicæ, & est restitutionis obnoxius.

Tertiò probari potest idipsum: nam si homo dominus esset suæ famæ, posetque illam pro libito, & absque peccato mortali prodigere: non ita strictè damnarentur semetipsos infamantes: sed glossa capituli si Sacerdotalibus, 11. quęst. 3. peccati mortalis damnat Episcopos, & Sacerdotes quosdam, qui semetipsos infamarunt, ac dicit eos iniuriam, quam maximam Christianæ fecisse Reipublicæ: vera ergo est sententia, & opinio Caietani.

Secunda sententia est Adriani, in 4. tit. de restitutione, quæstione de fama restituenda: & Magist. Soti relectione de ratione tegendi secretum, memb. 1. quæst. 3. & lib. 4. de iustitia & iure, quęst. 2. art. 2. & lib. 5. quæst. 10. art. 2. quæ & continetur alijs duobus dictis.

Primò dicit Soto, quod hominem
37 † infamare seipsum, proprium secretum reuelando crimen, ex suo genere non est peccatum mortale, sed solummodo veniale: quia non est contra charitatem, sed præter charitatem: quod verum esse credit, non solum quando verum est id quod dicit, verum etiam si falsò imponat sibi crimen: nam eiusmodi (inquit) mendacium, non est perniciosum, sed tantùmmodo officiosum.

Secundò dicit, quod vtcunque illud sit, saltem non est contra iustitiã,
† & qui illud facit ad nullam tenetur 38
restitutionem, etiam si per mendacium semetipsum diffamauerit.

Probatur primum dictum Soti. Et quidem quod huiusmodi peccatum
† non sit contra charitatem proximi 39
clarè patet, quia in eo casu se diffamans nemini nocet: quod verò neq; sit contra charitatem propriam, probat Soto, quia charitas qua quisque semetipsum tenetur diligere. Primo, per se & principaliter, solùmodo obligat quantum ad bona spiritualia virtutum, & gratiæ: non autem quantum ad temporalia, nisi quatenus fuerint necessaria ad finem spiritualem: ergo quando fama non fuerit simpliciter necessaria ad huiusmodi finem, non erit contra charitatem propriam illam negligere: sed solummodo prę ter charitatem, vel contra feruorem charitatis, quia est quoddam bonum: ac proinde ex genere suo non id erit, nisi tantum peccatum veniale.

Secundum probat suum dictum
Soto, nempe † quòd id facere non sit 40
contra iustitiam: nam vt inquit Aristot. 5. Ethic. & etiam clarius diximus supra, hominis ad seipsum non est iustitia, neque iniustitia: Nam iustitia est ad alterum, & volenti (vt dicit ibidem idem Aristot.) non fit iniuria. Ex quo proinde sequitur: quod qui prodigus est suæ famę, nisi aliç qualitates circunstent opus, ex genere suo nullã iniustitiam committit, & nulli est obnoxius restitutioni.

His igitur sic pręmissis, vt quod hac in re tenendum est perspicuum fiat, sequentes statuuntur conclusiones.

Pri-

Prima Conclusio.

41 SImpliciter, & † absolutè loquendo, homo quamuis non sit dominus propriæ vitæ, est tamen dominus sui honoris, & famæ, sicut & aliorum bonorum temporaliũ. Hæc conclusio esse videtur expressa sententia D.Tho.2.2.quęst.64.artic.5. Vbi inquit agendo de vita: quod occidens se ipsum non solum facit contra charitatem, verum etiam, & contra iustitiam respectu Reipublicæ, cuius est vita cuiuslibet hominis: de fama autẽ nihil tale dicit: quin verò in solutione ad tertium apertè insinuare videtur, positum esse in hominis arbitrio, sine peccato mortali illam negligere: postquam ait quod potest liitè homo disponere de se ipso quantum ad ea, quæ pertinent ad hanc vitam, quæ hominis libero arbitro regitur. Vbi non excipit famam, neque honorem: sed vniuersa hominis bonã præter vitam, posita esse dicit in eiusdem

42 arbitrio. Sed potest conclusio † præterea probari sequentibus rationibus. Quoad primam partem, nempe quod non sit homo dominus propriæ vitę, ex multis sacræ scripturæ authoritatibus: quibus dicitur, qđ vita à solo Deo dat, & ipse solus sit eiusdem dominus: tale est illud Deut. 32. Ego occidam, & ego viuere faciã, & Sapientiæ, 16. sapiens loquendo cũ Deo dicit: Tu Domine, qui vitæ ac mortis habes imperium.

Secundò quia eorum, quę propria nostra industria non acquirimus haud quaquam esse dicimur Domini: sed talis est vita, vt satis constat ex dictis: ergo.

Tertiò probatur id ipsũ, ex sententia D. Aug. lib. 1. de ciuitate Dei, cap. 10. dicentis. Quod illo præcepto, non occides, non minus prohibemur nosmetipsos occidere, quam quemcũque alienum. Sed hoc non esset, si homo dominus fuisset suę propriæ vitæ, essetque positum in sua potestate illã prodigere: ergo intentum.

Sed quo ad secundam partem de honore, & fama, quod simpliciter & absolutè loquendo, sit homo eorum dominus, quemadmodum, & quorumcunque aliorum bonorum temporalium, probatur conclusio.

Primò † quia eorum, quæ nostra propria industria acquirimus, & pro nostris operibus & laboribus exhibentur, verè & propriè homo dicitur Dominus, sicut & quorumcunq; aliorum bonorum temporalium: sed talis est honor, & fama, quæ sunt propria virtutum moralium præmia, iuxta illud Arist. qui ait quod honor est virtutis præmiũ, & Tullius etiam dixit. Quod honos alit artes: ergo simpliciter, & absolutè loquendo, eorum homo verè est, & dicitur dominus. 43

Secundò probatur id ipsum: nam quamuis fama, & honor præstãtiora bona sint suapte natura, quam pecunia, & reliquæ facultates, nihilominus tamen, magna copia pecuniæ in ciuili æstimatione, præualet honori, & famæ, quemadmodum licèt aurum præstet argento: nihilominus magnum pondus argenti, præualet paruo ponderi auri, sicque ex communi omnium Doctorum resolutione, honor & fama potest pecunijs recompensari sed hoc esse non posset, nisi homo esset dominus absolutè loquendo sui honoris, & famę: ergo intentũ.

Tertiò ad idem sic argumentor: nam de contemnendo honore & fama, expressum habetur consilium in Euangelio: quin verò & Christus Dominus, & sancti eius Apostoli, atque Discipuli, multique alij viri iusti celebres, & illustres, in multis casibus, id ipsum fecerunt & suo nos docuerunt exemplo, quod quidem non fuisset licitum, si homo sui honoris, & famæ non esset verè Dominus, non igitur id est dicendum.

Se-

Secunda Conclusio.

44 SI persona † fuerit particularis, & non publica, cuius hono: & fama multum sit Reipublicæ necessaria, hominẽ temerè, & sine causa semetipsum infamare, seu potius famam prodigere, proprium reuelando secretum, ex suo genere non est amplius, quam peccatum veniale, licèt grauius quam pecuniam profundere, & peccatum prodigalitatis. Hæc conclusio est expressa Magistri Soto, relectione de secreto, memb. 1. quæst. 3. conclusione, 1. 2. & 3. & est expressa contra Caietan. dicentem id in nullo casu licere, semperque esse peccatum mortale non solum contra charitatem verum etiam & contra iustitiam hominem semetipsum infamare, cum non sit dominus sui honoris & famæ, magis quam vitæ. Sed contrarium videtur verus propter rationes sequentes.

45 Primò † nam licèt fama maius bonum sit, quam pecunia, ac proinde illam prodigere, in suo genere grauius malum sit, & peccatum quam prodigere pecunias, nihilominus tamen est res, cuius homo verè, & realiter est Dominus, haud minus quam pecuniarum, & aliorum quoruncunque exteriorum bonorum; vt dictum est in præcedenti conclusione: sed prodigalitas pecuniarum, & aliorum exteriorum bonorum, ex suo genere non est peccatum mortale; sed tantummodo veniale, nisi ex aliqua adiecta circunstantia, de quibus dicemus statim; ergo nec famam & honorem prodigere, ex suo genere erit plusquam peccatum veniale,

Secundò probatur: nam si personã aliquam particularem temerè, & sine causa famam prodigere, proprium reuelando crimen extra casus inferius dicendos, peccatum esset mortale, sequeretur, quod similiter esset peccatum mortale, non respondere detractoribus & obijcientibus nobis iniustè, & publicè aliqua peccata nostra: nam perinde esse videtur, non respondere diffamanti, cum quispiam id possit facile facere: ac si semetipsum diffamaret, sicut & perinde est, latroni nõ resistere cum possit, ac bona propria prodigere: sed nullus tenetur sub mortali, detractoribus respondere, & obijcientibus sibi aliqua peccata publicè, & iniustè, quin verò positum est in cuiuslibet arbitrio tacere, & id ipsum propter Deum patienter sustinere, vt docet expresè D. Thom. 2. 2. quæst. 73. art 4. in solutione ad primum, & est communis resolutio omniũ Theologorum, habemusque exemplum in Christo Domino, de quo (inquit) D. Petrus 1. cap. 2. Quod cum male diceretur non maledicebat. Et Math. 27. habetur, Quod cum multa falsa testimonia eidem obijcerentur, dixissetque ei Pilatus non audis quãta aduersum te dicunt testimonia, nullum tamen respondit ei verbum, ita vt vehementer miraretur præses: quod fecit, nobis vt præberet exemplum, non respondendi maledicentibus: ergo famam & honorem prodigere, ex suo genere non est peccatum mortale.

Tertiò ad idem sic argumentor: nam si famam prodigere, esset semper peccatum mortale ex suo genere, loquendo de personis particularibus, nec magis esset dominus homo sui honoris, & famæ quam vitæ, sequeretur quod quotiescunque posset quis propriam famam defendere sine alterius nocumento, peccatum esset mortale id ipsum non facere, sicut & qui potest sine alterius nocumento, vitam propriam defendere si id non faciat peccat mortaliter: nam virtualiter esset veluti semetipsum occidere: sed nullus est qui dicat aut possit dicere, quod dum aliqua persona priuata, & particularis diffamatur (etiam iniustè) non possit cedere iuri suo, & tacere,

re,

te, quamquam aliàs sine infamia & detrimẽto alterius posset semetipsam compurgare: aut saltem nullus dicet, quod id teneatur facere sub mortali, magis quam cedere latroni res suas inuadenti si velit: ergo intentum.

Tertia Conclusio.

46 SI persona † fuerit publica, cuius honor, & fama multum fuerit Reipublicæ necessaria, bonoque communi, & exercitio, atque administrationi proprij sui muneris, & officij: in tali casu haud quaquam licèt illam prodigere, idque facere peccatum est mortale, non solum contra charitatem, verum etiam & contra iustitiam. Hæc conclusio est multum conformis doctrinæ Caietani, & in hoc casu venit ipse quam maximè, atque specialiter intelligendus. Sed quidquid de hoc sit, ea est expressa sententia Magistri Salon, 1. tom. de iustitia & iure, in 2.2. D. Thom. q 3. artic. 3. in conclusione etiam 3. inter agendum, an homo sit dominus sui honoris, & famæ? neque ab hac opinione quantum adhoc discedit Soto, quamuis non id expresse, sed incidenter dicat.

Et probatur conclusio, primò, 47 † quoad primam partem: nempe quod personam publicam (de qua in præsentiarum est sermo) famam prodigere & semetipsam diffamare, peccatum sit mortale contra charitatem: cuius quidem rei ratio in promptu est: cum inferat non solum sibi, verum etiam & suis subditis & bono communi graue nocumentum, & damnum: & obstaculum, atque impedimentum præstet exercitio proprij sui muneris, & officij: quæ omnia ex charitatis præcepto strictè tenetur vitare.

Sed quod id ipsum sit etiam contra iustitiam, manifestè patet: nam eiusmodi infamia personæ publicæ (vt de se patet) redundat in infamiam totius Reipublicæ, sicque infamatus non potest congruè, & debitè munus suum, & officium exequi: ac alijs vti tenetur prodesse: quæ omnia expressè sunt non solum contra charitatem, verum etiam & contra iustitiam. Quo enim iure tenetur quispiam ad aliquid peragendum, & maximè spectans ad bonum commune: tenetur subinde ad paranda, & procuranda media in idipsum necessaria, & vitanda illa, quæ quouis modo eidem esse possunt nociua, & contraria. Quo fit, quod cum talis sit honor, & bona fama, in personis publicis, ac publica officia gerentibus, necessariò dicendum videtur, quod illam prodigere peccatum sit mortale, non solum contra charitatem: verum etiam contra iustitiam.

Quarta Conclusio.

MVlti sunt casus, in quibus † etiam personæ particulares, temerè, & sine causa semetipsas diffamantes, & propria crimina reuelantes, peccant mortaliter: 48 quamuis non contra iustitiam, sed tantum contra charitatem. Hæc conclusio est etiam supradicti Salon loco vbi supra, conclusione 4. & etiam Magistri Soto, loco etiam vbi supra, conclusione 4 Et primus casus est, cum quis proprium reuelat crimen, per iactantiam, & complacentiam, semetipsum in eo complacendo, gloriando, & delectando: par enim peccatum est, adulterium siue homicidium: & delectatio, siue complacentia in eisdem: quin verò grauius esse videtur iactantia de illis. Ad quod propositum quam maximè facit, id quod de incontinentibus dicitur Isa. 3. vbi acriter reprehenduntur: Qui peccatum suum quasi Sodoma, & Gomorra prædicauerunt, neque absconderunt. Huc etiam pertinet illud

Psal.

Psal. 55. Quid gloriaris in malitia, qui potens est in iniquitate: Et illud Psal. 92. vsque quo peccatores gloriabuntur, effabuntur & loquentur iniquitatem? Talis etiam fuit Ioab olim, qui gloriosus de sua culpa, sanguinem homicidij sui posuit in balteo suo: propter quod à Dauid meritissimè iussus est occidi, vt habetur 2. Reg. c. 18. Secundus casus est, quando quis se infamaret de aliqua culpa turpi, atroci, & graui, vt de hæresi, sacrilegio aut stupro aliquo fœdissimo: nam in eo casu ab atrocitatem delicti, eiusmodi infamia erit omni proculdubio mortalis. Et idem est dicendum quãdo ex reuelatio crimine, necessariò aliquod sequeretur scãdalum: vt si quis apud alios haberetur iustus, & sanctus, & reuelaret peccatum aliquod graue quod commisit, vnde alij occasionem sumerent peccandi, & se scandalizandi: aut si esset religiosus alicuius Ordinis, & se infamando, & proprium crimen reuelando, occasionem præberet contemnendi tale genus hominum. In his casibus, quamuis persona sit particularis, & non publica, semetipsum infamare, omni proculdubio erit peccatum mortale. Tertius casus est, quando ex reuelatione secreti criminis, seu alterius cuiuslibet secreti, incurreret quis periculum vitæ: tunc propter graue nocumentum, quod sibi ex natura rei inferri, videtur quod sit peccatũ mortale contra charitatem. Sicque dicũt DD. quod Sanson mortaliter peccauit, in reuelando Dalidæ amicæ suæ capillorum mysterium, & secretum vbi abscondita erat fortitudo ipsius: vt habetur iudicum, 16. Quamquam postea occidendo se eum hostibus, nõ peccauerit, prout dicit, D. August. 1. de ciuitate Dei, c. 21. quia instinctu Spiritus sanctis id fecit in dictis casibus personas etiam particulares propria peccata, aut secreta reuelare peccatum est mortale.

Quinta Conclusio.

Aliqui etiam sunt † casus, in quibus quempiam se infamare seu potius propriam famã prodigere non est peccatum mortale, nec veniale: quin verò opus, & officium virtutis. Hæc conclusio est expressa Magist. Soto loco vbi supra cõclusione, 5. & Salon, loco etiam vbi supra conclusione, 6. Et adducunt ad hoc varia, & diuersa exempla. 49

Primò si id fiat ex iusta, & rationabili causa, ad capiendum consilium, vel leuandum tristitiam, quando id aliter fieri non potest, quam reuelando aliquod proprium crimen, licèt ex eo non nulla resultet infamia in tali casu (inquit) nullum est peccatum. Nam sicuti ex iusta causa, potest quis prodigere bona sua temporalia, quorum est Dominus, ita etiã & honorem, & famam, quorum similiter est Dominus.

Secundò potest id ipsum fieri, ratione iustitiæ, vt cum quis falsò proximum suum diffamauit, in hoc casu non solum potest, verum etiam tenetur publicè se retractare, cum periculo proprij honoris, & famæ.

Tertiò esse potest officium virtutis, quod quis permittat se pro suo amico infamari, vt (v g.) si quispiam fecit crimen, quod falsò imponitur alteri, quamquam esset, & casus in quo non teneretur crimen suũ reuelare, & manifestare si nullatenus erat diffamatus, neque ipse fuit in causa, quod alteri tribueretur, posset tamen cedere iuri suo, ac prodere se ipsum, protegendam famam amici, essetque opus virtutis, aut vice versa, si amicus alicuius fecit crimen, quod sibi falsò impingitur, quamuis possit se compurgare nihilominus si non velit, sed tacere, vt propria infamia amici famam custodiret, posset id similiter facere, sicut & vitam ponere pro ami-

amicis suis, iuxta illud Ioan. 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Prædictorum omniũ ratio est, quia in omnibus his casibus est iusta, & rationabilis causa, reuelandi proprium crimen, aut non semetipsum compurgandi, siue excusandi, vnde non illud facere, quin verò famam, & opinionem contemnere nulla esse videtur prodigalitas, ac proinde nullum est peccatum, sicut nec peccaret, qui ex iusta, & rationabili causa bona alia sua temporalia expenderet.

Quartò id ipsum fieri põt ad exercendam humilitatẽ, & vt nõ in tanto pretio habeatur alicuius viri sanctitas, aut & securius viuat, fugiẽdo aliquas dignitates siue Episcopatus, Ad quod propositũ, referuntur plura ac ferè innumera, de multis sanctis, & de beato Ambrosio (si vera est eiusmodi Historia) de quo specialiter dicitur, introduxisse ipso ex proposito, mulieres meretrices in domum suã, vt non eligeretur in Episcopum. Eodẽ fine, nempè exercendę humilitatis gratia dicunt DD quod D. August. & Anselmus in suis scriptis quam plura peccata sua propalarunt, & secreta reuelarunt; quæ quia longum esset nimis velle in præsentiarum recensere, consultò prætermitto.

Quintò & vltimo potest id ipsum fieri, occultumq; crimen reuelari quãdo quis in tormentis positus cõtra ius interrogatur: nam licèt iure nõ teneatur respondere, si tamen vt ab equlei pressura, & tormento se eripiat, velit illud confiteri, etiam si se infamet, nõ solum non erit illi peccatum verum etiam & esse poterit virtutis officium, quod tenet, & probat supradictus Soto loco superius citato, in calce tertij membri, & lib. 5. de Iustitia & iure, quęstio. 10. art. 2. sed de hoc aliàs suo proprio loco dicemus, quãdo agemus de confessione reorum.

Sexta Conclusio.

IN famare quempiam † se ipsum in 5
iudicio, falsum sibi imponẽdo crimen in re graui, omni proculdubio est peccatum mortale grauissimũ quamuis non sit contra iustitiam: sed solummodo contra charitatem. Hæc cõclusio est Magis. Salon loco vbi supra, conclus. 5. & est expresè contra Sotum loco etiam vbi sup. conclus. 6. vbi (inquit) eiusmodi mendacium nõ esse perniciosum, sed solum officiosum, quod multis probare contendit contra Caietanum. Sed nihilominus contrariũ omninò videtur verius. Nã licèt non teneamus cum Caiet. in eo quod dicit, quod id ipsum facere sit contra iustitiam, post quam diximus quemlibet esse Dominũ sui honoris, & famæ, quemadmodũ & quorsicunque aliorũ bonorũ temporalium, & quia hominis ad se ipsum, vt etiam diximus de mente Aristot. 5. Ethic. non est iustitia, neque iniustitia: dicimus tamen esse contra charitatem, ac proinde peccatum mortale, quod & sequentibus rationibus probatur.

Primò, quia certum est, quod omne mendacium † in re graui, & cum alterius, seu proprio ipsius nocumento, est peccatum mortale, cum sit contra ordinem charitatis, sed tale est mendacium: quo quispiam in iudicio semetipsum diffamat, falsum sibi imponendo crimen: ergo est peccatum mortale.

Secundò probatur id ipsum, de mẽte, & sententia D. August. 1. de Ciuitate Dei, capit. 20. vbi inquit: Quod non minus peccati reus est, neque minus falsum testimonium sibi imponit contra octauum præceptum Decalogi, qui contra se ipsum falsum dicit: quam qui id ipsum facit aduersus proximum: Sed aduersus proximum falsum testimonium dicere peccatum est mortale: ergo & aduersus se ipsũ;

quam-

quamuis non illud sit contra iustitiam, cum sit quilibet Dominus propriæ suæ famę, & honoris, vt dictum est. Nec in hac parte quidquam valet solutio Soti, dicentis; quod licèt octauo illo pręcepto, prohibeatur contra se quempiam falsum testimonium dicere, quemadmodum & contra proximum suum: & ex suo genere vtrũque obliget sub mortali (nam omnia præcepta Decalogi obligant sub mortali) non tamen inquit inde sequitur, quod indiuiduo omnia æqualiter sint peccatum mortale: nam in vno casu, nempè quando proximus diffamatur, & aufertur ab eo iniustè quod suum erat, fit contra iustitiam, non verò in alio hæc inquam solutio nihil valet: nã nos non dicimus quod vtrobiq; æquale sit peccatum, sed tantum quod in prędicto casu est peccatum mortale contra charitatẽ propter rationes dictas; quamuis nõ vtrobiq; sit contra iustitiam; cum in isto sit homo Dominus proprijs sui honoris & famæ: sicq; in parte conuenimus cum Caiet. & in parte dissentimus ab ipso, at quod dictum est in conclusione verius apparet, de quo et aliàs dicimus.

Septima Conclusio.

52 QVomodo † cunq; persona particularis, etiam per mendaciũ se diffamauerit, non tenetur ad restitutionẽ suæ famæ. Hęc conclusio est expresè contra Caiet. sed tenet illam magister Soto loco vbi supra, in septima conclusione; cuius & ratio in promptu est: nam licèt quẽpiam se per mendacium diffamare, ex suo genere peccatum sit mortale (vt dictũ est in præcedenti conclusione) contra charitatem, non est tamen cõtra iustitiam, cum quilibet sit Dominus sui honoris & famæ, quemadmodum & quorumcunque bonorum tẽporalium: ac proinde nulla inde nascitur obligatio restitutionis, cũ nemini fiat iniuria, & si qua fit iniuriam, est sibi ipsi, quam proinde quasi propriæ suæ famæ Dominus, liberè potest sibi remittere.

Solummodo restat nũc respondere ad argumenta proposita pro opinione Caietani, & ad ea, quæ in comprobationem primi sui dicti continentur respondetur per ordinem.

Ad primum † quo ex dicto sapientis: præcipimur curam habere de bono nomine, respondetur id esse necessarium, non tamen inducere obligationem sub reatu peccati mortalis, cuius & patens iudicium est cum cõperat ibi sapiens bonum nomen pecunijs, & certum sit, quod custodia pecuniarum non obligat sub mortali, nisi in aliquo speciali casu, & ex speciali circunstantia, qua homo tenetur alere propriam familiam, aut prouidere pauperibus existentibus in graui necessitate: in alijs verò casibus, prodigalitas ex suo genere non est peccatum mortale, sed veniale, vt docet D. Tho. 2. 2. q. 119. art. 3. 53

Ad illud verò de Isaia; dico intelligendum esse in casu quartæ conclusionis, nempe de illis, qui se iactant de aliquibus suis peccatis, gloriantur, quæ cum male fecerunt, & exultant in rebus pessimis, de quibus certum est, quod peccant mortaliter, vt in dicta conclusione diximus.

Ad secundum respondetur, quod quamuis personam particularem se diffamare, & propriam negligere siue prodigere famam: contra naturam sit boni temporalis, non tamen id est cõtra naturam boni spiritualis, ac proinde neque contra charitatem, sed prętter illam; nisi in casu quo necessaria sit ad finem spiritualem: vnde nec sẽper est peccatum mortale, sed tantummodo veniale, nisi in casibus positis in 4. conclu.

Ad tertium respondeo similiter, quod quamuis fama maius, quodam bonum sit quolibet pretioso thesauro,

sauro, illam tamẽ negligere, aut prodigere, respectu personarum particularium, non est peccatum mortale, sed tantummodo veniale, magis aut minus graue, sicuti & expendere sine sufficienti ratione, & causa, magnam pecuniarum quantitatem; omnia enim ista sunt sub dominio hominis.

Ad quartum respondetur, quod auctoritates D. Aug. quam maximè verum habent in Prælatis & iudicibus, atque in personis publicis, quorum honor, & fama necessaria est reipublicæ, ac bono communi: & ad exactam & debitam executionem suorum officiorum, de quibus nos in 3. conclu. diximus. Et verificantur etiam interdum, in aliquibus personis particularibus, ex quorum propriorum criminum reuelatione, propter conditionem sui status, in republica resultat scandalum, de quibus nos etiam in quarta conclusione diximus. Loquitur enim ibi D. Aug. de quibusdam mulieribus, quæ vt religiosissimæ à populo quam maximè venerabantur, & habebantur in magna sanctitatis opinione, quæ putantes virtutem esse, & vt æstimarentur malæ, & vilipenderentur, propriam negligebant famam. Hoc condemnat ibi D. Aug. ratione scandali, quod exinde resultabat populo, quod & nos diximus esse peccatum mortale, sed non sic est in alijs casibus.

Ad quintum, & vltimum respondetur, quod quamuis octauo illo præcepto, non falsum testimonium dices, ita prohibeamur nos sicut & proximos nostros diffamare: sicut præcepto quinto non occidere: haud tamen id intelligendum est æqualiter: nam alium infamare in re graui semper peccatum est mortale, non solum contra charitatem, verum etiã, & cõtra iustitiam, propter iniuriam, quæ infertur proximo, propriam suã famam illi detrahendo, at nosmetipsos diffamare, non est peccatum contra iustitiam, cum hominis ad seipsum non sit iustitia, nec iniustitia (vt dictum est) & sit quilibet Dominus sui honoris & famæ, sicut & quorumcunque aliorum bonorum temporalium, sed tantummodo id ipsum erit peccatum contra charitatem: si se diffamans fuerit persona publica: aut verò præter charitatem, & non plusquam peccatum veniale, si fuerit persona particularis.

Ad argumenta secundi dicti Caiet. respondetur. Ad primum vt dictum est in prima conclusione, quod homo simpliciter, & absolutè loquẽdo, est Dominus sui honoris, & famæ, quemadmodum & aliorum bonorum temporalium: nec tantum est custos, quamuis & curam habere iubeatur de bono nomine. Et licèt id ipsum facere, quam maximè sit necessarium ex præcepto charitatis, præsertim in personis publicis: non tamen ex præcepto iustitiæ, ita vt contrarium faciens, contra illam censeatur peccare, aut alicui sit restitutioni obnoxius.

Ad secundum respondetur, negando quòd dominium honoris & famæ, non sit penes personas particulares, sed penes Rempublicam: nam licet id verum habeat in personis publicis, Prælatis atque iudicibus (vt diximus in tertia conclusione) non tamen in personis particularibus prædictis, quæ licèt interdum peccent mortaliter se ipsas infamãdo, & propria delicta secreta publicando, in casibus, de quibus diximus in quarta conclusione: non tamen peccant contra iustitiam, sed tantummodo contra charitatem.

Ad tertium, & vltimum respondeo, quod glossa illius cap. si sacerdotibus, loquitur de quibusdam Episcopis, & sacerdotibus, qui metu mortis compulsi subscribebant aliquibus erroribus, & hæresibus illius temporibus, idque faciendo semetipsos infama-

ma-

mabant, & Christianæ Reipublicæ quam maximam iniuriā irrogabant: qui licèt hæresim non haberent in animo, grauissimè tamen peccabant, infamando se de crimine adeo graui: simplices etiam scandalizando, & errandi illis occasionem præbendo, cū essent Episcopi, & personæ publicæ, de quibus verum est dicere, quod faciebant in eo nedum contra charitatem, verum etiam contra iustitiam, vt & nos diximus in tertia, & quarta conclusione, sed non id verum habet in omnibus, vt dictum est.

ARTICVLVS IV.

Vtrum alienum, siue proprium secretum seruare, adeo obliget sub mortali, vt teneatur quis potius mortem subire, quàm illud reuelare?

54 VT præsentis difficultatis † veritas plenius possit innotescere, liber eandem aliquibus propositis argumentis discutere, seu quod dicitur difficilè reddere. Et pro parte negatiua sic argumentor.

55 Primò: † nam reuelare secretum, & quempiam alium, aut semetipsum infamare, ex suo genere non est, nisi quoddam temporale damnum: nempè facere famæ iacturam quæ ex proditione criminis deperditur aut violatur: quæ quidem fama licet pretiosior sit thesaurus, quam pecuniæ, & aliorum bonorum exteriorum, at verò vita maius, & pretiosius bonum est, quam ipsa fama, & quacunque re alia: vt enim dixit olim Iob, cap. 2. Pellem pro pelle & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua: non igitur tenemur vitam perdere pro conseruanda nostra, aut alterius fama: quin verò in casu, quo alterutrius iactura facienda necessario sit, potius debemus famam nostram, vel alienam spernere: quam vitam perdere.

Secundò sic argumentor ad idem: nam si etiam cum mortis periculo seruare tenemur fidē secreti proprij, vel alieni, id maximè esset, quia secretum propalare adeo esset ex se intrinsecè malum, vt nulla ratione posset iustè fieri (cuiusmodi est alium occidere, fornicari & mentiri) sed hoc nō ita est: nam vt in præcedenti articulo diximus, in multis casibus licitum est reuelare secretum, idque facere est officium virtutis: & quandoque necessarium ad obuiandum malo communi: & causa corripiendi fratris (vt infra dicemus cum agemus de correctione fraterna) ergo, & causa defendendæ vitæ, quæ in bonis temporalibus summum tenet gradum: id ipsum facere etiam erit licitum.

Tertiò sic argumentor ad idem: nam Matth. 11. dicitur, quod iugum Christi Domini suaue est, & onus eius leue: sed si secretum non reuelare aut propriam, seu alterius famam cum dispendio vitæ seruare teneremur: onus esset quidem grauissimū, atque incomportabile: ac impar humanis viribus: non igitur id est dicendum. Pro resolutione propositæ difficultatis, vtque planum fiat, in quibus casibus teneamur aut non teneamur cum periculo etiā propriæ vitæ, proprium, seu alienum seruare secretum: sequentes statuo conclusiones.

Prima Conclusio.

SI secretum scitum † fuerit in cō- 56
fessione, adeo strictè seruandum est, vt potius mors sit subeunda, quam ipsum vllo modo reuelandum. Hæc conclusio est omnium communis & est expressa M. Soto relectione de secreto, in 1. memb q. 2. & memb. 3. q. 4. conclus. 1. vbi & quam plures enumerat casus, in quibus sigillum Sacramenti cōfessionis violatur: quos opere pretium erit quam maximè videre ibidem: nam nobis propter breuitatem, cui tantopere studemus,

in

in hisce rebus amplius immorari non licet. Sed quod ad seruandum secretum prædictum, teneamur etiam cum dispendio, & periculo propriæ vitæ: probat prædictus Soto ex iam supradictis in secundo, & tertio articulo: nempè quia secretorum fides obligat generaliter, ex strictissimo præcepto naturali, diuino, atque humano. Sed loquendo specialiter de secreto confessionis prædicto, probat illud, quia deco est peculiare ius diuinum. Et si quæratur inquit, vbi nam habeamus hoc præceptum, nam in tota Euangelij pagina non reperitur? Respondet & dicit quod ex necessitate finis, seu medij ad finem, colligitur ex illis verbis, Ioann. 20. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt. Qui enim (inquit) præcipit aliquem finem, consequenter præcipit omnia media necessaria ad consequendum talem finem: sed Christus Dominus in prædictis verbis instituit Sacramentum Pœnitentiæ sub præcepto, & indixit cunctis hominibus obligationem propria confitendi peccata sacerdotibus: ad quod necessarium, atque præcisum erat medium confessionis sigillum: vt potè sine quo Sacramentum prædictum omninò periret: nam eo sublato deterrerentur homines à confitendis peccatis: ergo quo facto instituit eiusmodi sacramentum, & quo præcepto obligauit homines vniuersos ad propria confitenda peccata: eodem obligauit & sacerdotes strictè ad eadem secreta retinenda, & nullo modo, atque ob nullam causam reuelanda, & propalanda. Hoc argumento innixus D. Thom. in 4. dist. 23. q. 3. dixit secreti

57 † sigillum esse de necessitate confessionis, & prædicti Sacramenti Pœnitentiæ. Ex quò etiam infert prædictus Soto, quod nec Papa nec tota Ecclesia dispensare potest in hoc vt reueletur confessionis sigillum, quia id esset contra ius diuinum, & contra Sacramentum à Christo institutum: & certum est, quod Papa neque tota Ecclesia immutare non potest naturam Sacramentorum. Hoc præmisso, ac præsupposito præcepto, probat Soto, quod illud obliget et cum dispendio propriæ vitæ. Et ratio est. Nam semper media pensanda sunt ex conditione, & necessitate finis: sed finis seruandi sigilli, est non minus quam necessitas Sacramenti Pœnitentiæ & Confessionis, ex quo tota Christianorum salus pendet (sublato enim è medio confessionis Sacramento, omnia plena essent iniquitatibus, & tota procul dubio Christiana Religio periret, quę res vt de se patet maioris multo momenti est, quam cuiuscunque tēporalis vita.) Ergò præceptū seruandi confessionis secretū, obligat et cū dispendio, & periculo propriæ vitæ. Quod certè adeo verum est, vt ob nullam causam, nec pp ssimū totius orbis bonū confessionis sigillū infringere † liceat, & sacerdoti contrariū facienti, 58
secundū iura antiqua (quia sacerdotes capitis pęna plecti nō possunt) perpetuū exiliū fuit impositū, iuxta, c. sacerdos, de pęnitentiæ, dist. 6. & vt omni officio, & beneficio priuatus perpetuā ageret pęnitētiā, iuxta antiquā formā ignominiosè peragrando per orbem. Quæ pęna iuxta ius nouum postea, per cap. omnis vtriusque sexus de pęnit. & remis. commutata est in hoc, vt talia faciens in arctissimum perpetuū recludatur carcerem; quorum vtrūque est veluti morti proximū, vt habetur in l. 2. & l. capitalium, ff. de pęn. à qua subeunda pęna haudquaquam eximeretur, qui metu mortis, & ad vitandum eiusdē dispendiū diceret se id ipsum fecisse: quod est certū, ac sine dubio. Et intelligenda est supradicta conclus. de omni peccato mortali, siue veniali, vtrumque in confessione cognito: dummodo fuerit vera, & realis confessio: siue sit præteritū, siue verò

præsens, aut futurum, siue qui illud confitetur verè pæniteat, aut non pæniteat: at cum omnibus suis circunstantijs, quæ cuiuspiam conscientiam quoquomodo directè, aut indirectè manifestare possunt: nam omnia clauduntur sub confessionis sigillo, eaque celare, seu non reuelare, obligat sub præcepto peccati mortalis, etiam cum periculo, & dispendio propriæ vitæ, in quo conueniunt omnes vnanimiter Doctores. Et qui hac de re plura, eaque tractatu dignissima videre desiderat, consulat supra dictum Sotum loco vbi supra, conclus. 1. 2. & 3. vbi, & plures enumerat casus, in quibus perperam interdum confessionis violatur sigillum, quos non pigebit legisse, quin vero id facere quam maximè erit iucundum, & nec parum necessarium, cum ex eisdem casibus alij plures possint coniectari, & deduci.

Secunda Conclusio.

59 SAcerdos interrogatus † à Prælatis, siue Iudicibus, etiam sub iuramento & censuris de re, quam in confessione nouit: tutissimè respondere potest se nihil prorsus de ea scire, nec opus habet vlla alia vti arte, aut verborum subterfugio: nam & in eo nullum omnino mendacium committit. Hæc conclusio est etiam supradicti M. Soti in prædicta relectione de secreto, memb. 3. quæst. 1. conclus. 2. & dicit esse omnium Doctorum communem: quamuis in eiusdem reddenda ratione, diuersa procedant via, & vt cunque inter se dissentiant. Sed prætermissis multis dicendi modis: (quia non hic horum est proprius locus, & pro scholis dicenda reseruantur) vera & genuina ratio supra-
60 dictæ conclusionis est, quia quæ † sacerdos in confessione audiuit, seu nouit non quidem illa scit, aut nouit vt homo, sed vt Deus: vel vt rectius loquat vt minister Dei, & ipsius personam repræsentans: qui dicendi modus (quidquid alij dicant) frequentissimus est, non solum apud scolasticos Doctores, in quarto sent ent. distinct. 21. verum etiã & receptissimus apud Pontifices maximos, vt constat, ex c. si sacerdos de offic. ordin. & cap. omnis vtriusque sexus de pœnit. & remiss. nec curandum est multũ de quorundam subtilitatibus, & methaphysicis quæstionibus: nam siue hoc siue illo modo dicatur, à nobis posita cõclusio est vera: & sacerdos interrogatus de eo quod in confessione audiuit, dicendo & respondendo se omnino nihil scire, nullum prorsus mendacium cõmittit. Videatur hac de re Aragon de iustitia, & iure, super 2. 2. D. Tho. q. 70. art. 1. dub. 1. circa 2. conclusionẽ. Confirmatur præterea hoc ex sentẽtia Diui Bernardi, de quo fertur solitum fuisse dicere: Nihil omnino minus scio, quam id quod in cõfessione scio. Id quod & habet atque ita intelligit communis omnium Christianorum vsus. Eo enim modo voces significant quo recipiuntur à populo: & certum est quod dum populus audit sacerdotem iurantem se nihil scire: non intelligit de ijs, quæ in confessione nouit: sed solummodo quod de re, qua interrogatur nihil scit extra confessionem, siue quod possit, aut teneatur dicere.

Tertia Conclusio.

NOn solum sacerdos † ita strictè confessionis sigillum seruare tenetur, verum & quicunque alij nouerunt aliquid pertinens ad secretum confessionis: etiam cum dispendio vitæ, & periculo mortis: quamuis non sub pœnis prædictis positis specialiter pro sacerdotibus. Hæc conclusio est expressa D. Tho. & cõmunis omnium Thologorum in 4. sent. dist. 21. Constituuntq; exẽplum † in interpretibus, quãdo s. sacerdos, 61

&

& pœnitens non ſunt eiuſdē linguæ, & pænitens per interprete ſacerdoti confitetur. Similiter & in laicis, quando quis in extrema neceſſitate cōſtitutus non habens copiam ſacerdotis alicui laico confitetur: quamuis hæc non ſit propriè, & verè confeſſio. Item quando prælatus concedit caſum reſeruatum, ſeu aliquis confeſſor Doctorem quempiam conſulit, & eiuſdem imprudentia deprehenditur pœnitentis peccatum. Item ſi quis laicus dolo, & fraude perſonam induit ſacerdotis, vt alicuius confeſſionem audiret, aut quauis alia ratione pœnitentis peccata in confeſſione prodita nouit; in omnibus his caſibus, & ſimilibus, dicūt omnes Doctores communiter, quod prædicti omnes ſeruare tenentur ſygillum, & prius mortem, quodcunq; aliud damnum vtcunq; graue ſubire, quam peccata eo modo cognita reuelare, & manifeſtare: & contrariū faciendo peccant grauiſſimè: quāuis nō incurrant pænas, Canonis omnis vtriuſq; ſexus, de pœni & remiſſ. ſpecialiter conſtitutas pro ſacerdotibus. Hac de re videatur Soto de ſecreto membro tertio, quæſtione quarta, concluſione etiam quarta. Hæc dicta ſint de ſacerdotibus, & de ſecreto ab eiſdem ſeruando, vtcunque in confeſſione cognito, ſiue ad ſigillum confeſſionis pertinēte. Sed loquendo de alijs ſecretis, quæ ſunt alterius ordinis, oportet etiam dicamus quo modo ſeruanda ſint; & qualiter in ipſis obliget ſecretorum fides, etiam cum diſpendio, & periculo propriæ vitæ. De quo ſit quarta concluſio.

Quarta Concluſio.

63 QVi officium tenent † publicum, & ad ſecretum ſeruandum tenentur ex propria, & vera ratione iuſtitiæ, vt Senatores, & Conciliarij, ad id ipſum aſtringuntur etiam cum diſpēdio, & periculo propriç vitç. Hec concluſio eſt expreſſa Mag. Soti, loco vbi ſupra, concluſione, 6. quam & ſequenti ratione probat: Nam media (inquit) penſanda & conſideranda ſunt ex ratione finis: ſed interdum ex ſecreto Reipublicç depēdet totius populi ſalus: ergo Senatores & Conſiliarij prædicti, & quibus Reipublica ſua arcana, & ſecreta commiſſit, ad eadem ſeruanda ſpeciali vinculo, & fidei Sacramento aſtringuntur: idque ipſum facere tenentur etiam cum diſpendio, & periculo propriæ vitæ. Hoc intelligendum eſt in rebus grauibus, in quibus ſecreti alicuius reuelatio vergere poſſet in graue damnum Reipublicæ: non ſic autem in rebus, quæ minoris ſunt momenti: quamuis & in omnibus Reipublicæ ſecreta ſeruare obliget ſub peccato mortali: maximè illos, quibus hoc incumbit ex officio publico. Id ipsū dicit Soto de Scribis, & eius generis miniſtris, & in caſibus quibus ſecreti alicuius reuelatio, in graue vergeret damnum & præiudicium Reipublicæ: in his enim (inquit) quod non ſolūm huiuſmodi perſonç publicæ, quibus ex officio incumbit ſeruare ſecretum: verum etiā & quæcunque aliæ priuatæ, tenentur id ipſum facere, & opus ſi fuerit potius morti vitam exponere, quam ſecretum vllo modo, aut ratione detegere. Pro quo allegat, legem omne delictum, ff. de re militari. Vbi exploratores, & qui Reipublicæ ſecreta hoſtibus enunciarit, proditores dicuntur, & capitis pœna damnantur, ac puniri iubentur. Hæc dicta ſint de ſecretis Reipublicæ. 64

Sed loquendo de alijs priuatis, ſit quinta concluſio.

Quinta Conclusio.

65 QVi per iniuriam † alicuius secretum extorsit (si res sit magni momenti) tenetur illud celare, & contegere, etiam cum mortis discrimine, & periculo propriæ vitæ. Hæc et conclusio est supradicti Soti, loco vbi supra, conclus. 7. vbi ad hoc propositum dicit multa, de antiqua illam muliere nomine Dalida, quæ improbitate quadam muliebri, capillorum mysterium & secretum à Sansone extorsit olim, quod cælare omninò tenebatur, priusque mortẽ subire, quã Philisteis illud detegere: probat Soto conclusionẽ prędictã sequẽti ratione. Nã (inquit) vnusquisque tenetur potius mortem subire, quam famam & honorem ab aliquo auferre, maximè si res sit magni ponderis, atque momenti: sed qui per iniuriam secretum ab aliquo extorsit, ipsumque alijs reuelat famam ab eo aufert, quin verò, & illam quadam ratione depredatur: ergo si ea sit magni ponderis, & momenti, potius tenetur mortem subire, quam id ipsum facere, seu illum diffamare: tum vel maximè quãdo exinde eidem imminet periculum vitæ. Consequenter ad predicta dicit supradictus Magist. Soto, quod qui

66 mala fide † aliquorum literas obsignatas aperiunt, quia in eo vis, & iniuria infertur eisdem: maiori vinculo astringuntur ad seruandum illarum secretum, quam si id ipsum cognouissent alia quadam iusta vi, & addit, quod in literis alienis non aperiendis, & ipsarum secretis cælandis, & non reuelandis: celebratissima semper fuit olim apud antiquos religio: vt incunctanter omnes referunt historiæ: qua de re cum multa possem dicere, breuitatis gratia cõsulto facio missa: hæc de secreto iniustè, siue per iniuriam extorto. Sed quid de secretis citra iniuriam deprehensis? Respondeo, & sit sexta conclusio.

Sexta Conclusio.

QVamuis secretum † quod quis data fide custodiendum recepit, seruandum sit strictè: nõ tamen id ipsum obligat, cum dispendio propriæ vitæ, aut cum graui iactura honoris, & aliorum bonorum temporalium. Hæc etiam conclusio est supradicti Mag. Soto, loco vbi supra, conclusione octaua: vbi non aliter eã probat, quam dicendo, quod huiusmodi obligatio non oritur ex iustitia, siue ex officio publico, quo quisque secretum seruare teneatur: sed ex sola liberalitate, & bonitate promittentis, & dantis fidem: & quia nemo præsumitur promittere id, ad quod aliàs nõ tenebatur, cum tanto dispendio, iactura, atque periculo. Qui enim (inquit) pecuniam amici alicuius in deposito custodiendam recepit: non quidem eandem tenetur tueri, cum tanta iacturã, detrimento, & periculo: ergo & id ipsum est dicendum in proposito casu: quamuis sit viri probi, atque prudentis, pro rei conditione, & magnitudine, potius iacturã in proprijs bonis facere: quam commissum sibi arcanum, siue secretum, reuelare, & detegere. Neque quidquam valet argumentum, quo ad hoc propositum, & circa hanc rem comprobandam vtuntur non nulli, dicentes, quod in quocunque casu licet proprium reuelare secretum, licet subinde, & reuelare alienum. Non (inquam) hoc valet quidquam: nam respectu proprij secreti, & propriæ famæ (vt supra diximus) quilibet est Dominus, seu vt dicitur moderator, & arbiter, postque proinde ipsam prodigere, & periculo exponere, proprium reuelando secretum: & in eo nulli alij, quam sibi iniuriam facit (vt de se patet) secus est autem respectu secreti alieni, vt etiam nos latissimè diximus supra. 67

Septi-

Septima Conclusio.

68 QVando quispiam † casu alienum secretum nouit, licèt illud contegere, & non reuelare sub mortali teneatur (si res sit magni momenti) non tamen propterea tenetur grauia pati, seu vt illud celet, periculo propriam vitam exponere. Hæc etiam cõclusio est M. Soti, vbi supra cõclusione noua. Et probatur ex eo, quia secretum prædictum solummodo seruare tenetur ex charitate; non verò ex iustitia, aut ex aliquo ciuili debito: vnde nec sibi incumbit maior obligatio, quam ad seruandam aliam quamcunque rem alicuius amici, quod quidem facere tenetur, quando id ipsum potest sine proprio graui damno, & periculo, non verò cum illo: cum quo etiam (inquit) stat, vt in casu aluitare fuerit consilium, prius mortem oppetere, quam alienum secretum reuelare Consilium dixerim, non verò præceptum: nam præceptum non est, nec res quæ obligat cum dispendio, atque periculo vitę. Hæc dicta sũt de secreto alieno, sed quid de proprio. Respondeo & sit octaua conclusio.

Octaua Conclusio.

69 AD proprium secretum † seruandum, nemo tenetur cum vitę dispendio atque periculo: imò verò nec propterea grauia tormẽta pati. Hæc etiã cõclusio est M. Soti, vbi supra cõclusione decimã, & statuitur pro illis, qui in æquulæo positi prę ter ius interogantur. Etenim si interogentur legitimè, atq; iuridice, etiam citra tormenta, tenentur veritatem fateri. Hanc conclusionem statuit prædictus Soto contra Caietanum, asserentem hominem nõ habere dominium suæ propriæ famæ, nec posse proinde proprium reuelare secretum: vt cumque tormentis grauetur, atque vexetur. Sed contrarium est verius (vt nos etiam diximus supra, loquendo de personis particularibus) nisi in certis quibusdam casibus: & quod quilibet est dominus suæ propriæ famæ, quemmadmodum & quorumcunque aliorum bonorum exteriorum, & temporalium. Quo fit vt quamuis veniale sit peccatum, & quandoque esse possit mortale propriam famam prodigere: pro conseruanda tamen vita, seu vitando aliquo magno damno, atque periculo, & pro iusta causa: licitum est id ipsum facere, seque metipsum diffamare pro conseruanda vita, cum vix excogitari possit alia causa magis vrgens, & magis iusta. Quod & sequenti ratione probatur: nam vita † hominis cuiuslibet (vt de se patet) maius bonum 70
est, quam fama cuiuscunque ea sit, quin verò & potissimum est omnium bonorum quæ habet, seu habere potest homo. Etenim vt habetur Iob, c. 2. Pellem pro pelle & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua: ergo in casu quo quispiam in tormentis cõstitutus, non aliter posset vitam tueri, quam detegendo proprium à se commissum crimen: quamuis iniustè interrogetur, poterit id ipsum facere, quemadmodum & posset eiusmodi vexationem grãdi pecunia redimere, postquam in eo nulli alij iniuriam facit, quam sibi. Quod & confirmatur etiam ex communi omnium consensu, & approbatione, nã si quis in tormentis positus vehementer excruciaretur, & dilaniaretur à iudice: nõ quidem ab aliquo condemnaretur, seu vt pusillanimis dijudicaretur: si pro tuenda, & conseruanda vita, semetipsum proderet: & crimen ab eo commissum, (alias secretum) eidẽ reuelaret. Quod quidem est verum, non solum quando confitendo crimẽ quod verè commisit, exspectaret à tormentis statim liberari: verum etiã quam-

quamuis certò sciret per huiusmodi confessionẽ, quod statim esset in mortem rapiendus, & capite plectendus. Nam posset vir etiã fortis, semel potius mortem eligere: quam eiusmodi vehementia tormenta pati. Tum vel maximè quando non speratur prædictorum tormentorum finis: vt sæpe sæpius contingit. Sunt enim (inquit Soto) aliqui iudices adeò interdum iniqui, crudeles, & inhumani, vt tormentis tormenta cumulantes, reorum animam aut confessionem verã, vel falsam extrahere conetur. In quo quidem casu licitum est ipsis (vt dixi) ad sibi interrogata respondere, & veritatem fateri: etiam si iniquè, & præter iuris ordinem interrogentur: vt tot ac tanta tormenta possint excusare, & euadere. Aduerto tamen in eodem casu, quod non
71 † vlla ratione propterea licet falsũ sibi crimen imponere, (quidquid aliàs dicat Soto vbi supra) etiam si id fiat sine iuramento: etenim id ipsum facere, peccatũ esset proculdubio mortale, & si non contra iustitiam: saltem contra charitatem. In quo propterea dissentio à prædicto Soto, asserente id ipsum licere, neque esse amplius, quam quoddam peccatum veniale officiosum. Cuius contrarium tenet Paludan. in 4. distinctio. 21. quæstio. secunda, in fine, & Caietan. vbi supra, qui quidem dicunt eiusmodi peccatum esse quidem officiosum in quantum homo per ipsum à tormentis se liberat: sed perniciosum, in quantum semetipsum diffamat, & suo facto iudicem, & astantes lædit. Quod est multum notandum, ac memoriæ commendãdum. Sed de hoc aliàs: cũ agemus de reorum confessione.

Ad argumenta igitur pro ratione dubitandi proposita respondetur.

72 Ad primum, † quod quamuis vita multo pretiosior sit quam fama, nihilominus tamen, quando reuelatio criminis vergit in damnum, & præiudiciũ religionis (vt dictum est in prima conclusione, & facit ad idẽ quod etiam dictum est in secũda, & tertia) potius moriendũ est, quam huiusmodi crimẽ reueletur. Et idem dico suo quoque modo, & ordine, de secreto cuius reuelatio vergit in damnũ, & perniciem publicam (vt dictum est in 4. concl.) & quando quis per iniuriã alicuius extorsit secretũ, si res sit magni momẽti, vt dictum est in quinta: non tamen id ipsum, præcisè facere necessum est; quando data fide quis aliquod custodiendum recepit secretum, quãuis id facere interdum à ratione non sit alienum, vt dictum est in conclus. 6. & 7. Multoque minus tenetur quispiam ad propriũ secretũ seruandum, cum dispendio, & periculo propriæ vitæ, quin verò potest homo, (vt dictum est in 8. & vlt. conclusione,) proprium crimen detegere & reuelare, etiam si iniustè interrogetur à iudice, vt non in equuleo positus grauia tormenta cogatur sustinere, & pati.

Ad secundum respondetur, quod quamuis in aliquibus casibus, licitũ sit proprium, seu etiam alienum secretum reuelare, atque detegere, quando aliter non potest quispiam vitam suam seruare & tueri: non tamen in casibus positis in 1. 2. 3. 4. & 5. conclusionibus, de quibus est dispar ratio: & in illis strictior est obligatio cũstodiendi secreti præceptum. Ad illud verò qđ dicitur, de reuelãdo secreto ad obuiandũ malo cõi, & causa fraternæ correctionis, fiet satis quando agemus in particulari de inquisitione, & fraterna correctione prædicta, vt non semel, & iterum eadem dicere cogamur.

Ad vltimum dico, quod non propterea dici potest vlla rõne, graue iugum Christi Dñi, pro eo quod obliget interdũ, seruari secreti præceptũ, etiam cum dispẽdio, & periculo pro-

priæ

priæ vitæ: nam vt satis constat ex supradictis, licitum est id facere & multi sunt casus, in quibus ad rationem nimis confirmiter, potius moriendum est, quam vt ipsum propaletur, & reueletur.

ARTICVLVS V.

Quibus vijs, in causis criminalibus, perueniri potest iure ad occultorum & secretorum cognitionem?

PRo huius articuli intelligentia præmitto, quod quidam iurisperiti Doctores duplicem tantum modum [illegible] procedendi modum in causis criminalibus: quorum alter fit ex officio, alter vero ad instantiam partis. Ex officio dicitur, quando præcedente infamia: seu alio sibi æquipollenti, procedit iudex ad faciendum delicti alicuius inquisitionem. Ad instantiam verò partis, quando per accusationem pars offensa, vel quispiam alius, cui iure id ipsum competit, facit vt iudex procedat ad eiusdem debitã punitionem. Denunciationem autem non esse dicunt, diuersum siue distinctum per se procedendi modum: sed tantummodo quid præuium ad hoc vt iudex procedat, vel per inquisitionem ex officio, vel ad instantiam partis per accusationem. Hanc sententiã tenet Iulius Clarus, in sua practica crimin. lib. 5 §. fin. q. 3. nu. 1. & sæpè alibi. Sed eo nihilominus non obstante, melius est vt dicamus (id quod & communiter à Doctoribus dicitur) in causis criminalibus triplicem esse procedendi modum, nempe, per viam inquisitionis, denunciationis, siue accusationis. De quibus statuitur conclusio.

Conclusio.

IN causis criminalibus † tribus vijs iure proceditur & perueniri potest, ad occultorum & secretorum criminum cognitionem. Hæc conclusio habetur expressa: aut saltim manifestè colligitur ex capite, qualiter & quando, el secondo. §. ad corrigendos de accusationib. & cap. licet, Hely de simonia. vbi prædicti tres enumerantur modi, siue viæ, perueniendi ad occultorum, & secretorum criminum cognitionem. Nempè per viam inquisitionis, denunciationis, & accusationis: in quo quidem conueniunt ferè omnes vnanimiter Doctores. Pro cuius rei maiori intelligentia simul & probatione: oportet aduertere, quod in secretis, seu occultis seruandis, aut detegendis, plures reperiuntur gradus. Nam primo ita aliquid est omninò occultum, siue secretum, quod nemo illud nouit, præter Deum, & patrator ipse qui crimen admisit, vel ad multum eiusdem confessor. De quo secreti genere (iam supra in præcedenti articulo diximus) non esse humanum iudicium, & iterum dico quod de eo nihil est dicendum in præsenti proposito: vt enim habetur, in capit. erubescant, distin. 32. eiusmodi secretorum, & aliorum, quæ probari nullo modo possunt, & iudex & cognitor est Deus. Id quod & habetur, in cap. Christiana, 32. q. 5. vbi dicitur: Quod in foro exteriori & Ecclesiæ, non habent latentia peccata vindictam: nec Ecclesia iudicat de occultis. Idem habetur, in cap. consuluisti, 2. quæstio. 5. vbi agendo de eiusmodi peccatis secretis & occultis, dicitur: Quod occulta & incognita delicta illi soli sunt reseruanda, qui solus nouit corda filiorum hominum. De eiusmodi igitur secretis loquendo, in exterioai foro (vt dixi) non est humanum iudicium, sed

73

solũmodo diuino reseruãtur: & in Sacramẽto Pœnitentiæ cognoscũtur. Et
74 quæ confessor † in hoc foro cognouit strictissimè seruare tenetur: & interrogatus (etiam cũ iuramento) optimè respondere potest, se omninò nihil scire, vt latissimè dictũ est in præcedenti articulo. Hoc igitur secreti genere prætermisso, & loquendo de alijs secretis quæ pertinent ad exteriorem forum: ex communi omnium Doctorum resolutione, dico quod tres sunt secretorũ gradus: & iuxta ipsos tres etiam sunt cognitionis modi, siue vitæ, quibus iure peruenitur & procedi potest ad occultorum crimi-
75 num cognitionẽ. Primus secreti † gradus est, illud quod opponitur probabili, hoc est illud quod quãuis ex[illegible] terius sit commissum, non tamen est [illegible] (seu quod idem est) non potest legitimis testibus comprobari: vt pote quia patrator ipse solus nouit: vel ad multum quispiam alius: neque de eo existit fama, aut infamia, seu aliqua sunt sufficientia indicia, ad hoc vt in iudicium deducatur, aut
76 deduci possit. Secundus secreti † gradus (sed in hoc ordine tertius) est illud quod oponitur publico, hoc est, quod licèt sit notum pluribus, possitque proinde legitimis testibus comprobari: non tamen est publicum, aut publica laborat infamia: ita vt delinquens ipse, iure dici potest diffamatus: quod criminum genus (vt dicitur) ab Ecclesia tolleratur, iuxta cap. vestra de cohabit. clericor. & mulierum: nam crimen, cuius percrebuit infamia, Ecclesia non tollerat, sed illum inquirit, vt puniat: vt dicemus sta-
77 tim. Tertius secreti gradus † (quamuis in dicto ordine quartus) est illius quod oponitur notorio: hoc est, quod quãuis possit legitimis testibus comprobari, & de eo sit etiam fama, aut infamia publica: non tamen est notoriũ aut ita fama publica proclamatũ, vt nulla possit tergiuersatione celari.

Hoc † enim addit notorium supra publicum: nam publicum quãdoque celatur, & occultatur: at notorium nulla potest tergiuersatione celari: quotupliciter aliquid dicatur notorium, dicemus inferius, quando agemus de modo, quo eiusmodi notoria crimina debent puniri. 78

Hoc igitur premisso notabili (quod quam maximè est memoriæ commẽdandum) dico, quod iuxta tres prædictos vltimos secreti gradus: tres etiã sunt in iure vitæ, quibus perueniri potest ad secretorum & occultorum criminum cognitionem. Nam prætermisso confessionis secreto (de quo vt dixi non est humanum iu[illegible] est secretum [illegible] occultum primò [illegible], ita quod vnus solus, aut alter ad multum illud nouit, nec legitimis testibus potest comprobari: solummodo cognoscitur, siue cognosci potest via correctionis fraternæ, aut Euangelicæ denunciationis (in casu quo fraterna ipsa correctio desperetur, aut adhibita non prosit) non autem est illud accusationis materia: cũ eiusmodi crimen (vt supponitur) non possit legitimis testibus comprobari: multoq; minus est materia particularis inquisitionis: cum (vt etiam supponitur) non sit publicum, nec criminosus ipse infamatus existat, vt contra eum inquiri possit.

Quod verò secretum est siuè occultum secundò modo, hoc est quod potest quidem legitimis testibus comprobari, non tamen de eo est fama, seu infamia publica: cognoscitur, siue cognosci potest accusationis via: ita quod non solũ est fraternæ correctionis, seu Euangelicæ denunciationis materia, verum etiam & accusationis: potest enim eiusmodi delinquens accusari, cum ab eo patratum crimẽ legitimis testibus comprobetur (vt supponitur) non tamẽ est particularis inquisitionis materia, cũ (vt etiam supponitur) de tali delicto

non

non ſit fama publica, nec delinquens infamatus exiſtat.

Quod autem eſt ſecretum, ſiue occultum tertio modo (rectius autē diceretur publicum) ſed dicitur occultum, prout opponitur notorio, & quia quamuis de eo ſit fama publica, poteſt tamen aliqua tergiuerſatione celari: huiuſmodi inquam criminum genus, cognoſci poteſt via particularis inquiſitionis, & eſt propria eiuſdem materia, nec ſolum fraternæ correctionis, aut Euangelicæ denunciationis, ſiue accuſationis.

Vt itaque, Quod particularis inquiſitio, ſolummodo eſt de crimine, cuius percrebuit infamia: & quod eſt fama publica proclamatum: accuſatio verò de omni crimine, quod poteſt legitimis teſtibus comprobari, ſiue laboret infamia ſiue non: at correctio fraterna, ſiue denunciatio Euangelica, eſt de omnibus (etiam occultis) quæ vtcunque (extra confeſſionem) ad alicuius notitiam, ſiue cognitionē peruenerunt: modo ſtatim dicendo: nam hæc breuiter, atque in compendio dixiſſe libuit, vt de rebus, de quibus in ſubſequentibus latius futurus eſt ſermo, aliqualis pro nunc habeatur notitia. Sed aduerto, conſulto dixiſſe nos tres tantummodo eſſe in iure cognitionis vias, ſiue procedendi modos, ad ſecretorum, & occultorū cognitionem: nam modus procedendi per viam exceptionis (de quo in ca. Super ijs, de accuſ.) ad accuſationem reducitur: notoria verò, & quæ ita ſunt publica, & omnibus peruia, vt nulla poſſint tergiuerſatione celari: eiuſmodi peccata non indigent aliqua via, vt cognoſcantur: ſed per ſe ſatis ſunt cognita vt puniantur: & ſtatim puniri debent, vt dicemus infra, quādo agemus de modo procedendi in criminibus notorij. Agamus ergo modo de inquiſitione, quæ inter tres ſupradictas vias, ſiue procedendi modus, prior videtur eſſe in ordine: & inquiramus quid, & quotuplex ſit inquiſitio in communi dicta, & tractemus de ijs, quæ ad eandem pertinent.

QVÆSTIO. VI.

De Prelatis, atque Iudicibus, quantum ad modum procedendi ipſorum, per viam generalis inquiſitionis, in ſex Articulos diuiſa.

1 *Inquiſitionis materia à quibus tractetur, remiſſiuè.*

2 *Inquiſitio vt communiter, & generaliter ſumpta eſt inueſtigatio criminis ſiue peccati occulti congruo, & debito iuris ordine facta à Prælato ſiue Iudice.*

3 *Differt à denunciatione, & accuſatione, & quomodo.*

4 *Inquiſitio alia generalis, alia particularis.*

5 *Differentia inter inquiſitionem generalem, & particularem.*

6 *Vna, & eadem inquiſitio diuerſis reſpectibus poteſt generalis & particularis nuncupari.*

7 *Inquiſitio generalis non eſt iudicium, ſed ſolummodo præparatoria ad ipſum, & nu. 14.*

8 *Inquiſitio generalis nulla infamia præcedente an ſit licita?*

9 *Præcipitur fieri, & licita eſt tam iure Canonico quam Ciuili.*

10 *Delicta non debent remanere impunita quod ſpectat ad Dei gloriam, & cōmune Reipublicæ vtilitatem.*

11 *Doctores dubitant circa praxim, & modum dictæ Inquiſit generalis.*

12 *Effectus huius inquiſitionis quiſnam ſit.*

13 *Generalis inquiſitio vtiliſſima eſt, & maximè neceſſaria, & proficua.*

15 *Inquirere poſſunt de criminibus, & delictis commiſſis omnes illi qui ſubdi-*

subditorum crimina, aut delicta corrigere possunt, regulariter loquendo. & quilibet habens ordinariam iurisdictionem in sibi subditos, nu. 16. & de ratione. nu. 18.

17 *Visitare, qui possint recensentur.*

19 *Episcopi & ecclesiastici Prælati ordinarij non solum possunt inquirere contra clericos, verum etiam cõtra laicos in aliquibus criminibus, & de quibus criminibus possint inquirere num. 20*

re debeat [illegible] qualiter incipe tionem siue visitam. quia facere debet Iudex secularis. nu. 22.

23 *In Inquisitione Generali non fit inquisitio de aliqua persona particulari, neque possunt, aut debent reuelari crimina occulta.*

24 *In inquisitione generali si testes interrogati fuerint de occultis non tenentur ea detegere etiam cum iuramento, sed vti possunt verborũ subterfugio.*

25 *Prælati & Iudices, quid dicere debeant in initio suæ visitationis, & inquisitionis generalis.*

26 *Subditi perperam interrogati, si reuelauerint occulta ex tali depositione delinquentes nullatenus debent puniri.*

27 *Occulta crimina quæ dicantur.*

28 *Infamatum ex generali inquisitione potest Iudex interrogare, & testes.*

29 *Subditi debent aduertere quando interrogantur an crimina fuerint emendata. ita vt de eis nullum supersit periculum, & quid in hoc casu debeant agere.*

30 *Testes etiam minus idonei recipiuntur in inquisitione generali.*

31 *Iudex quando ex inquisitione generali aliquis fuit infamatus debet ad ipsam procedere, capere, & in carcerem detrudere, & quos terminos iuris debeat obseruare. nu. 32.*

33 *Iuramentum in inquisitione generali non est a Iudice desumendum, secundum vna opinionem, quæ duobus argumentis probatur, nu. 34. contraria verior. nu. 35. resoluuntur argumenta. nu. 38*

36 *In Inquisitione generali personæ visitandæ constringi debent iuramento mediante ad reuelanda, quæ nouerint correctione digna, dum tamen non sint occulta, & pro hac opinione multi referuntur, nu. 37*

29 *In Inquisitione generali stando in iure communi non est aliquis puniendus ex dictis testium, nisi de nouo ipsi examinentur, quod non serua-*

40 *Testes siue person[illegible] generali inquisitione si in speciali, & particulari reproducantur, & medio iuramento ratificentur probant contra reum, & fidem faciũt in iudicio, & de ratione. nu. 41*

42 *Iudices quid agere debent in prædicto casu, quando testes fuerunt examinati in generali inquisitione.*

43 *Repetitio testium fieri debet cum omnibus solemnitatibus, & de nouo debent iurare, & si opus sit torqueri debent.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Quidnam & quotuplex sit inquisitio, vt communiter & generaliter sumpta.



DE Materia †huius articuli, & sequentium, uidẽdus est Hostiensis in sũma, lib. 5. tit. de inquisitione, §. 1. Et Speculator, eodem tit. lib. 3, §. ad inquisitionẽ. Bart. etiam in l. 2. §. si publico. ff. ad l. Iuliam de adulterijs. Bald. in l. ea quidem, C. de accus. Felin. in Rubrica de accus. Pan. super. c. qualiter, & quando el secondo, eod. tit. de acc. Marian Socin. & Aret. ibidem D. Anton. in summa, 3. par. titul. 9. capit. 7, 1

Lan-

Lancelot.in glo.suæ institutionis Canonicæ, Syluester, verbo, inquisitio primo, num. 1. Soto de secreto, membro 2. Nauar. in rubr. de iudicijs, à numero 97. cum seqq. Ægydius Bosius, in sua Practica Criminali, titulo de inquisitione. Follerius in sua etiam practica sub eodem tit. Maranta, de ordine iudiciorum, par. 6. Iulius Clar. in practica criminali, lib. 5. §. fin. Paz in sua etiam Praxi, tom. 1. in 5. par. ca. 1. Fatin. per vndecim quęstiones continuas, 1. tom. Et Villagut. in sua praxi, lib. 3. tit. de inquisitione, cap. 27 de quorum omnium resolutione, sequētes statuo conclusiones.

Prima Conclusio.

2 INquisitio,† vt communiter, & generaliter sumpta, est inuestigatio criminis, siue peccatoris occulti, congruo debito iuris ordine facta à Prælato, siue Iudice. Hæc conclusio est generalis omnium Doctorum resolutio: à cuius ampliori explicatione, & probatione pro nunc consulto supersedeo, eo quòd inferius in sequētibus articulis amplius sit elucidanda, cum agemus de inquisitione eadem, tam communiter, & generaliter sūpta, quam in particulari facienda. Pro nunc dixisse sufficiat, eiusmodi inquisitionem (vt sub se generalem, & particularem comprehēdit) penes hoc
3 inter alia differre † à denuntiatione, & accusatione: quod denunciatio (maximè Euangelica) omnibus in vniuersum conuenit subditis, siue Prelatis, cum procedere debeat ex charitate, quæ virtus communis debet esse omnibus; accusatio solummodo conuenit subditis: prędicta verò inquisitio solis Prętatis (neque enim fieri potest licitè nisi à Prælato, siue Iudice) prout dictum est in conclusione: nam subditi non possunt, aut debent suorum fratrum vitam, & mores inquirere, neque vllo modo eosdem decet exploratores esse vitæ aliorum, cū in hoc sit tātummodo Iudicum, & Prelatorum proprium munus, & officium. Hoc itaque est certum, & sine dubio.

Secunda Conclusio.

OMnis in vniuersum † inquisitio est duplex: quædam generalis, alia verò particularis. 4
Plures alias Doctores iurisperiti adducunt inquisitionis species, diuisiones, atque subdiuisiones: à quib. enumerandis consultò in præsentiarū supersedeo, propterea, quod visū fuerit parui, aut nullius esse momenti illas referre, cum omnes ad præfatas duas facillimo negotio possint reduci. Solummodo superest, vt ipsarum diffinitiones afferamus: & dico, quod generalis inquisitio est illa, quæ fit ex mero iudicis, siue Prælati officio, non ad alicuius instantiam, & nulla persona in particulari nominata, sed in cōmuni, inquirendo, & inuestigando crimina, & delicta, quæ grassantur in congregatione, siue Republica: vt exinde exorta infamia, si quispiam de aliquo crimine infamatus esse constiterit: aut adsint indicia, vel semiplena probatio (in casibus, quibus ipsa ad faciendam particularem sufficiunt, de quibus dicemus infra) ad eandē procedatur, & deueniatur. Particularis verò inquisitio est, quando pręcedente infamia prędicta, seu aliquo sibi æquipollenti, in particulari certa aliqua, & determinata persona disquiritur, vt comperto crimine puniatur, & condemnetur, iuxta iuris ordinē prę-scriptum. Circa aptandas, & verificandas harum diffinitionum particulas, multum operis & olei perdunt Doctores iurisperiti, super cap. qualiter & quando el secondo de accus. qua in re in præsentiarū immorari non libet, cum isthęc omnia congruentiori tempore, & ordine in suis proprijs locis,

locis dicenda referuentur. Pro nunc dixisse sat sit, quod quotiescunq; iudex siue Prælatus, ex officij sui munere, & non ad instantiam partis generaliter inquirit, id se instruẽdum, & informandum de statu alicuius prouinciæ, loci, ciuitatis, siue conuentus: sit ne quispiam qui crimen aliquod commiserit: nullam in particulari specificando, aut nominando personam: vt exinde post modum exorta infamia (si opus fuerit, & id sibi expedire videbitur) ad specialem, & particularem deueniat, & ad commissorum criminum debitam punitio-
5 nem: eiusmodi † inquisitio generalis est, & talis à Doctoribus nuncupatur communiter: sicq; debet appellari. De qua intelligendus venit textus, in capit. sicut olim, de accusat. & lex congruit, ff. de offic. præsid. & c. 1 de offi. ordin. cap. Romanæ, de censibus, libr. 6. At quando præcedente, & proclamante infamia, siue clamorosa insinuatione (quod pro nunc idem pollet) expressa, & determinata aliqua persona in particulari disquiritur, vt comperto crimine, iusta exigentiam negotij debitè puniat: talis inquisitio est & dicitur particularis: de qua etiã intelligendus venit textus, in c. postquam. c. cum dilecti, c. nihil de elect. & c. fin. de clandest. desp. nec de hoc vt credo est, aut esse potest vllo modo dubium: licèt eiusmodi inquisitiones, siue inquirendi modi, vlterius etiam possint distingui, & subdiuidi, & quandoq; contingere vnam, & eandem inquisitionem, diuersis respectibus generalem, & particularem dici, vt verbi gratia, cum fit inquisitio de aliquo atroci patrato crimine publico, cuius tamen reus omninò ignoratur, ac penitus est occultus (quam inquisitionem fieri posse, & debere quidquid dicat Spo[?] inferius à nobis est dicendum) eiusmodi in quam
6 inquisitio, † respectu delicti erit specialis, & particularis, & respectu delinquentis, & criminosi generalis: cũ non quispiam in particulari inquiratur, sed omnes generaliter, & in communi, quisnam sit qui eiusmodi delictum commiserit (sic enim facienda est non verò aliter) vt si ex ea contra quempiam debita, & sufficientia habeantur indicia: aduersus illum post modum fiat specialis, & particularis inquisitio: formeturque contra eundẽ processus, & ad debitã delicti præfacti punitionem deueniatur. Hic est casus, in quo diuersis respectibus, vna & eadem inquisitio, generalis & particularis siue specialis nuncupatur; quæ & à nonnullis mixta dicitur, id quod, & occasionem præbuit Doctoribus iurisperitis, afferendi, atque multipli andi tot multiplices inquisitionis species, distinctiones, diuisiones, atque subdiuisiones, dicendo aliã esse generalẽ, quoad delicta, & quoad personas: aliã quoad personas: generalẽ, sed specialem quoad delicta: nõnullã, generalem quoad delicta: sed & specialem quoad personas, &c. Quod quidem excusare optimè potuissent, cum (sicut prædictum est) quantum ad rem attinet, omnis in vniuersum inquisitio tantummodo sit duplex: alia generalis, alia verò particularis: licèt diuersis respectibus vna, & eadem, generalis, atque particularis possit nuncupari (loquor de inquisitionibus, quibus pœna delinquentis intẽditur.) Etenim si fiat sermo de alio inquisitionis genere, quo non delinquentis pæna intenditur, sed soluinmodo euitare aliquod damnum, siue errorem: vt ne scilicet indignus ad aliquod munus, & officium assumatur, & eligatur, aut electus confirmetur: de hoc inquam inquisitionis genere: aliud est iudicium, & inferius est dicendum, an eiusmodi inquisitio absque præcedenti infamia fieri possit: & sit licita. De prædictis omnibus videatur latissimè Farinac. vbi supra, quæst. 1. à nu. 1. cum seqq.

In

In calce huius articuli aduertere libuit, ex Bartol. & omnibus Doctoribus communiter, in l. vltim. ff. de
7 quæstionibus: quod inquisitio † generalis prædicta, qua non in particulari, sed in communi inquiritur, an in aliqua prouincia, ciuitate, siue loco fuerit aliquod delictum commissum punitione dignum, nulla nominata persona, quamuis exprimantur aliquorum delictorum genera (v.g.) homicidium, aut furtum, &c.: vt ex ea post modum ad particularem deueniatur, & condemnatio sequi valeat, testibus reproductis, parteque audita in plenario iudicio: prædicta (inquã) inquisitio, non tam iudicium est dicenda, & nominanda quam præparatoria ad ipsum: & sic communiter à Bartolo nuncupatur, & à Doctoribus Iurisperitis, in l. prædicta, vltim. ff. de quæst. Idque meritò cum sit iste proprius eiusdem finis, & scopus præparare, nempe ea, quæ ad iudicium sunt necessaria, & requisita, sine quibus constare minimè potest, nec peruenire iure ad faciendam debitam criminum, & delictorum punitionem: vt amplius constabit ex inferius dicendis. Videatur circa hoc Paz in sua praxi, primo tomo, annotation. 1. num. 8. & 12. & Farinacius vbi supra.

ARTICVLVS II.

Vtrum inquisitio generalis prædicta, nulla præcedente infamia, actore siue accusatore, aut denunciatore sit licita?

8 PRo huius art. intelligẽtia notandum est, quod non † loquimur in præsenti de inquisitione, quæ fit de aliquo graui, & atroci commisso delicto siue crimine, ad inquirendum, & inuestigandum malefactorem (de quo nuper dixi) nam de ea inferius à nobis est agendum, & specialis proponendus articulus: sed loquimur de inquisitione generali, quæ fit, & fieri solet à iudicibus, & Prælatis, ad inquirenda, & inuestiganda alicuius prouinciæ, loci, siue ciuitatis, aut conuentus crimina, & delicta: an eiusmodi inquisitio nulla præcedente infamia actore, siue accusatore, vel denunciatore sit licita? Qua quidem de re longum, ac molestum esset nimis velle in præsentiarum recensere, quæ circa hanc difficultatem à DD. iurisperitis adducuntur, affirmantibus quibusdam eiusmodi inquisitionem, siue inquirendi modum, sine præcedenti infamia, actore, vel accusatore, aut denunciatore, esse quidem permissum iure Canonico, prohibitum autem iure ciuili, iuxta doctrinam Saliceti, in l. ea quidem, C. de accusat. & aliorum, qui ipsius sententiam sequuntur, & hanc inter alias differentiam constituunt, inter ius Canonicum, & Ciuile. Asserentibus verò alijs, vtroque iure tam Canonico, quam Ciuili, inquisitionem prædictam esse licitam, quin verò, & præceptam, qua quidem in re immorari non libet: nec enim per tempus licet vtriusque partis adducere rationes, & fundamenta. Videatur Paz vbi supra in 1. to. 4. par. c. 1. à nu. 4. cum seq. & Farin. etiã vbi supra, q. 1. à num. 1. cum sequentibus: & omnibus breuitatis gratia prætermissis, proposito articulo respondeo per sequentem conclusionem.

Conclusio.

INquisitio generalis † prædicta, 9
quæ generaliter fit etiam de cetero delictorũ genere in cõi, sed contra incertas personas, nulla in particulari expressa, aut nominata: licita est quin verò vtroque iure tam Canonico, quam Ciuili fieri præcepta; absque vlla præcedenti infamia actore, accusatore, siue denunciatore. Hæc con-

conclusio est certa, & manifesta, ac ferè communis omnium Doctorum resolutio, (vtcumque ipsa nominetur ab his seu ab illis) iuxta tamen ea, quę superius à nobis dicta sunt, generalis est absolutè nuncupanda. Sed quod eadē vtroq; iure sit non solum licita, verum etiam & fieri præcepta, & ad eandem faciendam congruis temporibus teneantur omnes in vniuersum iudices sæculares, & Prælati Ecclesiastici ex iniuncto sibi officio: constat in primis, ex capit. 1. de offic. ordinarij, & cap. sicut olim de accusat. & capit. Romana de censib. lib. 6. & ex l. congruit, ff. de offic. præsidis. Quibus in locis cunctis præcipitur superioribus prælatis, atque iudicibus, vt statutis temporibus prædictam generalem inquisitionem faciant de vita, & moribus suorum subditorum, ad prospiciendum bono communi: vt vel sic Christiana Respublica purgetur criminibus, & criminosis, & facinorosis hominibus, & in pacifico, & quieto conseruetur statu: & subditi, qui præ cōscientiæ suæ latitudine nimia, cum teneantur his de rebus nihil omninò curare solent, etiam si delicta sint publica: iuramento, siue censuris constricti, cogantur ea suis prælatis, atque iudicibus detegere, denunciare, siuę accusare, vt sicuti oportet puniantur,

10 Spectat enim † Dei gloriam, & communem Reipublicæ vtilitatem, vt delicta non maneant impunita, vt habetur in l. ita vulneratus, ff. ad l. Aquiliam, & in capit. vt famæ de sententia excommunic. Sed specialiter pro prelatis Ecclesiasticis, & regularibus, habetur id ipsum nuperrimè determinatum in Concilio Trident. sess. 23 c. 8, & sess. 24. ca. 3. & sess. 25. c. 8. & 20. vbi strictè præcipitur, vt Episcopi, & superiores ordinum Episcopis non subiecti, monasteria, & Ecclesias sibi subiectas (si fieri possit) singulis ann s visitent, id quod & communiter obseruatur in praxi. Iure etiam Regio pro iudicibus sæcularibus habetur id ipsum, in l. 6. titul. 6. lib. 3. Recop. & neque credo, quod hac de re vllus sit, qui dubitet, aut saltim dubitare possit: licèt quam maxima versetur differentia inter † Doctores: circa praxim, modum, & formam, quę eiusmodi facienda est inquisitio, alias dicta visita: & quod vulgo dicitur: [Si ha da ser abierta, ò cerrada:] de quo videnda est l. 2. tit. 17. par. 3. & l. 3. & 4. tit. 1. lib. 1. Recopil. Circa hoc, & de quo delictorum genere eiusmodi generalis inquisitio fieri debeat, magna est lis, & controuersia inter Doctores: sed non est, nec esse potest (vt credo) an eadem sit licita, vel non licita, necessariòque facienda congruis, & debitis temporibus in proprijs territorijs, à cunctis in vniuersum prælatis, & iudicibus: nam (vt dixi) ex vtroque iure constat, ad id ipsum teneri omnes ex iniuncto sibi officio. Qua de re videantur Doctores, in l. 1. C. de custodia reorum, & in l. Iustissimos, C. de officio Rectoris Prouinciæ, & Aretin. super cap. Qualiter, & quando, de accus, num. 67. Socin. ibidem, nu. 397. Alciat. in c. 1. de offic. ordin. num. 12. Et ex iunioribus Anton. Gom. tom. 2. variar. ca. 1. nu. 49. Foller. in sua pract. crimin. 1. par. 3. partis, num. 9. Bosius in sua etiam practica criminali, tit. de Inquisitione, nu. 8. Nauar. in cap. Inter verba 11. q. 3. dictionis antiquæ, color 62. & in relectione de iudi. nu. 79. & 185. & Paz in sua praxi, 1. to. annotat. 1. nu. 18. & in 5 p. cap. 2. à num. 4 cum seqq. Soto de secreto, memb. 2. q. 6. conc. 2, Villagut in sua pract. crim. lib. 3 tit. de Inquisitione, cap. 2. & 3. Iul. Clar. lib. 5. § fin. q. 3 num. 1. & Farinacius, tract. de Inquis. q. 1. à num. 4. cum seqq. Solummodo est difficultas, † scire & inuestigare, quisnā sit effectus, siue fructus prædictæ generalis inquisitionis, siquidem per eā iudex sæcularis, siuę Prelatus Ecclesiasticus (vt amplius infra

fra

strà dicemus) nemine potest dānare, aut punire; nec specialiter contra aliquem procedere, absq; precedenti infamia, seu clamorosa insinuatione, & absq; eo quod aliqua ratione culpabilis ipse appareat? cui quidem difficultati breuiter respondeo, quod adhuc nihilominus eiusmodi genera-
13 lis † inquisitio vtilissima est; ac toti Christianæ reipublicę, quam maximè necessaria, ac nimium proficua: cum ex ea quandoq; contra particulares & determinatas personas, fama seu infamia, de aliquo commisso à se crimine, seu in id ipsum particularia aliqua exoriantur inditia, quibus habitis statim iudex sæcularis, seu Prælatus Ecclesiasticus, potest, & debet de eo specialiter inquirere; & contra ipsas ad particularem inquisitionē procedere, iuxta iuris præscriptum ordinem, à nobis inferius dicendum: vt tandem perueniatur ad debitam criminis eiusdem, siue delicti punitionem. Hac enim ratione diximus supra, quod prædicta † gene-
14 ralis inquisitio, non tam est aut debet nuncupari iudicium, quam præparatoria ad ipsum: & quod hic est eiusdem proprius finis, & scopus, vt exorta infamia seu habitis indicijs, ad iudicium & generalem inquisitionem procedant iudices siue Prælati, testibus postmodum reproductis, & parte audita in plenario iudicio. Hac de re videatur specialiter Soto vbi sup. in quodam dubio, quod ad hoc propositum excitat, vbi plura dicit, eaque notatur dignissima.

ARTICVLVS III.

Quinam possint inquirere de delictis & criminibus commissis?

Prima Conclusio.

COmmuniter & regulariter loquendo, omnes illi † possunt in- 15
quirere, qui suorum subditorum possunt crimina, & delicta corrigere, atq; punire. Hęc cōclusio satis colligitur ex c. Perniciosam de Offic. Ordin. vbi Ioan. Pap. in Synodo, de Episcopis agendo, sequentia verba dicit: Habeant Episcopi singularum vrbium in suis diœcesibus, liberam potestatem adulteria, & scelera inquirere, vlcisci, & iudicare secundū quod canones censent: absque impedimento alicuius: & cum opus fuerit publicum conuocent auxilium, nō ad prę-iudicandum, sed potius ad ea, quæ Deo sunt placita prosequendum. Et quod ibi dicitur de Episcopis, intelligendum suo quoq; modo est de alijs Prælatis, & iudicibus, vt tenet Hostiensis in summa, lib. 5. tit. de Inquisitione, §. quis possit inquirere, Pan. & Bald. in d. c. Perniciosam. Qua de re vidēdus est Syluester in Summa, verbo. Visita, nume. 1. vbi proposita prędicta difficultate, & quæstione de visita, & quinam possint visitare (quod nihil omninò aliud est, quam de defectibus subditorum inquirere) respondet, quod potest facere visitario-
nem, † quilibet habens in aliquos or- 16
dinariam iurisdictionem. Et præmiserat quod visitatio, sed visita (prout sumitur in proposito) nihil est omninò aliud, quam indagatio visitatoris facta circa regimen locorum, & vitam personarum, quæ visitantur. Et
ponit exemplum, † primò in Archie- 17
piscopis, qui suas Prouincias visitare possunt, iuxta capit. Romana, & capit. perpetuo de censib. lib. 6. & postea

in

in Episcopis, qui suas etiam dioeceses visitare possunt, iuxta supra dictum capitulum perniciosam, & cap. conquerente, de officio ordinarij. Itē (inquit) Archidiaconi, & Decani possūt etiam suos districtus visitare, iuxta capit. cum Apostolus de censibus, & capit. mandamus de offic. Archi. Etiā dicit quod Abbates, & Religiosorum Prælati possunt propria sua monasteria, & Monachos ipsorum secundum eorū instituta visitare, per cap. vltim. & penult. de statu Monachorum. Ponit etiam exemplum in legatis Sedis Apostolicæ, & alijs, quibus committitur id ipsum à Papa, vel à supradictis Episcopis, & prælatis ordinarijs, existentibus impeditis, & occupatis, iuxta capit. Episcopū. 10. quęst. 1. & cap inter cætera de officio ordinarij, & cap. si Episcopus eod. titul. lib. 6. Omnes supradicti (inquit Syluester) possunt visitare communiter loquendo, seu quod idem est suorum subditorum excessus crimina, atque delicta inquirere: si quidem, & de iure eadem possunt, & debent corrigere, & punire: ad quod etiam est potissima ratio fundata in omni iure naturali diuino, & positiuo, &
18 ea est: † nam cum ipsi de sibi subditis strictam rationem reddere teneantur Deo; adeo vt de eorum manibus in die iudicij exquirendus sit ipsorum sanguis (vt habetur in capit. irrefragabili de accus. & capit. vitim. de statu Monachor. & capit 1. de officio archi. c. vnico de officio Primicerij :), contra omnem esset prorsus rationē, vt non illos possent visitare, & per visitationem eorundem vitam, & mores inquirere, cum alias haudquaquā possent illos punire; (vt tenentur) etiam si quam maximè sua delicta id ipsum promereantur. Facit & ad hoc propositum, c. licet Heli de simonia, vbi refertur rigidissimum supplicium factum olim sacerdoti Hæli, eo quod filiorum suorū excessus nō efficaciter (vt tenebatur) corripuerit: quamuis ipse in se aliàs bonus esset. Ad quod propositum dicitur ibidem: Quod iudices atq; prælati ad corrigendos sibi subditos, tanto diligentius debent assurgere, quanto damnabilius eorū offensas incorrectas deserent. Id quod & habetur etiam, in c. qualiter & quando de accus. el secondo, §. ad corrigendos. Hoc itaq; est certissimū atq; constitutissimum, quod omnes Prælati siue iudices ordinariam iurisdictionem habentes, possunt, quin verò & debent suorum subditorum vitam & mores ex officio suo inquirere, quamuis id ipsum non fiat ad alicuius instantiam. postquam (vt præmissum est) tenentur strictissimè ipsorum excessus, & defectus corrigere, atque punire.

Secunda Conclusio.

Episcopi, & Ecclesiastici † Prælati ordinarij locorum, non solum possunt suorum subditorum clericorum vitam, & mores inquirere: ipsosq; criminosos repertos, & peccatis irretitos exemplariter punire: verū etiā & inquirere possunt cōtra laicos & seculares, specialiter in aliquibus peccatis inferius dicendis, & maximè de illis criminibus, & delictis, quæ dicuntur mixti fori. Hæc conclusio generalis est omnium Doctorum resolutio. Et in primis, quod possint, & teneantur inquirere cōtra laicos de crimine hæresis, & eosdem criminosos repertos iuxta facinorum suorum grauitatem debitis pœnis damnare, atq; punire, & iudices laici, & seculares haudquaquam valeant, siue possint in hisce rebus se intromittere: habetur expressè in cap. excommunicamus, de hæreticis & in cap. ad abolendā eodē titul. Et adhuc specialius, in cap. & per hoc, cap. vt inquisitionis, §. prohibemus de hereticis, li. 6. Quod & tenet Panormitanus, & omnes Doctores 19

ctores vnanimiter in supradicto cap. excommunicamus, & in alijs citatis capitulis: quorũ dicta breuitatis gratia in præsentiarum adducere non libuit. Possunt præterea prædicti Episcopi &
20 prælati ordinarij, † inquirere contra laicos suspectos de vsuraria prauitate: iuxta cap. cuncta de vsuris, & Clementinam vnicam, eodem titul. § cæterum. Quod & tenent etiam omnes vnanimiter Doctores, explicãdo prędicta capitula. Item & possunt inquirere contra supradictos laicos de crimine simoniæ: in quo etiam iudices sæculares haudquaquam possunt se intromittere, cum eiusmodi crimen hæresis appelletur communiter, iuxta c. quoties de simonia, vbi videnda est glossa, in quo etiam cõueniũt omnes Doctores vnanimiter. Item & possunt supradicti Episcopi, & Prælati ordinarij Ecclesiastici, inquirere contra laicos de transgressione iuramentorum, quamuis & iudices sęculares id ipsum valeant efficere: sed de eorum validitate tantummodo Prælati Ecclesiastici prædicti, per textum in cap. nouit de iudicijs, & cap. per venerabilem de electione. Circa quod cum aliquæ se se difficultates offerant, ab eisdem pertractandis cõsulto in pręsentiarum abstineo, vt non extra chorum saltare videar, & plus nimio nostra protrahatur oratio: videantur Doctores iurisperiti in præcitatis capitulis, & in c. rex debet, 23. q. 5. Item possunt prædicti Episcopi & Prælati ordinarij, locorum inquirere contra laicos de adulterijs, ipsosque adulteros repertos punire, iuxta textum, in c. 1. de offic. ordinar. & cap. intelleximus, de adulterijs, & nouissimè habetur id ipsum præceptum, & determinatum, in Concilio Tridentino, sessione 24. cap. 8. & idem dico de cõcubinarijs, iuxta idem Concilium, & præallegatum, cap. intelleximus de adulterijs. Similiter & inquirere possunt contra eosdem laicos de crimine cultus idolorũ, sortilegij, & auruspicij: per textum, in cap. contra idolorum, 26. quæst. 5. & textum in cap. supradicto Rex debet 23. quæst. 5. quamuis & sæculares Iudices iuxta aliquos in hisce rebus possint se intromittere, iuxta l. 3. C. de malef. & matem. & prædictum capitu. Rex debet, 23. quæst. 5. De crimine etiam sacrilegij commissi, etiam inquirunt Episcopi, & ecclesiastici Prælati, per c. cum sit generale de foro comp.: multoq; melius, & ampliori ratione, de crimine sodomiæ, per cap. clericis de excess. Prælatorum, vbi id ipsum expressè habetur determinatum, ab Alexandro in Concilio Lateranensi: qua quidem in re conueniunt vnanimiter omnes: & qui de casibus prædictis plura videre desiderat, consulat Doctores in supradictis capitulis, sed maximè, in cap. 1. & in cap. irrefragabili, de offic. ordin. nam non vacat per tempus hisce in rebus amplius immorari.

ARTICVLVS IIII.

Quonam modo fieri soleat, & debeat, prædicta generalis inquisitio, à supradictis Prælatis, atque Iudicibus?

Hic articulus proponitur ad adducendum stilum, quo à Iudicibus, siue Prælatis fieri solet, & debet, prędicta generalis inquisitio. Qui quidem stylus oritur ex cap. qualiter, & quando, el primero, y segundo de accusat.: & ex nonnullis alijs iuris Canonici, circa quod quæ seruanda sunt, & communiter habentur in praxi, dicentur per ordinem in sequentibus conclusionibus.

Prima Conclusio.

21 VOlens iudex † Ecclesiasticus, siue sæcularis, ex officij sui munere generalem inquisitionem, siue visitam inire mandat Notario, siue Tabellioni, vt faciat processum scribendo in capite eius: ad ipsius notitiam peruenisse, quod in tali prouincia, ciuitate, vel loco, seu in tali conuentu diuersa sunt commissa crimina, committunturq; in dies, & maximè hoc vel illud (aliqua ex grauioribus nominando) & quod ad ea inuestigãda, atque punienda, vult inquisitionem efficere, & de ijs informationem sumere: quod & factum fuit in sequenti forma.

[Qui comincia il capo della visita, dicendo, chi è il Giudice che la fà, & in che luogo, che giorno, mese, & anno la cominciò, e dauanti, a qual notaro, nella forma, che auanti anderà posta.]

Quando fiet processus in forma in questione de modo formandi processus, & in spetiali practica pro Religiosis facta, & si Iudex fuerit Ecclesiasticus, præcipit sibi subditis sub obedientia, & censuris, vt intra certum à se præfixum terminum, eadem (pro vt tenentur) sibi reuelent, atque detegãt:
22 si verò est secularis, † conuocat aliquos testes ex his, quos credit, & certo sibi persuadet earum rerum aliqualẽ notitiam habere, eisdem id ipsum præcipiens sub iuramento: & interrogando eos incipit facere processum ab illorũ receptione: quæ supradicta omnia latissimè tradit Paz in sua praxi, to. 1. p. 5. c. 1. §. de modo formandi processum per viam inquisitionis: & est omnium Doctorum communis resolutio. De qua videnda sũt c. qualiter, & quãdo el secondo de accus. & c. Romana de censibus li. 6. & Bart. in l. 2. §. si publico, ff. ad legem Iuliam de adulterijs.

Secunda Conclusio.

IN inquisitione † generali prædicta, Iudex Ecclesiasticus, siue secularis, non inquirit, aut inquirere potest in speciali de aliqua particulari persona, feceritne (v.g.) Petrus, aut Paulus hoc, vel illud, sed solummodo in communi & in generali, an sit quispiam qui diuinam, seu humanam legem in aliquo violauerit, aut cõtra peculiares cõstitutiones, & statuta quidpiam fecerit, aut correctione dignum delictum aliquod commiserit? Nec potest simpliciter, & absolutè præcipere, vt eiusmodi delicta vtcunq; correctione digna, & quamuis ea planè nouerint sibi patefiant, nisi iusta Euangelij, & iuris præscriptũ ordinem. Qui ordo oritur (vt diximus) ex supra dicto c. qualiter, & quando el primo, e secondo de accus. & ex Euang. Matt. c. 18. Quod si quispiam perperam aliquid in contrarium fecerit: haudquaquam eiusmodi Index, siue Prælatus est audiendus, aut in eo sibi est obtemperandum: etiamsi in id ipsum astringãtur subditi à Iudice seculari sub iuramento, ab Ecclesiastico verò sub obedientia, & cẽsuris: Quod vt plenius notum fiat, sequens statuitur concl. 23

Tertia Conclusio.

IN inquisitione generali † prædicta, siue visita, Index Ecclesiasticus, siue secularis, interrogare non potest de occultis, nec subditi etiam iurati, aut sub obedientia, & censuris constricti, occulta vllo sibi modo possunt, aut debent detegere: quin verò si aliter fuerint interrogati, debent se excusare: quod si id non sufficiat, vti poterunt amphibologia, siue aliquo verborum subterfugio, & iudicem illudendo dicere, omnino se illa nescire (eo sensu intra se retento, vt, s. ea sibi dicere, aut detegere teneãtur) iuxta c. quali- 24

qualiter, & quādo, el primo de accuſ. & c. erubeſcant, diſt. 32. Neq; in propoſito caſu, vtendo eiuſmodi verborū ſubterfugio, exiſtimari poterunt mētiri (quod etiam pro ſeruanda vita facere nullo modo licet per textum in c. ſuper eo, de vſuris) dicit ēt iuramētū fieri debeat ad mentem eius, cui iuratur, iuxta textum, in c. quacunque ar. 22. q. 5. & omnes Doct. communiter: nam intelligendum, id eſt, quando iure, & legitimè præſtatur, & iuris ſeruato ordine petitur: aliàs. n. ſi quiſpiā iniuſtè, & tyrannicè interrogetur, iniuſtitia ipſius Prælati, ſiue iudicis, ius tribuit ſubdito, ſiue teſti interrogato, vt vtendo verbis amphibologicis, & æquiuocis, eundem poſſit illudere reſpondendo illi: non quidem ad ſenſum, & mentem interrogātis, & eius cui iuratur (vt tenebatur de iure) ſed ad ſenſum ipſius interrogati, & qui verum dicere iurauit: quæ reſolutio eſt omnium Doct. communis, vt amplius infra ſuo proprio loco dicemus, in materia de reis, & teſtibus. Vt igi-
25 tur † Iudices, atque Prelati ſuo debitè fungātur officio, & munere, in exhortatione, ſiue propoſitione ſuę viſitę, & inquiſitione generali; quam faciunt omniū primo ſuis ſubditis dicere debent, & proponere illis in communi: vt quicunq; reſciuerit aliquid correctione dignum, renūciet illud ſibi, ſed non niſi iuris ſeruato ordine: occulta tacendo, quæ nullatenus ſunt detegēda, aut reuelanda, niſi iuris ſeruato ordine, in certis quibuſdam caſibus, de quibus infra dicemus in quæſt. ſeq. vt habetur expreſsè in preallegato, cap. qualiter, & quando de accuſ. el primo in fine, verbo exceptis in criminibus occultis. Qua de re videatur Nauarro, in capit. inter verba, 11. quæſt. 3. in editione noua, concluſione 6. nu. 23. & Paz in ſua praxi, tom. 1. par. 5. c. 1. à num. 9. cum ſequentibus.

Quarta Concluſio.

26 SI ſubditi † perperam interrogati de occultis, ea Iudicibus, ſiue Prælatis reuelauerint: ex tali depoſitione delinquentes nullatenus debent, aut poſſunt puniri. Hæc concluſio habetur expreſſa in c. inquiſitionis de accuſat. §. tertiæ dubitationi. verbo ſolummodo, & ibi gloſ. Quam etiam tenet Nauarro in ſupradicto ca. inter verba 11. quæſt. 3. Corolario 61. nu. 648. Dicunturque ad hoc propoſitum 27 † crimina occulta, etiam ſi duobus, aut tribus teſtibus poſſint comprobari; dummodo de eis non increbuerit infamia, vt habetur in prædicto cap. inquiſitionis, & reſoluit ſupradictus Nauarro, loco vbi ſupra, & Paz in ſua praxi etiam loco vbi ſupra, num. 11. 28 Attamen † ſi ex prędicta generali inquiſitione, quiſpiam repertus fuerit ſufficienter infamatus: tunc exorta infamia benè poteſt Iudex, ſiue Prælatus contra eiuſmodi ſic infamatum, ad inquiſitionem particularem procedere, & interrogare ipſum, & teſtes: qui & tenebuntur veritatem dicere: & poſtquam concluſum fuerit in cauſa iuxta iuris pręſcriptum ordinē eūdem punire, pro cuius rei maiori explicatione: aduertendum eſt, quòd Iudex ſęcularis, ſiue Prælatus Eccleſiaſticus, in prædicta generali inquiſitione, quo debitè ſuo fungātur officio & munere, ſolummodo poſſunt compellere ſibi ſubditos ad denunciandа, & detegenda crimina, in illis caſibus, & eo ordine, quo ipſi alias extra viſitationem tenebantur ea dicere: tantum ſtat differentia in hoc, quod extra viſitationem poſſent forſan tempus differre: in viſitatione verò non ita: ſed ſtatim tenentur ea denunciare (dummodo non ſint occulta) ad iuſſū Prælati Eccleſiaſtici ſub obedientia, & cenſuris, ſæcularis verò ſumpto ab eiſdem iuramento.

Vlterius debent aduertere prædicti
29 † subditi. An crimina de quibus interrogantur & ipsi nouerunt, sint iã prorsus emendata, ita vt de eis nullum amplius supersit periculum: & si talia fuerint nullatenus ea tenentur Prælatis siue iudicibus denuntiare, nisi adsit forsan aliquis accusator, siue denunciator iudicialis: aut nisi præcedenti infamia interrogentur vt testes: tunc enim tenebuntur veritatem dicere. Si tamen prædicta crimina nõ sint prorsus emendata: tenentur ea Prælatis siue Iudicibus denunciare: sed non nisi iuris seruato ordine: & considerando an eiusmodi crimina sint ex his, quæ vergunt in perniciem publicam, siue in præiudicium tertij: & an sit periculum in mora, si non statim iudicibus denuncientur, in quo quidem casu tenentur omninò illicò id ipsum facere. Secus est autem si fuerint peccata priuata, & particularia (etiam si nõ sint emendata) nam tunc non licet eadem Prælatis, siue iudicibus denunciare: nisi iuxta Euangelium, præmissa prius fraternali correctione, siue admonitione (si sit spes emendę) aut ea prætermissa, si de ipsa nulla prorsus habeatur spes: vt dicemus infra cum fiet sermo de denunciatione Euangelica, & correctione fraterna. Qua de re videatur Soto, relectione de secreto, memb. 2. quæst. 6. conclus. 2. in fine cuiusdam dubij, quod ibidem proponit.

Quinta Conclusio.

30 IN quisitione generali † prædicta, omnes etiam minus idonei recipiuntur vt testes: nam in ea solummodo Iudex, siue Prælatus procedit ad se instruendum, siue informandũ de statu prouinciæ, ciuitatis, loci, siue conuentus: non verò ad inquirendum de aliqua persona in particulari, vt ex ea tanquam rea, aut alicuius delicti suspecta puniatur. Ad id enim necessarium est (vt in sequenti quæstione dicemus) quod fama, seu potius infamia, orta sit à beneuolis: non verò à maleuolis, vt habetur in c. qualiter, & quando, el secondo de accus. Qua de re videatur Paz, vbi supra, num. 14.

Sexta Conclusio.

SI ex inquisitione generali † prædicta, constiterit aliquod crimen à quopiam fuisse commissum, aut contra aliquam particularem personam in id resultauerint indicia (in casu, quo ea ad ineundam particularẽ inquisitionem sufficiunt) debet iudex, siue Prælatus ad ipsam procedere: & si ex sũmaria informatione eiusmodi persona fuerit reperta culpabilis, sitque fugæ periculum, & delicti qualitas id ipsum exposcat: personaliter est capienda, & in carcerem detrudenda: quod intelligendum est regulariter loquendo, & secundum delicti, & personæ qualitatem confiscatio etiam bonorum est facienda: & in loco tuto per inuentarium deponenda. Post modum verò iudex, siue Prælatus suscipere debet delinquentis confessionem, & quærere contra ipsum aliquas maiores probationes: quibus per actis, & alijs, de quibus dicemus infra: ex officio imponuntur ipsi reo capita de delicto, siue delictis ex processu resultantibus, vt se compurget, & alleget suas exceptiones. Regulariter etiam loquendo dantur testium nomina, vt aduersus eos obijcere, possit repulsas si quas habuerit: quæ omnia facienda sunt sub breui quodam tempore. Tandem fit publicatio testium, & publicatis attestationibus allegatur & concluditur in causa ad sententiam diffinitiuam siue ad torturam: & isti sunt † termini iuris, qui communiter, & regulariter loquendo obseruantur in prædicto modo procedendi, per viam generalis inquisitionis,

nis, & stilus qui habetur in praxi in fulminando eiusmodi processu. Qui quidem (demptis his quæ in principio sunt dicta, circa inquirendum, & indagandum delinquentem) ferè omnino idem est, cum stylo, forma & praxi, quæ obseruatur in processu, qui fit per viam accusationis, de quò latiùs infrà etiam suo proprio loco dicemus, Quiquidem stylus oritur ex iam sæpè allegato capitulo qualiter, & quando, el secundo, de accusat. §. debet: de quo videatur Speculator, titulo de Inquisitione, §. nunc tractemus, nu. 6 & Paz vbi supra, quę supradicta omnia in præsentiarum adduxisse libuit, vt simul habeantur ad manum, & sciant iudices siue Prelati, quid ipsi debeant efficere, quando procedunt per viam supradictæ generalis inquisitionis.

ARTICVLVS V.

Vtrùm in inquisitione generali prædicta testes siue persona visitanda ad dicendum veritatem & reuelanda crimina, iuramento à iudice seculari possint constringi: ab Ecclesiastico vero sub obedientia, & censuris?

DIFFICVLTAS præsentis articuli, prætermissa est à me in prima editione huius nostri libri Ordinis iudiciarij, pro eo, quod parua, aut nulla eo tempore visa est: at nunc libuit eã excitare, in mediũq; proponere, propter quosdam iuniores auctores, criminalistas quos ex Italiæ partibus adduxi, qui totis viribus
33 conantur defendere, quod † in inquisitione generali prædicta haudquaquam per iudicem sæcularem iuramentum sit desumendum à testibus, siue personis visitatis ad dicendam veritatem, & reuelanda crimina quæ nouerunt correctione digna: neque in id à iudice, siue Prælato regulari, vel Ecclesiastico, sub iuramento, aut obedientia, & censuris possunt, aut debent constringi: quin verò dimittendi sunt, vt liberè dicant quod voluerint, & si nihil omninò voluerint dicere, quod nulla ratione in id ipsum possunt constringi: nisi postquam ex generali inquisitione exorta infamia contra aliquam peculiarem personã, seu habitis indicijs (in casibus quibus ipsa sufficiunt) iudices siue Prælati ad eandẽ puniendã facta inquisitione particulari voluerint deuenire.

Huius sententiæ, & opinionis est in primis, frater Victorinus Manso (alias de Auersa) Monachus S. Benedicti, Congregationis Cassinensis, in sua institutione Canonica, quam edidit circa modum procedendi criminaliter in causis regularium, cap. 8. num. 2. quem etiam sequitur frater Ildephonsus à Villagut, monachus eiusdem congregationis, & ordinis, in sua practica criminali canonica, li. 3. tit. de Inquisi. c. 7. concl. 1. & nunc nouissime F. Paulinus Berti Lucensis Ordinis Herem. D. August. cõgregationis Lonbardiæ, in sua etiam Praxi Criminali, c. 28 vbi mordicus tenet, & nonnullis iuribus, atq; antiquorum DD. auctoritatibus probare contendit, in inquisitione generali prædicta, nullum omninò esse exigendum iuramentum à iudicibus sæcularibus, neq; ab Episcopis: à testibus, siue personis visitatis, & quod id ipsum obseruare etiam tenentur prælati omnes regulares, respectu suorum subditorum, cum quotannis vti tenentur sua monasteria visitant, & vt hac in re clarè atq; distinctè procedamus, & modus syllogisticum Aristotelicum seruemus, sententia, & opinio prædicta, sequentibus fulcitur, stabilitur siue probari potest argumentis.

Fundatur † primò, in eo, quod habetur in capite Romana, de Cẽsibus libro sexto, cuius sunt hęc, quę sequũtur verba, post alia, §. sanè, agendo de Archiepiscopo suam diœcesim visitante: 34

visitante: Sane huiusmodi impensurus officium, proposito Dei, verbo, quarta de vita, & conuersatione ministrant eum in Ecclesiis,& locis alijs diuino cultui deputatis, ac cæteris, quæ ad officium ipsum spectant, absque coactione, & exactione qualibet iuramenti: ad ipsorum emendationem per salubria monitæ: nunc leuia, nunc aspera, iuxta datam sibi à Deo prudentiam diligẽter intendens. Quod si de aliquibus orta fuerit infamia, contra eos ordinarijs ipsarum (vt super his solemniter inquirant) denunciet, si viderit expedire. Super quæ verba, glossa verbo coactione (inquit) quod Iudex, siue Prælatus Ecclesiam suum visitans, in inquisitione generali prædicta, à principio non potest exigere iuramentum per quod occultum prodere aliquis constringatur: ex quo tamen sine iuramento aliqua corrigenda fuerint sibi denunciata, tunc (inquit,) & non aliter exigere potest iuramentum. Hoc est primum argumentum, ac potissimum huius sententiæ, & opinionis fundamentum.

Secundò probant id ipsum authoritate multorum Doctorum antiquorum: & in primis Speculatoris, qui in tertia parte, tit. de inquisitione, §. quando sit ad inquisitionẽ procedendum in fine: loquens de prædicta generali inquisitione (aliàs dicta præparatoria) & de inquisitione particulari (dicta communiter solemni) inquit, quod hæc differt ab illa penes hoc, quod illa fit absque vlla exactione iuramenti, tantum in genere, allegando in id supradictum, c. Romana de censibus, lib. 6. §. sane: & dicit, quod sic debent procedere omnes Visitatores, & Prælati, quando suas diœceses visitant, inquirendo simpliciter, & de plano, quæ correctione, & reformatione indiguerint. absque vlla prorsus coactione, siue exactione iuramenti. Quod idem tenet Archidiaconus super prædictum cap. Romana de censibus, §. sanè: vbi ait, quod Visitator non debet quempiam cogere ad hoc, vt dicat, quæ correctione sunt digna: & ad ipsius spectant officium: sed simpliciter quærere, & audire volentes respondere. Facta tamen visitatione generali, & contra aliquẽ exorta infamia: bene potest, inquit, cogere testes veritatem dicere, super his, de quibus inquirere vult, quæ visitationi conueniunt, & ad ipsam spectãt: in quo & tenebuntur eidem obedire: nam cui cõmittitur principale & accessorium esse videtur cõmissum, per c. 1. & c. prudentiam, §. 1. & vlt. de officio delegato. alioquin, inquit, delusoria esse videretur eiusmodi visitatio, & correctio: si coerctionem aliquam non haberet: vt habetur in ca. ex literis, & c. præterea de officio delegato. Cuius etiam sententiæ consona voce astipulatur Philippus Frãco, super prædictum c. Romana, §. sanè. citans pro se etiam Ioannem Andreã, dicentem, quod in visitatione generali, & preparatoria, à visitatis non exigitur iuramentum: bene tamen in speciali, & solemni postquam exorta infamia contra aliquem ad eandẽ deuenitur. Tunc enim iudex, siue Prælatus bene põt cogere visitatos ad præstandum iuramentum, & dicendam veritatem, in illis, de quibus interrogantur. Hæc supradicti authores: & hæc sunt fundamenta, quibus innititur præfata sententia, & opinio.

Quibus nihilominus non obstantibus, cõtrariũ † omninò verius esse vr, 35 id quod obseruari credo in communi praxi, in omni foro tam sæculari, quã Ecclesiastico, in inquisitionibus, siue visitis generalibus, quas cuncti indices, siue Prelati faciunt: & quod in ipsis testes, siue personæ visitandæ, ad dicendam veritatem, & reuelanda, quæ correctione sunt digna (dum tamen non sint occulta) constringi solent, & debent sub iuramento à iudicibus sæcula-

cula-

cularibus, ab Ecclesiasticis verò sub obedientia, & censuris. Vnde pro hac sententia sequens statuitur conclusio.

Conclusio.

36 IN inquisitione † generali, siue visita, quam iudices, & Prælati faciunt, testes, siue personæ visitandæ, constringi possunt, & debent ad reuelanda crimina, quę nouerint correctione digna (dum tamen non sint occulta) à iudice sæculari mediante iuramento: ab Ecclesiastico verò sub obedientia, & censuris. Hæc conclusio meo quidem videri est certa, & vera: & quæ communiter obseruatur in communi praxi, & quamuis in proprijs terminis in nullo authorum recentiorum, difficultatem hanc, ita exactè resolutam viderim, atq; desiderarim: ex his tamē quæ ab eisdem incidenter dicuntur; superq; satis colligitur, quod supra posita conclusio sit vera, & quæ obseruatur in communi

37 praxi. Nam † Paz in sua Praxi, tomo primo, cap. 1. §. vnico, agendo de stylo fulminandi processum per viam generalis inquisitionis, assertissimè, & absque vlla prorsus dubitatione dicit, qđ iudex debet incipere à receptione testium, interrogando eos sub iuramēto de criminibus notorijs, & precipiēdo, quod illa sibi detegant. Et Nauarro in suo Manuali, cap. 25. num. 46. agēdo de peccatis testium dicit, quod peccat testis, qui absque causa non paret iudici præcipienti, vt denunciet sibi talia, vel talia crimina: & inquit, quod est excommunicatus, si mandatum fuit sub pęna excommunicationis latæ sententiæ, tenetur que damna restituere. Et in fine respondendo ad quodam nonę quęsitum dicit, eum, qui nō denunciauit delicta intra tempus in edicto contentum, teneri ad denunciandum, post illud quanto citius facere poterit, argumento, capit. Cum delecti, de dolo, & contumacia, cum ibi citatis à glossa, & à Doctoribus quæ quidem verba haudquaquam dixisset prędictus Nauarro, si non fuisset consuetudine positum, & communi praxi obseruatū, in eiusmodi inquisitionibus generalibus, siue visitis, testes, & personas visitandas ad dicendam veritatem, & reuelanda crimina, à iudicibus sæcularibus iuramento astringi; ab Ecclesiasticis verò sub obedientia, & censuris. Facit & ad idem id quod dicit Syluester in summa, verbo visitatio, quæst. 6: in quarto dicto, vbi postquam retulit dictum glossæ in supradicto cap. Romana de censibus, lib. 6. verbo coactione, quo dixit, quod visitator à principio non debet exigere, neque cogere ad iuramentum, propter quod occultum crimen quispiam prodere cōstringatur: in fine dicit, quod si visitator potest inquirere, potest etiam à principio præcipere, vel exigere iuramentum de veritate dicenda: pro quo remittit se ad ea, quæ supra dixerat, verbo inquisitio primo, quæstio. 9. vbi in 3. dicto, dicit id ipsum: & quod inquisitor, siue visitator debet dare iuramentum clericis de veritate dicenda, super his, quæ sunt, vel credunt in sua Ecclesia esse reformatione digna, tam in capite, quam in membris, exceptis criminibus occultis: pro quo allegat capit. Qualiter, & quando, el. primo, de accusat. Idem omninò dicit Pactauimus in suo tractatu de Visitatione, cui titulus alias, baculus pastoralis, 2. par. cap. 17. num. 11. Sed quid moror hac in re plura dicere, cum in prædicto capit. qualiter, & quando, id ipsum clarè reperiatur determinatum: & in tradita forma, qua inquisitores generales in sua generali inquisitione debent procedere: habeatur expressè, quod testes, seu personæ visitandæ in initio visitę iuramentum debent præstare. Et quia res est tanti momanti, expressa verba prędicti capituli ad vnguem in pręsentiarum libet

referre. Scribens Innocentius III. Episcopo Vercellensi, & Abbati de Tilato, quos circa quoddam negotiũ Episcopi Nouariensis generales constitue rat inquisitores, post alia inquit. Formam verò iuramenti, quam à clericis Nouariensibus super inquisitione facienda in hoc negocio recepistis: in similibus uolumus obseruari: vt videlicet iurent clerici, quod super his quæ sciunt, vel credunt esse in sua Ecclesia reformanda, tam in capite, quam in membris (exceptis occultis criminibus) meram, & plenam dicent inquisitoribus ueritatem. Quid quæso clarius, aut expressius dici vnquam potuit? Super quæ prædicta verba glossa, verbo, similibus, citat, cap. inter corporalia de trãslatione Episcoporum, & cap. in causis de re iudicata, & l. nõ possunt. ff. de legibus: quibus in locis dicitur, quod sententia Papæ, siue Principis, facit ius quoad omnes: & profert iuris ordinem in similibus obseruandum. Quod cum ita certum sit, nulla subest, aut subesse potest iam dubitandi ratio, quod in eiusmodi inquisitionibus generalibus, siue visitis, testes, & personæ visitandæ ad dicendam veritatem, & reuelanda, quæ nouerint correctione digna (occultis exceptis) possunt & debent constringi, à iudice sæculari sub iuramento: ab Ecclesiastico verò sub obedientia, & censuris. Facit & ad hoc capitulũ, Episcopus, 25. quæst. 6. vbi satis clarè dicitur id ipsum.

38 Solum modo superest respondere ad argumenta † adducta pro contraria sententia. Et ad primum adductũ, ex capite Romana de censibus cum glossa, verbo, absque coactione, dici potest primo. Illud tantum habere locum in Archiepiscopis, cum diœceses Episcoporum suorum suffraganeorũ visitan: nam quamuis id ipsum iure quasi ordinario possint efficere: non tamen in hisce rebus ita omnino debent se intromittere, vt à personis visitandis super reuelandis criminibus iuramentum debeant exigere: sed relinquere id ipsum Episcopis ordinarijs: sicut neque possunt per idem capitulum, nisi tantum delicta notoria punire, quæ verò talia non sunt, Episcopis prædictis debent denunciare, id si viderint expedire, vt super eis talem inquisitionem possint efficere. Hæc in prædicto capitulo habentur expressa. Vel secundò respondetur & melius, quòd illa prohibitio in prædicto capitulo contenta, coactionis, & exactionis cuiuslibet iuramenti, intelligenda est, & intelligi debet, respectu criminum occultorum, & sic eam intelligit glossa ibidem, verbo coactione, cuius sunt hæc, quæ sequuntur verba: Nota quod à principio in generali inquisitione non exigitur iuramentum, per quod quispiam occultũ prodere constringatur: ex quo tamen sine iuramento nunciata fuerint aliqua corrigenda, per inquisitionem particularem, inquisitor poterit super eis exigere iuramentum. Et intelligendum id est, etiamsi delicta, & crimina sint occulta. Et ratio differentiæ est: nam in primo casu, ij à quibus exigeretur iuramentum, non tam cõsiderandi sunt ut testes, quam vt personæ visitandæ, & vt sic interrogari non possunt de occultis (vt diximus supra in præcedenti articulo) multoque minus ab illis exigi iuramentũ: at in secundo casu, cum fiat inquisitio particularis, iam exorta infamia contra aliquam particularem personam, verè, & propriè considerantur vt testes, & vt tales interrogantur: & sic possunt iuramento constringi, ad dicenda, & reuelanda quæ nouerint, etiam si sint occulta, & hæc mihi optima esse videtur interpretatio supra dicti capituli. Cui etiam resolutioni fauet glossa supra dicti, cap. qualiter, & quando, el secondo de accusat. verbo, exceptis occultis, vbi dicitur, quod super occultis inquisitio fieri non debet: sed

sed tantum super illi, de quibus præcessit infamia: iuxta cap. Inquisitionis, & d. cap. qualiter & quando, el secondo, eodem titulo, & addit, quod si testes, siue personæ visitandæ de occultis aliquid dicant: per sua dicta nullus debet puniri, vt habetur in prędicto cap. Inquisitionis, & rationem subdens, inquit, quia super his non iurauerunt. Quid clarius ad nostrum propositum potuit dici? Vera ergo est supradicta conclusio

Ad secundum argumentum, quo continentur authoritates, & dicta speculatoris, Archidiaconi, & Philippi Franchi, dico quod intelligendi, & explicandi sunt iuxta sensum dictum in solutione præcedentis argumenti: nempe quod testes siue potius (vt verius ac rectius loquamur) personæ visitandæ, in generali inquisitione; seu visita non debent iuramentum præstare, aut ab eis vllo modo exigi, quo constringantur, & compellantur occulta crimina reuelare, benè tamen publica, & manifesta siue notoria. In inquisitione verò particulari exorta iam infamia, vera, seu habitis indicijs contra aliquem (in casibus quibus ipsa sufficiunt) benè possunt iuramento constringi super dicenda veritate, & reuelandis quibuscunque criminibus, etiam si illa sint occulta. Et ratio differentiæ est, quam adduximus in solutione præcedentis argumenti, quia nempe in vno casu interrogantur vt testes, in alio verò non tam vt testes, quam vt personæ visitandæ: quod multum est notandum, ac memoriæ commendandum.

ARTICVLVS VI.

Vtrum in supradicta inquisitione generali, siue visita personæ visitandæ examinatæ probent aliquid seu fidem faciant in inquisitione particulari contra reum absque eo quod iterum de nouo examinentur?

HAnc difficultatem moueo, ad adducendam quorundam Doctorum antiquorum sententiã: qui † adeo certum esse credunt in inquisitione generali prædicta, non esse specialiter inquirendum contra aliquem, aut propter ipsam esse quempiam puniendum, vt dicant quod propter dicta & depositiones visitandorum, seu personarum, quæ visitantur, nullus unquam potest, aut debet puniri nisi supradicti de nouo examinentur, parte citata, & post contestatam litem. Hanc sententiam & opinionem tenet Bartolus in l. fin. ff. de quæstionibus, verbo, quæro an indicia, vbi proponit hanc difficultatem: An indicia habita in inquisitione generali contra aliquem, præiudicent ipsi reo, vt torqueri possit postea, quãdo fit inquisitio, vel accusatio specialis, & respondet quod non: Cuius rationem reddit, quia (inquit) illi testes non fuerunt examinati ipso citato, & eodem existente contradictore: ex quo colligit, quod non possunt sibi præiudicare, per legem si quando, C. de testibus: ac proinde debent prędicti testes post contestatam litem iterum examinari. Eandem sententiam tenet Abbas in capit. graue, de præbendis, & Felinus in capit. inquisitionis de accusationibus, & Alexander, in lege secunda, §. si publico, ff. ad legem Iul iam de adulterijs, verbo tertio modo, vbi referens sententiam prædicti Bartoli, in sequentia uerba prorumpit. Ex his ergo tenet Bartolus hic, quod si inuenitur aliquis occisus, & nescitur à quo, 39

quo, & iudex inquirendo generaliter inuenit Titium eundem occidisse, ex testibus receptis super tali inquisitione generali, non poterit illum condẽnare: quia istud non est iudicium, cũ non sit fundatum contra aliquem, & ideo subsequi debet inquisitio specialis. Hæc Alexãder vbi supra. Qui & addit, hanc esse quoque sententiam Baldi, in capit. primo, §. iniuriæ furtum, de pace iure firma, & Bartoli supra citati, in lege finali, ff. de quæstionibus, Id ipsum tenet Innocen. in c. Bonæ, el primo de electione, vbi dicit, quod si in generali inquisitione nominetur aliqua persona delictum aliquod commisisse: & dicatur eadem de re ipsam infamatam fuisse, contra eandem sic infamatam inquisitionem specialem debere fieri: sed tamẽ quod depositiones factę in inquisitione generali, in speciali non faciunt fidem, nec ex prædicta inquisitione generali aliquis venit damnandus, cum facta fuerit dumtaxat ad inuestigandum, non verò ad puniendum: quam ob causam in iure prçparatoria nuncupatur, pro eo quod deseruiat vt viam paret solemni, speciali, & particulari inquisitioni, quod dicit ita practicari in toto mundo: & refert pro se Abbatem in prædicto cap. graue de prçben dis, & Bartolum in lege secunda, §. si publico, ff. ad lege Iuliam de adulterijs. Huius etiam sententiæ, & opinionis est Philippus Francus, in cap. Romana de censibus, libro sexto, §. sanè in tertio notabili, verbo inquirant: vbi dicit, quod virtute generalis inquisitionis, procedi non potest contra infãmatum de crimine, sed quod de nouo debet specialis inquisitio inchoari, & contra ipsos procedi. Eandem etiam sententiam tenet Robertus Maranta in suo speculo aduocatorum, titulo de inquisitione, §. tertio modo, verbo hoc præsupposito: vbi agendoq; de inquisitione generali prædicta, sequentia verba dicit. In ista inquisitione non citatur aliqua persona particularis, nec per eã quispiam condemnatur, quia nullus est contradictor, qui citetur ad faciendas suas defensiones, sed operatur generalis ista inquisitio, vt per eam ad particularem, & specialem deueniri possit (quam ob causam in iure prçparatoria nuncupatur) & tunc debent testes repeti parte citata, & qui rei fuerint reperti ex illa speciali damnantur: & citat pro se omnes supra dictos Doctores, Bartolum, Alexandrum, Felinum, & Panormitanum locis supra citatis. Eandem sententiam tenet etiam Alphonsus Aluarez in suo Speculo vtriusque iuris, titulo de Inquisitione, circa principium, verbo ex ista generali inquisitione, vbi referendo, & citando omnes supra dictos Authores dicit: Quod ex generali inquisitione, quę tantum prçparatoria est, sine speciali facta contra certam particularem personã, nõ fit citatio, nec sequi potest cõdẽnatio, vel contra aliquẽ aliqua ferri sententia. Hæc sunt, quæ à prædictis Authoribus ad hoc propositum dicuntur. Quæ quidem sententia, & opinio, stando in puncto iuris, & de iure communi loquendo, certissima, ac verissima est, nec vllo modo illa potest inficiari: non tamen est, quæ modò communiter obseruatur in praxi, vt dicit Iulius Clarus in sua practica criminali, libro quinto, §. finali, quæstione quinta in principio, & ferè per totam quæstionem, vndè & in contrarium, sequens statuitur conclusio.

Conclusio.

TESTES In generali † inquisitione examinati, dummodo post modum in speciali reproducantur, & in suis dictis medio iuramento ratificentur: fidem faciunt in iudicio, & benę probant contra 40

ita reum, absque eo quod iterùm de nouo examinentur. Hæc conclusio est supra dicti Iulij Clari loco supra citatò, quam & confirmat multorum Doctorum authoritatibus, quas breuitatis causa missas facio, & esset dicit quę cõiter nũc obseruatur in praxi, in omni foro curiarũ tam laicarũ, quã Ecclesiasticarum. Eandem tenet supra dictus Ildephonsus à Villagut. in sua Practica criminali, libro tertio, titulo de Inquisitione, capite sexto, conclusione secunda: nam postquám opinionem retulit contrariam, & dixit eam esse verissimam loquendo de iure communi, addit tamen hodiè contrarium in praxi obseruari, tam in foro Ecclesiastico, quam sæculari, & latiùs probat id ipsum in quarta, & sexta conclusione eiusdem
41 capituli. Et ratio † potissima cui nostra innititur sententia in conclusione posita, est: nam si contraria sententia practicanda foret, multa ex ea sequerentur grauissima absurda, & inconueniẽtia nullo modo sustinẽda: & specialiter possent contingere duo mala: Primum quod daretur reis tempus fugiendi, & manus iudicum euadendi; remanerentque proinde multa crimina, & delicta impunita, quod non est permittendum, nec vllo modo rationi consonum. Secundò etiam daretur facultas amicis, & eorum consanguineis, subornandi testes de negotijs in generali inquisitione informatos, nec non & deterrẽdi ipsos à depositione cognitæ veritatis, quam præ timore nullo modo dicere, siue testificari audebunt: vt experientia edocente sæpè numero id ipsum videmus contingere. Dicendum est igitur, quod depositiones testium, siue personarum in generali inquisitione visitatarum fidem faciunt in iudicio, & in speciali, & particulari inquisitione probãt contra reum, dummodo in eadem postea reproducãtur, & in suis dictis medio iuramento, & citata parte (vbi expressa iuris forma seruanda est) ratificẽtur, nec necessũ est quod iterum de nouo examinentur.

42 Vt igitur iudices atq; Prælati† hac in re sciant, ac pręmanibus habeant qualiter ipsos procedere oporteat, quãdo ex generali facta inquisitione contra aliquam particularem personam, infamia, seu aliquod indicium resultat de aliquo commisso crimine, seu aliquæ probationes: dico, quod eiusmodi reus specialiter postea debet citari ad se defendendum: qua citatione facta, & litis cõtestatione, testes in generali inquisitione examinati, iterum debẽt reproduci, & medio iuramento in suis dictis ratificari, vt postea sequi possit cõdemnatio: quæ quidem testium ratificatio fieri debet eodem reo comparente, & citato non tamen testium depositiones audiente, quamuis non longè existente, & illos vidente, seu eo in loco, vt videre possit quinam sint, qui deponant contra ipsum, vt possit postea suas allegare exceptiones, & testibus repulsas si quas habuerit opponere. Nã ratio, ob quã testes in generali inquisitione examinati de iure communi fidem non faciunt in iudicio, & contra reum cõmuniter, & regulariter loquẽdo non probant, est quia fuerũt recepti parte non citata: vnde & necessum est vt in inquisitione particulari, & speciali reo citato, & postquã comparuit, ipso præsente testes pręlicti reproducantur, & in suis dictis ratificentur: quo peracto ipsi si in priori depositione sua persistant: nisi reus probauerit eorum depositiones esse falsas, seu aliàs se omninò à culpa immunem ostenderit, porrectis sibi capitulis, & admissis suis defensionibus concludendum est in causa, & ad sententiam diffinitiuam, siue ad tormentum deueniendum: & hoc est certissimum.

Sed aduertendum est, vt aduertit supradictus Villagut. loco supra citato

citato conclusione 5. quod eiusmodi
43 testium † repetitio, fieri debet cum omnibus iuris solemnitatibus: atque adeo necessum est, vt de nouo iurent, seu medio iuramento in priori sua depositione se ratificent: & inquit quod si testes sunt inhabiles ad faciendam fidem per suam depositionem sine tortura (quales sunt infames) torqueri etiam debent ad eiusmodi repetitionem faciendam, & confirmandã, licèt forsan fuissent etiam prius torti ad confirmationem suæ depositionis: quod dicit ita obseruari in communi praxi à doctis, & peritis iudicibus: quin verò & à religiosis, & sapientibus Prælatis; in omnibus curijs sæcularibus, & Ecclesiasticis & quod aliàs indebitè punirentur supradicti rei, per testimonium, & depositionem talium personarum, iuxta cap. inquisitionis, de accusationibus, §. ad hoc, vbi hac de re videnda est glossa, quæ circa hoc dicit plura, eaque notatu dignissima, quæ sciens, & prudens prætermitto, vt videantur ibidem.

Hic sese offerebat occasio, vt ad particularia descendentes, ageremus de modo, & forma seruanda à iudicibus sæcularibus: ab Archiepiscopis, & Episcopis, alijsque Prælatis Regularibus, & Ecclesiasticis in suis visitis, seu inquisitionibus generalibus faciẽdis: & adducendi stylum hisce in rebus solitum obseruari: sed quia hæc longissimum requirebant sermonem, ac plenum librum pro hisce solummodo rebus debitè pertractãdis (id quod & quam plurimi authores egregiè præstiterunt) & quia mei propositi in hoc libro tantummodo fuit agere de ordine iudiciario, & modo procedendi in causis criminalibus, tam in foro Ecclesiastico, quam Sæculari agitandis: consulto à prædictis omninò abstineo. Nam pro religiosis (quibus specialiter fauere studeo, quorum etiam causæ non expressè seruato iuris ordine, sed simpliciter & de plano discutiuntur, debentque discuti, ac pertractari in fine huius libri specialis efficietur tractatus, quo breuiter, & compendiosè, atque resolutiuè dicetur: qualiter religionum omnium Prælati in suis visitis procedere debeant, solummodo seruato substantiali iuris ordine, post habitis ac prætermissis alijs solemnitatibus de iure communi requisitis: vbi ni fallor reperire licebit omnia, quæ ad hoc propositum poterunt desiderari.

QVÆSTIO. VII.

De Prælatis & iudicibus: quantum ad modum procedendi ipsorum per viam particularis inquisitionis, in vndecim articulos diuisa.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitio particularis duplex est, quedam quæ tendit ad punitionẽ, alia verò quæ non tendit ad punitionem, sed ad euitãdum errorem.*

2 *Inquisitio particularis, quæ tendit ad punitionem fieri potest secundum vnam sententiam absque fama precedente & adducuntur argumenta contra num. 3. tolluntur argumenta nu. 10 & 11.*

3 *Inquisitio particularis, qua pœna delinquentis intendetur absque præcedenti infamia, vel alio sibi æquipollenti fieri non potest.*

4 *Renuncians crimen subditi suo Prælato, etiam si eiusdem criminis testes duo aut plures sint Iurati nisi procedat accusando, siue iudicialiter denunciando non potest Prælatus procedere ad inquisitionem. quod declara nu. 5.*

6 *Inquisitio particularis sine præcedenti infamia non fit, quod nedum est de iure positiuo, verum etiam de iure naturali, & diuino.*

7 *Notatur cap. qualiter, & quando il*

secondo

secundo de accusat.

8 *Romani consuetudinem habuerunt quem iam non damnandi, nisi accusatus præsentes habeat accusatores,*

9 *Nullus vnquam inquietatur de iure Canonico, & ciuili accusatore non existente. & nu. 13*

11 *Papa, ecclesia, & Princeps secularis in suo foro pro magna aliqua rationabili causa possunt dispensare quod procedi possit per particularem inquisitionem absque præcedenti infamia.*

12 *Non licet per sortem aliquod factorẽ futurum inquirere.*

14 *Fama & infamia quid sint.*

15 *Differunt inter se fama, & existimatio,*

16 *Fama vel infamia ad hoc vt constet, & probetur quanam requirantur.*

17 *Fama, & clamorosa insinuatio quomodo differant inter se. sunt omnino idem, num. 19.*

18 *Ius non distinguit, nec nos distinguere debemus,*

20 *Infamia ad ineundam particularem inquisitionem sufficit, quod sit ex maiori parte viciniæ, collegij, siue conuentus.*

21 *Crimina maiora maiorem requirunt infamiam minora minorem.*

22 *Infamia causatur a testibus de auditu à fide dignis, non est necesse quod sint oculati.*

23 *Infamia maior requiritur ad inquirendum contra prælatos, & Iudices quam contra particulares personas declara, num. 24.*

25 *Infamia an sit probanda duæ sunt Doctorum opiniones, & nu. 26.*

27 *Iudex, siue Prælatus ordinarius non tenetur necessariò efficere famæ probationem ad hoc vt incipere faciat particularem inquisitionem. & de ratione nu. 28. & 29*

30 *Iudex delegatus tenetur efficere infamiæ probationem antequam procedat ad particularem inquisitionem.* *Pro quo adducuntur notabilia verba Panormitani, nu. 31. Sed notantur casus in quibus Iudex etiam extraordinarius, & delegatus procedere potest ad inquisitionem nõ præmissa infamiæ informatione, nu. 32 33. 34. 35.*

36 *Fama, seu infamia de aliqua re ad ineundam particularem inquisitionẽ probanda est per duos, vel tres testes qui esse debent ex grauioribus, viciniæ, collegij, siue conuentus: qui debent rationem reddere suæ scientiæ, & dicere à quibus audiuerint, & debent illos nominare. num. 37. alias nihil probarent in criminalibus. num. 38*

39 *Fama seu infamia procedere debet à testibus fide dignis, & personis honestis.*

40 *Duæ famæ contrariæ si probentur vna bona altera mala quid faciendum, & quando mala fama purgetur, num. 41*

42 *Indicium dicitur ab iudicando, & est intellectuale quoddam medium veritatis exercendæ siue indagandæ.*

43 *Aliud graue aliud leue, & ponuntur exempla.*

44 *Alij dicunt indicia alia esse grauia, alia leuia, quædam probabilia, & quid vnumquodque istorum sit.*

45 *Indicia quantumuis grauia, & manifesta respectu criminis occulti absque aliqua infamia non sufficiunt ad ineundam particularem inquisitionem.*

46 *Plus nocet Ecclesiæ malum exemplũ delinquendi quod ex reuelatione delicti per punitionem præbetur quam prosit condemnatio delicti eiusdem secreti, & iam præteriti facta penitentia.*

47 *Indicia grauia, & manifesta respectu criminis manifesti, sed patrator est occultus sufficiunt ad ineundam particularem inquisitionem. Intelligendo de indicijs iudicialiter probatis, nu. 48.*

49 Non

Prima Conclusio.

21 VOlens iudex † Ecclesiasticus, siue sæcularis, ex officij sui munere generalem inquisitionem, siue visitam inire mandat Notario, siue Tabellioni, vt faciat processum scribendo in capite eius: ad ipsius notitiam peruenisse, quod in tali prouincia, ciuitate, vel loco, seu in tali conuentu diuersa sunt commissa crimina, committunturq; in dies, & maximè hoc vel illud (aliqua ex grauioribus nominando) & quod ad ea inuestigãda, atque punienda, vult inquisitionem efficere, & de ijs informationem sumere: quod & factum fuit in sequenti forma.

[Qui comincia il capo della visita, dicendo, chi è il Giudice che la fà, & in che luogo, che giorno, mese, & anno la cominciò, e dauanti, a qual notaro, nella forma, che auanti anderà posta.]

Quando fiet processus in forma in questione de modo formandi processus, & in speciali practica pro Religiosis facta, & si Iudex fuerit Ecclesiasticus, præcipit sibi subditis sub obedientia, & censuris, vt intra certum à se præfixum terminum, eadem (pro vt tenentur) sibi reuelent, atque detegãt:
22 si verò est sæcularis, † cõuocat aliquos testes ex his, quos credit, & certo sibi persuadet earum rerum aliqualẽ notitiam habere, eisdem id ipsum præcipiens sub iuramẽto: & interrogando eos incipit facere processum ab illorũ receptione: quæ supradicta omnia latissimè tradit Paz in sua praxi, to. 1. p. 5. c. 1. §. de modo formandi processum per viam inquisitionis: & est omnium D. ctorum communis resolutio. De qua videnda sũt c. qualiter, & quãdo el secondo de accus. & c. Romana de censibus li. 6. & Bart. in l. 2. §. si publico, ff. ad legem Iuliam de adulterijs.

Secunda Conclusio.

IN inquisitione † generali prædicta, Iudex Ecclesiasticus, siue sæcularis, non inquirit, aut inquirere potest in speciali de aliqua particulari persona, feceritne (v. g.) Petrus, aut Paulus hoc, vel illud, sed solummodo in communi & in generali, an sit quispiam qui diuinam, seu humanam legem in aliquo violauerit, aut cõtra peculiares cõstitutiones, & statuta quidpiam fecerit, aut correctione dignum delictum aliquod commiserit? Nec potest simpliciter, & absolutè præcipere, vt eiusmodi delicta vtcunq; correctione digna, & quamuis ea planè nouerint sibi patefiant, nisi iuxta Euangelij, & iuris præscriptũ ordinem. Qui ordo oritur (vt diximus) ex supra dicto c. qualiter, & quando el primo, e secondo de accus. & ex Euang. Matt. c. 18. Quod si quispiam perperam aliquid in contrarium fecerit: handquaquam eiusmodi Iudex, siue Prælatus est audiendus, aut in eo sibi est obtemperandum: etiamsi in id ipsum astringãtur subditi à Iudice sæculari sub iuramento, ab Ecclesiastico verò sub obedientia, & cẽsuris: Quod vt plenius notum fiat, sequens statuitur concl. 23

Tertia Conclusio.

IN inquisitione generali † prædicta, siue visita, Iudex Ecclesiasticus, siue sæcularis, interrogare non potest de occultis, nec subditi etiam iurati, aut sub obedientia, & censuris constricti, occulta vllo sibi modo possunt, aut debent detegere: quin verò si aliter fuerint interrogati, debent se excusare: quod si id non sufficiat, vti poterunt amphibologia, siue aliquo verborum subterfugio, & iudicem illudendo dicere, omnino se illa nescire (eo sensu intra se retento, vt, s. ea sibi dicere, aut detegere teneatur) iuxta c. 24

quali-

qualiter, & quãdo, el primo de accus. & c. erubescant, dist. 32. Neq; in proposito casu, vtendo eiusmodi verborũ subterfugio, existimari poterunt mẽtiri (quod etiam pro seruanda vita facere nullo modo licet per textum in c. super eo, de vsuris) dicit ẽt iuramẽtũ fieri debeat ad mentem eius, cui iuratur, iuxta textum, in c. quacunque ar. 22. q. 5. & omnes Doct. communiter: nam intelligendum, id est, quando iure, & legitimè præstatur, & iuris seruato ordine petitur: aliàs. n. si quispiã iniustè, & tyrannicè interrogetur, iniustitia ipsius Prælati, siue iudicis, ius tribuit subdito, siue testi interrogato, vt vtendo verbis amphibologicis, & æquiuocis, eundem possit illudere respondendo illi: non quidem ad sensum, & mentem interrogãtis, & eius cui iuratur (vt tenebatur de iure) sed ad sensum ipsius interrogati, & qui verum dicere iurauit: quæ resolutio est omnium Doct. communis, vt amplius infra suo proprio loco dicemus, in materia de reis, & testibus. Vt igi-
25 tur † Iudices, atque Prelati suo debitè fungãtur officio, & munere, in exhortatione, siue propositione suę visitę, & inquisitione generali; quam faciunt omniũ primo suis subditis dicere debent, & proponere illis in communi: vt quicunq; resciuerit aliquid correctione dignum, renũciet illud sibi, sed non nisi iuris seruato ordine: occulta tacendo, quæ nullatenus sunt detegẽda, aut reuelanda, nisi iuris seruato ordine, in certis quibusdam casibus, de quibus infra dicemus in quæst. seq. vt habetur expresè in prępallegato, cap. qualiter, & quando de accus. el primo in fine, verbo exceptis in criminibus occultis. Qua de re videatur Nauarro, in capit. inter verba, 11. quæst. 3. in editione noua, conclusione 6. nu. 23. & Paz in sua praxi, tom. 1. par. 5. c. 1. à num. 9. cum sequentibus.

Quarta Conclusio.

SI subditi † perperam interrogati 26
de occultis, ea Iudicibus, siue Prælatis reuelauerint: ex tali depositione delinquentes nullatenus debent, aut possunt puniri. Hæc conclusio habetur expressa in c. inquisitionis de accusat. §. tertiæ dubitationi, verbo solummodo, & ibi glos. Quam etiam tenet Nauarro in supradicto ca. inter verba 11. quæst. 3. Corolario 61. nu. 648. Dicuntur que ad hoc propositum
† crimina occulta, etiam si duobus, 27
aut tribus testibus possint comprobari; dummodo de eis non increbuerit infamia, vt habetur in prædicto cap. inquisitionis, & resoluit supradictus Nauarro, loco vbi supra, & Paz in sua praxi etiam loco vbi supra, num. 11.
Attamen † si ex prędicta generali in- 28
quisitione, quispiam repertus fuerit sufficienter infamatus: tunc exorta infamia bene potest Iudex, siue Prælatus contra eiusmodi sic infamatum, ad inquisitionem particularem procedere, & interrogare ipsum, & testes: qui & tenebuntur veritatem dicere: & postquam conclusum fuerit in causa iuxta iuris pręscriptum ordinẽ eũdem punire, pro cuius rei maiori explicatione: aduertendum est, quòd Iudex ęcularis, siue Prælatus Ecclesiasticus, in prædicta generali inquisitione, quo debitè suo fungãtur officio & munere, solummodo possunt compellere sibi subditos ad denuncianda, & detegenda crimina, in illis casibus, & eo ordine, quo ipsi alias extra visitationem tenebantur ea dicere: tantum stat differentia in hoc, quod extra visitationem possent forsan tempus differre: in visitatione verò non ita: sed statim tenentur ea denunciare (dummodo non sint occulta) ad iussũ Prælati Ecclesiastici sub obedientia, & censuris, sæcularis verò sumpto ab eisdem iuramento.

29 Vlterius debent aduertere prædicti † subditi. An crimina de quibus interrogantur & ipsi nouerunt, sint iā prorsus emendata, ita vt de eis nullum amplius supersit periculum: & si talia fuerint nullatenus ea tenentur Prælatis siue iudicibus denuntiare, nisi adsit forsan aliquis accusator, siue denunciator iudicialis: aut nisi præcedenti infamia interrogentur vt testes: tunc enim tenebuntur veritatem dicere. Si tamen prædicta crimina nō sint prorsus emendata: tenentur ea Prælatis siue Iudicibus denunciare: sed non nisi iuris seruato ordine: & considerando an eiusmodi crimina sint ex his, quæ vergunt in perniciem publicam, siue in præiudicium tertij: & an sit periculum in mora, si non statim iudicibus denuncientur, in quo quidem casu tenentur omninò illicò id ipsum facere. Secus est autem si fuerint peccata priuata, & particularia (etiam si nō sint emendata) nam tunc non licet eadem Prælatis, siue iudicibus denunciare: nisi iuxta Euangelium, præmissa prius fraternali correctione, siue admonitione (si sit spes emendę) aut ea prætermissa, si de ipsa nulla prorsus habeatur spes: vt dicemus infra cum fiet sermo de denunciatione Euangelica, & correctione fraterna. Qua de re videatur Soto, relectione de secreto, memb. 2. quæst. 6. conclus. 2. in fine cuiusdam dubij, quod ibidem proponit.

Quinta Conclusio.

30 INquisitione generali † prædicta, omnes etiam minus idonei recipiuntur vt testes: nam in ea solummodo Iudex, siue Prælatos procedit ad se instruendum, siue informandū de statu prouinciæ, ciuitatis, loci, siue conuentus: non verò ad inquirendum de aliqua persona in particulari, vt ex ea tanquam rea, aut alicuius delicti suspecta puniatur. Ad id enim necessarium est (vt in sequenti quæstione dicemus) quod fama, seu potius infamia, orta sit à beneuolis: non verò à maleuolis, vt habetur in c. qualiter, & quando, el secondo de accus. Qua de re videatur Paz, vbi supra, num. 14.

Sexta Conclusio.

SI ex inquisitione generali † prædicta, constiterit aliquod crimen à quopiam fuisse commissum, 31 aut contra aliquam particularem personam in id resultauerint indicia (in casu, quo ea ad ineundam particularē inquisitionem sufficiunt) debet iudex, siue Prælatus ad ipsam procedere: & si ex sūmaria informatione eiusmodi persona fuerit reperta culpabilis, sitque fugæ periculum, & delicti qualitas id ipsum exposcat: personaliter est capienda, & in carcerem detrudenda: quod intelligendum est regulariter loquendo, & secundum delicti, & personæ qualitatem confiscatio etiam bonorum est facienda: & in loco tuto per inuentarium deponenda. Post modum verò iudex, siue Prælatus suscipere debet delinquentis confessionem, & quærere contra ipsum aliquas maiores probationes: quibus per actis, & alijs, de quibus dicemus infra: ex officio imponuntur ipsi reo capita de delicto, siue delictis ex processu resultantibus, vt se compurget, & alleget suas exceptiones. Regulariter etiam loquendo dantur testium nomina, vt aduersus eos obijcere, possit repulsas si quas habuerit: quæ omnia facienda sunt sub breui quodam tempore. Tandem fit publicatio testium, & publicatis attestationibus allegatur & concluditur in causa ad sententiam diffinitiuam siue ad torturam: & isti sunt † termini iuris, qui communiter, & regulariter loquendo obseruantur in prædicto modo procedendi, per viam generalis inquisitionis, 32

nis,

nis, & stilus qui habetur in praxi in fulminando eiusmodi processu. Qui quidem (demptis his quæ in principio sunt dicta, circa inquirendum, & indagandum delinquentem) ferè omnino idem est, cum stylo, forma & praxi, quæ obseruatur in processu, qui fit per viam accusationis, de quo latiùs infrà etiam suo proprio loco dicemus, Quiquidem stylus oritur ex iam sæpè allegato capitulo qualiter, & quando, el secundo, de accusat. §. debet: de quo videatur Speculator, titulo de Inquisitione, §. nunc tractemus, nu. 6 & Paz vbi supra, quę supra dicta omnia in præsentiarum adduxisse libuit, vt simul habeantur ad manum, & sciant iudices siue Prelati, quid ipsi debeant efficere, quando procedunt per viam supradictæ generalis inquisitionis.

ARTICVLVS V.

Vtrùm in inquisitione generali prędicta testes siue persona visitanda ad dicendum veritatem & reuelanda crimina, iuramento à iudice seculari possint constringi: ab Ecclesiastico vero sub obedientia, & censuris?

DIFFICVLTAS præsentis articuli, prætermissa est à me in prima editione huius nostri libri Ordinis iudiciarij, pro eo, quod parua, aut nulla eo tempore visa est: at nunc libuit eā excitare, in mediūq; proponere, propter quosdam iuniores auctores criminalistas quos ex Italiæ partibus adduxi, qui totis viribus
33 conantur defendere, quod † in inquisitione generali prædicta haudquaquam per iudicem sæcularem iuramentum sit desumendum à testibus, siue personis visitatis ad dicendam veritatem, & reuelanda crimina quæ nouerunt correctione digna: neque in id à iudice, siue Prælato regulari, vel Ecclesiastico, sub iuramento, aut obedientia, & censuris possunt, aut debent constringi: quin verò dimittendi sunt, vt liberè dicant quod voluerint, & si nihil omninò voluerint dicere, quod nulla ratione in id ipsum possunt constringi: nisi postquam ex generali inquisitione exorta infamia contra aliquam peculiarem personā, seu habitis indicijs (in casibus quibus ipsa sufficiunt) iudices siue Prælati ad eandē puniendā facta inquisitione particulari voluerint deuenire.

Huius sententiæ, & opinionis est in primis, frater Victorinus Manso (alias de Auersa) Monachus S. Benedicti, Congregationis Cassinensis, in sua institutione Canonica, quam edidit circa modum procedendi criminaliter in causis regularium, cap. 8. num. 2. quem etiam sequitur frater Ildephonsus à Villagut, monachus eiusdem congregationis, & ordinis, in sua practica criminali canonica, li. 3. tit. de Inquisi. c. 7. concl. 1. & nunc nouissime F. Paulinus Berti Lucensis Ordinis Herem. D. August. cōgregationis Lonbardiæ, in sua etiam Praxi Criminali, c. 28 vbi mordicus tenet, & nonnullis iuribus, atq; antiquorum D D. auctoritatibus probare contendit, in inquisitione generali prædicta, nullum omninò esse exigendum iuramentum à iudicibus sæcularibus, neq; ab Episcopis: à testibus, siue personis visitatis, & quod id ipsum obseruare etiam tenentur prælati omnes regulares, respectu suorum subditorum, cum quotannis vti tenentur sua monasteria visitant, & vt hac in re clarè atq; distinctè procedamus, & modus syllogisticum Aristotelicum seruemus. sententia, & opinio prædicta, sequentibus fulcitur, stabilitur siue probari potest argumentis.

Fundatur † primò, in eo, quod habetur in capite Romana, de Cēsibus libro sexto, cuius sunt hęc, quę sequūtur verba, post alia, §. sanè, agendo de Archiepiscopo suam diœcesim visitante: 34

visitante: Sane huiusmodi impensutus officium, proposito Dei, verbo, quarta de vita, & conuersatione ministrant eum in Ecclesiis, & locis alijs diuino cultui deputatis, ac cæteris, quæ ad officium ipsum spectant, absque coactione, & exactione qualibet iuramenti: ad ipsorum emendationem per salubria monitæ: nunc leuia, nunc aspera, iuxta datam sibi à Deo prudentiam diligẽter intendens. Quod si de aliquibus orta fuerit infamia, contra eos ordinarijs ipsarum (vt super his solenniter inquirant) denunciet, si viderit expedire. Super quæ verba, glossa verbo coactione (inquit) quod Iudex, siue Prælatus Ecclesiam suum visitans, in inquisitione generali prædicta, à principio non potest exigere iuramentum per quod occultum prodere aliquis constringatur: ex quo tamen sine iuramento aliqua corrigenda fuerint sibi denunciata, tunc (inquit,) & non aliter exigere potest iuramentum. Hoc est primum argumentum, ac potissimum huius sententiæ, & opinionis fundamentum.

Secundò probant id ipsum authoritate multorum Doctorum antiquorum: & in primis Speculatoris, qui in tertia parte, tit. de inquisitione, §. quando sit ad inquisitionẽ procedendum in fine: loquens de prædicta generali inquisitione (aliàs dicta præparatoria) & de inquisitione particulari (dicta communiter solemni) inquit, quod hæc differt ab illa penes hoc, quod illa fit absque vlla exactione iuramenti, tantum in genere, allegando in id supradictum, c. Romana de censibus, lib. 6. §. sane: & dicit, quod sic debent procedere omnes Visitatores, & Prælati, quando suas dieceses visitant, inquirendo simpliciter, & de plano, quæ correctione, & reformatione indiguerint. absque vlla prorsus coactione, siue exactione iuramenti. Quod idem tenet Archidiaconus super prædictum cap. Romana de censibus, §. sanè: vbi ait, quod Visitator non debet quempiam cogere ad hoc, vt dicat, quæ correctione sunt digna: & ad ipsius spectant officium: sed simpliciter quærere, & audire volentes respondere. Facta tamen visitatione generali, & contra aliquẽ exorta infamia: bene potest, inquit, cogere testes veritatem dicere, super his, de quibus inquirere vult, quæ visitationi conueniunt, & ad ipsam spectãt: in quo & tenebuntur eidem obedire: nam cui cõmittitur principale & accessorium esse videtur cõmissum, per c. 1. & c. prudentiam, §. 1. & vlt. de officio delegato. alioquin, inquit, delusoria esse videretur eiusmodi visitatio, & correctio: si coercitionem aliquam non haberet: vt habetur in ca. ex literis, & c. præterea de officio delegato. Cuius etiam sententiæ consona voce astipulatur Philippus Frãco, super prædictum c. Romana, §. sanè: citans pro se etiam Ioannem Andreã, dicentem, quod in visitatione generali, & preparatoria, à visitatis non exigitur iuramentum: bene tamen in speciali, & solemni postquam exorta infamia contra aliquem ad eandẽ deuenitur. Tunc enim iudex, siue Prelatus bene põt cogere visitatos ad præstandum iuramentum, & dicendam veritatem, in illis, de quibus interrogantur. Hæc supradicti authores: & hæc sunt fundamenta, quibus innititur præfata sententia, & opinio.

Quibus nihilominus non obstantibus, cõtrariũ † omninò verius esse vr, 35
id quod obseruari credo in communi praxi, in omni foro tam sæculari, quã Ecclesiastico, in inquisitionibus, siue visitus generalibus, quas cuncti iudices, siue Prelati faciunt: & quod in ipsis testes, siue personæ visitandę, ad dicendam veritatem, & reuelanda, quæ correctione sunt digna (dum tamen non sint occulta) constringi solent, & debent sub iuramento à iudicibus sæcula-

cularibus, ab Ecclesiasticis verò sub obedientia, & censuris. Vnde pro hac sententia sequens statuitur conclusio.

Conclusio.

36 IN inquisitione † generali, siue visita, quam iudices, & Prælati faciunt, testes, siue personæ visitandæ, constringi possunt, & debent ad reuelanda crimina, quę nouerint correctione digna (dum tamen non sint occulta) à iudice sæculari mediante iuramento: ab Ecclesiastico verò sub obedientia, & censuris. Hæc conclusio meo quidem videri est certa, & vera: & quæ communiter obseruatur in communi praxi, & quamuis in proprijs terminis in nullo authorum recentiorum, difficultatem hanc, ita exactè resolutam viderim, atq; desideraerim: ex his tamē quæ ab eisdem incidenter dicuntur; superq; satis colligitur, quod supra posita conclusio sit vera, & quæ obseruatur in communi

37 praxi. Nam † Paz in sua Praxi, tomo primo, cap. 1. §. vnico, agendo de stylo fulminandi processum per viam generalis inquisitionis, assertissimè, & absque vlla prorsus dubitatione dicit, qđ iudex debet incipere à receptione testium, interrogando eos sub iuramēto de criminibus notorijs, & precipiēdo, quod illa sibi detegant. Et Nauarro in suo Manuali, cap. 25. num. 46. agēdo de peccatis testium dicit, quod peccat testis, qui absque causa non paret iudici præcipienti, vt denunciet sibi talia, vel talia crimina: & inquit, quod est excommunicatus, si mandatum fuit sub pęna excommunicationis latæ sententiæ, teneturque damna restituere. Et in fine respondendo ad quodam nouę quęsitum dicit, eum, qui nō denunciauit delicta intra tempus in edicto contentum, teneri ad denunciandum, post illud quanto citius facere poterit, argumento, capit. Cum delecti, de dolo, & contumacia, cum ibi citatis à glossa, & à Doctoribus quæ quidem verba haudquaquam dixisset prędictus Nauarro, si non fuisset consuetudine positum, & communi praxi obseruatū, in eiusmodi inquisitionibus generalibus, siue visitis, testes, & personas visitandas ad dicendam veritatem, & reuelanda crimina, à iudicibus sæcularibus iuramento astringi; ab Ecclesiasticis verò sub obedientia, & censuris. Facit & ad idem id quod dicit Syluester in summa, verbo visitatio, quæst. 6: in quarto dicto, vbi postquam retulit dictum glossæ in supradicto cap. Romana de censibus, lib. 6. verbo coactione, quo dixit, quod visitator à principio non debet exigere, neque cogere ad iuramentum, propter quod occultum crimen quispiam prodere cōstringatur: in fine dicit, quod si visitator potest inquirere, potest etiam à principio præcipere, vel exigere iuramentum de veritate dicenda: pro quo remittit se ad ea, quæ supra dixerat, verbo inquisitio primo, quæstio. 9. vbi in 3. dicto, dicit id ipsum: & quod inquisitor, siue visitator debet dare iuramentum clericis de veritate dicenda, super his, quæ sunt, vel credunt in sua Ecclesia esse reformatione digna, tam in capite, quam in membris, exceptis criminibus occultis: pro quo allegat capit. Qualiter, & quando, el ij primo, de accusat. Idem omninò dicit Pactauimus in suo tractatu de Visitatione, cui titulus alias, baculus pastoralis, 2. par. cap. 17. num. 11. Sed quid moror hac in re plura dicere, cum in prædicto capit. qualiter, & quando, id ipsum clarè reperiatur determinatum: & in tradita forma, qua inquisitores generales in sua generali inquisitione debent procedere: habeatur expresse, quod testes, seu personæ visitandæ in initio visitę iuramentum debent præstare. Et quia res est tanti momanti, expressa verba prędicti capituli ad vnguem in pręsentiarum libet

referre. Scribens Innocentius III. Episcopo Vercellensi, & Abbati de Tilato, quos circa quoddam negotiũ Episcopi Nouariensis generales constituerat inquisitores, post alia inquit. Formam verò iuramenti, quam à clericis Nouariensibus super inquisitione facienda in hoc negocio recepistis: in similibus volumus obseruari: vt videlicet iurent clerici, quod super his quæ sciunt, vel credunt esse in sua Ecclesia reformanda, tam in capite, quam in membris (exceptis occultis criminibus) meram, & plenam dicent inquisitoribus ueritatem. Quid quæso clarius, aut expressius dici v nquam potuit? Super quæ prædicta verba glossa, verbo, similibus, citat, cap. inter corporalia de trãslatione Episcoporum, & cap. in causis de re iudicata, & l. nõ possunt. ff. de legibus: quibus in locis dicitur, quod sententia Papæ, siue Principis, facit ius quoad omnes: & profert iuris ordinem in similibus obseruandum. Quod cum ita certum sit, nulla subest, aut subesse potest iam dubitandi ratio, quod in eiusmodi inquisitionibus generalibus, siue visitis, testes, & personæ visitandæ ad dicendam veritatem, & reuelanda, quæ nouerint correctione digna (occultis exceptis) possunt & debent constringi, à iudice sæculari sub iuramento: ab Ecclesiastico verò sub obedientia, & censuris. Facit & ad hoc capitulũ, Episcopus, 25. quæst. 6. vbi satis clarè dicitur id ipsum.

Solum modo superest respondere
38 ad argumenta † adducta pro contraria sententia. Et ad primum adductũ, ex capite Romana de censibus cum glossa, verbo, absque coactione, dici potest primo. Illud tantum habere locum in Archiepiscopis, cum diœceses Episcoporum suorum suffraganeorũ visitan: nam quamuis id ipsum iure quasi ordinario possint efficere: non tamen in hisce rebus ita omnino debent se intromittere, vt à personis visitandis super reuelandis criminibus iuramentum debeant exigere: sed relinquere id ipsum Episcopis ordinarijs: sicut neque possunt per idem capitulum, nisi tantum delicta notoria punire, quæ verò talia non sunt, Episcopis prædictis debent denunciare, id si viderint expedire, vt super eis talem inquisitionem possint efficere. Hæc in prædicto capitulo habentur expressa. Vel secundò respondetur & melius, quod illa prohibitio in prædicto capitulo contenta, coactionis, & exactionis cuiuslibet iuramenti, intelligenda est, & intelligi debet, respectu criminum occultorum, & sic eam intelligit glossa ibidem, verbo coactione, cuius sunt hæc, quæ sequuntur verba: Nota quod à principio in generali inquisitione non exigitur iuramentum, per quod quispiam occultũ prodere constringatur: ex quo tamen sine iuramento nunciata fuerint aliqua corrigenda, per inquisitionem particularem, inquisitor poterit super eis exigere iuramentum. Et intelligendum id est, etiamsi delicta, & crimina sint occulta. Et ratio differentiæ est: nam in primo casu, ij à quibus exigeretur iuramentum, non tam cõsiderandi sunt ut testes, quam vt personæ visitandæ, & vt sic interrogari non possunt de occultis (vt diximus supra in præcedenti articulo) multoque minus ab illis exigi iuramentũ: at in secundo casu, cum fiat inquisitio particularis, iam exorta infamia contra aliquam particularem personam, verè, & propriè considerantur vt testes, & vt tales interrogantur: & sic possunt iuramento constringi, ad dicenda, & reuelanda quæ nouerint, etiam si sint occulta, & hæc mihi optima esse videtur interpretatio supra dicti capituli. Cui etiam resolutioni fauet glossa supra dicti, cap. qualiter, & quando, el secondo de accusat. verbo, exceptis occultis, vbi dicitur, quod super occultis inquisitio fieri non debet: sed

sed tantum super illi, de quibus præcessit infamia: iuxta cap. Inquisitionis,& d. cap. qualiter & quando, el secondo, eodem titulo,& addit,quod si testes, siue personæ visitandæ de occultis aliquid dicant: per sua dicta nullus debet puniri,vt habetur in prędicto cap.Inquisitionis, & rationem subdens inquit,quia super his non iurauerunt. Quid clarius ad nostrum propositum potuit dici? Vera ergo est supradicta conclusio

Ad secundum argumentum, quo continentur authoritates,& dicta speculatoris, Archidiaconi, & Philippi Franchi, dico quod intelligendi, & explicandi sunt iuxta sensum dictum in solutione præcedentis argumenti: nempe quod testes siue potius (vt verius ac rectius loquamur) personæ visitandæ,in generali inquisitione; seu visita non debent iuramentum præstare,aut ab eis vllo modo exigi, quo constringantur, & compellantur occulta crimina reuelare, benè tamen publica,& manifesta siue notoria. In inquisitione verò particulari exorta iam infamia,vera,seu habitis indicijs contra aliquem (in casibus quibus ipsa sufficiunt) benè possunt iuramento constringi super dicenda veritate, & reuelandis quibuscunque criminibus,etiam si illa sint occulta. Et ratio differentiæ est, quam adduximus in solutione præcedentis argumenti, quia nempe in vno casu interrogantur vt testes, in alio vero non tam vt testes, quam vt personæ visitandæ: quod multum est notandum, ac memoriæ commendandum.

ARTICVLVS. VI.

Vtrum in supradicta inquisitione generali, siue visita personæ visitādæ examinatæ, probent aliquid seu fidem faciant in inquisitione particulari contra reum absque eo quod iterum de nouo examinentur?

HAnc difficultatem moueo, ad adducendam quorundam Doctorum antiquorum sententiā: qui † adeo certum esse credunt in inquisitione generali prædicta, non esse specialiter inquirendum contra aliquem, aut propter ipsam esse quempiam puniendum,vt dicant quod propter dicta & depositiones visitandorum,seu personarum, quæ visitantur,nullus unquam potest, aut debet puniri nisi supradicti de nouo examinentur,parte citata, & post contestatam litem. Hanc sententiam & opinionem tenet Bartolus in l. fin. ff. de quæstionibus, verbo, quæro an indicia,vbi proponit hanc difficultatem: An indicia habita in inquisitione generali contra aliquem, præiudicent ipsi reo,vt torqueri possit postea,quādo fit inquisitio, vel accusatio specialis, & respondet quod non: Cuius rationem reddit,quia (inquit) illi testes non fuerunt examinati ipso citato, & eodem existente contradictore: ex quo colligit, quod non possunt sibi præiudicare, per legem si quando, C. de testibus: ac proinde debent prędicti testes post contestatam litem iterum examinari. Eandem sententiam tenet Abbas in capit. graue, de præbendis, & Felinus in capit. inquisitionis de accusationibus, & Alexander, in lege secunda, §. si publico, ff. ad legem Iuliam de adulterijs, verbo tertio modo, vbi referens sententiam prædicti Bartoli, in sequentia uerba prorumpit. Ex his ergo tenet Bartolus hic, quod si inuenitur aliquis occisus, & nescitur à

39

quo,

quo, & iudex inquirendo generaliter inuenit Titium eundem occidisse, ex testibus receptis super tali inquisitione generali, non poterit illum condẽnare: quia istud non est iudicium, cũ non sit fundatum contra aliquem, & ideo subsequi debet inquisitio specialis. Hæc Alexãder vbi supra. Qui & addit, hanc esse quoque sententiam Baldi, in capit. primo, §. iniuriæ furtum, de pace iure firma, & Bartoli supra citati, in lege finali, ff. de quæstionibus, Id ipsum tenet Innocen. in c. Bonæ, el primo de electione, vbi dicit, quod si in generali inquisitione nominetur aliqua persona delictum aliquod commisisse: & dicatur eadem de re ipsam infamatam fuisse, contra eandem sic infamatam inquisitionem specialem debere fieri: sed tamẽ quod depositiones factę in inquisitione generali, in speciali non faciunt fidem, nec ex prædicta inquisitione generali aliquis venit damnandus, cum facta fuerit dumtaxat ad inuestigandum, non verò ad puniendum: quam ob causam in iure preparatoria nuncupatur, pro eo quod deseruiat vt viam paret solemni, speciali, & particulari inquisitioni, quod dicit ita practicari in toto mundo: & refert pro se Abbatem in prædicto cap. graue de prębendis, & Bartolum in lege secunda, §. si publico, ff. ad lege Iuliam de adulterijs. Huius etiam sententiæ, & opinionis est Philippus Francus, in cap. Romana de censibus, libro sexto, §. sanè in tertio notabili, verbo inquirant: vbi dicit, quod virtute generalis inquisitionis, procedi non potest contra infamatum de crimine, sed quod de nouo debet specialis inquisitio inchoari, & contra ipsos procedi. Eandem etiam sententiam tenet Robertus Maranta in suo speculo aduocatorum, titulo de inquisitione, §. tertio modo, verbo hoc præsupposito: vbi agendoq; de inquisitione generali prædicta, sequentia verba dicit. In ista inquisitione non citatur aliqua persona particularis, nec per eã quispiam condemnatur, quia nullus est contradictor, qui citetur ad faciendas suas defensiones, sed operatur generalis ista inquisitio, vt per eam ad particularem, & specialem deueniri possit (quam ob causam in iure pręparatoria nuncupatur) & tunc debent testes repeti parte citata, & qui rei fuerint reperti ex illa speciali damnantur: & citat pro se omnes supra dictos Doctores, Bartolum, Alexandrum, Felinum, & Panormitanum locis supra citatis. Eandem sententiam tenet etiam Alphonsus Aluarez in suo Speculo vtriusque iuris, titulo de Inquisitione, circa principium, verbo ex ista generali inquisitione, vbi referendo, & citando omnes supra dictos Authores dicit: Quod ex generali inquisitione, quę tantum pręparatoria est, sine speciali facta contra certam particularem personã, nõ fit citatio, nec sequi potest cõdẽnatio, vel contra aliquẽ aliqua ferri sententiã. Hæc sunt, quæ à prædictis Authoribus ad hoc propositum dicuntur. Quæ quidem sententia, & opinio, stando in puncto iuris, & de iure communi loquendo, certissima, ac verissima est, nec vllo modo illa potest inficiari: non tamen est, quæ modò communiter obseruatur in praxi, vt dicit Iulius Clarus in sua practica criminali, libro quinto, §. finali, quæstione quinta in principio, & ferè per totam quæstionem, vndè & in contrarium, sequens statuitur conclusio.

Conclusio.

TESTES In generali † inquisitione examinati, dummodo post modum in speciali reproducantur, & in suis dictis medio iuramento ratificentur: fidem faciunt in iudicio, & bene probant con- 40

ita reum, absque eo quod iterum de nouo examinentur. Hæc conclusio est supra dicti Iulij Clari loco supra citatò, quam & confirmat multorum Doctorum authoritatibus, quas breuitatis causa missas facio, & esset dicit quę cōiter nūc obseruatur in praxi, in omni foro curiarū tam laicarū, quā Ecclesiasticarum. Eandem tenet supra dictus Ildephonsus à Villagut. in sua Practica criminali, libro tertio, titulo de Inquisitione, capite sexto, conclusione secunda: nam postquam opinionem retulit contrariam, & dixit eam esse verissimam loquendo de iure communi, addit tamen hodiè contrarium in praxi obseruari, tam in foro Ecclesiastico, quam sæculari, & latiùs probat id ipsum in quarta; & sexta conclusione eiusdem
41 capituli. Et ratio † potissima cui nostra innititur sententia in conclusione posita, est: nam si contraria sententia practicanda foret, multa ex ea sequerentur grauissima absurda, & inconueniētia nullo modo sustineda: & specialiter possent contingere duo mala: Primum quod daretur reis tempus fugiendi, & manus iudicum euadendi; remanerentque proinde multa crimina, & delicta impunita, quod non est permittendum, nec vllo modo rationi consonum. Secundò etiam daretur facultas amicis, & eorum consanguineis, subornandi testes de negotijs in generali inquisitione informatos, nec non & deterrēdi ipsos à depositione cognitæ veritatis, quam præ timore nullo modo dicere, siue testificari audebunt: vt experientia edocente sæpè numero id ipsum videmus contingere. Dicendum est igitur, quod depositiones testium, siue personarum in generali inquisitione visitatarum fidem faciunt in iudicio, & in speciali, & particulari inquisitione probāt contra reum, dummodo in eadem postea reproducātur, & in suis dictis medio iuramento, & citata parte (vbi expressa iuris forma seruanda est) ratificētur, nec necessū est quod iterum de nouo examinentur.

Vt igitur iudices atq; Prælati † hac 42
in re sciant, ac prę manibus habeant qualiter ipsos procedere oporteat, quādo ex generali facta inquisitione contra aliquam particularem personam, infamia, seu aliquod indicium resultat de aliquo commisso crimine, seu aliquæ probationes: dico, quod eiusmodi reus specialiter postea debet citari ad se defendendum: qua citatione facta, & litis cōtestatione, testes in generali inquisitione examinati, iterum debēt reproduci, & medio iuramento in suis dictis ratificari, vt postea sequi possit cōdemnatio: quæ quidem testium ratificatio fieri debet eodem reo comparente, & citato non tamen testium depositiones audiente, quamuis non longè existente, & illos vidente, seu eo in loco, vt videre possit quinam sint, qui deponant contra ipsum, vt possit postea suas allegare exceptiones, & testibus repulsas si quas habuerit opponere. Nā ratio, ob quā testes in generali inquisitione examinati de iure communi fidem non faciunt in iudicio, & contra reum cōmuniter, & regulariter loquēdo non probant, est quia fuerūt recepti parte non citata: vnde & necessum est vt in inquisitione particulari, & speciali reo citato, & postquā comparuit, ipso præsente testes prędicti reproducantur, & in suis dictis ratificentur: quo peracto ipsi si in priori depositione sua persistant: nisi reus probauerit eorum depositiones esse falsas, seu aliàs se omninò à culpa immunem ostenderit, porrectis sibi capitulis, & admissis suis defensionibus concludendum est in causa, & ad sententiam diffinitiuam, siue ad tormentum deueniendum: & hoc est certissimum.

Sed aduertendum est, vt aduertit supradictus Villagut. loco supra citato

citato conclusione 5. quod eiusmodi
43 testium † repetitio. fieri debet cum omnibus iuris solemnitatibus: atque adeo necessum est, vt de nouo iurent, seu medio iuramento in priori sua depositione se ratificent: & inquit quod si testes sunt inhabiles ad faciendam fidem per suam depositionem sine tortura (quales sunt infames) torqueri etiam debent ad eiusmodi repetitionem faciendam, & confirmandã, licèt forsan fuissent etiam prius torti ad confirmationem suæ depositionis: quod dicit ita obseruari in communi praxi à doctis, & peritis iudicibus: quin verò & à religiosis, & sapientibus Prælatis; in omnibus curijs sæcularibus, & Ecclesiasticis & quod aliàs indebitè punirentur supradicti rei, per testimonium, & depositionem talium personarum, iuxta cap. inquisitionis, de accusationibus, §. ad hoc, vbi hac de re videnda est glossa, quæ circa hoc dicit plura, eaque notatu dignissima, quæ sciens, & prudens prætermitto, vt videantur ibidem.

Hic sese offerebat occasio, vt ad particularia descendentes, ageremus de modo, & forma seruanda à iudicibus sæcularibus: ab Archiepiscopis, & Episcopis, alijsque Prælatis Regularibus, & Ecclesiasticis in suis visitis, seu inquisitionibus generalibus faciẽdis: & adducendi stylum hisce in rebus solitum obseruari: sed quia hæc longissimum requirebant sermonem, ac plenum librum pro hisce solummodo rebus debitè pertractãdis (id quod & quam plurimi authores egregiè præstiterunt) & quia mei propositi in hoc libro tantummodo fuit agere de ordine iudiciario, & modo procedendi in causis criminalibus, tam in foro Ecclesiastico, quam Sæculari agitandis: consulto à prædictis omninò abstineo. Nam pro religiosis (quibus specialiter fauere studeo, quorum etiam causæ non expressè seruato iuris ordine, sed simpliciter & de plano discutiuntur, debentque discuti, ac pertractari in fine huius libri specialis efficietur tractatus, quo breuiter, & compendiosè, atque resolutiuè dicetur: qualiter religionum omnium Prælati in suis visitis procedere debeant, solummodo seruato substantiali iuris ordine, post habitis ac prætermissis alijs solemnitatibus de iure communi requisitis: vbi ni fallor reperire licebit omnia, quæ ad hoc propositum poterunt desiderari.

QVÆSTIO. VII.

De Prælatis & iudicibus: quantum ad modum procedendi ipsorum per viam particularis inquisitionis, in vndecim articulos diuisa.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitio particularis duplex est, quędam quæ tendit ad punitionẽ, alia verò quæ non tendit ad punitionem, sed ad euitãdum errorem.*

2 *Inquisitio particularis, quæ tendit ad punitionem fieri potest secundum vnam sententiam absque fama pręcedente & adducuntur argumenta contra num. 3. tolluntur argumenta nu. 10 & 11.*

3 *Inquisitio particularis, qua pœna delinquentis intendetur absque præcedenti infamia, vel alio sibi æquipollenti fieri non potest.*

4 *Renuncians crimen subditi suo Prælato, etiam si eiusdem criminis testes duo aut plures sint Iurati nisi procedat accusando, siue indicialiter denunciando non potest Prælatus procedere ad inquisitionem. quod declara nu. 5.*

6 *Inquisitio particularis sine præcedenti infamia non fit, quod nedum est de iure positiuo, verum etiam de iure naturali, & diuino.*

7 *Notatur cap. qualiter, & quando il*

secondo

secundo de accusat.

8 *Romani consuetudinem habuerunt quem iam non damnandi, nisi accusatus præsentes habeat accusatores,*

9 *Nullus vnquam inquietatur de iure Canonico, & ciuili accusatore non existente. & nu. 13*

11 *Papa, ecclesia, & Princeps sæcularis in suo foro pro magna aliqua rationabili causa possunt dispensare quod procedi possit per particularem inquisitionem absque præcedenti infamia.*

12 *Non licet per sortem aliquod factorẽ futurum inquirere.*

14 *Fama & infamia quid sint.*

15 *Differunt inter se fama, & existimatio,*

16 *Fama vel infamia ad hoc vt constet, & probetur quanam requirantur.*

17 *Fama, & clamorosa insinuatio quomodo differant inter se. sunt omnino idem, num. 19.*

18 *Ius non distinguit, nec nos distinguere debemus,*

20 *Infamia ad ineundam particularem inquisitionem sufficit, quod sit ex maiori parte viciniæ, collegij siue conuentus.*

21 *Crimina maiora maiorem requirunt infamiam minora minorem.*

22 *Infamia causatur a testibus de auditu à fide dignis, non est necesse quod sint oculati.*

23 *Infamia maior requiritur ad inquirendum contra prælatos, & Iudices quam contra particulares personas declara, num. 24.*

25 *Infamia an sit probanda duæ sunt Doctorum opiniones, & nu. 26.*

27 *Iudex, siue Prælatus ordinarius non tenetur necessario efficere famæ probationem ad hoc vt incipere faciat particularem inquisitionem. & de ratione nu. 28. & 29*

30 *Iudex delegatus tenetur efficere infamiæ probationem antequam procedat ad particularem inquisitionem.* *Pro quo adducuntur notabilia verba Panormitani, nu. 31. Sed notantur casus in quibus Iudex etiam extraordinarius, & delegatus procedere potest ad inquisitionem nõ præmissa infamia informatione, nu. 32. 33. 34. 35.*

36 *Fama, seu infamia de aliqua re ad ineundam particularem inquisitionẽ probanda est per duos, vel tres testes qui esse debent ex grauioribus, viciniæ collegij, siue conuentus: qui debent rationem reddere suæ scientiæ, & dicere à quibus audiuerint, & debent illos nominare. num. 37. alias nihil probarent in criminalibus. num. 38*

39 *Fama seu infamia procedere debet à testibus fide dignis, & personis honestis.*

40 *Duæ famæ contrariæ si probentur vna bona altera mala quid faciendum, & quando mala fama purgetur, num. 41*

42 *Indicium dicitur ab iudicando, & est intellectuale quoddam medium veritatis exercendæ siue indagandæ.*

43 *Aliud graue aliud leue, & ponuntur exempla.*

44 *Alij dicunt indicia alia esse grauia, alia lexia, quædam probabilia, & quid vnumquodque istorum sit.*

45 *Indicia quamtumuis grauia, & manifesta respectu criminis occulti absque aliqua infamia non sufficiunt ad ineundam particularem inquisitionem.*

46 *Plus nocet Ecclesiæ malum exemplũ delinquendi quod ex reuelatione delicti per punitionem præbetur quam prosit condemnatio delicti eiusdem secreti, & iam præteriti facta pœnitentia.*

47 *Indicia grauia, & manifesta respectu criminis manifesti, sed patrator est occultus sufficiunt ad ineundam particularem inquisitionem. Intelligendo de indicijs iudicialiter probatis, nu. 48.*

49 Non

49 *Non sufficit unicum indicium ad ineundam particularem inquisitionem, sed plura esse debent & quodlibet per duos testes comprobari.*

50 *Indicia manifesta, quæ grauia non sunt, quamuis non sufficiant ad inquisitionem faciendam sufficiunt tamen ad interrogandum reum, & testes quando reus est infamatus, & proceditur via accusationis.*

51 *Probatio semiplena est testimonium unius testis omni exceptione maioris. & debet esse oculatus & iuratus.*

52 *Semiplena probatio in crimine, & criminoso occultis sine infamia non sufficit ad particularem inquisitionem. seclusa accusatione.*

53 *In crimine manifesto cuius ex officio incumbit Iudici facere inquisitionem, sufficit semiplena probatio. & vide rationem nu. 54.*

55 *Testis omni exceptione maior ad hoc vt semiplenè probet debet deponere de facto, & de maleficio, nam si deponit de iudicio ad maleficium, non plenam facit probationem in iudicium ad maleficium requirit duorum testium probationem nu. 56.*

57 *Semiplena probatio sufficit ad interrogandum reum, & testes quando proceditur per viam accusationis, & interrogatus tenebitur respondere. & idem est indicium vbi denunciatio vim habet accusationis, vt in heresi nu. 58.*

59 *In crimine homicidii publico, & notorio, patratore tamen occulto an Iudex possit procedere ad inquisitionem malefactoris absque infamia? super quo duæ sunt opiniones. Prima negatiua nu. 60. huius argumenta num. 61. resoluuntur numero 74.*

62 *Inquisitio est licita, & summopere præcepta, & necessaria, in prædicto crimine homicidij & est secunda opinio, probatur argumentis numero 63.*

64 *Patrati sceleris euidentia habet vicem accusatoris.*

65 *In crimine notorio homicidij sine infamia aut indicijs nulla persona in particulari potest inquiri.*

66 *Quilibet præsumitur bonus donec probetur contrarium.*

67 *Licet tamen in communi interrogare testes an sciant, qui crimen illud commiserit?*

68 *Non omnia delicta in hoc sæculo sunt punienda, quin verò aliqua diuino iudicio reseruanda, at notoria semper sunt punienda.*

69 *Testes in crimine notorio delinquente occulto interrogati an teneantur veritatem dicere, et occultum malefactorem manifestare, in quo duæ pugnantes opiniones nu. 70. 71.*

72 *Tenentur veritatem dicere medio iuramento examinati, et occultum malefactorem manifestare quamuis nulla laboret infamia. & de ratione nu. 73.*

75 *Concurrentibus duobus iuribus naturalibus contrarijs, fortius debet præualere, quod patet exemplo.*

76 *Delinquens occultus an teneatur se prodere et interrogatus veritatem dicere in notorio delicto.*

77 *Crimen quod vergit in perniciem publicam absque præcedente infamia potest particulariter inquiri, vt hæresis, læsæ maiestatis, proditionis ciuitatis & nefandum. & similia quæ attrocitatem habent etiam delinquente occulto, nu. 78.*

79 *In his delictis proceditur simpliciter, & de plano, ad inquirendum, quis eos commiserit.*

80 *Secreta non reuelare, quamuis sit præceptum naturale in aliquibus casibus patitur dispensationem seu habet suam Epicheiam.*

81 *Inquisitus quando proceditur per viam inquisitionis, si conuincatur, non punitur tota legis pena, sed extra ordinaria. & arbitraria.*

82 Con-

82 *Confessus extraiudicialiter proprium crimen absque præcedenti infamia potest particulariter inquiri. quod intellige vt nu 83.*

84 *Cognitio criminis incidenter absque præcedenti infamia, requirit, particularem posse fieri inquisitionem.*

85 *Iudic alis confessio inducit notorium iuris.*

86 *Crimen si vergit in præiudicium tertij absque præcedente infamia potest inquiri particulariter.*

87 *Prælatus, & Iudex inueniens accusatum per calumniam contra calumniatorem potest inquirere absque infamia præcedente.*

88 *Fiscalis publici denunciatio non habet maius priuilegium quam denunciatio cuiuslibet priuati & pariter Iudex comperiens delictum in inquisitione generali non potest absque infamia descendere ad particularem.*

89 *L. ea quidem C. de accusation. contra fiscales declaratur.*

90 *In criminibus vergentibus in perniciem publicam siue præiudicium tertij, simplex denunciatio valet pro accusatore.*

91 *Prælatus propter damnum conuentus poterit priuari absque præcedente infamia.*

92 *Inquisitio particularis fieri potest propter schedulas & literas infamatorias, quod probatur argumento secundum vnam opinionem cui respondetur nu. 97.*

93 *Iudices atque prælati propter schedulas, & literas infamatrices, nullo modo debent ad inquisitionem particularem procedere.*

94 *Literas infamatrices mittentes (si reperiantur) sunt puniendi.*

95 *Literæ infamatrices non possunt habere probationem infamiæ.*

96 *Sunt scindendæ & rumpendæ, & nulla de eis ratio habenda est ad fauendam particularem inquisitionem.*

98 *Inquisitio qua non pœna delinquentis intenditur sed euitare aliquod damnum, siue errorem fieri potest absque præcedenti infamia. et alios casus remissiuè nu. 99.*

100 *Indigni ad officia debent inquirere eorum sufficientiam; ne periculo se exponant, nisi ab alijs eligatur, & ipse non expostulet dignitatem. 101.*

102 *Crimen quod dicitur notorium, & quotuplex sit notorium?*

103 *Crimen notorium notorietate iuris, aut notorietate facti non indiget aliqua via vt cognoscatur, sed statim debet puniri.*

104 *Notoria, & manifesta iudiciarium ordinem non requirunt, & sine accusatione denunciatione, & inquisitione prævia iudicantur.*

105 *Denunciatio, accusatio, & inquisitio sunt tres viæ perueniendi ad secretorum criminum cognitionem, & quæ ipsarum quæque sit.*

106 *Iudicium particularis inquisitionis, qua pœna delinquentis intenditur an sit ordinarium an extraordinarium? Prima opinio quod sit iudicium ordinarium probatur argumentis num. 107. quibus respondetur nu. 111.*

108 *Iudicium particularis inquisitionis, quamuis verè, & propriè sit iudicium, non tamen est ordinarium, sed extraordinarium, & est secunda opinio, quæ comprobatur num. 109.*

110 *Inquisitio particularis non habet locum vbi lex, siue statutum præcipit vt procedatur secundum ordinaria iuris remedia cessat adueniente remedio ordinario accusationis siue denunciationis.*

AR-

ARTICVLVS I.

Vtrùm particularis inquisitio, quæ tendit ad punitionem: nulla præcedente infamia, actore, accusatore, siue denunciatore sit licita?

RO huius articuli intelligentia libet premittere (id quod iã aliqualiter supra diximus) nempè, quod particularis inqui-
1 sitio est duplex: quædam † quæ tendit ad punitionem, vt quando ex præmissa generali inquisitione, reperitur quispiam infamatus, denũciatus, siue accusatus de aliquo cõmisso crimine, & inquiritur ad puniendum eundem, & priuandum officio, & beneficio, seu infligendam illi aliquam aliam pœnam, iuxta iuris ordinem præscriptum Alia verò est inquisitio, qua nõ pœna delinquentis intenditur, neque proceditur ad eandem infligendam alicui, sed solummodo ad cui tandum aliquod malum, damnum siue errorem: vt cum merita alicuius inquiruntur, ne indignus ad aliquam dignitatem, seu officium assumatur, & eligatur, seu electus confirmetur: eo modo quo fit inquisitio, ad sciendum an sit aliquod impedimentum alicuius contrahendi matrimonij. Dico igitur, quod in præsentiarum non est sermo de inquisitione in prædicto secundo sensu: (nam de ea infra specialis est proponendus articulus) sed difficultas est de inquisitione in prima acceptione, siue in primo sensu, qua pœna delinquentis intenditur si licèt ea licita sit fierique possit absque aliqua precedenti infamia, actore, accusatore, siue denunciatore. Et vt quod queritur planius fiat, & ex oppositione cõtrariorũ amplius elucescat, visum est difficultatem præsentem aliquibus propositis argumentis hinc inde discutere, & agitare, seu quod dicitur difficilem reddere.

Et primo † pro parte affirmatiua argumentor, ad probandum eiusmodi inquisitionem esse licitam. Nam vt inquit Diuus Paulus ad Romanos, 5. Quæcunque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt: sed in sacra Scriptura Iosue cap. 7. legitur, diuina olim authoritate inquisitionem particularẽ factam fuisse de Achan anathemate, nulla præcedente infamia suæ personæ, pro eo quòd secreto absconderat de hostili præda pallium quoddam coccineum, qui sorte missa per tribus, tandem est inuentus punitus & lapidatus. Similiter & Numerorum, 5. habetur legem fuisse olim vt si spiritus zelotipiæ concitasset virum contra vxorem suam, cuius adulterium lateret, nec testibus posset comprobari: quod tunc temporis, ad ipsum explorandum aliquæ certæ ceremoniæ fierent, quibus si mulier erat peccati rea, statim ei fœmur computrescebat, sin autem, concepta prole fœcundabatur: ergo id ipsum in præsenti facere licet, & particularis inquisitio criminis, nulla præcedenti infamia, actore, accusatore, siue denuntiatore iure diuino est licita, & in similibus casibus, iudices siue Prælati id ipsum poterunt efficere. 2

Secundò sic argumentor ad idem, ex capit. Quidam maligni. 5. quæst. 1. vbi dicitur: Quod Diuus olim Gregorius excommunicauit quendam infamatorem occultum, qui in ipsius secretarium publicum libellum produxerat, præcipiendo vt quisquis ille esset semetipsum statim proderet, & quod aliàs prædictæ excommunicationis sententia incurreret, cum tamen suæ personæ omninò nulla præcessisset infamia: ergo saltim de iure canonico eiusmodi particularis inquisitio est licita sine præcedenti infamia actore, accusatore, siue denunciatore, licitumque erit Prælatis, atque iudicibus Ecclesiasticis, in similibus casibus facere id ipsum,

Tes-

Tertiò & vltimò ſic argumentor ad idem. Nam (vt ſupra diximus) iudi ces, atque Prelati ex officio ſuo, & ad nullius requiſitionem, ſiue inſtantiam partis, tenetur certis temporibus ſuos diſtrictus viſitare, & ſuorum ſubdito rum vitam, & mores inquirere, & illorum peccata quę norunt, haudquaquam diſſimulatione præterire: quin verò corrigere, atque punire: vt non meritò ipſi adeo puniantur, & reprehendantur, eo modo, quo olim punitus, atque reprehenſus fuiſſe dicitur Heli ſacerdos, pro, eo quod filios ſuos criminoſos, non vt tenebatur reprehenderit, & caſtigauerit, vt habetur 1. reg. ca. 2. refertur in c. licet Heli de Simonia: ergo ad id ipſum faciendum non expectare tenentur eorundem infamiam, quin verò nulla pręcedente, ad faciendam inquiſitionem particularem debēt procedere, idq; maximè cum ſpeculatorum habeant officium, vt habetur Ezechiel cap. 3. & 33. teneanturque proinde ſuper ſibi commiſſum gregem ſemper inuigilare, & ſuorum ſubditorum vitam, & mores inquirere, & diligenter explorare. Hæc argumenta deſeruiant pro ratione dubitandi eius, quod quæritur in præſenti articulo, & ad probandam partem affirmatiuam. Sed eis nihilominus non obſtantibus in contrarium eſt veritas, pro qua ſequentes ſtatuuntur concluſiones.

Prima Concluſio.

3 PArticularis inquiſitio † qua pœna delinquentis intenditur, nullatenus licita eſt, aut fieri poteſt, abſque præcedenti infamia, ſiue clamoroſa inſinuatione quod dicitur, vel abſque actore, accuſatore, ſiue denunciatore. Hęc cōcluſio receptiſſima eſt ab omnibus Theologis; & vtriuſque iuris peritis: & habetur expreſsè determinata in cap. Cum oporteat, c. inquiſitionis, cap. qualiter & quando, el ſecondo, de accuſa. vbi ſtrictè caue tur, ne particularis inquiſitio aduerſos aliquam perſonam fiat, abſq; eo quod præcedat infamia, ſiue clamoroſa inſinuatio. Idem habetur in cap. licet Heli de Simonia, & cap. Deus omnipotens, 3. quæſt. 1. Videatur hac de re ſpecialiter Anton. Gomez tom. 3. variarum, de delictis, c. 1. n. 49. & Iul. Cla. lib. 5. ſent. §. fi. q. 5. à num. 1. cum ſeqq. Paz in ſua praxi crim. to. 1. p. 5. c. 1. per tot. & Farinacius. 1. to. q. 1. etiam per tot. Sed ſpecialiter, nu. 50. & q. 9. per totam latiſſimè. Sed ratione probatur eadem concluſio. Nam certum eſt, quod iudex, ſiue Prelatus, neminē poteſt punire niſi ad alterius inſtantiā, ſiue petitionem partis, actoris, accuſatoris, aut denuntiatoris, qui eius vicem gerat: vt nos infra dicemus cū agemus de accuſatione: ergo ſine præcedenti infamia (quæ vicem gerit accuſatoris) ad nullam particularem inquiſitionem poſsūt procedere: alias enim idē omninò eſſet iudex, & actor ſiue accuſator, quod omnia iura ſtrictè prohibent: ſed præſertim cap. 1. 4. quæſt. 4. Quod autem inquiſitio particularis punitio quędam ſit, clarius eſt, quam vt probatione indigeat: cum ſit eiuſdem principium, & ad eandē tendat. Videatur hac de re Nauarro in rubricam de iudicijs, à nu. 77. cum ſequentibus, vbi ad hoc propoſitum dicit plura eaque notatu digniſſima: quod & facit in cap. inter verba, 11. quæſtione 3. concluſ. 6. à num. 15. cū ſeqq & in Manu. cap. 18. num. 38.

Ex qua concluſione, & reſolutione infertur vnum ſatis notabile, nempè quod quamuis † quiſpiam denunciet Prælato, ſiue iudici, alicuius ſubditi crimen, & ſint eiuſdem duo, aut plures teſtes iurati, niſi ille talis tanquam actor procedat accuſando, ſiue iudicialiter denunciando: haud quaquā poteſt Pręlatus, ſiue iudex ad ipſius inquiſitionē procedere: nec pena publica eundē punire; niſi ſupradicta 4

infamia, aut clamorosa insinuatio præcesserit: quod habetur expresse determinatum, in cap. inquisitionis, de accusatione, §. 3. dubitationis.
5 Sed intelligendum † hoc est. quod non potest eum punire, neque contra ipsum ad particularem inquisitionẽ procedere: nisi forsan ipse post fraternalem prælati admonitionem rebellis extiterit. Tunc enim quia non audiuit Ecclesiam, optimè poterit puniri: vt latiùs dicemus cum agemus de fraterna correctione, & iudiciali denunciatione. Qua de re videatur Soto relectione de secreto, membro 2. q. 6. conclusione prima, & Aragon, & Bañes super secundam secundæ D. Thomæ quæst. 67. art. 3.

Secunda Conclusio.

6 QVod eiusmodi particularis inquisitio † non fiat contra aliquam personam, sine præcedenti infamia, vel clamorosa insinuatione, nec dum est de iure humano, & positiuo, verum etiam de iure naturali, & diuino. Probatur conclusio. Et quidem, quod id sit de iure humano positiuo, satis constat ex iuribus adductis ad præcedentem conclusionem. Quod etiam sit de iure diuino, insinuare in primis videtur Innocentius Tertius, in supra dicto cap. Qualiter, & quando, el secondo, de ac
7 cusat. cuius sunt quæ sequuntur † verba: Qualiter, & quando Prælatus debeat procedere ad inquirendum, & puniendum, suorum subditorum excessus, ex authoritatibus veteris. & noui testamenti euidenter colligitur, ex quibus processerunt postea canonicæ sanctiones, sicut olim apertè distinximus, & nunc fueri approbatione Concilij confirmamus. Et infra ad particularia descendendo, ad probandum quod Prælatus ad inquisitionem non possit sine infamia procedere, adducit in primis illud quod habetur in Euangelio Lucæ cap. 16. vbi dicitur: Quod villicus non est vocatus à Domino suo, aut de iniqua sua administratione sublatus, nisi postquam fuit apud illum diffamatus, quasi dissipasset bona ipsius: tunc non & ante vocauit eum, quam interrogauit, quid est hoc quod audio de te? redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris amplius villicare. Adducit & ad idem illud quod habetur Genes. 18 vbi dicitur: Quod postquam clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est, & ascendit in cælum, non verò ante, dixit Deus, descendam & videbo vtrũ clamorem, qui venit ad me opere compleuerint. Ex quibus authoritatibus colligit prædictus Innocentius III. quod sine præcedenti infamia, siue clamorosa insinuatione, non est ius iudici, siue Prælato procedendi contra aliquem ad particularem inquisitionem, idque de iure dicit esse tenendum. Quod & confirmari etiam potest ex eo, quod habetur, Genesis, 4. de Cain, qui non fuit à Domino vocatus, vt fratricidij à se commissi criminis rationem redderet: nisi postquam vox sanguinis fratris sui Abel ad eundem clamauit de terra: tunc non verò ante dictum est illi, vbi est Abel frater tuus? &c. Quæ quidem loca quamuis expresse non exprimant ius diuinum, de non procedendo contra aliquem particularis inquisitionis via sine præcedenti infamia, siue clamorosa insinuatione (nã tantummodo recitant diuinum factum, insinuantque nobis id quod fecit olim Deus) nihilominus tamen cum à prædicto Summo Pontifice ad hoc propositum adducantur, sat id est vt dicamus esse id de iure diuino, aut saltim ipsi multum conforme, & quod suo facto quid etiam à nobis faciendũ sit, Deus optimus maximus monstrauit: & sic tenemur illud facere hodie. Sed præterea quod hoc

etiam

etiam sit de iure naturali, non obscurè demonstrari potest: nam ius naturale (vt supra diximus) dictat nobis omne secretum strictè esse seruandū, nec solum secretum nobis commissum, verum etiam, & quodcunque aliud, & quod peccata siue peccatores occulti nullatenus reuelentur, nisi seruato iuris ordine, & in casu quo id ipsum vergat in damnum, siue præiudicium reipublicæ, aut alicuius tertij: sed quandiu de crimine nulla præcessit infamia, aut clamorosa insinuatio, quantum ad forum iudiciale exterius, eiusmodi crimen est omninò occultum, atque secretum: nam forum iudiciale, & potestas inquirendi, & puniendi crimina, in iudice siue Prælato existens est publica, & quæ ipso iure requirit notitiam publicam (quæ enim sunt occulta omnino sunt ab humano iudicio exempta, vt pluries est dictum) ergo eiusmodi crimine, inquirere, inuestigare & uelle punire, manifesta est iuris naturalis transgressio, & contra ius ipsum naturale. Quod & hac peculiari ratione potest confirmari. Nam iudex, vt author est Aristotel. 5. Ethicorum, capit. 3. est interpres, & custos iustitiæ, ad quem omnes, qui iniuriam patiuntur subditi; confugere habent tanquam ad iustitiam quandam animatam: sed iustitia (cum sit æqualitas) consistere non potest nisi inter duos, quarum alter sit actor, accusator, vel denunciator: alter verò reus: inter quos iudex medius in neutram partem declinando, æqualitatem debet constituere: ergo contra rationem omninò iustitiæ est, quod ipse non præcedente infamia, siue clamorosa insinuatione, contra aliquem ad specialem & particularem inquisitionem procedat, aut de à se patrato crimine inquirat: & multo magis quod eundem puniat, aut condemnet. Quod quidem nec latuit Gentiles olim postquam, vt habetur Actuū c. 25. Festus Romanorum iudex, solo naturalis rationis suffultus lumine, dixit non esse Romanis † consuetudinē quempiam damnare, nisi is qui accusatur præsentes habeat accusatores, locumque semetipsum defendendi accipiat, & abluendi crimina, quæ sibi obijciuntur; dicendum est igitur, id ipsum esse de iure naturali aut saltim pidem multum cōforme. Ad quod propositum facit etiam quam maximè illud, quod dixit Diuus Ambrosius super epistolam Diui Pauli ad Corinthios primam, c. 5. loquendo de homine illo incestuoso, cuius ibidem fit mētio, & refertur, in c. Manifesta, 2. q. 1. & c. Si quis, 23. q. 4. Non est (inquit) iudicis, quempiam sine accusatore damnare: quia Dominus Iudam cum esset fur, illudque sciret, quia tamen nō est accusatus, a se minime abiecit. Quid plura? & cur hac in re adeo clara, & manifesta immorabor amplius? cum & ipse Deus optimus maximus, cui omne cor patet, cuius etiam oculis (teste Diuo Paulo ad Rom. 4.) omnia sunt aperta, clara & manifesta, absque præuio accusatore in præsenti sæculo neminem vnquam punierit, puniat, siue condemnet: id quod & facturus etiam dicitur in futuro iudicio. In præsenti namque sæculo ad condemnandos homines (teste Diuo Paulo ad Romanos, 2.) tāquam accusatore vtitur propria ipsorum conscientia, & in futuro iudicio id etiam non fiet sine accusatore præuio: nam Matthæi 12. habetur, dum fit sermo de populo Israelitico, quòd viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione illa, & condemnabunt eam: quasi quorundā publicorum accusatorum munus, & officium gerentes: si igitur id ita est, & Deus neque id hoc aut futuro sæculo absque accusatore preuio, neminē iudicat damnat, siue condemnat: contra omnem prorsus rationem est, vt homines contrarium velint efficere. Vnde neque immeritò, sed quidem meritissimè Canonica constituta est lex, 8

& id ipsum habetur ordinatum, &
8 determinatum iure Ciuili: vt non
9 existente accusatore, nullus † vnquam
inquietetur, & molestetur: vel si beat
legis pœnam, etiam si deliquerit, vt
habetur, in cap. 1. de accus. quod est
Felicis Papæ, cuius sunt hæc quæ sequuntur
verba: Nisi legitimus fuerit
accusator, non fatigetur accusatus.
Ad quod propositum notanter in
summario eiusdem dicitur: quod de
persona accusatoris est prius quærendum
in iudicio. Et in l. rescripto, ff. de
muneribus, & honoribus, ad idem
propositum habetur: quod si quis accusatorem
non habuerit, ab honoribus
non debet prohiberi: quemadmodum
neque is, cuius accusator ab accusatione
destiterit. Quam etiam legem
insinuauit olim Christus Dominus,
Ioan. 8. agendo de muliere illa
adultera, quam sibi Pharisæi adduxerunt,
vt condemnaret eam, cum
dixit. Vbi sunt qui te accusabant mulier?
Nemo te condemnauit? Cui illa,
nemo Domine. Dixitque illi: Neque
ego te condemnabo, vade iam amplius
noli peccare. Ex quibus superque
satis colligitur, quod conclusio à
nobis adducta de non procedendo
contra aliquem per viam particularis
inquisitionis, absque præcedenti infamia,
seu clamorosa insinuatione,
actore, siue accusatore: nec dum est
de iure humano positiuo, verum etiã
de naturali, & diuino, aut saltem eidem
multum conformi. Hac de re
videatur Nauar. in rubrica de iudicijs,
num. 77. cum sequentibus latissimè.
Solummodo superest respondere
ad argumenta proposita.

10 Ad primum † de Achan, dico factum
illud fuisse ex diuina dispensatione,
& ordinatione: & quidem ad
rationem multum conformiter. Expediebat
enim vt populus ille duræ
ceruicis, eiusmodi minis, & terroribus
arceretur, & contineretur in officio:
eamque ob causam dispensauit
Deus optimus maximus, & statuere
optimè potuit, vt prædictus Achan
qui (quamuis occultè) in re grauissima
peccauerat: fortibus inquisitus
inueniretur, & puniretur. Potuit autem
(vt dixi) Deus ea in re optimè dispensare:
nam quamuis (vt dictum
est) præceptum non inquirendi secretum
absque præcedenti infamia de
iure naturali sit, aut saltem eidem
multum conformi: non tamen est ex
his, seu de genere illorum, quæ nullam
omnino admittunt dispensationem:
qualia sunt præcepta decalogi,
& alia de quibus dicemus infra. Vnde
neque incongruè Magister Soto
vbi supra, conclusione prima, dubio
secundo, dicit quod Papa † & Eccle- 11
sia, & similiter Princeps sæcularis in
suo foro, pro magna aliqua rationabili
causa, optimè possunt dispensare,
vt in hoc aut alio simili casu per inquisitionem
particularẽ procedi possit
contra aliquem siue aliquos, absq;
præcedenti infamia, & clamorosa insinuatione.
Vt si (verbi gratia) essent
aliqui frequentissimi latrones publici,
vel criminosi, & sceleratissimi homines,
à quibus Respublica grauiter
perturbaretur: optimè (inquit) fieri
posset lex, vt quotiescunq; duo, vel tres
testes deponerent de aliquo ab eisdem
commisso crimine: contra ipsos specialis
fieret inquisitio, & culpabiles reperti,
tota legis pœna punirentur, &
mulctarentur: haud dissimiliter quidem
ad diuinum ius, cum habeatur
Deuter. 17. & Matthæi 18. Quod in
ore duorum, vel trium stat omne verbum.
Cum hoc tamen stat, quod de
iure ordinario loquendo, nullus Prelatus,
siue Iudex id ipsũ facere possit,
nisi in casibus à iure expressis, de quibus
dicemus infra. Et per hoc ẽt respõdetur
ad allatã legẽ de adultera, quæ
hr Numerorũ, c. 5. Quod eandem ob
causam, ẽt Deus optimus maximus
eo tempore fieri præcepit prædictam
legem, ad cohibendam multarũ mulierum

licrum libidinem,& euitandum adulterium,& homicidia,quam plurima, quæ propter hominum zelotypiam frequentissimè possent contingere. Hanc ob causam permisit olim Deus, illud zelotypiæ sacrificium ad disquirendas adulteras: & forsan non licebat maritis eodem vti, absque præcedenti aliqua adulterij infamia, aut saltim si non erant in id ipsum aliqua manifesta indicia. Sed vtcunque id
12 sit, iam nullo † modo licet per sortes factum aliquod occultum inquirere: nam cum illa lex de sortibus mittendis, esset veteris testamenti iudicialis: iam omninò cum eadem veteri lege cessauit: quin verò, & prohibita est expresse, in cap. consuluisti, 2. quæst. 5. cuius sunt sequentia quæ sequuntur verba, quæ pro eo quod notabilissima sunt ad vnguem referre libuit: *Ferri candentis, vel aquæ feruentis examinatione confessionem extorqueri à quolibet, sacri non censent Canones. Et quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa ad inuentione non est presumendum: spontanea enim confessione, vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore cõmissa sunt nostro regimini iudicare, occulta verò, & incognita, illi sunt relinquenda: qui solus nouit corda filiorum hominum*. Hæc vbi supra. De quo videatur etiam Diuus Thomas, 2.2.q.5.artic.8.

Ad secundum argumentum adductum, ex cap. quidam maligni, 5. quæstio.1. Dico quòd ducebat illud nos in magnam longissimam quandam disputationem: an scilicet teneretur ille occultus diffamatus, per D. Gregorium excommunicatus, nisi se produceret, id ipsum facere: seque metipsum in publicum producere? Sed hanc difficultatem pro nunc consulto omittimus disputandam inferius cum agemus de reorum confessione,& et ã de inquisitione generali, quæ fit, fierique debet de aliquo atroci patrato crimine, quando patrator est occultus: vt tamẽ breuiter aliquid etiam nunc dicamus. Dico quòd summus Pontifex optimè potuit illud facere, & absque præcedenti infamia, siue clamorosa insinuatione procedere ad personæ diffamantis inquisitionem: quia illud peccatum (quamuis occultum) vergebat tamen in præiudicium tertij, & adhuc pendebat in futurum. De quorum peccatorum genere infra sumus dicturi, quod in eis absque præcedenti infamia procedi potest ad particularẽ inquisitionẽ.

Ad tertium argumentum respondeo, quod quamuis vera sint omnia quæ in argumento adducuntur, adhuc tamen Iudices siue Prælati, non possunt, aut debent sine præcedente infamia, ad alicuius occulti delicti procedere inquisitionem, nec tanquã suorum subditorum hostes, occulta ipsorum peccata, & crimina, præter ius in publicum producere: quin verò potius vt patres secretò cognita, in secreto etiam ex charitate corrigere, aut si expediat aliquando dissimulare,& silentio præterire, satis enim pacatus, & tranquillus erit status Christianæ Reipublicæ, si peccata publica non dissimulentur, & petentibus vindictam illorum resarciantur iniuriæ, & iustitia administretur ipsis. Quo circa communis est Doctorum resolutio, quòd quotiescunque † ex relatione sibi facta, ad alicuius Prælati, 13
siue Iudicis notitiam perueneri t, aliquem sibi subditum peccatum aliquod commisisse, si is qui illud reuelat, siue denunciat, sine actione procedit, non accusando, neq; iudicialiter denunciando cũ eiusmodi sit denũciator Euangelicus, & nõ accusator, nec pars aduersa: nõ põt Iudex, siue Prælatus contra eiusmodi sic fraternaliter denunciatum iudicialiter procedere, neque ipsum punire, saltim pena legis publica: sed solummodo debet (vt

amplius infra dicemus) eundem fraternaliter admonere, aut iuxta aliquos (si id expedire videbitur) aliqualiter illum corrigere, vt caueat in futurum: aliàs enim faciendo contrariũ esset idem accusator & Iudex, quod omnia iura strictè prohibent (vt diximus supra) & habetur expressè, in c. multi, 2.q.1. Et in cap.1.3.q.4.

ARTICVLVS II.

Quanam infamia sufficiat, & sit necessaria, ad inquirendam particularem inquisitionem?

PRo huius articuli intelligentia, aliqua sunt notabilia præmittẽda.

Primò est notandum de mẽte Bartoli, in l. de minori, ff. de quæst §. tor-
14 menta. quod fama † seu infamia, est communis opinio voce manifestata: quæ si sit de bono dicitur fama, si verò de malo infamia. Aduertendum est tamen, qđ ad hoc vt aliqua dici possit fama, seu infamia, esse debet communis opinio, nã (vt statim dicemus) paucorum hominum dicta, nec bonam, nec malam possunt efficere famam, siue infamiam. Debet præterea eiusmodi communis opinio esse voce manifestata: nam notitia, seu opinio, aut interior mentis conceptus, qui de aliquo habetur, hauquaquam sufficit ad rationem famæ, seu infamiæ: sed existimatio potius dicitur. Habet e-
15 nim † se existimatio, vt quid superius ad famam, siue infamiam: ita quod omnis fama, seu infamia existimatio dicitur non tamen è conuerso. Vnde quando maior pars alicuius prouinciæ, loci aut conuentus habet de aliquo bonam, aut malam existimationem: ille talis dicitur benè, aut malè famatus: seu (vt rectius loquar) bonã at malam habere famam: si verò minor pars id ipsum sibi persuasum habuerit: non quidem dicitur fama, aut infamia, sed rumor quidam. Qua de re videatur Farinacius, tract. de indicijs, & tortuta, q. 47. nu. 2. Et Iulius Clarus, lib. 5. sent. §. fin. q. 6. num. 14. Farinacius etiam quæst. 9. de inquisitione, num. 4. Quod vt plenius notum fiat dicamus oportet, quid necessario requiratur ad rationem famæ, seu infamiæ, de quo sit secundum notabile.

Secundò est notandum, quod circa maiorem † vel minorem numerum 16
testium, ad rationem famæ, seu infamiæ requisitum: & an ille esse debeat certus, & determinatus: magna est lis, & controuersia inter Doctores iurisperitos, super cap. inquisitionis, & c. qualiter & quando, el primo e secondo, de accus. Quidam enim dicũt sufficere qualibet in re ad efficiendã famam, seu infamiam, duorum, vel trium testium testimonium, cum iuramento id ipsum testificantium. Sed hæc sententia & opinio multũ à rõne abest, nec sustineri vllo modo debet: nam licet duo vel tres testes (vt latius infra dicemus) sufficiant ad testificandum de fama, seu infamia, qua quispiam laborat: ipsi tamen (vt in præcedenti notabili est dictum) cum sint ità pauci: nec bonam nec malam possunt efficere famam. Debet enim (vt diximus) ea esse communis opinio voce manifestata. Quo circa alij diuersa procedentes via, dicunt in id ipsũ esse necessario requisitum saltim denariũ testium numerum: nam ex quo prędictus denarius numerus sufficiens est ad constituendum populum: sufficere proinde credunt ad causandam famã seu infamiam. Multa circa hoc dicũt DD. iurisperiti loco vbi supra: quibus breuitatis gratia prætermissis, ex cõmuniore sententia, & resolutione, dico, quod de fama, seu infamia, quantum attinet ad certum & determinatum numerum testium, nihil omninò in iure reperitur expressum: præter hoc solum, quod propter paucorum dicta nemo debet diffamatus reputari,

ri, vt hr in cap. inquiſitionis, de accu. Requiritur ergo ad minus ad rationẽ infamiæ, quod teſtes qui aliqua de re teſtificantur ſint plures. Sed an illi eſſe debeant decem, plures vel pauciores: non expreſsè reperitur determinatum in iure, ſolummodo habetur in gloſſa, prædicti c. inquiſit. verbo paucorum dicta: quod ad rationem famæ ſeu infamiæ requiritur quod maior pars viciniæ, ciuitatis, loci, aut conuentus, aliquid dicat, ſiue teſtificetur: id quod & probat multis iuribus. Cuius quidem gloſſę ſententia ſatis mihi placet, & iuxta eam dico quod Iudex, ſiue Prælatus ad hoc vt debitè ſuo fungatur munerè, & officio, minimè poteſt, aut debet pro infamato reputare aut dijudicare: niſi maior pars viciniæ, collegij, ciuitatis, loci, ſiue conuẽtus, ſiniſtram de illo opinionẽ habuerit ita vt de eo verè dici poſſit, qđ eſt communis opinio voce manifeſtata: ad quod etiam non ſolũ eſt habendus reſpectus ad numerum teſtium, verũ (idq; quam maximè) ad eorundẽ qualitatem: nam vtroq; iure cautum eſt, quod fama ſeu infamia procedere debet (non quidem à maleuolis ſiue maledicis) ſed à beneuolis, prouidis, & honeſtis viris: id quod ſemel & iterũ cõmẽdatum habetur in ſupradicto c. qualiter & quando, el ſecondo, de accuſ. & in c. licet Heli de ſimonia, vbi dicitur: Quod non ſemel, ſed iterum, atq; iterũ dici debet id quod clamor innuit ſiue diffamatio manifeſtat, ad hoc vt hoc ipſum fama ſeu infamia poſſit aut debeat nuncupari. Videantur hac de re Iulius Clarus, & Farinacius, locis ſupra citatis.

Tertiò eſt notandum, quod licèt Hoſtienſis, & nonnulli alij DD. Iu-
17 riſcanonici periti, differentiam † conſtituant inter infamiam & clamoroſã inſinuationem, penes hoc, quod clamoroſa inſinuatio ſit notitia publica, quæ aliqua de re habetur inter paucos, (id quod & rumor communiter nuncupatur) fama verò, ſeu infamia illa, quę habetur inter multos. Eiuſmodi tamen differentia nullatenus videtur admittenda: nec eſt iuridica, aut iuri conſona, vt probe notat Soto relatione de ſecreto, membr. 2. q. 6. concluſ. 1 in tertio dubio, propter ſequentes rationes. Primo quia Innocentius III. in dicto c. qualiter & quando, de infamia, & clamoroſa inſinuatione indiſtinctè loquitur, & vtrãq; pro eodem reputat: nullam omninò inter ipſas conſtituendo differentiã: atq; ita vbi ius † non diſtinguit, nec nos diſtin- 18
guere debemus, vt tradit gloſſa, in c. ſolita de maioritate & obedientia, verbo, nõ diſtinguens. In id allegãdo plura alia iura. Secũdò quia vtraq; tã infamia quam clamoroſa inſinuatio, ad hoc vt ad ineundam inquiſitionẽ particularem ſufficiat: neceſſariò eſſe debet inter multos, quin verò inter maiorẽ partem ciuitatis, viciniæ, collegij aut conuentus (vt dictum eſt in præcedẽti notabili) vnde ſi ſicut dicũt prędicti autores, clamoroſa inſinuatio nihil eſt omninò aliud, quam quidam rumor inter nonnullos ſparſus: non ea quidem ſufficeret ad ineundam particularem inquiſitionem: vt igitur ſufficiat neceſſariò dicendum eſt, quod clamoroſa † inſinuatio & infamia sũt 19
omninò idem, & nomina veluti ſynonyma, & quod quę requiruntur ad vnam, ſunt etiam requiſita ad aliam. Quibus ſic prȩmiſſis vt liquido cõſtet quid hac in re tenendum eſt, & præ manibus habeantur, quę ſunt receſſaria, & ſufficiunt, ad rationem ſufficiẽtis infamiæ (quod eſt intentum propoſiti articuli) eidem reſpondeo per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

AD hoc vt infamia † ad in eundam particularem inquiſitionẽ ſufficiat; neceſſum eſt, vt aliquis diffamatus exiſtat de aliquo à

se patrato crimine, per maiorē partem viciniæ, collegij siue conuentus. Hæc conclusio satis constat ex dictis in secundo notabili. Debet enim esse (vt diximus) communis opinio voce manifestata. Neq; communis iure dici poterit, si maior pars viciniæ, collegij, siue conuentus non id ipsum asseuerauerit: etiā si minor tantum pars id sibi persuasum habuerit: nam non quidem fama, sed rumor solummodo debebit nuncupari, qui & ad ineundam particularem inquisitionem haudquaquam est sufficiēs. Et addo, quod eiusmodi fama seu infamia, exorta esse debet (non à maleuolis & maledicis) sed à beneuolis, prouidis, & honestis viris, neq; id semel tantum, sed sæpè (vt dictum est in predicto secūdo notabili) & tradit specialiter Caiet. 2.2. q. 69. art. 2. aduertendo, quod in maioribus
21 † criminibus ad procedendum cōtra aliquem, maior infamia requiritur, & quod in minoribus sufficit minor: quod est multum notandum, atq; memoriæ commendandum.

Secunda Conclusio.

22 AD causandum infamiam, † nō est necessium, quòd testes sint occulati, sed sat est quod audierint à fidedignis, habuerintq; in id indicia, & coniecturas sufficiētes. Hęc cōclusio est expressa M. Soto loco vbi supra, in tertio dubio, vbi dicit, quod eiusmodi infamia ex auditu siue coniecturis exorta, licet nōn sufficiat ad condemnandum reum sufficit tamen ad inquirendum contra ipsum, quod si legitimi testes non inueniantur, quibus id quod de eo dicitur comprobetur, tenetur qui sit diffamatus est se compurgare: eidemq; secundū arbitrium iudicantis indici potest purgatio Canonica, (de qua suo loco dicemus infra, q 28.) vt habetur expresſè determinatum, in supradicto c. inquisitionis de accus. §. quæsiuisti in fine.

Tertia Conclusio.

MVLTO Maior infamia † re 23
quiritur ad inquirendum cōtra Prælatos, siue Iudices, quā contra particulares personas. Hæc etiam conclusio habetur expressa, in c. qualiter, & quādo el secondo de accus. vbi Innocentius III. postquā dixerat, contra neminem absque præcedēti infamia specialiter procedi posse: agendo de Prælatis, sequentia ponit verba: Licet autem hoc semper sit obseruandum in subditis, diligentius tamen in Prælatis, qui sunt positi quasi signum ad sagittam: & quia non possunt omnibus complacere, cum ex officio teneantur non solum arguere, verum etiam increpare: quin & interdū suspendere, & nonnunquam ligare: frequenter multorum odium incurrunt, atque insidias patiuntur. Quapropter sancti Patres prouidè statuerunt, vt accusatio Prælatorum non facile admittatur, ne concussis Ecclesiæ columnis, totum ædificium corruat, & quod diligens adhibeatur cautela, per quā non solum falsè verum etiam cuilibet malignæ criminationi ianua præcludatur. Hactenus Innocentius vbi supra, quæ quidem verba nimis sunt notanda, & quā maximè memoriæ commendanda. Quibus innixus supra dictus M. Soto loco vbi supra, dicit quod aduersus Prælatos nullatenus est inquirendū, nisi quādo infamia fuerit tāta, vt sine scādalo tollerari non possit. Quod licet verū sit, & intelligi debeat de omnibus in vniuer
sū Ecclesiæ Prælatis, adhuc † tamē in 24
quit supradictus Innocentius, in dicto ca. qualiter, & quādo in fine, quod id ipsum nō est vsq; quaq; obseruandū, circa personas regulares. Nā cum causa illud requirit, facilius, & liberius possūt à suis administrationibus amoueri: nec requirit q̄ fama, siue infamia sit scādalosa, sed sat est q̄ sit suis con-

conuentibus nociua, & præiudicialis. Quod etiam est multum notandum.

ARTICVLVS III.

Vtrum infamia prædicta iuridicè sit probanda, antequam incipiatur contra aliquem specialis, & particularis inquisitio?

25 PRo huius articuli † intelligentia est notandum, quod Iudex, siue Prælatus, qui aliqua de re, vel super aliquo commisso crimine, contra aliquem parat particularem inquisitionem inire; esse potest vel ordinarius, aut extraordinarius, qui alio nomine dicitur delegatus. Si est ordinarius conueniunt omnes DD. communiter, aut saltim maior, & sanior ipsorum pars, non opus esse sibi, ad hoc, vt particularem inquisitionem instituat, vt probationem faciat vigentis famę, seu infamiæ: sed sat esse vt illud ipse dicat. Cuius ratio est, quia cum resideat in loco, vbi ordinariam exercet iurisdictionem, satis probabiliter de eo existimari potest, ac iure præsumitur, ipsum per se cognitionem habere vigentis infamiæ: quo fit, vt in ipso probatio non requiratur, quin verò statim vt ad ipsius aures, siue notitiam peruenerit alicuius delicti cognitio, & quempiam de eodem esse diffamatum: suum munus, & officium exercendo, sine aliqua mora contra eundem particularem inquisitionem debet instituere, ordinādo suum processum eo modo, quo dicetur à nobis infra quæstio. de modo seruando in conficiendis processibus. At verò Iudex, siue Prælatus delegatus, & extraordinarius, cum ipse non resideat in loco, neque ordinariam habeat iurisdictionem, nec de ipso probabiliter, atque iuridicè præsumi possit, delicti commissi, & infamiæ vigētis per seipsum habere cognitionem: vt cunctis constet de iustitia, siue iustificatione, qua ad ineundam particularem inquisitionem processit, necessum esse dicunt supradicti authores, vt antequam ipsam efficiat probationem faciat de infamia, testimonio duorum, vel trium testium, qui sint ex grauioribus, & magis probatis viris, viciniæ, collegij, siue conuentus, vbi commissum dicitur fuisse delictum, & facienda est eiusmodi particularis inquisitio. Hæc sententia est Goffr. & Io. Andreæ, & glossæ, in c. inquisitionis de accus. § quęsiuisti. Quam etiam tenet Panor. & alij grauissimi DD. de quibus dicemus infra in conclusionibus, qui & aiunt, quod processus aliter factus erit ipso iure nullus.

Sed alij DD. diuersa † procedentes via, dicunt, quod quamuis vtile, atque expediens quam maximè sit, vt antequam particularis inquisitio prędicta instituatur, à quocunque Iudice, siue Prælato, ordinario, seu extraordinario: vigentis infamiæ probatio fiat, nam deseruire poterit non solum ad ineundam particularem inquisitionem, verum etiam, & ad multa alia, quæ postmodum esse poterunt necessaria, & multum vtilia: de necessitate tamen dicunt, non ita pręcisè id ipsum esse requisitum, vt processus aliter factus, sit propterea dicendus nullus, aut aliquem habere substantialem defectum: cum nihil tale expresè in iure habeatur determinatū: quin verò contrarium, in c. qualiter, & quando, el secondo, de accusa. vbi de his agendo, dicit Innoc. III. quod Prelatus, siue Iudex (quos ibi superiores vocat) cum per clamorem, vel famam (non quidem à maleuolis, & maledicis, sed à beneuolis prouidis, & honestis viris aliquod crimen ab aliquo esse commissum: idque non semel, sed sæpè, & quod clamor innuit diffamatio manifestat: ad delicti eiusdem inquisitionem particularem debeat procedere.) 26

Verba

Verba sunt expressa prædicti Innocent. Cum igitur (inquiunt) Innoc. prædictus, in dicto cap. indifferenter vtatur superioris nomine, nulla expressa facta mentione, aut distinctione de Prælato ordinario, siue extraordinario: & æqualiter eosdem cōprehendat prædictum superioris nomen, neque vllam aliam infamiæ probationem requirat, quam quod fama, siue clamorosa insinuatio ad ipsorum aures peruenerint, & id quod clamor innuit diffamatio manifestet: ex hoc colligunt isti authores, quod eiusmodi infamiæ probatio (licèt sit vtilis, & expediens quam maximè) non tamen est ita præcisè necessaria, vt propterea processus aliter factus existimari possit, aut debeat nullus: cum nihil tale expressè reperiatur determinatum in iure. Hæc est fundamentū supradictæ secundæ opinionis. De quibus duabus opinionibus, videatur Iul. Clar. lib. 5. sen §. fi. q. 6. a nu. 2. cum seq. & Farin. 2. to. q. 9. de inquisitione à nu. 3. etiam cum seq. Sed his nihilominus non obstantibus; prima sententia magis placet, & arridet, & est verior, atque tenenda, nisi in certis quibusdam casibus: qui explicabuntur per ordinem sequentibus conclusionibus.

Prima Conclusio.

27 IVdex, siue Prælatus † ordinarius, non necessariò tenetur efficere famæ probationem, antequam incipiat facere particularem informationem, siue inquisitionem: sed sat est, vt dicat, se id ipsum fecisse ex vigenti infamia, & quod id vtcunque ex processus actis constet. Hæc conclusio est omnium Doctorum resolutio: & eam expressè tenet Panormitan. in ca. cum oporteat de accusat. vbi post alia seqq. vtitur verbis, agendo de Iudice ordinario, ad particularem inquisitionem faciendam procedente. Aut facit (inquit) id ex puro suo officio, & tunc potest recipere testes, si vult super infamia. Sed si non vult, & constat sibi de eiusmodi infamia, per inuestigationem extraiudicialē factam: quantumcunque pars contradicat, potest vlterius procedere, super veritate criminis, argumento cap. qualiter, & quādo, infra eodem tit. Satis est enim quod ad eum peruenerit frequens, & clamorosa insinuatio, neque ipse tenetur alicui facere fidem. Et si pars aduersa appellauerit, vel se querelauerit, dicendo, quod non erat diffamatus, tunc oportebit, quod Iudex ordinarius apud Iudicem appellationis fidem faciat de fama, vt notatur infra in eodē c qualiter, & quando el 2.: & per Speculatorem, tit. de inquis. §. nūc tractemus, & §. viso igitur, verbo hoc autem scias, vide, & nota bene, quia ex prædictis habes practicam non alibi sic collectam. Hæc supradictus Panorm. Sed probatur præterea nostra conclusio, ratione † deducta ex 28
præallegato c qualiter, & quando, el 2. & c. cum oporteat de accus.: quibus in iuribus fit mentio de infamia, quæ debet vigere ante particularē inquisitionem de veritate criminis. Vbi nō dicitur, quòd hac de re à Iudicibus ordinarijs aliqua fiat informatio, siue probatio de veritate criminis, quæ in processus actis redacta sit: sed tantūmodo dicitur, vt constet ipsis de infamia vigente, & quod vtcunq; per clamorem, siue per famam ad ipsorum aures peruenerit, ab aliquo delictum aliqđ fuisse commissum. Huic nostræ conclusioni, atq; resolutioni fauet ratio adducta † pro prima sententia, 29
& opinione, vbi constituta est differentia, quæ versatur inter iudicium, ordinarium, & extraordinarium, circa probabilitatem, existimationem, ac iuris præsumptionem: quod ordinarius absq; aliqua informatione præmissa, cum resideat in loco, vbi ordinariā gerit iurisdictionem, notitiā habere potuerit de cōmisso delicto & fama,

fama, siue infamia vigente antequam incipiat particularem inquisitionem: quæ quidem ratio non currit nec militat in iudice extraordinario, siue delegato, vt possit etiam ipse prætermittere prædictam famæ probationem. Vnde de ipso sequens statuitur conclusio.

Secunda Conclusio.

30 IVdex extraordinarius † siue delegatus, antequam facere incipiat particularem inquisitionem, efficere tenetur probationem de infamia vigente contra aliquem super aliquo commisso crimine, & processus aliter factus erit nullus, stãdo in iure communi. Hæc conclusio est expressa, glossæ in c. 2. de accu. li 6.: quam amplectuntur ibidem omnes ferè vnanimiter DD. Sed specialiter tenet hoc ipsum Innocen. in c. cum oporteat de accus. Et ratio cui innititur prædicta glossa ad tenendam hãc conclusionẽ est, quia in dicto c. de accu. in 6. dicit Bonif. VIII. quod valet inquisitionis particularis processus, factus contra aliquem de veritate criminis, non præmissa inquisitione & informatione infamiæ, pręsente existente ipso inquisito, & non reclamante. Ergo argumentãdo à cõtrario sensu (inquit) supradicta glossa, de iure communi fieri debebat supradicta inquisitio infamiæ, & si inquisitus reclamasset, processus esset omninò inualidus, aut saltim annullandus, pro eo quod Iudex siue Prælatus (vt tenebatur de iure) non præmiserit inquisitionem infamię. Facit præterea ad idem alia glossa, in c. 1. eodem tit. de accus. lib. 6. verbo fuerunt, vbi stando in eadem sententia, & opinione dicit, quod de delicto, super quo quispiam infamatus non est, Iudex siue Prælatus ad inquisitionem non potest procedere veritatis, quod probari dicitur multis iuribus, & quod si his non obstantibus procedat, quod poterit eiusmodi inquisitus appellare, & non respondere: & si id ipsum non fecerit imputet sibi. Quo præsupposito ad quid quæso debebat appellare, nisi vt processus declararetur nullus, & inualidus. Ex prædictis glossis superq; satis constat nostræ conclusionis veritas de probatione infamię, quę necessario premitti debet ante omnem particularem inquisitionem, & quod aliàs processus factus erit nullus, vel saltim annullandus: si quidem appellando, & reclamãdo pro tali reputabit, & declarabitur. Quæ quidẽ omnia intelligenda sunt de iudicib. siue Prælatis extraordinarijs, & delegatis, non verò de ordinarijs, vt dicũt † Panor. & Host. 31
in c. cum oporteat de accus. Quorum verba quia notabilia sunt, & quam maximè ad hoc propositum faciunt: ad vnguem in præsentiarum libuit referre. Si Iudex est delegatus debet recipere testes super infamia, antequam incipiat inquisitionem, nec satis est quod dicat sibi constare de ipsa, vt constat ex cap. Cum oporteat de accus. & si inquisitus est præsens, & opponit vt prius inquiratur de fama & appellat: non valet processus super veritate criminis, & appellãdi habuit legitimam causam. Hæc Panormit. vbi supra, & idem dicit Hostien. Sed prędicta conclusio patitur aliquas limitationes, de quibus sit tertia conclusio.

Tertia Conclusio.

QVamuis superius dicta vera sint, nihilominus tamen aliqui sunt casus, in quibus Iudex etiam extraordinarius, & delegatus, procedens ad particularem inquisitionem sine informatione, & probatione infamię, processus erit validus Hęc conclusio non potest aliter probari: quam referẽdo, & adducẽdo eiusmodi casus.

Pri-

32 Primus est quãdo † Iudex ordinarius delegans(& maximè si fuerit Papa) in literis suę cõmissionis vsus fuerit forma verborum assertiuorum de fama sibi constita: quod patet argumento deducto, ex Clementina literis de probationibus: vbi habetur, plena facienda esse fidem de narratis in literis Pontificis: quod suo queq; modo,& ordine intelligendum etiam est de alijs Prælatis ordinarijs aliquas causas delegantibus, & de fama sibi constita plenam fidem facientibus. Id quod tenet Panor. & Io. Andr.& multi alij D D. quos refert Ildefonsus à Villagut. in sua practica Crim. Can.li.3. tit.de inquisitione,c.18.cõcl. 1. vbi ad hoc propositum reperire licebit multa,eaq; notatu dignissima.

33 Secundus casus est, † quando Iudex siue Prælatus delegatus extraordinarius, procedit ad particularem inquisitionem de veritate alicuius criminis, absq; præuia informatione famæ,seu infamiæ,inquisito præsentę & non reclamante,neq, contradicente. Et iste casus habetur expressus, in dicto c.2.de accus. lib.6. vbi habentur sequentia verba, quam maximè notatu digna, & sunt Bonif. V I I I. Si is cui contra te commissa est simpliciter inquisitio, super certis criminibus facienda processerit præsente, neque reclamante,aut quidquam super hoc excipiente,infamię inquisitione ommissa ad veritatem eorundem criminum inquirendam: processum huiusmodi, ex eo, quod non fuit de infamia primitus inquisitum, vlterius impugnare nequibis. Propter quæ verba Panormitanus, in cap. cum oporteat,de accus.dicit quod quando iudex inquisito præsente,& non contradicẽte,procedit super veritate criminis omisso processu infamiæ, valet eiusmovi processus,neque ipse inquisitus poterit postea reclamare,aut appellare. Quod etiam tenet Philippus Franchus,super dictum cap.2. de accus lib.6. vbi etiam glossa exponendo prædicta verba Bonifacij V I I I. aduertit, & notat,quod supradicta forma de probatione infamiæ, licèt sit omninò de iure communi seruanda, ac seruari debeat: non tamen est de substantia processus,postquam si non opponitur, nec fit reclamatio ab inquisitione, nihilominus valet processus. Ex quo elicit generalem regulam, quod licèt de iure sit certa aliqua forma, quæ seruari debeat in procedendo, & non seruetur parte interessante tacente: valet nihilominus processus, per prædictum cap. 1. & 2. de accus. lib. 6. & quod processus factus sine tale probatione infamiæ, non est ipso iure nullus, sed ad petitionem partis annullandus:quod est multum notãdum ac memoriæ commendandum. Et intelligendus est iste casus, etiam in casu quo Iudex, siue Prælatus delegans vsus fuerit simplici verborum forma narratiuè,dummodo prædicta reclamatio non processerit ex certa scientia,& voluntariè quis non reclamauerit,neq; postulauerit ante particularem inquisitionem prędictam, fieri debere inquisitionem, & informationem infamię:etenim si eiusmodi reclamatio processerit ignorantia: & ex eo quod ipse nesciuit quod testes deponebant super principali: contrarium omnino erit dicendum,& quod processus factus ad ipsius instantiam, poterit & debebit annullari: vt rectè probat supradictus Villagut. vbi supra,conclusione 3.

Tertius casus est, † quando reus fuerit absens contumaaciter, & citatus à Iudice, siue Prælato noluerit compatere: quod probatur argumẽto deducto à contrario,ex supradicto cap.1. de accusat. lib.6. & in cap. inquisitionis eodẽ tit.§. 3. dubitationi, & per c.1.de iudicijs: vbi dicitur accerrimè debet puniri,accersitus ad iudicium,& contumaciter nolens comparere. Et ratio ad id est etiam aptissima, 34

ſima. Nam contumax non debet eſſe melioris conditionis, quã præſens, & obediens: vnde ſi reo exiſtente præſente, & audiente, & nõ reclamante (iuxta ſuperius dicta) proceſſus factus abſque inquiſitione, ſeu informatione infamiæ eſſet validus: multò melius, atque à fortiori erit validus, reo exiſtente abſente contumaciter. Secus autem eſt ſi non fuiſſet abſens contumaciter ſed ignorãter: de quo videatur etiam ſupradictus Villagut. loco ſupra citato, concluſione 4.

35 Quartus caſus † eſt, quãdo reus inquiſitus, antequã informatio, ſiue inquiſitio de infamia fiat, extra iudicialiter confeſſus fuiſſet crimen, de quo fit inquiſitio. Quod probatur per textum expreſſum, in c. 1. de accuſ. lib. 6. vbi ad hoc propoſitũ ſequentia habẽtur verba; & sũt Bonifacij VIII. Poſt quã coram eo qui contra te ſuper certis criminibus inquiſitor fuerat deputatus, eadem crimina confeſſus fuiſti fruſtra confeſſionem tuã, quo minus ex ea puniaris prout iuſtitia poſtulat: eo prętextu impugnare cõtẽdis, quod ſuper eiſdem criminibus non fueras antea diffamatus. Super quę dicta verba, gloſſa, verbo fuerũt (inquit) quod vnicuique fas eſt iuri ſuo renunciare, & ſi contra quem fit inquiſitio voluntariè confeſſus eſt crimen, & poſtea illum pœnituerit fuiſſe confeſſum, & petat fieri informationem, & inquiſitionem infamię: haudquaquam (inquit) erit exaudiendus, imputet illud ſibi. Omnes ſupradicti caſus intelligendi ſunt etiam in iudice extraordinario & delegato, & etiam ſi delegãs vſus fuerit ſimplici narratiua verborum forma, nulla facta mentione de conſtita ſibi infamia. De quibus omnibus videatur Iulius Clarus lib. 5. ſentent. §. fin. quæſt. 6. nu. 9. verſic. vlterius ſcias, & Farinacius, quæſt. 9. de inquiſitione, à num. 11. cum ſequentibus latiſſimè.

Quarta Concluſio.

Fama † ſeu infamia quandocũq; probanda fuerit, faciendũ id eſt per duos vel tres teſtes, & non pauciores, qui & eſſe debẽt ex grauioribus, viciniæ, collegij ſiue cõuentus: 36
Hæc concluſio eſt communis omniũ iuriſperitorum. De qua videatur Iulius Clarus, & Farinacius locis ſupra citatis. Et probatur per illud, quod dicitur Deuter. cap. 17 quod in ore duorum, vel trium ſtat omne verbũ: quod idem habetur etiam Matth. cap. 18. Qui quidem teſtes teſtificari debent, non quidem ſe illud audiuiſſe à maiori parte viciniæ (vt inquit gloſſa, in l. 3. §. eiuſdem, ff. de probationibus, quam multi iuriſperitorum ſequũtur) ſic enim vix, aut nũnquam probari poſſet fama, ſiue infamia, maximè ſi vicinia fuerit grandis, & idem dico de conuentu, aut Collegio. Quis enim eſt, qui cum maiori parte viciniæ loquatur aut aduertat fuiſſe locutum? Ex quo proinde ſequeretur quod inutilis omninò eſſet eiuſmodi procedendi modus: ſed ſatis eſt vt teſtificentur, ſe illud publicè audiuiſſe: & ita paſſim vt ſibi videatur quod maior pars viciniæ, collegij, ſiue cõuentus id habeat ſibi perſuaſum. Quod docet Baldus, in cap. literas de præſumptionibus, quem in hoc ſequuntur grauiſſimi Doctores iuriſperiti: quos refert Iulius Clarus vbi ſupra, lib. 5. §. fin. q. 6. numero decimo quarto, verſ. debent enim dicere.

Aduerto etiam quod ſupradicti teſtes † deponentes de fama ſeu infamia, ſuæ ſcientiæ ſufficientem debent 37
rationẽ reddere: ac dicere vndè illud ſciant: vt tenet Bartol. in l. de minori, § publicum, ff. de quæſtionibus: & interrogati à quibus audiuerint, debent illos nominare: vt ſciatur famam originem habuiſſe non quidem à maleuolis, & maledicis: ſed à beneuolis pro-

probis, & honestis viris, & non illud
38 testes fingere. Dicit prędictus † Bartolus, quod si eos non nominarent (maximè in criminalibus) nihil probant: quod & ante ipsum tenuit Innoc. in c. qualiter, & quando el secondo de accusat. vbi dicit, quod super hoc testes interrogati à quibus audiuerint, debent illos nominare: vt ex ipsorum qualitate possit iudex scire, atq; perpendere quanta sit illis fides adhibenda: nam fama, † seu infamia (vt iam
39 semel & iterum dictum est) debet procedere, atque originem ducere à personis honestis, & fide dignis, quod dicit supradictus Iul. Clar. vbi sup. n. 17. esse intelligendum nisi ageretur de rę gesta in loco turpi, vt puta in lupanari, vel in ludo taxillorum, seu cartarũ: nam tunc non esset contemnenda fama, seu infamia, quæ ortum haberet à personis communibus, & turpibus. Nam in illis locis, vt plurimum non reperiuntur, neque conuersari solent personæ honestæ, & probatæ famæ. Et addit supradictus Iulius Clarus loco etiam vbi supra nu. 18. quod testes deponentes super fama, seu infamia, scire debent quid ipsa sit, adeo quod si interrogentur quid est fama, seu infamia: & respondeant, se nescire, nihil probabunt: quam esse dicit opinionẽ communem. Sed intelligendum hoc est cum sale, ita vt crasso, & grosso modo dicere sufficiat, quid sit fama, seu infamia, quantum ad substantiam, et si nõ exactam reddant diffinitionem, siue descriptionẽ famę, aut infamię: quod est multum notandum, & memoriæ commendandum.

40 Sed quid si probentur simul † duæ famæ contrariæ, & quidam dicant aliquem esse bene, alij malè famatum? Cuinam ipsarum standum erit? Huic difficultati respondet Nauarr. standum esse priori famæ probatæ; & si ambæ simul & eodem tempore concurrant, standum esse illi, quæ processit ex verisimilioribus probationibus. Et addit, quod in fauorem rei bona fama præualet malæ: quod etiam tenet Bossius in sua practica criminali, titulo de fauore, & defensione reorum, num. 13. Et dicit Iulius Clarus vbi supra quæst. 21. num. 1. in fine, quod si reus † diffamatus aliqua 41
de re, per proximum triennium, probauit se bene vixisse, & bonæ, & honestæ conuersationis fuisse: quod fama, seu infamia contra ipsum probata nihil eidem nocebit, sed censebitur in totum purgata, quam esse dicit opinionem communem: quę supradicta omnia nimium sunt notanda, atque memoriæ commendanda (inquit prędictus Iul. Clar.) quia magnum possunt facere honorem in practica iudici illa seruanti.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum indicia ad ineundam particularem inquisitionem sufficiant?

PRo huius articuli intelligentia, præmittere oportet, quidnam sit indicium, & vnde illud dicatur, & quotuplicia sint indicia? Et dico breuiter, quod vt habetur in l. indicia C. de rei vindic. & l. fin. C. de probationibus: indicium † dicitur ab indi- 42
cando, siue notificando rem aliquam: & est intellectuale quoddam mediũ veritatis exercendæ, siue indagandæ, ex aliqua particulari circũstantia proueniens. Et est duplex † quoddam gra- 43
ue, aliud verò leue. Graue est & dicitur illud, ex quo semper malum præsumitur, & boni nihil ex eo põt coniectari. Leue verò, ex quo parum, aut nihil mali pręsumitur, & boni aliquid ex eo forsan coniectari potest. Exemplum primi sunt amplexus impudici alicuius mulieris: aut si quispiam nudus in lecto cum aliqua muliere (etiã nuda) reperiatur: graue quidem erit indicium, & signum incontinentiæ,

& quod

& quod eandem carnaliter cognouerit. Simile erit ſi reperiatur quiſpiam cum gladio euaginato, & aſperſus ſanguine, iuxta aliquem hominem occiſum, & maximè inimicum: indicium quidem graue id erit, quod ipſe eundem occiderit. Exemplum ſecundi, vt ſi reperiretur aliquis religioſus grauis, & bonæ famæ, loquendo cum muliere aliqua (etiam ſeorſum) non quidem illud erit mali alicuius graue indicium: quin verò leue: cum ex eo parum, vel nihil mali poſſit coniectari, ſed boni: exiſtimandum enim eſſet, quod loquebatur cum illa de re aliqua ad animam mulieris eiuſdem pertinente. Cui & ſimile erit, ſi deprehenderetur quiſpiam circa occiſũ ſupradictum: non cum gladio, aut ſaltim non euaginato neque aſperſus sãguine: & cum illo nunquam fuerit rixatus. Non hoc erit indicium, quod eundem occiderit, aut ſaltim non graue, ſed leue: quin verò, & leuiſſimum.

44 Sunt qui dicant † eiuſmodi indicia eſſe in triplici differentia: quædam grauia, alia leuia, nonnulla verò probabilia: quorum primum (nempè graue) illud eſſe dicunt, cui frequenter contingit veritatem adeſſe, quod & æquiparatur præſumptioni iuris, vt notat Cynus in l. metum, ff. de dolo. Leue verò cui frequenter contingit veritatem abeſſe: argumento legis nõ homo, C. vnde cog & tale omninò eſt reijciendum. Probabile autem eſſe dicunt medium inter vtrunque, quod aliqualem facit ſuſpicionem. Qui quidem dicendi modus, haudquaquam diſplicet, ſed vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. Et quidquid de hoc ſit (nam hæc indiciorum materia intricatiſſima eſt, longiſſima, & obſcura valde, & de illis amplior infra futurus eſt ſermo, cum de tormentis agemus) quid hac in re tenendum ſit, & practicandum: explicabitur per ſequentes concluſiones.

Prima Conclusio.

Reſpectu criminis, quod † de ſe manifeſtum non eſt, & patrator ſimiliter eſt occultus: indicia quantumuis grauia, & manifeſta: non ſufficiunt ad ineundam contra aliquem particularem inquiſitionem, niſi de eo etiam ſit aliqualis infamia ad ſenſum ſupradictum in præcedenti articulo. Hæc concluſio communis eſt omnium Doctorum reſolutio: & de ea ſpecialiter videndus eſt Nauar. in Rubricam de iudicijs, nu. 56. reſpondendo ad quoddam octauum argumentum: vbi dicit, quòd adeo lege naturali, & diuina vetamur, ne inquiramus iniquitatem in domo aliena, iuxta illud, quod habetur Prouerb. 24. & vt bona fama proximis ſeruetur: quod etiam Epiſcopus non poteſt obijcere ſuo clerico crimen, quod verè ſcit eum commiſiſſe, ſi non poteſt illud probare, per textum ſingularem, in c. placuit, & c. ſi tantũ, 6. q. 2. & in c. inquiſitionis de accuſat. vbi Innocentius III. expreſsè determinat, non poſſe à Prælato inquiri contra clericum, etiam ſi duo, vel tres teſtes de viſu, malum aliquod de illo eidem dixerint: niſi alias aliqua laboret infamia. Et addit prædictus Nauar. quod longè vtilius ſemper cẽſuit, ac ſentit eſſe Eccleſię Chriſtianæ, ſeruare famam Clerici, qui deliquit: quàm punire ipſius delictum famam eius diſſipando. Plus enim (inquit) nocet † Eccleſiæ malum exemplum delinquendi, quod ex reuelato delicto per punitionem præbetur: quàm proſit condemnatio delicti eiuſdem ſecreti, & iam præteriti facta pœnitentia: pro quo allegat ca. magnæ, de voto, & capit. præcipuè, 11. quæſtio. 3. Quod (ait) parum conſiderantes, nihil non agunt ad hoc, vt per fas, vel per nefas, crimina vera, vel falſa, iuſtè, vel iniuſtè ſciantur,

45 (margin, beside line 1 of this column); 46 (margin, beside "(inquit) nocet †")

atque

atque puniatur, quo sibi famam crudelis quæstoris acquirant: contra l. respiciendum, ff. de pœnis: ob quorum forte peccata, & indiscretum zelum, permittit interdum Deus, vt in quibusdam terris eo plura delinquantur, quo plura malè puniũtur. Verba sũt expressa supradicti Nauarro, & quidem quam maximè notatu digna: & quæ summo studio memoriæ commendentur: vt sciant iudices, & Prælati quid facere debeant: & non temerè ad ineundam particularem inquisitionem procedant, quantumuis indicia sint grauia, & manifesta, respectum criminis, quod est occultum & similiter patrator ipsius: nisi etiam in id ipsum simul aliqualis infamia cõcurrat. Quod & probari potest hac speciali, & efficacissima rõne. Nã indicia prædicta (vtcunq; illa sint grauia & manifesta) non pertinent ad accusationem, sed ad probationem tantum vt testes, neq; ampliorem possunt facere fidem, quam testes si in id ipsum afferrentur aliqui oculati: sed vt habetur in supra dicto c. Inquisitionis, de accus. §. 3. dubitat. etiam si duo, vel tres testes iurati, affirment aliquod eisdem videntibus commisisse, nisi alias ipse laboret infamia, strictè præcipitur, vt ad particularem inquisitionem non procedatur: ergo multò minus ad eandem procedendum est in proposito casu: vtcunq; grauia, & manifesta sint indicia prædicta, non simul concurrente fama. Videatur hac de re supra dictus Nauarro loco vbi supra, numero 77. & 78. vbi & ad hoc propositum dicit plura, eaque notatu dignissima. Videatur etiã Iulius Clarus libro quinto sententiarum, quæstione 20. à numero primo cum sequentibus, & Farinacius prima parte, quæstione prima de inquisitione: à numero 40. vsque 49. & quæstione 9. numero 20. quamuis & ipsi magis loquantur de ijs quæ communiter obseruantur in foro exteriori, quam de illis quæ obseruari deberent strictè, attendendo ad forum conscientiæ.

Secunda Conclusio.

RESPECTV criminis, quod de se est manifestum, † sed patrator occultus, indicia quæ 47 fuerint grauia, & manifesta, benè sufficiunt ad ineundam particularem inquisitionem contra aliquem. Hęc conclusio est expressa Iul. Cla. & Farin. loc. sup. citatis, & eam tenet etiam D. Th. 1. 2. q. 69. ar. 2 vbi dicit, quod eiusmodi indicia grauia, & manifesta æquipollent infamiæ: quod si infamia probata ad modum quod dictum est supra, in hoc casu ad ineundam particularem inquisitionem sufficeret: bene sequitur, quod & sufficient indicia prædicta, iuxta sententiam, & opinionem D. Tho. si (vt dictum est) ea fuerint grauia, & manifesta. Sed se explicando, & declarando dicit paulò inferius prædictus D. Tho quod recedente infamia, non qualiacunq; indicia ad ineundam particularem inquisitionem sufficiunt; sed illa, quæ fuerint adeò expressa, & manifesta, vt ad arbitrium boni viri reum indicent, & faciant vehementer suspectum de aliquo crimine: quod quam maximè est notandum, vt videatur quã sanctè sãctus hic Angelicus Doctor hominũ honori, & famæ consultum esse voluerit, vt rectius, ac iustius esse iudicauerit, aliqua interdum crimina, & delicta impunita relinqui, quam delinquentes occultos sine sufficienti ratione, & causa, iure sui honoris, & bonæ famę priuare: quod omnes iudices, & prælatos summopere oporteret aduertere. ad quod propositum videnda est gloss. & Bart in l. 1 §. occisorum, ff. ad Sillan. & Bald. in l. cõgruit ff. de offic. Præsid & Nau. in supra dicta rub. de iudi. nu. 78. & 96. vbi dicit agendo de supra dictis indicijs

cijs, quod quæ dicta ab eo sunt: intel-
48 ligi debent † de indicijs iudicialibus iudicialiter probatis: nam hæc tantummodo sunt, quæ faciunt quãdam iuris notorietatem, & æquipollere dicuntur infamiæ non verò de alijs non iudicialiter probatis, quod etiam multum est notandum.

Tertia Conclusio.

49 AD INEVNDAM Particularem † inquisitionem in proposito casu, non sufficit vnũ indiciũ quantumuis graue illud sit; sed plura esse debent, & vtcunq; sint grauia, & manifesta, necessum est, quod eorum singula per duos testes contestes probentur. Hęc conclusio est omnium Doctorum communis, pro qua videnda est glossa in l. fin. C. familię herciscundę, & Doctores ibidem. Vndè quando in l. Bonæ fidei, ff. de iure iur. & in l. à D. Pio, ff. de re iudic. habetur testem vnum facere semiplenam probationem: intelligendum id est, quando deponit super maleficio aliquo: etenim si non deponit de maleficio, sed de indicio ad maleficiũ: per duos testes id ipsum venit probandum, priusquam ratione illius contra sic indiciatum procedatur. Aduertẽdum est insuper, quod ad hoc vt prædicti testes præiudicare reo possint, necessum est, quod citentur, & iurent: alioquin minimè nocebunt ei, vt tradunt DD. in l. Si quis, ff. de adult. & Syluest. verb. indicium, nume. 2. Ex quo colligi poterit, quanta cum maturitate, & iustificatione hac in re est procedendum, ad inuestiganda, & inquirenda occulta crimina, siue peccatores occultos. Videatur hac de re Iul. Cla. & Farin. locis superius citatis, neque enim licet per tempus plura dicere.

Quarta Conclusio.

INDICIA Manifesta † quę 50
grauia non sunt, quamuis ad ineundam particularem inquisitionem non sufficiant; sufficiunt tamen ad interrogandum reum sic infamatum, quando proceditur per viam accusationis, & ipse tenebitur iudici, siue Prælato respondere, ac veritatem dicere: similiter & testes, cum eiusmodi indicia semiplenè ęquipolleant probationi: sed de hoc aliàs cum de reis, & testibus specialem fecerimus mentionem. De hac conclusione videatur Magister Soto de Secreto, membro secundo, quæstione sexta, conclusione prima in fine, 3. dubij, vbi idem etiam esse dicit intelligendum, quando denunciatio vim habet accusationis, vt contingit in hæresis crimine, & alijs, quæ vergunt in perniciem publicam, de quibus etiam infra dicemus: at (inquit) vbi proceditur per solam nudam denunciationem, siue inquisitionem: specialem id ipsum habet difficultatem, de qua dicemus in sequenti articulo.

ARTICVLVS V.

Vtrùm semiplena probatio ad ineundam particularem inquisitionem sufficiat?

PRO Huius articuli intelligentia, breuiter dicamus oportet, quid sit semiplena probatio? Et dico ex communi omnium Doctorum resolutione, in l. Etiam matris, ff. de probationibus: & specialiter ex Bart. in l. Admonendi, C. de iure iurando: quod semiplena probatio,
† est testimonium vnius testis omni exceptione maioris (seu quod idem 51
est) nulla exceptione repellibilis: qui quidem testis esse debet oculatus: nã qui solummodo est de auditu,

etiam si sint plures, nec plenam, nec semiplenam possunt efficere probationem: sed tantum valent ad indicandum oculates testes. Debet præterea eiusmodi testis esse iuratus, nam vt infra videbimus in materia de testibus, & est communis resolutio, testis sine medio præstito iuramento, non fidem facit in iudicio Additur in præfata diffinitione, quod testis esse debet omni exceptione maior, aut nulla exceptione repellibilis: quod est dicere, vt nullum habeat ex defectibus, propter quos à testimonio dicendo in iudicio homines solent, & possunt repelli, de quibus infra suo proprio loco dicemus. Quo præmisso notabili: proposito articulo respondetur per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

52 QVANDO Crimen est occultum, † & criminosus similiter: semiplena probatio (nisi simul adsit aliqua infamia) non sufficit ad ineundam contra aliquem particularem inquisitionem. Hæc conclusio est communis omnium Doctorum resolutio, & habetur expressè determinata, in capit. inquisitionis, de accusation. §. 3. dubitationis, vbi dicitur: Quod quãuis duo, vel tres testes iurati, affirment quempiam eisdem videntibus crimen aliquod commisisse, si de eo non laborat infamia, ad inquisitionem non procedatur: Et addatur, quod neque in eo casu ipsorum testimonia recipi debent, cum inquisitio fieri non debeat, nisi solummodo super illis, de quibus aliqui clamores processerunt. Verba sunt expressa supradicti capituli inquisitionis: ex quibus superque satis colligitur veritas nostræ conclusionis. Etenim si duo, vel tres testes iurati non sufficiunt, ad hoc, vt ius tribuatur iudici procedendi contra aliquem sine præcedenti infamia via particularis inquisitionis: multo ergo minus in id ipsum erit sufficiens semiplena probatio, qua vnus tantum testis aliquid testificatur, vtcumque ille sit iuratus, & omni exceptione maior, seu nulla exceptione repellibilis, quæ quidem omnia vera sunt: sed intelligenda seclusa accusatione, seu aliquo quod gerat, & suppleat viam accusationis: de quibus dicemus statim.

Secunda Conclusio.

QVANDO Crimen † est manifestum, & cuius ex officio incumbit iudicis facere inquisitionem: semiplena probatio sufficiens est ad ineundam ipsam specialiter. Hæc conclusio est expressa Magistri Aragon, libro de Iustitia, & Iure, super secundam secundæ Sancti Thomæ quæstione 69. articulo 2. vbi agit de prædicta semiplena probatione. Et ponit exemplum in casu, quo (vt dicemus in sequenti articulo) reperiatur quispiam publicè occisus, & criminosus, qui delictum perpetrauit sit occultus: in hoc casu, & similibus (inquit) quod semiplena probatio sufficiens est ad ineundam particularem inquisitionem. Cuius † & rationem reddit, quia in tali casu vnus testis, si deponat de facto (etiam accusatione non existente) cum publicitas facti vicem suppleat accusatoris, sufficiens est ad hoc, vt iudex, siue prælatus inire possit particularem inquisitionem aduersus eum, contra quem testificatur, & ipse interrogatus tenebitur respondere, & veritatem dicere. In quo etiam casu sufficere dicit indicia, si tamen ea sint grauia, & manifesta, quamuis non sufficiant in criminibus omninò occultis, nisi simul concurrat infamia. Quod probat de méte Nauarri in cap. Inter verba, concl. 6. corollar. 48. nu. 118. editionis antiquæ. Probat i i sum prædictus Aragon 53 54

gon alia peculiari ratione. Etenim (inquit) si in tali casu, quando aliquis homo publicè reperitur occisus, indicia cum aliqui infamia, sufficiunt ad ineundam contra aliquem particularem inquisitionem; multò ergo melius in id ipsum sufficiet semiplena probatio, cum ipsa maior sit quibuscunque indicijs. Hæc prædictus Aragon vbi supra.

Aduertendum est tamen de mente Bartoli loco vbi supra in præcedenti
55 articulo, quod ad hoc vt vnus † testis (etiam iuratus, & omni exceptione maior) semiplenam faciat probationem, necessum est, quod deponat de facto, & de maleficio ipso: etenim si deponit de indicio ad maleficium, non semiplenam facit probationem, neque per id redditur quispiam suspectus, siue indiciatus ad hoc, vt contra ipsũ procedi possit per inquisitionem. Vt enim in præcedenti articulo diximus, quando est indicium ad maleficium, oportet vt ipsum per duos simul testes comprobetur: & vt qui testificatur deponat de facto & dicat. Vidi Petrum Paulum occidisse: nec dicere sufficit, quãdo Paulus interfectus est, vidi Petrum fugientem cum gladio euaginato. Hoc enim non est deponere de facto, seu de maleficio: sed duntaxat de indicio ad maleficium: neque per id fit semiplena probatio.
56 Ad probandum igitur † indicium ad maleficium, duo testes requiruntur, & necessum est, vt ambo dicant, eo tempore quo Paulus occisus est, nos vidimus Petrum cum gladio euaginato fugisse: quod est multum notandum, atque memoriæ commendandum: qua de re videatur Aragon vbi supra in 4. dict.

Tertia Conclusio.

SEMIPLENA Probatio † satis 57
est ad interrogandum reum, & testes, quando proceditur per viam accusationis, & sic interrogati tenebuntur respondere, ac veritatem dicere. Hæc conclusio est omnium Doctorum communis, de qua specialiter videndus Soto de Secreto, membro 2 quæst. 6. conclusione 1. dubio 3. & li. 5. de Iustitia & iure, quæst. etiam 6. artic. 2. vbi dicit, quod quando quis accusat aliquem, & adducit contra eum vnum testem, quamuis ipse non sufficiat ad condemnandum reum, sufficit tamen ad interrogandum ipsum, & alios testes, qui & tenentur sub mortali respondere, & veritatem iudici dicere, si (vt dictum est) procedatur via accusationis. Idem tenet Aragon loco vbi supra. Et idem est iudicium † vbi denunciatio vim ha- 58
bet accusationis, vt in hæresis crimine, & alijs, quæ vergunt in perniciem publicam. Quando tamen proceditur solum per viam fraternalis denunciationis, aut inquisitionis, supradicta semiplena probatio non sufficit ad eandem ineundam, nisi adsit simul infamia, aut sint manifesta indicia, in casu, quo dictum est illa ad idem sufficere.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm quando crimen est publicum, & notorium, sed persona delinquens est occulta, ius habeat iudex, siue Prælati inquirendi malefactorem.

DIFFICVLTAS Præsentis articuli † celeberrima est, nimiũ- 59
que inter Doctores iurisperitos, quin verò, & inter Theologos cõtrouersa, & agitata, de qua videndus est Inn. in c. Bonæ, de elect. & Panor.

ibid. Bart. in l. 2. ff. ad l. Iuliam, de adulter. & in l. fin. ff. de quęst. & Alex. ibid. & glos. in cap. Quidam maligni. 5. quæst. 5. & in cap. Qualiter & quãdo el secondo, de accusat. Nauar. in cap. inter verba, conclus. 6. corollar. 49. num. 124. & in rubrica de iudi. nu. 88. & ex Theologis Palud. in 4. sent. dist. 19. Adria. quodlib. 11. D. Thom. 2. 2. quæstione 69. articulo secundo, & Caieta. ibidem. Soto Relectione de Secreto, membro secundo, quæstione sexta, conclusione prima, in quarto dubio: & libro quinto, de Iustitia & iure, quæstione secunda, articulo secundo. Et ex nouissimis Salon etiam de Iustitia, & iure, super secundam secundæ Sancti Thomæ, primo tomo, quæstione 69. articulo secundo, controuersia septima. Et vt quod quæritur plenius fiat, sit casus quod in campo, siue in platea inueniatur cadauer cuiusdã hominis occisi, super cuius occisione nullus omninò laborat infamia, nec sunt aliqua certa, & manifesta indicia, aut semiplena probatio contra aliquem: quæritur an in tali casu possit iudex procedere ad inquisitionem, inquirendo & inuestigando malefactorem, & interrogando per viciniam, quisnam sit, qui crimen illud perpetrauerit? Et an sit satis ad ineundam inquisitionem prædictam, quod infamia sit de facto & delicto commisso: an verò etiam requiratur quod sit aliqua persona diffamata super illo crimine? Hic est punctus difficultatis: qua quidem de re sunt duæ extremę sententię & opiniones.

60 Prima est negatiua, † asserentium quod quando fama: seu infamia est solummodo de facto, non verò de persona: non est ius iudici inquirendi malefactorem, in particulari neque in communi, aut procedendi super ea re ad faciendam aliquam inquisitionem. Hanc sententiam præ alijs defendit mordicus Caietanus, & Soto locis supra citatis, plures in id referendo, & allegando authores. Et si quæratur ab ipso Soto, quidnam sit quod in proposito casu, facere tenetur iudex ne arguatur ignauiæ: inquit quod crimine existente publico, patratore autem occulto, hoc solummodo debet, & potest facere rectus iudex, quęrere & inuestigare in communi, non quis eiusmodi delictum commiserit, (hoc n. vt sibi videtur facere haudquaquã licet) sed an sint aliqua particularia indicia cõtra aliquẽ: quod fiet interrogando testes, an sciãt qua hora eiusmodi homo sit occisus, quibus armis, quo loco, quibus præsentibus? Et habitis eiusmodi indicijs contra aliquem, si ea sint grauia, & manifesta (ad sensum supradictũ in tertio articulo) poterit (inquit) ad inquisitionem particularem procedere, alias verò minimè. Hæc est opinio, & sententia Magistri Soti, & aliorum qui ipsum sequuntur, pro qua faciunt rationes, & argumenta quę sequuntur.

Primò. Nam videtur † quod id ipsum facere sit omninò contra ius naturale, & diuinum, & contra id quod constare facile potest semper factum fuisse à Deo, vt colligitur ex quam pluribus Sacræ Scripturæ locis, quibus dicitur, nec Sodomitas olim fuisse inquisitos, aut damnatos, nec villicum illum sua administratione priuatum, quousque præcedente fama, seu infamia de suis culpis & delictis fuerunt notati, & diffamati, vt habetur Genesis 18. & Luc. 16. ergo neque contrarium facere est licitum vllis Prælatis, atque Iudicibus, vtcumque delictum aliquod sit publicum & notorium: cum tamen de eo nulla in particulari reperiatur persona infamata. 61

Secundò sic argumẽtantur ad idẽ. Quia etiam videtur quod id ipsum facere sit contrariũ omnibus iuribus, & canonibus, quibus supra diximus

strictè

strictè esse præceptum, & prohibitum cunctis Prælatis, & iudicibus, vt sine præcedenti infamia, seu manifestis indicijs, aut semiplena probatione, (in casibus, quibus ista sufficiunt) nullo modo contra aliquem ad particularem inquisitionem procedant, vt habetur in cap. Cum oporteat, cap. Inquisitionis, cap. Qualiter, & quando, el secondo, de accusatio. cum igitur iudices, & Prælati obnixè teneantur seruare expressum sibi traditum iuris ordinem: dicendum videtur, quod in proposito casu, procedere nullo modo possunt ad faciendam prędictam inquisitionem.

Tertiò argumentantur ad idem. Nam etiam videtur eiusmodi processum esse iudicium temerarium, & quod in dicto casu ipsum facere sit omninò illicitum, vtcumque crimen sit notorium & publicum: cum tamen persona delinquentis sit secreta, & occulta: & quod contrarium fieri sit cōtrauenire prędcepto Christi Dñi, posito Matt. 6. quo iudicia temeraria prohibita reperiuntur, per illa verba: Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nec valet dicere quod in eo casu non sit inquisitio de aliqua persona in particulari, sed de omnibus in communi, quisnam sit, qui eiusmodi crimen commiserit? nam (inquiunt) quid prodest, quod inquisitio, siue interrogatio fiat in communi, si qui interrogantur in genere, in particulari, & in specie tenentur respondere? certè videtur, quod idem omninò sit iudicium, & eademque irrogetur iniuria ipsi delinquenti, inquirendo de eo in communi, ac si inquireretur in particulari, dicendo fecitne hoc Petrus, aut Paulus? & vt difficultas magis, ac magis augeatur, & in suo puncto constituatur, poterit sic formari argumentum, quod sit quartum in ordine.

Quarto argumentantur ad idē. Sit casus, quod dum eiusmodi fit inquisitio, delicto existente notorio, & publico, patratore autem occulto inter alios interrogetur patrator ipsius: quęro an sic interrogatus teneatur respōdere, & veritatem dicere, seque metipsum prodere: an non? si dicatur primum, certè videtur durum quin verò & absurdum, onusq, grauissimū, obligare quempiam in tali casu ad prodēdum, & diffamandum semetipsum: si verò dicatur, quod non: quid quæso prodest, quod eiusmodi inq̄sitio fiat? certè nihil. Nō igitur est facienda. Hę sunt rationes, & argumenta, quæ pro hac parte à Doctoribus adducuntur: excipiunt tñ prædicti authores nōnullos casus, in quib. propter eorum atrocitatem, & specialitatem, nulla præcedenti infamia procedere licet ad specialem inquisitionem, de quibus infra suo loco in sequenti artic. dicemus.

Sed alia est aliorum sententia † asserentium eiusmodi inquisitionem nedum esse licitā, quin verò fieri præceptam, & summopere necessarium vt fiat: vt non contra ius, & contra omnem prorsus rationem delicta maneāt impunita. Quæ quidem opinio, sequentibus rationibus, & argumentis, etiam potest comprobari. 62

Primò facit † pro hac sentētia, vniuersalis totius Christiani orbis cōsuetudo, de qua testificatur Inn. in c. Bonæ memorię, de elect. verbo, testis experientia. n. constat, q̄ semper inuēto cadauere hominis alicuius occisi, iudices sapientes, prudentes, & timorati, nulla etiam pręcedēti infamia de malefactore ad eiusmodi inquisitionem delicti procedunt, & quidē meritò, ne si id ipsū non facerent ignauiæ redarguerentur, & censerētur ex proposito dissimulasse delicta, & criminum debitam punitionē: ex quo proinde populus, nec modicum scandalū sumeret: dicendum est igitur, nec dum esse licitum: quin verò & pręceptum, & omninò necessarium, in proposito casu prędictam facere inquisitionem. 63

Secundò potest id ipsum probari, ex exemplo & facto Diui Gregorij, quod refertur in c. Quidam maligni, 5.q. 1. vbi dicitur processisse eundem ad inquisitionem cuiusdam libelli famosi, pro eo, quod delictum erat publicum, ac notorium: quamuis eiusdem patrator esset occultus, & de ea nulla omnino præcesserat infamia: & quod amplius est excommunicauit eum, id ipsum, qui fecit, nisi statim se proderet ad probanda crimina, quæ continebantur ibidem: & restituendam famam personæ infamatæ, & debitam pœnam subeundam: dicendum est igitur in alio simili casu, licitum esse iudicibus similem inquisitionem efficere.

Tertiò potest argumētari ad idem. Nam ex communi omnium Doctorum resolutione (& vt nos etiam infra dicemus) ob bonum publicum, & ad euitandum damnum commune, licitum est iudicibus procedere ad inquisitionem aliquorum delictorum, nempè in crimine læsæ maiestatis, diuinæ, seu humanæ proditionis ciuitatis, falsariorum monetæ & similium, nulla præcedente infamia de aliqua persona particulari: sed in proposito casu, quod prędicta inquisitio fiat, non minus spectat ad bonum commune, & publicum, & ad euitandum damnum commune: nam ex contrario facto respublica repleretur homicidijs, delictis & facinoribus: dicendum est igitur, quod eiusmodi inquisitio est licita: quin verò omninò necessarium vt fiat, aut si non, reddatur ratio cur non hic, & in alijs delictis sit permissa?

Quartò & vltimò ad idem. Nam ex communi etiam omnium Doctorum resolutione, fama seu infamia ex eo ad ineundam inquisitionem necessaria esse dicitur, quia vicem gerit accusatoris, sine quo in criminalibus iudices handquaquam possunt procedere, ad faciendum contra aliquem particularem inquisitionem: sed in proposito casu, quando crimen est notorium, & publicum: licèt patrator sit omnino occultus, † euidentia 64
patrati sceleris vicem etiam gerit accusatoris, vt habetur in capit. euidentia, de accusationibus, & in cap. manifesta, secunda quæstione prima, capit. Bonæ memoriæ, el primo, de electione, capit. Ad nostram, el secondo, de iure iurando, & in l. Ea quidem, ff. de accusationibus: ergo licitum est iudicibus ad prædictam procedere inquisitionem. Ijs pro vtraque huius difficultatis parte adductis argumentis, quod hac in re tenendum est, & verius videbitur, & paulatim explicabitur per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

IVDEX In proposito casu † nullo 65
modo potest procedere ad præfati delicti inquisitionem, exprimendo, & nominando personam aliquam in particulari, nisi de ea sit infamia, aut habeantur manifesta indicia, vel semiplena probatio. Hęc conclusio communis est omnium Doctorum resolutio: & in qua scribentes vnanimiter conueniunt, constatque satis ex supradictis. Et certè contrarium, qui fecerit, & procedendo diceret. Fecitne hoc delictum Petrus, aut Paulus? nulla ipsis infamia laborantibus, iniquè ageret, & de ea re apud superiorem optimè posset conueniri. Cuius ratio est, quia vbi nulla pręcessit infamia, nullo modo licet iudicibus contra aliquem specialiter inquirere, idque facere esset, quam maximam occasionem præbere, vt reuelētur occulta crimina, quæ iuxta iuris præscriptū ordinē haudquaquā licet detegere. Facit & ad idem, quod secundum iuris regulā, † quilibet prę- 66
sumitur bonus quousq; sibi probetur contrarium, seu in id publica habeatur

tur fama, seu potius infamia, vel nisi adsint manifesta indicia, aut semiplena probatio: ergo in proposito casu, vtcunque crimen sit publicum, & notorium, quamdiu patrator est omninò occultus, nullo modo licet in particulari aliquem nominare, exprimere, vel temerariè inquirere: an sit malus, qui iure est censendus, & existimandus bonus. Videtur etiam quod contrarium facere esset contra diuinū illud præceptum, quod habetur Prouerb. 24. vbi dicitur; Quod nulli omninò insidiari debemus, nec impietatem quærere in domo iusti aut requiē eius vastare: neq; solummodo in hoc casu irrogaretur iniuria ei, de quo fieret eiusmodi particularis inquisitio, & vastaretur ipsius requies: verum etiam & toti reipublicæ, si nulla præcedente infamia, aut alio aliquo sibi æquippollenti, licitum esset iudicibus pro libito, & sine ratione, & causa, & contra omnem iuris ordinem, aduersus quemcumque vellent ad inquisitionem procedere, eundem diffamando, molestando, & inquietando. Hoc itaque est certissimum, atque constitutissimum, & contrarium contra omnem prorsus rationem, & contra præceptum illud naturale, & diuinum, quo dicitur, vt quod tibi non vis alteri ne feceris. Etenim nemo est, qui velit, cum nulla laborat infamia, vt aduersus eum inquiratur, & procedatur ad specialem inquisitionem, de interrogando ipso de aliquo magno commisso crimine.

Secunda Conclusio.

67 IN SVPRA Dicto casu, † licitum est iudici ad delicti prædicti inquisitionem procedere, non inquirendo specialiter de aliqua particulari persona: sed de delicto in communi, an sciant quisnam illud fecerit? Hæc conclusio (paucis demptis) est etiā modò fere omnium Doctorū communis resolutio. Et prædicto modo explicata, crediderim quod nullus sit eam qui iure negare possit: & pro ea faciunt argumēta superius proposita pro secunda opinione. Hanc sententiam (vt refert Caietanus secunda secundæ quæstione 69. articulo secundo) constantissimè defendit, & tutatus est olim Diuus Thomas tempore quo erat Parisijs Bachalaurus: nam cum in suo conuentu flagitium quoddam accidisset: consultus an liceret occultū malefactorem inquirere? Respondisse fertur: nedum esse licitum, verum quam maximè necessarium & expedire. Idem tenet Nau. in capite inter verba conclu. 6. corolar. 49. num. 124. editionis antiquę, & in rubrica de iudic. numero 88. in fin. & Cordoua in sua Summa, quæstione 64. in primo puncto. Aragon de Iustitia & iure, super secundam secūdæ Diui Thomæ, quæstione 69. articulo secundo. Iulius Clarus in sua practica criminali, libro quinto §. finali, quæstione 3. 5. & 50. Farinac. prima parte, quæstione prima, de inquisit numero 3. & 4. & Paz in sua praxi, to. 1. par. 4. cap. 1. nu. 7. vbi citat pro hac sententia Bartolum in §. si publico, ff. ad l. Iuliam de adulter. & Innocentinm in cap. Bonæ, el primo, de electione, num. 5. dicentem totum mundum hoc idem seruare. Et id ipsum reperitur præceptum iure Regio. in l. 2. tit. 17. p. 3. vbi traditur forma hac in re à iudicibus seruanda, & modus inquirendi, & procedendi vbi crimen est publicum, patrator autem occultus: & dicitur quod in eo casu in communi debet inquiri, & quod nullo modo interrogatio fiat de aliquo in particulari. Idem habetur in l. 6. tit. 1. lib. 8. Recopila. vbi & redditur supra dictæ conclusionis ratio, dicendo expedire reipublicæ, vt ne delicta maneant impunita, & vt populus ex his non sumat scandalum: etenim si in prædicto casu, iudices

non solicitè, & diligenter malefactores inquirerent, præter quã quod viderentur delicta dissimulare, eorumque debitam punitionem prætermittere: delinquentibus ipsis magna ex eo ansa, & occasio præberetur delinquendi, & magnum ex inde populus scandalum sumeret.

Sed præter omnia supradicta, libet conclusionem eandem sequentibus rationibus probare ac corroborare.
68 Et prima sit, nam licèt non † omnia delicta semper sint à iudicibus puniẽda, quin verò multa diuino iudicio reseruanda: vt dixit olim Anacletus & refertur in capite si omnia, sexta questione prima: tenentur nihilominus ex suo officio saltim punire ea, quę notoria sunt, & quæ publica laborant infamia, in quantum possunt, iuris seruato præscripto ordine, vt habetur in capite Romana §. notoria de censibus, libro sexto, & in capite Cũ sit. §. finali, de appellation. & cap. Vestra, de cohabitat. cleri. & mulie. & in leg. Eadem. C. de accusatio.: sed prædicto crimine existente publico, atque notorio, & an ipsius patrator laboret infamia, sitque contra eum per specialem inquisitionem procedendum necne; constare non potest iudici, nisi id ipsum præmissa prædicta generali inquisitione perquirat, quisnam sit qui eiusmodi delictum commiserit: ergo licitum est eandem facere, vt si ex ea aliquis infamia laborare reperiatur: contra eum ad specialem inquisitionem deueniatur: & confessus, siue conuictus de crimine pro meritis puniatur: quod credo esse certissimum, atque constitutissimum.

Secunda ad idem esse potest ratio, quia non minorem habet vim in ciuitate, vel loco, euidentia patrati sceleris, quando delictum est publicum, & notorium, quam confusa fama, seu rumor sparsus aliquorum delictorum commissorum in eadem ciuitate, vel loco: sed existente tali rumore, vel fama: quin verò & ea non existente (vt supra diximus) tenentur iudices pro officij sui munere, certis temporibus ad inquisitionem generalem procedere, ad inuestiganda eiusmodi delicta, & delinquentes infamia laborantes; & inquirendum postea de illis specialiter: ergò licitũ est ipsis eadem rationi, id ipsum facere: vbi crimen est notorium, & publicum, licèt patrator sit occultus: saltim ad videndum, an sit aliquis de eodem infamatus: vt ad specialem inquisitionem procedere possint postea contra ipsum.

Sit tertia ratio ad probandam eãdem conclusionem: nam quamuis iudicialia veteris legis præcepta, pro iudicibus Israelitici populi posita iam omninò cessauerint, nihilominus saltim nobis indicant modò, quæ fuere olim licita, & rationi consona: renouari vt possint, & si moralia sunt etiam modò sunt adimplenda: sed olim Deuter. 21. præceptum fuit iudicibus supradicti populi, vt si in agro, vel in via inueniretur cadauer alicuius hominis occisi, obseruarent attentè cui oppido, ciuitati, vel loco, prædictum cadauer inueniretur vicinius, & quod maiores natu eiusdem oppidi ciuitatis, aut loci, inquirerent reũ apud ipsos si inueniretur: sin minus exeuntes in agrum, oblato quodam illius temporis sacrificio testificarentur mundos se esse à sanguine hominis occisi: idque nulla prorsus delinquentis infamia præcedente: sed solummodo adinuento publico, & notorio delicto: ergo & id ipsum facere licitũ erit modò iudicibus Quod & confirmari potest, ex l. 1. §. occisorum, ff. ad Silanianum, vbi habetur quod si domi dominus plures habens seruos emptitios inueniatur occisus, iudex specialiter procedat contra ipsos, etiam si eorum nullus speciali aliqua laboret infamia, id quod

quod & habetur in l. Quoties. C. nau frag. vbi dicitur, quod si nauis aliqua naufragium patiatur, iudex de damno illo contra nautas ipsos inquirant etiam si nullus eorum aliqua laboret infamia: cur igitur in proposito casu, & in publicis, & notorijs delictis, id ipsum facere non erit licitum? Dicendum est ergo, veram, ac iuri, & rationi consonam esse conclusionem à nobis positam.

Sed circa eandem, quam maxima insurgit difficultas, & ea est: an testes
69 † in prædicta inquisitione interrogati, teneantur veritatem dicere, & ad interrogata fideliter respondere, quãdo prædicti delicti patrator omninò est occultus, & nulla prorsus de eo laborat infamia? circa quod Doctores tam Theologi, quam Iuris periti, quã
70 maximè sunt inter se diuisi. † Quidam enim dicunt, quod quamuis in proposito casu licitum sit iudicibus, ad præfatam inquisitionem procedere, ipsi tamen testes interrogati nullatenus tenentur reuelare, & manifestare reum: nisi ipse aliàs infamatus, siue indiciatus extiterit. Ita quod quamuis infamia, seu fama commissi sceleris sufficiens sit ad hoc vt iudex ea super re testes aliquos legitimè, & iuridice interroget non tamen est satis vt testes teneantur malefactorem detegere, nisi simul cum notitia facti aliqua adsit infamia suæ personæ, aut cõtra ipsum certa, & manifesta reperiantur indicia: id quod & probare contẽdunt, hac vt sibi videtur efficacissima ratione. Nam (vt de se patet) accusationis via, cum in ea reperiatur pars lęsa in indiuiduo indicans delinquentem, quin verò & contra ipsam proclamans rigidior est, & magis obligans tam iudicem ad inquirendum, & testes ad respondendum, quam sit via inquisitionis prædictæ, in qua licèt delictum, sit publicum, & notorium: nulla tamen repetitur pars læsa clamans, & quæ in indiuiduo iudicet delinquẽtem: sed in accusationis via non sufficit accusatoris dictum, vt interrogatus testis teneatur respondere neque ipse reus, nisi contra eum sit semiplena probatio, aut manifesta indicia: ergo nec in proposito casu, infamia cõmissi delicti (quę est velut quidam accusator) sufficit ad hoc, vt interrogatus teneatur respondere, nisi simul adsit semiplena probatio, aut certa, & manifesta indicia. Huic etiam sententiæ, & opinioni fauere videtur specialis alia ratio, & ea est: nam cum inquisitio pędicta sint mixta & specialis ex parte delicti, generalis ex parte delinquentis: videtur in ea omninò obseruandum esse quoad delinquentem, illud idem quod supra seruati debere diximus inquisitione generali nempè quod non manifestetur delinquens occultus, si nulla ipse laboret infamia: ergo neque in proposito casu id ipsum est faciendum.

Sed his nihilominus † non obstantibus, alij Doctores contrarium omninò dicunt: tenerique testes in prædicta inquisitione interrogatos veritatem dicere, & occultum malefactorem reuelare: & manifestare: & pro conseruando bono communi fideliter ad interrogata respondere: & quia hæc sententia, & opinio communior est, & veritati ac rationi magis videtur esse conformis: pro ea sequentem statuo conclusionem. 71

Tertia Conclusio.

TESTES in prędicta † inquisitione interrogati, examinati & medio iuramento astricti, omni proculdubio tenebuntur veritatem dicere, & occultum malefactorem reuelare, quamuis ipse nulla laboret infamia Hanc conclusionem tenet expressè Arag. de iust. & iur. super 2. 2. D. Tho. q. 69. art. 2. dub. vlt. quam & probat hac sequenti (vt videtur) efficacissima & vrgen- 72

73 vrgentissima ratione. Nam † cum iudex (vt dictum est) in proposito casu, ius habeat procedendi propter bonum commune conseruandum, eosdemque interrogandi, manifestè sequitur quod tenentur & ipsi proinde propter idem bonum commune conseruandum illi veritatem dicere, & occultum malefactorem reuelare, quamuis aliàs si non interrogarentur de eodem crimine (ipso existente omninò occulto) non tenerentur id ipsū facere, siue illum accusare, aliàs enim (inquit prædictus Aragō) sequeretur, quod daretur bellum ex vtraque parte iustum, & quod ius habeat iudex ad interrogandum testes, & ipsi non teneantur veritatem eidem dicere, & ad interrogata respondere: quod non est dicendum.

Reliqua quæ ad comprobandam hanc conclusionem adduci possent, fient manifesta ex dicendis in argumentorum solutione, quæ adducta fuerunt pro alia in contrarium parte. Solummodo dico, iterumque aduerto, in calce huius conclusionis, nam est summopere aduertendum, quod inquisitio prædicta nullatenus est facienda, aut fieri debet, inquirendo de aliqua persona in particulari: interrogando an Petrus, vel Paulus eiusmodi delictum commiserit: sed in communi an sciant testes quis illud perpetrauerit? Nam cum infamia præcesserit personæ vagæ, & in communi, & non huius, vel illius in particulari; solummodo potest iudex inquirere de patratore etiam in communi & indeterminatè, quisnam sit? & non dicere, an sit Petrus & Paulus? quod multum est notandum.

74 Ad argumenta igitur † in contrarium adducta, respondetur per ordinem. Ad primum dicendo, quod prædictam inquisitionem efficere nullo modo est contra ius naturale aut diuinum: nam illa sacræ Scripturæ testimonia quę adducuntur ex Genes. 18, & Luc. 16. tantummodo innuunt nobis diuinum factum, & quod id ipsū non efficere sit rationi consonum: nō tamen ibidem aliquod fuit pręscriptū præceptum. Vel secundò dico & melius, intelligenda esse de inquisitione particulari; qua aliqua persona specialiter inquiritur, quod vt sæpè sæpius diximus fieri nullatenus debet absq; præcedenti infamia, seu aliquo æquipollenti illi: non autem sunt intelligēda testimonia prædicta de inquisitione in communi, qualis est ista, de qua in præsentiarum est sermo: quæ licèt respectu delicti sit particularis, respectu tamen delinquentium nō est, nisi communis, vt constat ex supra dictis.

Ad secundum respondeo, quod quando in iure canonico, & iuribus ibidem adductis, statuitur vt ad inquisitionem non procedatur, nisi pręcedat infamia, manifesta indicia, aut semiplena probatio: intelligendum id etiam est de inquisitione particulari, non verò de inquisitione in communi qualis est ista: nam eandem facere iuri, ac rationi multum est consonum, cum adeo sit expediens bono communi, ac toti Christianæ Reipublicæ, ad euitanda quā plurima mala, & damna, quæ ex contrario facto possent euenire: & certum est quod ius iuri (præsertim maiori) non debet præiudicare, aut ipsum derogare.

Ad tertium similiter respondeo, eiusmodi iudicium haudquaquam esse temerarium, nec prædictum procedendi modum vlla ratione dici posse illicitum: cum eiusmodi inquisitio (vt dictum est) fieri debeat in communi, non verò in particulari. Et quando dicitur quod omnia redeunt in id ipsum; nam quid prodest quod inquisitio siue interrogatio fiat in communi, si ij qui interrogantur respondere tenentur in particulari? Dico quod adhuc id facere est licitum, propter conseruandum bonum commune. Nam quamuis præceptum de non reuelando

do secretum alienum, & non procedendo specialiter contra aliquem absque præcedenti infamia sit naturale, aut saltim naturali iuri multum conforme: in proposito tamen casu nulla ratione videtur eiusmodi præceptum violari, cum id fiat propter conseruandum bonum commune, & propter aliud ius etiam naturale strictius, ac fortius. Vtque hoc plenius notũ fiat, volo rem hanc aliquo proposito exemplo illustrare.

Ius est etiam naturale de reddendo
75 deposito, † & non retinendo id quod alienum est inuito domino: & tamen si detur casus, in quo depositi dominus abuti eo vellet, vel in perniciem suam, vel in damnum reipublicæ: certissimum est, quod in eo casu non teneremur illi reddere depositum. Cuius ratio est, quia eiusmodi præceptũ habet suam epicheyam, & iustam interpretationem: & aduertere oportet quodnam illorum præceptorum præualeat, & magis præponderet præceptum reddendi depositi, & non detinendi alienum inuito domino: an verò præceptum consulendi bono communi totius reipublicæ. Idemque dico in proposito casu: quod adhuc stante præcepto naturali de conseruando secreto, & nemine diffamando, licitum est iudicibus crimine existente publico, patratore verò occulto, propter conseruandum bonum commune, ad inquisitionem delinquentis prædicto modo procedere, interrogando testes in communi, qui & interrogati in particulari, tenentur respondere, ac veritatem dicere, propter conseruandum idem bonum commune, & ne crimina, & delicta maneant impunita, repleaturq; respublica sceleratis, & facinorosis hominibus. Etenim si contrarium omninò fieret, improbis, & facinorosis hominibus magna certè daretur an'a, & occasio delinquẽdi, & ex eo totus populus haud modicum quidem scandalum sumeret. Et vt nemini videatur hoc esse contra ius naturale, & diuinum, quin verò eidem multum conforme: dico quod non incongruè id ipsum potest colligi, ex his, quæ dicta sunt supra ad probandam, & corroborandam secũdam propositam conclusionem, de eo quod factum olim fuisse legitur Iosue c. 7. quãdo crimine existente notorio, & manifesto, patratore verò occulto, iussu Dei optimi maximi Achan sortibus fuit inquisitus, ac tandem seuerissimè punitus: quamuis de eo nulla omninò præcessisset infamia. Quod certè exemplum ad præsens propositũ multum est notandum.

Ad quartum, & vltimum argumẽtum respondeo, & dico esse quidem argumentum fortissimum, & præcipuum quod pro contraria opinione potest adduci, sed tñ quod solutionẽ habet. Et in primis certum est, nec dubitari vllo modo potest, quod in proposito casu quando fit inquisitio de aliquo patrato crimine in cõi, multo minor oĩbus irrogatur iniuria, quam si fieret inquisitio de aliqua persona in particulari. Nam respectu delicti cuius fit inquisitio, cũ (vt supponitur) sit publicum, & notorium iam sufficiens præcessit motiuum, vt de eo iudex inquisitionem prædictam possit efficere. Respectu verò personarum (cum ẽt inquisitio prædicta sit generalis, & non particularis) non necessarium videtur, quòd infamia præcedat de aliqua persona in particulari, sed sat esse vt omnes in communi sint veluti diffamati, ad hoc vt de omnibus etiam in communi fieri possit inquisitio, & de eis interrogari & inquiri: & sic saltim ex hac parte inquisitio prędicta esse videtur iusta, & licita, & nullo iure prohibita. Sed descendẽdo ad particularia, & ad id qđ exposcit argumentũ, de proprio reuelando secreto, si inter alios interrogetur ille, q̃ commisit delictum (nam certè vř iugũ durissimum dicere quod teneatur veri-

veritatem respondere, & semetipsum prodere, & diffamare) quamuis Soto loco vbi supra in sua persistendo opinione, mordicus teneat quod non tenetur se prodere, nec proprium crimē confiteri, aut semetipsum infamare, si non sit diffamatus, aut legitima contra eū habeantur indicia: qui tñ contrariam tenentur sententiam, consequenter necessariò tenentur dicere,
76 quod in eo casu delinquens † ipse, si inter alios interrogetur, debet semetipsum prodere, ac veritatem dicere. Nam cum eiusmodi interrogatio (vt supponitur) sit iuridica, sicut in alij testes tenentur veritatem dicere, ita & reus ipse: alias daretur bellum ex vtraque parte iustum, quod non est dicendum. Videatur ac de re Aragon vbi supra, respondendo ad excommunicationem illam: quam tulit olim Diuus Gregorius aduersus occultum illum diffamatorem, de quo in cap. Quidam maligni 5. quæstione prima, vbi dicit, quod tenebatur ille se prodere. Quod idem dicendum esse videtur in proposito casu, quamuis Soto contrarium mordicus teneat. In qua ego tantorum virorum differentia, pręfati argumenti pondere, ac magnitudine pressus, certè magis vellē aliorum expectare sententiam, quam propriam meam statuere, & præsentem difficultatem per memetipsum diffinire, & determinare, eligat quisque quod voluerit, & magnis sibi placitum fuerit, seu potius videbitur necessariò dicendum, conformiter ad opinionem, & sententiam, quam sustinuerit.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm sint aliqui casus, in quibus propter eorum atrocitatem, & specialitatem, absque pracedenti infamia fieri possit particularis inquisitio, qua delinquentis intendatur pœna?

HVIC Articulo fiet satis proponendo, & enumerãdo aliquos casus, in quibus propter eorundem atrocitatem, & specialitatem, sine pręcedenti infamia, fieri potest prędicta particularis inquisitio, quod fiet per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

QVANDO Crimen † vergit in pernitiem publicam, vt est crimen hæresis, crimen læsæ maiestatis, proditio ciuitatis, & crimen quod dicitur nefandum, & si quod est eis simile: propter eorū atrocitatem, & specialitatem, & quia perniciosa, & contagiosa sunt toti reipublicæ, absque pręcedenti infamia, vnico solo existente teste, procedere possunt iudices ad faciendam delinquentium specialem inquisitionem, & prędictorum criminum reos possunt publicè punire, etiam si nulla ante fuerint infamia notati. Hæc conclusio communis est omnium Doctorum resolutio, si per cap. qualiter & quando, el secondo, de accusat. & de ea specialiter videndus est Bart. in l. 2. §. in publico, ff. ad l. Iuliam de adult. & Soto relectione de secreto. q. 6. conclu. 3. in 6. cas. & Naua. in rub. de iudi. nu. 85. & 88 Et de hæresis crimine habetur id ipsum determinatum in c. Excommunicamus, §. adijcimus, de hære. & c fin. eod. tit. lib. 6 & in l. Apostatarum, C. de apost. & l. Nullus, C. l. Iul. maiesta. Vndè si alicubi reperirentur libri aliquas hæreses continētes, de disseminatore optimo iure posset inqui- 77

inquit, † quamuis omninò esset occultus. Qua de re videatur Nau. loco vbi sup. num. 93. De crimine etiam læsæ maiestatis habetur id ipsum in Extrauaganti Federic. Imperatoris, quæ incipit ad reprimẽdum, & habetur post librum feudorum, de cuius expositione videatur supra dictus Nauar. loco vbi sup. num. 94. In prædictis delictis
79 † statutum est, vt procedatur simpliciter, & de plano (hoc est citra solemnitates iuris) ad inquirendum quisnam eadem commiserit. Et idem dicunt Doctores Iurisperiti de alijs delictis in conclusione positis, & quandocunque crimen fuerit grauissimũ, & atrocissimum: vt si reperiretur occisus Episcopus, siue aliquis alius Prælatus: aut aliqua persona insignis, tunc absque præcedenti infamia, seu manifestis indicijs, inquisitio specialis fieri posset, & quicunque de eiusmodi crimine fuerit suspectus, iuridicè puniri, iuxta legem si quis in hoc genus. C. de Sacros. Eccles. Videatur hac de re Iul. Clar. §. fi. q. 5. & Farinac. 1. q. 1. num. 5. & Anton. Gom. lib. 3. variar. cap. 1. num. 49.

Pro quorum omnium intelligentia, simul atque probatione aduertendum
80 est, quod quamuis secreta † non reuelare, seu quod in idem redit, occultum crimen absque præcedenti infamia, seu aliquo sibi æquipollenti non inquirere, præceptum sit naturale, & diuinum, aut saltim eisdem multum conforme (vt iam semel & iterũ à nobis est dictum) non tamen est eiusmodi præceptum de genere illorum, quæ dicuntur immutabilia, aut primi ordinis: quæ nullam admittunt epicheiam, siue interpretationem, aut dispensationem: qualia sunt præcepta Decalogi, vt diligere Deum, & non mentiri: de quibus dixit D. Tho. 1. 2. quæst. 100. art. 8. cum communi, esse prorsus indispensabilia: sed est de genere illorum, quæ epicheiam, interpretationem, siue dispensationem admittunt: quo fit vt in criminibus supra præmemoratis, propter ipsorum grauitatem, atrocitatem, & specialitatem, iure optimo fieri potuit dispensatio, vt in eis absque præcedente infamia ad particularem inquisitionem posset procedi: fuitque multum rationabilis causa in id ipsum dispensandi, id quod & effectum est de facto, & est communis Doctorum sententia, quam tenet Soto relectione de Secreto, memb. 2. q. 6. concl. 1. in 2. dub. & Nau. in rub. de iudic. num. 89. & 92. dicit ꝙ eadem existente posset modò Papa in tota Ecclesia, & Princeps sæcularis supremus in suo foro, & territorio, legem statuere, & dispensare, vt in casibus similibus absque præcedente infamia ad specialem, & particularem inquisitionem procedatur. Et sit exemplum, in casu, quo essent frequẽtissimi aliqui criminosi, & sceleratissimi homines, à quibus tota respublica grauiter perturbaretur: lex (inquit So.) fieri posset, & dispensari vt de criminibus eiusmodi quicunque essent aliqualiter suspecti, in particulari possent inquiri, & duobus aut tribus existentibus testibus, publicè tota legis pœna puniri. Et hoc vtendo iure, & ob caussam ibidẽ expressam supradictus Imperat. Federicus promulgauit Extrauagantem ad reprimendum superius positam. Verùm est tñ quod hoc non licitum est cuilibet, sed solummodo supremo Principi in suo foro, & territorio, & soli Papæ in tota Ecclesia: nam reliqui oẽs commune ius strictè atque obnixè tenentur seruare: est autem illud vt sine præcedenti infamia contra nullam personam ad particularem inquisitionẽ procedatur, & quod
† ea facta (etiam si inquisitus conuincatur) non puniatur tota legis pœna, 81
sed alia arbitria secundum meritum & qualitatem excessus, prout iudicantis discretio id fuerit moderata, prout habetur expressè determinatum, in cap. inquisitionis, de accusat. §. 1.

Secun-

Secunda Conclusio.

82 QVANDO Quis publicè cõfessus † fuerit proprium crimen extra ordinem iuris, benè potest contra eum absque præcedenti infamia fieri particularis inquisitio. Hæc conclusio est etiã omnium communis, & satis colligitur, ex cap. 1. de accusat. lib. 6. de qua videndus est Soto loco vbi supra, in secundo casu, cuius & in promptu ratio est: nam propria confessio (maximè publica) æquipollet infamiæ. Sed aduertit prædictus Soto, hoc esse intelligendũ
83 † sano modo, de eo, qui in publico, & coram multis proprium crimen est cõfessus: etenim nisi quis secretò coram vno, aut duobus testibus (quin verò & coram Iudice siue Prælato) lapsu linguæ seu alio modo (quia nimis fuit ad loquendum procliuis) crimen aliquod se commisisse confiteretur, aut si Prælatus eiusdem literas aperiret, in quibus assereret ipse se tale crimen cõmisisse: non (inquit) esset ius Iudici, siue Prælato contra illum iudicialiter procedendi, aut de eo crimine inquirẽdi: sed solummodo posset ipsum fraternaliter corrigere: ni forsan esset ex illis criminibus, quæ vergere diximus in perniciem publicam, aut sibi similibus: nam de his dicit quod aliud esset iudicium. Sed Nauar. in rubrica de Iudicijs, num. 86. hac eadem de re agendo, dicit quod si confessio prædicta fuisset iudicialis, etiã facta coram solo Prælato, siue iudice, & notario, sufficiens esset ad ineundam particularem inquisitionem contra prædictũ, quia eiusmodi confessio iudicialis facit notorium iuris, in quo casu procedendum est; iuxta cap. fina. de temporibus ordinandorum, & cap. Vestra, & cap. etiam fina. de cohabitatione clericorum, & mulierum. Post quæ addit, quod extraiudicialiter facta etiam coram multis, non est ad inquisitionem sufficiens, nisi quando fuerit adeo publica, vt æquipolleat infamiæ: ita vt verè dici possit quod ex ea aliquis redditur infamatus, quod libuit hic aduertere, quia quam maxima est consideratione dignum, & facit multum ad præsens propositum.

Tertia Conclusio.

PROPTER Incidentem † cognitionem, absque præcedente infamia, bene etiam potest fieri particularis inquisitio. Hæc conclusio est supra dicti Soto loco vbi supra in quarto casu, & ponit exemplum, vt si Iudex, siue Prælatus inquirendo de vno crimine detegat aliud, vt si v.g. inquirendo de concubinatu, de quo quispiam laborabat infamia, intelligeret cõcubinam esse monialem, aut sibi consanguineam: in tali casu (inquit) tunc poterit iure inquirere de illa circunstantia sacrilegij, aut incesti, quæ concubinatum aggrauat. Et idem iudicium esse dicit, de alijs delictis, quæ talem habent connexionẽ, quod vnum est alterius indicium, aut non potest perfectè cognosci sine alio. Secus tamen (inquit) esset, si crimina essent omninò disparata: nam tunc incidens cognitio occulti criminis, non dat ius iudici ad inquirendum. Vt si ille, qui inquiritur de concubinatu, inueniatur occultus homicida: in tali casu (inquit) absque præcedenti infamia siue indicijs (vbi illa sufficiunt) nõ fieri poterit contra eum particularis inquisitio. Hæc supra dictus Soto loco vbi supra. Sed Nauar. loco etiam supra citato, penes hoc vltimum dissentit ab eo, & dicit quod etiam si crimina sint disparata, & non habeant prædictam connexionem, fieri potest eiusmodi inquisitio, & puniri reus eadem seu alia noua tela iudicij, si cognita fuerint in iudicio: quia (vt dictum est in precedenti conclusione) iudicialis † confessio inducit notorium iuris, 85
quod

quod æquipollet infamiæ, & vicem habet accusatoris: quod probat ex multis iuribus & legibus, quæ poterunt videri ibidem. Qua in re teneat quilibet quod sibi placuerit, aut rationi consonum magis esse viderit.

Quarta Conclusio.

86 QVANDO Crimen † vergit in præiudicium tertij, bene etiam potest sine præcedenti infamia, fieri de eo particularis inquisitio. Hæc etiam conclusio est Magistri Soto loco vbi supra in sexto casu, & ponit exemplum, vt si quis intendat aliquem occidere, seu alicuius bona furto surripere: ad euitandum eiusmodi damnum tertij, sine præcedenti infamia, bene (inquit) potest aduersus eum fieri particularis inquisitio. Nam quando supradictum est, vt ipsa non fiat absque præcedente infamia, intelligendum id est in criminibus priuatis, & quæ solummodo nocent, ipsi peccanti: nam si vergunt in præiudicium tertij, & maximè si damnum adhuc est in fieri & pendet in futurum: quomodocunque talia crimina cognoscantur, inquirenda sunt, &

87 cohibenda. Quocirca si aliquis † reus per calumniam fuerit accusatus, & iudex procedendo in suo iudicio illud comperiat, absque præcedenti infamia aduersus calumniatorem potest inquirere, eundemque punire: id quod habetur in l. 1. C. de calumniatorib. Et idem est dicendum, si comperiat falsum testem, aut quempiam falsam aliquam scripturã finxisse, per l. Nullum. C. de testibus, & l. penultimam. C. de probationibus. Idipsum est etiã dicẽdum si cõperiat tutorem rẽ pupilli alicuius infideliter agere: per leg. Tutorem. C. de ijs quibus vt indigni, quod & vniuersaliter obseruandum est in omnibus criminibus quæ vergunt in præiudicium tertij. De quibus videatur Nauarro loco vbi supra, numer. 85. vbi plures alios ponit casus, in quibus propter euitãdum prædictum præiudicium tertij fieri, potest particularis inquisitio.

Circa istum articulum adnotare libet; quod præter supra dictos casus, alij duo solent adduci à Doctoribus de mente Bartoli loco vbi supra, in quibus dicunt absque præcedenti infamia procedi etiam posse ad specialem & particularem inquisitionem. Horum primus est, quando Iudex siue Prælatus procedit ex mero suo officio, vel ad denuntiationem fiscalis, seu officialis publici. Alter vero, quando in inquisitione generali, comperit quempiam deliquisse: sed isti casus nõ admittuntur à Magistro Soto loco vbi supra, & quidem meritò, quoniam vt ait in tertio & quarto casu, denunciatio † fiscalis, seu officialis pu 88
blici, quantum ad hoc non habet aliquod maius priuilegium: quam denunciatio cuiuslibet priuatę personæ, si crimen est priuatum, & non ex his, quæ vergunt in perniciem publicam siue præiudicium tertij: nec verò iudex aut Prælatus in inquisitione generali comperiens aliquod delictum, descendere potest ad particularem, si non adsit infamia, aut crimen est ex prædictis: Vt enim sæpè diximus (& nec piget semel atque iterum id ipsum dicere) Iudex, seu Prælatus dum generaliter inquirit, quamuis comperiat quempiam deliquisse, & vtcumque crimen duobus, vel tribus testibus possit cõprobari: si non adsit infamia, vel si non est accusator, aut denunciator iudicialis, nec crimen vergit in perniciem publicam, siue in pręiudicium tertij: non ad particularem inquisitionem potest procedere, nec fiscalis potest, aut debet eiusmodi crimina denũciare: quod si perperam fecerit, non propterea fieri magis potest particularis inquisitio

sine

sine præcedenti infamia, aut indicijs (in casibus quibus illa sufficiunt) quã si esset denunciatio cuiusuis alterius
89 personæ particularis: Quando † igitur in l. Ea quidem. C. de accusat. dicitur, quod potest iudex ad instantiam publici officialis ad specialem inquisitionem procedere: intelligendum id est; quando eiusmodi officialis denunciat crimen, quod de se est publicum, siue notorium, aut vergit in perniciem publicam, vel in præiudicium tertij: id quod & ibidem supponitur (vt bene ibi aduertit glossa:) in his quidem verum habet prædicta lex, quia propter
90 qualitatem criminum, † & reipublicæ damnum, eiusmodi denunciatio (& maximè facta à fiscali, siue officiali publico) valet pro accusatore, & sic sine præcedenti infamia benè fieri potest prædicta particularis inquisitio. Sed non currit, aut militat eadem ratio, quando crimen est particulare & priuatum, etiam si denunciatio sit fiscalis, aut officialis publici: quod est multum notandum, & quam maximè consideratione dignum: nam multi iudices circa hoc decipiuntur valde, existimantes in tali casu licitum esse sibi ad specialem inquisitionem procedere: quod quidem non ita est, neque in eo delinquens iudicialiter est puniendus, sed tantum fraternaliter corripiendus, nec fiscali, aut publico officiali incumbit eiusmodi delicta particularia, & secreta iudicibus denunciare, & quamuis illud faciat, eius denunciatio absque præcedenti infamia, siue indicijs (in casibus in quibus ipsa sufficiunt) non magis prodest ad hoc vt præterea à iudicibus fieri possit particularis inquisitio, quam si fuisset facta ab aliqua alia persona particulari. Et loquendo de casu, in quo iudex siue Prælatus, facta generali inquisitione comperit quempiam deliquisse, dicit supra dictus Soto, quod in vno solo casu absque præcedenti infamia, seu indicijs posset vlterius procedere, & ille est quando talis delinquens est Prælatus: tunc enim propter † damnum conuentus, & pericu- 91
lum regiminis, dicit quod priuari poterit officio regulari, non quidem per viam inquisitionis (etenim id ipsum facere, esset expresse cõtra capitulum inquisitionis, & cap. qualiter & quando, de accusationibus) sed aliqua honesta via, vt habetur in prædicto cap. qualiter & quando, in cuius fine dicitur, quod Prælati regulares quando necessitas illud poposcerit, facilius, atque liberius possunt à suis administrationibus amoueri. Sed de hoc alias in speciali praxi, quam ipsce de rebus sumus facturi, quæ apponetur in fine huius libri, circa specialem modum procedendi religiosorum in suis iudicijs. Concludendo igitur dico, quod in casibus positis in supradictis quatuor conclusionibus absque præcedenti infamia, per solam denũtiationem, procedere possunt Iudices siue Prælati ad specialem inquisitionem, & delicta adinuenta iudicialiter punire, quia in eisdem denunciatio ipsa vim & robur obtinet infamiæ, & locum habet accusatoris, de quo videatur Soto loco vbi supra.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm particularis inquisitio fieri possit, & debeat, propter schedulas, seu literas infamatrices, & delatorias, clanculum missas?

CVM frequentissimum sit, & plusquam par esset perperam ab aliquibus vsitatum; schedulas, & literas infamatrices, siue delatorias clanculum ad Iudices, siue Prælatos mittere; quibus dicitur, Petrum, vel Paulum hoc, aut illud delictum commisisse; id quod & probare contendunt (quamuis occultè, & in secreto) nominando interdum testes, ex quorũ fide dignis testimonijs (vt ipsi aiunt:)

aiunt) id ipsum sciri, & comprobari poterit: huius rei occasione, non immeritò à nobis in præsentiarum discutiendum, atque disputandum proponitur: an propter eiusmodi schedulas & literas infamatrices, iudices atque Prælati possint, aut debeant ad specialem & particularem inquisitionem procedere, & quid in eiusmodi casu sit faciendum?

92 Et vt difficultas † magis in suo puncto constituatur, pro parte affirmatiua facere videtur, id quod habetur Ezechielis 3. & 33. vbi dicitur, quod Iudices, atque Prælati positi sunt speculatores super populum Domini, qui & proinde inuigilare debent super gregem suum, & vitam, & mores suorum subditorum inquirere, omnique cura, diligentia, atque sollicitudine explorare, qualiter ipsi se gerant in cunctis operibus suis: ex quo (vt videtur) sequitur ad eorundem spectare officium, illorum peccata, quę norunt, non dissimulatione prętetire, quoquo modo ad suam notitiam peruenerint, sed prout tenentur punire, & quod contrarium facientes meritò veniant reprehendendi, & puniendi, quemadmodum, & reprehẽsus atque punitus fuisse legitur olim Heli, vt habetur primi Regum, c. 2. & refertur in cap. Licet Heli de Simonia, eò quod filios suos sceleratos, ac vitijs repletos non corripuerit. Cum igitur in proposito casu (vt supponitur) iudices, siue Prælati (quamuis secretò) instruantur, ac informentur de excessibus suorum subditorum, & testes nominentur, quibus id quod dicitur iure possit comprobari: dicendum videtur quod non solum possunt, verum etiam & tenentur ad specialem & particularem prædictam inquisitionem procedere, & ad inuestigationem eorum, quæ in eiusmodi schedulis, chartulis seu literis infamatorijs continentur. Hoc est fortissimum quoddam argumentum, quod pro hac parte fieri potest: sed eo nihilominus non obstante, in contrarium est omninò veritas, quæ & explicabitur per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

IVdices siue Prælati, † propter schedulas, & literas infamatrices, siue declaratorias, nullatenus possunt, 93 aut debent ad particularem inquisitionem procedere. Hæc conclusio habetur expressa in cap. inquisitionis de accusat. §. tertij dubitationis, vbi Innocentius III. simili dubitationi sibi propositæ, vtrum ad petitionem quorundam occultè schedulas tradentium, quibus Episcopi cuiusdam infamatio continebatur, ad inquisitionem eorum, quæ in ipsis dicebantur esset procedendum: respondendo inquit, nullatenus id ipsum esse faciendum. Vbi glossa verbo in occulto, dicit eiusmodi infamatores (si reperiantur) acriter esse puniendos, pro quo allegat, Cap. Quidam maligni, 5. quæst. 1. & ait quod deteriores sunt eiusmodi, quam illi qui substantias, & prædia aliorum diripiunt: pro quo allegat, cap. Deteriores, & cap. Ex merito. 6. q. 1. In cuius etiam rei comprobationem, adducit illud Psal. 49. Detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar: pro quo & facere dicit, c. Nimium sunt, & c. qui peccat, 23. q. 4 quibus habetur, quod eiusmodi † infamatores, & inquieti viri, ex officio potestatis sunt puniendi, & corrigendi: quod valdè est notandum, atque memoriæ commendandum: & 94 dicendum, quod ipsi nullatenus sunt audiendi, aut propter eorum infamatrices literas, vllo modo contra aliquem est ad particularem inquisitionem deueniendum. Quod & probari potest hac speciali ratione: nam (vt supra diximus) iudices, siue prælati neminem possunt punire, aut contra quempiam ad specialem inquisitionem procedere, sine accusatore, seu

alio sibi æquipollenti: & quod eius vicem suppleat,& gerat: & intra etiã dicemus,ad rationem accusatoris prædicti pertinere,quod suam accusationem subscribat,& ad rationis pœnam se submittat, si in probatione defecerit,& ad delatum crimen non probauerit:sed prædictæ literæ infamatrices, quorum author omninò ignoratur etiam,si subscriptæ sint, vt moris est,alicuius conficto nomine,non habent,sed neque habere possunt vicem accusatoris,cum minimè sciatur quisnam sit qui id ipsum fecit, & cui pœna talionis prædicta imponenda veniat, si crimen, & delictum ibidem contentum non comprobetur: ergo propter illas iudices siue Prælati, nullatenus possunt ad particularem, & specialem inquisitionem procedere.

95 His accedit quod literæ † prædictæ, nec habere possunt rationem infamię,quam etiam supra necessariam esse diximus ad ineundam specialem inquisitionem: aliàs enim liberum esse cuilibet maligni spiritus impulsu agitato:quemlibet infamare, & facere,vt contra eum fiat particularis inquisitio: quod nullo modo est dicendum, vt latissimè tradit Panormit. in prædicto,capit. Inquisitionis, §.3. dubitationis, numer. 4. & probat illud ex c.fina. de accusatio. & addit quod ex eiusdem infamatricibus literis nihil omninò probatur, & nec famam aut infamiam vllo modo possunt efficere. Sed dices, quid ergo in proposito casu faciendum est, vt iudices siue Prelati tanquam discreti, & prudentes viri procedant, & non ignauię,siue negligentiæ arguantur? Respondeo & sit secunda conclusio.

Secunda Conclusio.

PRÆDICTÆ infamatrices † literæ scindendę sunt, atque rumpendæ, & in casu quo propter aliam rationem, & causam seruentur nulla omninò de eis ratio est habenda, vt propterea procedi possit ad vlteriorem faciendam inquisitionem. Hæc conclusio (vt videtur) est determinata, in cap. Qui in alterius, 5.q.1. Qua de re videatur Salcedo in sua Practica criminali canonica, cap. 4 litera A. vbi ad hoc propositum adducit consilium quoddam ex Hostiẽsi, titulo de Inquisitione, §.2 verbo, vt autẽ, vbi dicit, quod iudices, siue prælati non debent passim, aut frequẽter eiusmodi literas infamatrices, siue chartulas delatorias recipere nec oportet ex alia parte eosdem in hisce rebus credendis nimium esse incredulos: cũ quandoq; ex eis haud mediocris vtilitas soleat prouenire: sed maturo cõsilio,& prudenti cautela se habere, indagando occultè,& in secreto earundem veritatem,aut falsitatem, vt de congruo remedio (opus si fuerint possint prouidere, absque eo quod pp ipsas vllo modo ad inquisitionem particularem procedant: etiam si in illis testium exhibeatur copia, quibus id quod ibidem dicitur comprobetur. Et ratio supra dictæ conclusionis est, quia cum (vt præmittitur) prædictarum literarum auctor sit incertus,& eiusmodi Capitula extraiudicialiter fuerint producta: ex eisdem nihil omninò fieri potest iuridicum. Et addit prædictus Salcedo, quod si quidpiam perperam in contrarium fiat, processus factus erit ipso iure nullus: id quod & tradit Iulius Clarus in sua Practica criminali, §.finali, quæstione quinta, num.3. vers. Scias enim vbi dicit id ita communiter obseruari in praxi.

Ad argumentũ † igitur in contrarium 97

rium

rium adductum respondetur, quod quamuis (vt ibidem dicitur) iudices, atque prælati inuigilare semper debeant super gregem suum, & suorum subditorum quam maximã curam habere: illorum etiam errata corrigere, neque ea dissimulatione præterire: haudquaquam tamen debent in suorum officiorum executione, regulas à iure præscriptas ad cognoscenda, ac inuestiganda delicta prętermittere: quin verò strictè obseruare, & contrarium facere nefas est, & scelus quam maximum: est autem contra ius, & contra omnem prorsus rationem (vt ex prædictis satis constat) quod propter eiusmodi literas infamatrices, cum non habeãt, sed neque habere possint vicem accusatoris, aut infamiæ, procedatur ad particularem, & specialem inquisitionem. Quod si Heli olim reprehensus fuit pro eo, quod filios suos non corripuit, meritò quidem, ac rectissimè id ipsum est factum, postquam de illorum scelere, & à se commisso delicto, adeò publica præcesserat infamia, vt satis constat ex contextu literę, & dispar si ratio, diuersum etiã debet esse iudicium.

ARTICVLVS IX.

Vtrum particularis inquisitio, qua non pœna delinquentis intenditur, sed euitare aliquod damnum siue errorem, sine precedenti infamia fieri possit?

DIFFICVLTATEM Præsentem (nec immerito) in hunc vsque locum disputandam distuli, vt congruentiori ordine dicerentur cuncta. Sicque cum in superioribus per plures articulos egerimus, de inquisitione particulari qua pœna delinquentis intenditur, & specialiter inquiritur de aliqua particulari persona, an hoc vel illud delictum commiserit, ad infligendam sibi pœnam, & priuandam eandem officio, siue beneficio, iuxta iuris ordinẽ præscriptũ: iam tempus præsefert vt agamus de inquisitione, qua non pęna delinquentis intenditur, sed euitare aliquod damnum, siue errorem; vt cum inquiruntur merita alicuius personæ ne indignus ad dignitatem, seu officiũ quoddam forsan assumatur; aut iam electus confirmetur: an eiusmodi inquisitio sine præcedenti infamia fieri possit? cui difficultati respondeo per sequentem conclusionem.

Conclusio.

PRædicta particularis † Inquisitio iure optimo fieri potest, absque aliqua præcedenti infamia. 98
Hæc conclusio communis est omnium Doctorum resolutio. De qua videatur Panormitanus in cap. 1. de officio ordinarij: sed de ea specialiter videndus est Soto relectione de secreto, membro secundo, quæstione sexta conclusione tertia, in primo casu. Vbi dicit ad eandem faciendam teneri omnes iudices, & Prælatos ex debito sui officij, maximè electionum tempore, ante electionem, vel post: sed prius quam perueniatur ad confirmationẽ: vt ne forsan indignus ad dignitatẽ aliquam, seu officium assumatur; aut iã electus confirmetur. Pro quo citat c. Postquam, cap. Cum dilectus, ca. Nihil, de electione. Et in hoc conueniũt omnes, quod in hoc casu fieri potest particularis inquisitio, eo modo quo fit, fierique debet, ad vidẽdum sit ne aliquod impedimentum ad contrahẽdum hoc, vel illud matrimoniũ: quod est expressè stabilitum, & determinatũ in cap. fina. de clandest. sponsal. Possunt itaque quin verò & debent, iudices, siue Pręlati in eiusmodi casu absque

que aliqua præcedenti infamia, meritò, siue demeritò suorum subditorum statim præficiendorum inquirere, non quo ipsos puniant (id enim sine præcedenti infamia facere nullo modo licet vt sæpè iam diximus) sed quo illos aliquo honesto, & conuenienti medio, ab eiusmodi electionibus auertere, & dimouere studeant: quod quidem & fieri debet quam maximo secreto fieri poterit, curando pro viribus, vt ex sua facta inquisitione nulla infamia eisdem resultet. Videatur etiam hac de re Nauar. in rubrica de iudicijs, numero 85. vbi refert plures

99 similes casus, † in quibus sine præcedenti infamia, licitè fieri potest contra aliquos prædicta specialis inquisitio, non in ordine ad eorundem punitionem, sed ad euitandum aliquod damnum, siue errorem; vt cum postulatur quis ad aliquam Ecclesiam, & ignoratur an sit dignus: vel inquiruntur alicuius merita, aut demerita, ad sciẽdum an sit ordinandus, vel admittendus ad aliquod beneficium, si præsentetur ad ipsum. De quo agit latissimè Speculator titulo de Inquisitione, §. primo, & nunc nouissimè Salon primo tomo de iustitia, & iure, in secunda secundæ Diui Thomæ, quæstione 69. articulo secundo, controuersia quarta. vbi dicit testes in id ipsum à iudicibus competentibus interrogatos & requisitos, teneri ad explicandum secretò (atque etiam iuridicè si oportuerit) defectus, & impedimenta, quæ patiuntur ij, de quibus facta fuerit prædicta inquisitio, si ea plenè, ac certò nouerint, ad euitandum errorem (vt dixi) vt ne indigni ad dignitates, & officia assumantur.

100 Et addit vnum, † quod maiorem difficultatem habet, nempè teneri ad faciendum id ipsum in sua propria causa, illum, de quo fit inquisitio, si eadem de re inter alios fuerit ipse interrogatus. Cuius quidem rationem esse dicit: nam cum iudex, siue Prælatus, in eiusmodi inquisitione procedat iuridicè, & teneatur ex officio sibi iniuncto illam efficere (vt dictum est) & nec veritas alia via sciri possit, nisi aut ex dictis testium, aut ex confessione ipsius, qui ad officium siue dignitatem aliquam est assumendus: quo iure (inquit) iudices, siue prælati eundem interrogare possunt: eodem & ipse tenetur ad interrogata fideliter respondere, & omninò veritatem dicere. Probat id ipsum præterea alia ratione; quia (inquit) si quidpiam in contrarium obstaret, maximè vt ne alicuius defectus occulti prodantur, & manifestentur, absque ratione, & iusta, & legitima causa: sed hæc ratio nihil valet: nam qui expostulat aliquod officium siue dignitatem, eo ipso quo illam expostulat, voluntariè se offert huic periculo, incommodo, & damno, & videtur cedere iuri suo, consentireque vt iudex, siue Prelatus, absque aliqua præcedenti infamia inquirere de eo possit, & interrogare quoscunque voluerit testes, & eundẽ ipsum: an aliquos patiatur defectus, qui illum eiusmodi dignitate, & officio indignum reddant: quo fit vt voluntariè illa expostulans, teneatur proprios defectus, & suorum parentum, siue sui generis confiteri, si qui sint qui illum indignum reddant, etiam si sint occulti. Non † est autem 101
(inquit prædictus Salon) eadem ratio de illo, qui non voluntariè huic damno, & periculo se se offert: sed eligitur absque eo quod ipse ea officia expostulet: nam iste talis non tenebitur proprios defectus, aut suorum parentum, vel sui generis confiteri, aut manifestare: in publicumque producere, quamuis interrogetur (si sint occulti) quin verò ius retinet vt non de occultis infametur, cui quidem non renunciat, nisi quando voluntariè illa expostulat. Et addit: quod

su-

superiores, & Prælati, & electores, quando volunt aliquem ad aliquod officium siue dignitatem promouere: suum prius animum debent illi manifestare, & indicere, per se vel per interpositam personam, dicendo conditiones & qualitates, quas ad id ipsum eundem oportet habere: & defectus, qui impedimento, & obstaculo quoquomodo illi esse poterunt, quominus ad prædicta officia promoueatur; vt ipse se videat, & iudicet, sit idoneus ac sufficiens, necne? quo facto si semel sic admonitus consenserit perinde consentire videtur, vt de eo prædicta inquisitio particularis fiat, & iuri suo renunciare, vt sui defectus (etiam occulti) disquirantur, & de illis ipse interrogari possit, teneaturque veritatem dicere, ac semetipsum prodere. Quod est intelligendum de illis defectibus, qui ipsum possunt indignum reddere ad obtinenda officia prędicta quæ postulat; non vero de alijs ad id ipsum non pertinentibus: nam de eis diuersum est omninò iudicium, neq; licet de talibus inquisitionem efficere, aut ipse interrogatus tenetur eosdē manifestare. Prædicta omnia quam maxima sunt consideratione digna, satisque iuridica & cōformia his, quę habentur in iure: sed maximè in capitulo, Episcopi distinctio. 24. & capit. Ordinationes, distinct. 75. & in Clement. 1. de Concessione præbend.

ARTICVLVS X.

Vtrùm in delictis notorijs fieri possit, & debeat prædicta particularis inquisitio?

PRO huius Articuli intelligentia oportet præmittere, seu potius in memoriam reducere: id quod & supra aliqualiter diximus: quod in iure tantum reperiuntur tres cognitionis viæ, seu modi perueniendi ad secretorum & occultorum criminum cognitionem: nempè per viam accusationis, denunciationis, siue inquisitionis: nam omnia crimina, & delicta, quæ iuridicè cognosci possunt, & notoria non sunt: ad prædictas tres cognitionis via, siue modos reducantur: quæ enim notoria sunt, de iure non indigent aliqua via, vt cognoscantur, sed satis per se sunt nota, vt absque vlla præuia cognitione statim possint puniri. Vt tamen plenius fiat, quænam sint illa, oportet aduertere, quod notorium in iure dupliciter sumitur: quoddam † enim est notorium notorietate iuris, aliud verò 102
notorietate facti. Illud crimen dicitur notorium notorietate iuris, quod reus ipse coram iudice, siue prælato iuridice est confessus: aut quod diffinitum est iudicis diffinitiua sententia, seu ita potest idoneis testibus comprobari, vt nulla possit tergiuersatione celari. Illud verò dicitur notorium notorietate facti, quod in conspectu totius populi est perpetratum, aut saltem ita publicè, quod nulla etiam potest tergiuersatione celari: nam quamuis Doctores iurisperiti variēt, multumque insumant temporis in explicādo, declarando, atque determinando, quodnam factum dicatur notorium (de quo etiam plura dicit Magister Soto in quarto sententiarum distinctione 12. q. 1. artic. 6.) quod tamen à nobis est dictum, magis est certum, & indubitatum, ac pro tali habendum. Quo præmisso, respondetur huic art. per sequentem conclusionem.

Conclusio.

CRimen quod de se est † notorium notorietate iuris, siue notorietate facti, non aliqua indiget via, vt cognoscatur, aut de eo fieri debeat particularis inquisitio: sed statim debet puniri à Pręlatis, siue Iudicibus. Hæc conclusio est expressa Magistri Soto, relectione de Secreto, 103

membro secundo, ante quęst. 1. vbi dicit de huiusmodi criminibus intelligenda esse verba illa D. Pauli ad Timothęum. 5. Quod quorumdam hominum peccata manifesta sunt, praecedentia ad iudicium. Quem locum explicans D. Tho. dicit, quod sit sermo de peccatis notorijs, quæ examinatione nō indigent. Facit & ad hoc c. Manifesta. 2. quęst. 1. quod est Diui Ambrosij, vbi dicitur, quod manifesta accusatione non indigēt. Quo loco glossa, verb. Manifesta, dicit etiam, quod loquitur de delictis notorijs, multisq; tradit quodnam crimen sit, ac dici debeat notorium & addit quod quę ma
104 nifesta † & notoria sunt, iudiciarium ordinem non requirunt, & sine accusatione denuntiatione, siue inquisitione aliqua praeuia iudicantur. Quod etiam habetur, in cap. Euidentia, de accusatio. quod est Diui Augustini super Genesim, cap. 4. agendo de morte Abel, vbi explicat illa verba: Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra, post quæ verba subdit, quod euidentia patrati sceleris, non indiget clamare accusatoris. Ex quibus omnibus superque satis colligitur, quod in iure non sunt, nisi tantum tres cogni-
105 tionis † viæ (vt diximus) seu perueniendi ad secretorum, & occultorum criminum cognitionem: quarum prima est denuntiationis, seu potius fraternæ correctionis, pro illis delictis, quæ probari non possunt accusationis, pro illis quę legitimis testibus possunt comprobari: ac tandem inquisitionis, pro illis quę (pręterquam quod possunt legitimis testibus comprobari) publica etiā laborant infamia, quæ proinde statim cum ad iudicum, siue Prælatorum notitiam peruenerint: inquiri debent specialiter, vt debitè puniantur iuris seruato ordine. At verò quæ notoria sunt, nec accusatione, nec denunciatione, aut inquisitione indigent: sed statim ac de eorū notorietate constiterit, puniri debent. Videatur hac de re Anton. Gom. tom. 3. Variarum, cap. 1. nu. 41. & Iulius Clarus lib. 5. § fina. quæst. 9. à num. 1. cum seqq. & Farinac. quæst. 21. à nu. 1. cum sequentibus latissimè. Quæ omnia quam maximè sunt notanda, ac memoriæ commendanda: vtpote quæ sunt veluti basis, & fundamentum, eorum omnium, quę in subsequentibus sunt dicenda. Qualiter Iudices, siue Prælati habere se debeāt in prædictis delictis notorijs, dicetur a nobis suo loco, quando sermo fiet de modo faciendi processus quæst. 30. & vltima.

ARTICVLVS XI.

Vtrum supradicta particularis inquisitionis iudicium, qua pœna delinquentis intenditur, sit ordinarium, an vero extraordinarium?

IAM SVPRA quæst. 1. artic. 1. agendo † de iudicio in genere, 106
incidenter diximus prædictæ particularis inquisitionis iudicium, verè & propriè esse iudicium, & in sequenti artic. 4. etiam diximus, eandem esse quidem iudicium, non tamen ordinarium, sed extraordinarium: quod & multis iuribus, ac rationibus cōprobauimus. Sed quia hac de re non est par omnium Doctorum consensus, quin verò inter vtriusque iuris peritos magna est lis & controuersia, libuit in præsentiarum difficultatē hāc discutiendam, iterum in medium reducere: cuius resolutionem nosse, haudquaquam futuram inutilem, quin verò vtilissimam, & necessariam quā maximè duxi, vt iudicij ordinarij & extraordinarij plena, & perfecta habeatur notitia: sciantq; iudices & prælati, quibus in casibus supradicta particulari inquisitione, vti possint, & an id ipsum liceat, quando iure præcipitur, vt procedatur ordinarijs, seu per ordinaria iuris remedia.

Et

Et vt ex opinione contrarium veritas plenius illucescat, Doctores qui dicunt inquisitionis prædictæ iudiciũ dici debere ordinarium, non verò extraordinarium, sequentibus nituntur argumentis.

107 Primò id probare contendunt à diffinitione iudicij ordinarij, quod (vt sup. q. 1. art. 1. & 4. diximus) est & dicitur illud in quo concurrunt tres personæ, nempè iudex, actor & reus, in disquirendo contendentes, siue contendere parantes: quæ quidem tres personæ (vt clarè constat) etiam reperiuntur in prædicto particularis inquisitionis iudicio. Neque (inquiunt) obstat dicere, quod in eadem actor non expresè, siue explicitè inueniatur, sed loco ipsius deseruiat fama seu potius infamia publica, aut quidpiam simile cuius occasione iudex, siue prælatus præmissa generali inquisitione, ad hãc specialem, & particularem deueniat: nam licèt id ita sit? nihilominus videtur, quod dici possit, & debeat ordinarium iudicium, neque necessum sit quod semper supradictæ tres personæ in omni iudicio expresè, atque explicitè reperiantur: quin verò sufficiat quod sint implicitè, & subintellectæ, à iure quasi confictæ: iuxta c. qualiter & quando, el 2. de accusat. cui sententiæ fauere videtur D. Tho 2. 2. q. 68. art. 3. vbi de infamia prædicta, & indicijs loquendo (in casu quo eadem ad inquisitionem prędictam sufficiunt) inquit, quod sunt quidam actores, & veluti accusatores ficti, satisque esse ad pfectã rõnẽ ordinarij iudicij.

Secundò probare contendunt id ipsum, ex eo, quod in iure reperitur expressus & constitutus ordo, quo procedi debet in prædictæ particularis inquisitionis iudicio. Qui ordo habetur in c. inquisitionis, & in c. qualiter, & quando, el 1. & 2. de accus.: quibus dicitur vt ad specialem, & particularem inquisitionem contra quempiam non procedatur, nisi præcedenti infamia, aut manifestis indicijs, in casu quo (vt diximus) ipsa sufficiunt: id quod & habetur statutum de iure ciuili in l. 1. C. de custodia reorum, & in l. iustissimos. C. de officio rectoris vbi dicitur, quibus in criminibus licitum est particularem prædictam inquisitionem fieri: quin verò & quandoque necessum: si igitur (inquiunt supradicti Doctores) in iure tam canonico, quam ciuili, expresè reperitur traditus ordo, quo procedendum est inquisitione prædicta: quid ei deficit ad hoc, vt dicatur, dicique possit ordinarium iudicium: cum in ea procedatur iuxta iuris expressum constitutum ordinem? Hæc sunt argumenta & rationes quæ pro hac parte possunt & solent adduci, quibus nihilominus non obstantibus in contrarium est ferè communis Doctorum resolutio, iuxta quam sequens statuitur conclusio.

Conclusio.

SVPRA Dictæ inquisitionis † particularis iudicium, quamuis verè & propriè sit iudicium, non tamen est ordinarium, sed extraordinarium. Hæc conclusio iam satis constare potest ex his quæ incidenter diximus, supra quęst. 1. artic. 4. agentes de iudicio ordinario & extraordinario: sed vt hic ẽt aliquid dicamus. 108

Probatur in primis à diffinitione extraordinarij iudicij, quæ habetur in l. 2. ff. de varijs & extraordin. cognit. & in l. Pecuniæ verbum, ff. de verborum signific. & in l. Cum filius ff. si certũ petatur: quibus in locis dr̃ esse illud, quod non ad instantiam partis, sed iudicis officio expeditur: quod cum plenè conueniat inquisitioni particulari prædictæ: manifestũ profectò fit, eandem esse dicendam (non quidem ordinarium) sed extraordinarium iudicium: idque maximè cum in ea non ordinaria, sed extra- 109

 ordi-

ordinaria via procedatur, vt cōstabit ex sequenti ratione, quæ erit secundū argumentum in ordine.

Et illud est, quoniam cum iudiciū iuxta doctrinam Bartoli, & communem iurisperitorum traditionem: in tres præcipuas diuidatur partes, nempè in principium, medium & finem: in his omnibus in prædicto particularis inquisitionis iudicio, non quidem ordinariè, sed extraordinariè proceditur, & contra expressum iuris ordinem. Nam in principio incipit particularis inquisitionis iudicium, sine actione, siue accusatione vera, aut saltim explicita & expressa, contra expressam, iuris regulam, in l. Rescripto, ff. de muneribus, & honoribus. In medio autem, quia cum in iure sit cautum, vt lite non contestata testes non recipiantur, iuxta cap. quoniam, vt lite nō cōtestata, in inquisitione prędictę cōtra præfatam regulam, testes etiam ante contestatam litem recipiuntur. Ac tandem in fine in eadē deuiatur etiam à regulis iuris cū inquisitio non imponatur pœna ordinaria, & determinata à iure: sed alteretur, & cōmuniter iudicibus relinquatur, vt habetur in cap. Inquisitionis, de accusationibus: ex quibus omnibus sequitur, prædictæ particularis inquisitionis iudicium, non esse ordinarium, sed extraordinarium.

Tandem tertio probatur id ipsum: nam iuxta communem iurisperitorū sententiam, ritè, ac rectè hac de re sentientiam, iudicium ordinarium, propriè atque cum rigore loquēdo, illud tantum dicitur in quo per viam accusationis & petitionis, siue ad instantiā partis alicuius proceditur: vt habetur in l. Nihil aliud, ff. de actionibus, & obligationibus: & quoties proceditur iuris expresso seruato ordine: precedētibus citatione, libelli oblatione, litis contestatione, testium publicatione, conclusione & alijs solemnitatibus de iure requisitis: sed hęc (vt de se patet, superque satis constat ex supra dictis) non reperiuntur in prędictæ particularis inquisitionis iudicio: dicendum est igitur, ac tenendum proculdubio, eandem non quidem esse iudicium ordinarium, sed extraordinarium, vt in conclusione est dictum. Ex quo vlterius colligitur † ipsam non habere lo- 110
cum, vbi lex, siue statutum præcipit, vt in aliquo casu siue casibus: procedatur secundum ordinaria iuris remedia, cessareque adueniente ordinario accusationis, seu iudicialis denuntiationis remedio. Neque prædicta particularis inquisitio fieri potest, nisi in casibus à iure permissis, & expressis, in cap. qualiter & quādo el secondo, & cap. inquisitionis, de accusat. de quibus & nos diximus supra in art. 6.

Ad argumenta † igitur in contra- 111
rium adducta facili negocio respondetur. Ad primum negando quod diffinitio ordinarij iudicij conueniat inquisitioni particulari prędictę, vt satis constat ex his quæ adducta sunt in comprobationem positæ conclusionis, & maximè cum non in eadem inueniatur persona actoris siue accusatoris expressa, sed tantum conficta, quod nec minimum interest ad rationem ordinarij iudicij, de cuius ratione esse videtur, vt in eo procedatur media accusatione vera, atque expressa.

Ad secundum dico, quod licèt inquisitio particularis prædicta, vtroque iure concedatur permissa, in casibus, de quibus supra remanet dictum; licèt etiam in iure tam canonico, quam ciuili, habeatur præscriptus ordo, quo in ea procedendum est: haud tamen inde sequitur eandem esse ordinarium iudicium. Nam etiam extraordinaria remedia in iure suum habent ordinē præscriptum, & ibidem determinatum reperitur quonam modo in hisce rebus sit procedendū, nec tamen inde sequitur, quod pro eo dicenda sint ordina-

dinaria iudicia. Non enim bene infertur, ius statuit ordinem, quo in hoc, aut illo casu procedendum est: ergo eiusmodi remedium est ordinarium. Qui hac de re plura videre voluerit, consulat Antonium Gomez tomo 3. variarum, cap. 1. à numero 49. cum sequentibus, & Iulium Clarum libro 5. sententiarum §. fin. q. 3. a nu. 1. cum sequentibus, & Nauar. in rubricam de iudicijs, num. 16. Paz in sua praxi tomo 1. annotat. 1. numero 17. & Farinacium quæstio. 1. de inquisitione, numero 8.

QVÆSTIO. VIII.

De denunciatione in communi, & in generali, in tres Articulos diuisa.

SVMMARIVM.

1 *Denunciatio in communi, & generaliter sumpta est nunciatio, siue manifestatio criminis.*
2 *Duplex est denunciatio altera fraterna, altera iudicialis.*
3 *Hæc denunciatio est iudicium ordinarium.*
4 *Denunciatio, inquisitio, & accusatio inter se quadrupliciter differunt.*
5 *Primò ex personis, quibus ista conueniunt.*
6 *Secundò ex fine, qui est bonum priuatum particularis personæ.*
7 *Tertiò penes virtutes, quarum sunt actus.*
8 *Quartò ex parte materiæ circa quam supradicta versantur.*
9 *Denunciatio fraterna differt à iudiciali denunciatione quintupliciter.*
10 *Primò ex fine.*
11 *Secundò penes virtutes, nam denunciatio fraterna est actus charitatis, denunciatio iudicialis est actus iustitiæ.*
12 *Tertiò ex ordine.*
13 *Quartò ad denunciationem fraternam cuncti secus in iudiciali.*
14 *Quintò ex parte terminorum.*

ARTICVLVS I.

Quid sit denunciatio in communi, & generaliter sumpta, & quotuplex?

Prima Conclusio.

DENVNCIATIO † In communi, & generaliter sumpta (vt nomen ipsum sonat) est nunciatio, siue manifestatio criminis, siue delinquentis, facta legitimo Prælato, siue Iudici. Hæc denunciationis diffinitio est Speculatoris, titulo de denunciatione, §. 1. vbi dicit, quod denunciatio descendit à verbo denunciare, quod nihil est omninò aliud, quam alicuius crimen ad præsentiam, siue notitiam iudicis, aut prę lati deferre. Idem dicit Syl. verbo denunciatio, nu. 1. vbi inquit, quod denunciatio est idem, quod nunciatio, siue manifestatio criminis facta superiori. In qua nominis ethymologia dicit, quod præpositio, de, veluti auget, nunciationem: pro quo allegat, l. 1. ff. de depositis: quasi dicat, quod denunciatio est, non quęcũq; simplex nunciatio, sed ordinata ad particularẽ coniunctionis effectum. 1

Secunda Conclusio.

QVamuis denunciatio (vt cõmuniter, & generaliter sumpta) à Doctorib. Canonistis quadrupliciter diuidatur, in Euangelicã Canonicam, iudicialem, & regularẽ: melius est, vt cum Theologis dicamus, quod omnis in vniuersum † denũciatio est duplex, altera fraterna, altera verò iudicialis. Pro cuius cõclusionis intelligẽtia dico, quod Panormitanus 2

& Doctores Canonistæ, communiter in c. Nouit, de iudicijs, & super c. Si peccauerit 2. q. 1. & specialiter Speculator titulo de denunciatione. §. 2. quatuor ponunt denunciationis species; quarum prima dicitur Euangelica, sumpta denominatione à causa efficienti, siue originali, vt inquit Panormitanus super cap. Nouit, de iudicijs, quia nempe ortum habet, & originem ex Euangelio: & est illa, qua fratris crimen Prælato tanquam patri fraternaliter denunciatur: quæ proinde alio etiam nomine fraternalis dicitur, & ab alijs vocatur pænitentialis, pro eo quòd ordinetur ad hoc, vt pro peccato commisso, aliqua pæna fratri peccanti imponatur. Altera verò est canonica, quæ & talis dicitur, pro eo quod à sacris canonibus sit adinuenta, licèt secundum Innocentium à lege veteris testamenti suum etiam trahat ortum, & originem: in hunc finem ordinata, vt non vltra procedant, sed reprimantur crimina, & prouideatur bono communi Reipublicæ. Alia verò dicitur iudicialis, qua crimen alicuius iudici, siue prælato (non tāquam patri) sed tanquam iudici reuelatur, vt eundem puniat. Ac tandē vltimo alia dicitur denuntiatio regularis, qua religiosorum delicta læuia suis prælatis reuelantur, siue proclamantur, & manifestantur, vt secundum religionis cuiusque præscriptas regulas, siue constitutiones puniantur. Quamuis tamen hoc ita sit, multo melius est, vt cum Theologis dicamus, quod omnis in vniuersum denuntiatio est duplex; altera fraterna Euangelica, siue pænitentialis, altera verò iudicialis, quod tenet expresse Syluester vbi sup. vbi dicit, quod stādo in illa quadruplici diuisione vix poterit quispiam saluare, quin membra diuisionis supradictæ Canonistarum coincidant, siue confundantur: vnde & ait, quod prima dicitur simul fraterna, Euangelica, atq; pænitentialis, quia fit prælato tanquā priuatæ personæ, quò fratrē fraternaliter corrigat, eique misericorditer pro culpæ modulo pænitentiam iniungat: absque ordine iuris. Secunda verò iudicialis, quia fit eidem tanquam personæ publicæ & vt iudex est, quò eundem iudicialiter puniat, secundum iuris præscriptas regulas, & ordinis statuta, vt est illa, quæ fit à fiscali propter bonum commune, & publicum, seu à persona aliqua priuata iudicialiter denunciante, propter bonum eius priuatum, prætendēs damnum sibi illatum resarciri, & se restitui in statum pristini: de quibus omnibus dicemus infra. Videatur hac re Soto de Secreto membro 2. quæst. 5. & de iustitia & iure, lib. 5. quæst. et 5. ar. 1. Circa quā conclusionem nihil de nouo dicendum occurrit, præter quā quod denunciatio prædicta fraterna est, & quæ communiter circunfertur fraternæ correctionis nomine, quia fit fieriq; debet, iuxta ordinem præscriptum in Euangelio. Matth. 18. Vbi Christus Dominus hac de re agendo dixit: Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eū inter te, & ipsum solum. Si te audierit lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit: adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: quod si eos non audierit dic Ecclesiæ: vbi Ecclesiæ nomine Prælatus venit intelligendus, in quantum est Pater, non verò qua ratione iudex est. Nam forum iudiciale non incipit, nisi in subsequentibus verbis, si Ecclesiam non audierit sit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus: vt latius constabit ex dicendis in sequenti quæstione.

Aduertendum est etiam, quod denuntiatio † prædicta, vt communiter & generaliter sumpta, est iudicium, 3
non quidem extraordinarium, sed ordinarium: vt expresse tenet, & probat Paz in sua praxi tomo 1. 4. p.

capit.

capit. 2. agendo de modo procedendi per viam denunciationis, quod & colligit ex cap. licet Heli, de Simonia, & ex Extrauag. ad reprimendum, & ex l. Ea quidem, C. de accuſat. & de iure Regio, ex l. 27. tit. 1. par. 7. quod & conſtare facile poteſt ratione deſumpta à diffinitione ordinarij iudicij, cum in omnibus & per omnia (vt patebit intuenti, traduntque id Doctores communiter) eiuſdem diffinitio aptiſſimè conueniat denunciationi prædictæ.

ARTICVLVS II.

In quo differat denunciatio in communi, ab inquiſitione, & accuſatione?

PRO Huius Articuli intelligentia oportet breuiter in memoriam reducere, ſupradictorum omnium diffinitiones: quò cognita eorundem natura, & eſſentia, differentiam, quæ inter ipſa verſatur facilius valeamus perſpi ere. Et dico (vt iam ex ſupradictis conſtat) quod inquiſitio in communi ſumpta, eſt inueſtigatio criminis, ſiue peccatoris occulti, facta à Prælato, ſiue Iudice. Denunciatio etiam ſumpta in communi (vt nomen ipſum ſonat) eſt nunciatio, ſiue manifeſtatio, peccatoris ſiue criminis, facta etiam Prælato, aut Iudici tanquam perſonæ particulari, vt plurimum. Accuſatio autem eſt delatio peccatoris eiuſdem, ſiue criminis, facta prælato, aut iudici (non quidem tanquam perſonæ particulari) ſed tanquam perſonæ publicæ: idque vindicationis, ſiue punitionis gratia. Quo præmiſſo notabili, facilè licebit colligere, quod inter ſupradicta omnia quadruplex verſatur differentia, de qua ſequens ſtatuitur concluſio.

Concluſio.

DEnũciatio † in communi ſumpta, inquiſitio & accuſatio, quadrupliciter differunt. Probatur concluſio. Nam primò differunt † ex perſonis, quibus iſta conueniunt: quia denunciatio (prout in ſe comprehendit fraternam etiam correctionem, quæ ex præcepto Euangelico fieri debet, iuxta illud, quod habetur Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, &c.) omnibus in vniuerſum conuenit, ſubditis atque Prælatis: at accuſatio ſolis ſubditis, (neque enim fas eſt prælatos ſubditos ſuos accuſare) inquiſitio autem ſolis Prælatis competit: nam ſubditis omni iure interdictum eſt, vitam & mores aliorum ſibi conſubditorum explorare, aut inquirere.

4

5

Secundò differunt † ex fine: nam finis denunciationis (prout etiam in ſe comprehendit fraternam correctionem) eſt bonum priuatum particularis perſonæ, ſcilicet emenda delinquẽtis: vt frater correctus emendetur, & corrigatur, quo obtento illic eſt ſiſtendum, nec vlterius progrediendũ: at inquiſitionis, ſiue accuſationis finis, non eſt bonum priuatum ipſius delinquentis, ſed bonum publicum: vt ſcilicet reus ipſe puniatur: neque enim accuſatio, ſiue inquiſitio in correctione ſiſtit: ſed vtraque tendit ad punitionem, maiorem, vel minorem: nam etiam ſi reus ſit emendatus, & de ipſius emenda conſtet, ſi tamen accuſator, vel ſi crimen eſt publicum: inquiri, ac puniri debet, idq; publicè, vt ipſius pęna publica timori ſit cæteris Expe dit enim quam maximè reipublicæ id ipſum vt ita fiat, quo quies conſeruetur, & ne ipſius decor ſordeſcat. Cui concinit illud Diui Pauli 1. ad Timoth. 5. Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant. 6

Tertiò

7 Tertiò differunt † supradicta, penes virtutes quarum sunt actus. Nam denunciatio (prout in se comprehendit fraternam correctionem) est actus, & officium charitatis, inquisitio autem, & accusatio, sunt actus virtutis iustitiæ. Quo fit vt denunciator Euangelicus, nec teneatur probare, quod denunciat, nec obnoxius est pœnæ Talionis, etiam si in probatione deficiat: cuius contrarium reperitur saltem in accusatione. Nam accusans, & tenetur crimen quod accusat legitimis testibus comprobare: & si in probatione deficiat, Talionis pœnam meretur subire, vt dicit D. Tho. 2.2. quæst. 68. artic. 4. in solutione ad 1. argum.

8 Quartò & vltimò differunt † ex parte materiæ, circa quam supradicta versantur. Nam denunciatio (prout in se comprehendit etiam fraternam correctionem) versatur circa crimina vtcunque occulta: modò sint extra confessionem cognita. Inquisitio autem solummodo est de crimine, cuius percrebuit infamia, at verò accusatio est de omni crimine probabili, siue laboret infamia, siue nō. Multa alia ad hoc propositum possunt adduci, & plures præscribi differendi rationes, sed pro nunc dictæ sufficiant, & consulto illas facio missas, vt congruentiori loco, & tempore dicantur, quando de his omnibus in particulari specialem fecerimus mentionem. Videatur Soto de secret. membro 2. quæst. 5.

ARTICVLVS III.

Denunciatio fraterna, in quo differat à iudiciali denunciatione?

ISTE Articulus proponitur maioris claritatis gratia, & quòd ea, quę in subsequentibus sunt dicenda plenius elucescant.

Etenim cum necessitas id exposcit: nō ab re esse videtur eadē semel, atq; iterum dicere, & repetere, vt clariora fiant. Hanc igitur ob causam in proposito adducere libuit, differentias, quæ versatur inter denunciationē fraternam ex vna parte, & denunciationem iudicialem ex altera, quæ quidē differentia quintuplex est, & explicabitur per sequentem conclusionem.

Conclusio.

DEnunciatio † fraterna quintupliciter differt, à iudiciali denunciatione. Probatur conclusio. Nam primo differunt ex fine. Finis enim fraternæ, & Euangelicæ denunciationis, est bonum priuatum, scilicet emenda fratris, vt resipiscat & pęniteat de à se commisso peccato: at denunciationis iudicialis finis est, vt bonum publicum (vt fit in denunciatione, quæ fit à fiscali) aut bonū priuatum ipsius denunciantis, vt in denunciatione quam quispiam in particulari facit, de aliqua iniuria sibi illata, expostulans, vt delinquens sibi satisfaciat, reddaturque ipse in statum pristinum: in vtroque isto casu denunciatio iudicialis tendit ad aliqualem peccantis vindictam, habetq; ipsam pro fine. 9

Secundò differunt: penes † virtutes, quarum ista sunt actus. Nam denunciatio fraterna est actus charitatis, & à charitate debet procedere: at vero denuntiatio iudicialis (quamuis etiam esse possit charitatis actus) est tñ actus, siue opus iustitiæ, & ex zelo virtutis iustitiæ debet procedere, vt sit qualis esse conuenit, & vt fiat à fiscali, siue persona alia particulari sine peccato, & aliquando meritoriè. 11

Tertiò differunt † ex ordine. Nam denūciatio fraterna procedit ordine Euangelico (quæ & propterea Euangelica nuncupatur) & fit absque omni strepitu, & figura iudicij: at denunciatio iudicialis, procedit ordine, & 12

forma

forma iudiciali, (propterea enim iudicialis dicitur) & datur etiam in scriptis: & vt infra suo loco dicemus, parum, vel nihil differt ab accusatione: nam & denuntians iudicialiter probare tenetur crimen quod denuntiat: licèt quãdoq; in ipsa procedatur simpliciter & de plano, absq; strepitu, & figura iudicijs.

Quartò differunt. Nam ad denun-
13 ciationem † fraternam cuncti tenentur, & possunt quin verò & quandoq; debent subditi prælatos suos denuntiare, & filij parentes; & ab ea nec repelluntur infames, nec excommunicati: at verò ad denuntiationem iudicialem faciendam, non omnes tenentur, neque ad eam admittuntur omnes, aut possunt ipsam facere: quin verò ab ea multi repelluntur, vt latius dicemus infra, quando agemus de ipsa, & de accusatione à qua etiam quam plurimi repelluntur.

Quintò & vltimo differunt prædi-
14 ctæ † denuntiationes, fraterna & iudicialis ex parte terminorum. Nã denũtiatio fraterna & Euãgelica, habet pro termino emendã fratris, & si frater emendatur cessat: sin verò minus, ipsius rebellio habetur pro accusatore, & ibi incipit forum iudiciale, vt dicemus infra: at verò denunciatio iudicialis non habet pro termino solam emendam fratris: quinimo fratre etiam emendato, non semper & necessariò cessat: sed quandoq; qui iudicialiter denunciat, expostulat damnum sibi, siue Reipublicæ illatum resarciri, de quibus omnibus videatur Soto vbi sup. q. 5. Hæc de denunciatione in communi dixisse sufficiat. Reliquum est vt descendamus ad suas species in particulari, & agamus primò de illa denunciatione quæ prima est in ordine, nempè fraterna: acturi post modũ de iudiciali: & quia denuntiatio fraterna prædicta secundum Euangeliũ incipit à fratris correctione, vt rem ex suo veluti fonte, atq; origine trahamus, in prædicta fraterna correctione necessum est vt aliquantulum immoremur, quod fiet in tota sequenti quęstione.

QVÆSTIO IX.

De denunciatione fraterna, quantum attinet ad fratris correptionem, in septem Articulos diuisa.

SVMMARIVM.

1 *Correptio fraterna, an cadat sub præcepto? opinio negatiua argumentis probatur, quibus respondetur, nu. 17. 18. 19.*
2 *Ad impossibile nemo tenetur.*
3 *Omnia præcepta ad salutem necessaria secundum communem continentur in præceptis Decalogi.*
4 *Correptio fraterna cadit sub præcepto naturali, diuino, & humano positiuo.*
5 *Præceptũ correptionis fraternæ, quod sit de iure naturali probatur. quod sit de iure diuino positiuo probatur, num. 7.*
6 *Homo sua natura est animal ciuile, politicum atque sociabile.*
8 *Correptio fraterna nondum est sub cõsilio, sed est præceptum expressum.*
9 *Omnes tenẽtur facere correptionem.*
10 *Præceptũ correptionis obligat ad mortale contrarium dicere est temerarium, & periculosum in fide. n. 12.*
11 *Lex quando obliget ad mortale, seu veniale, respicitur, an materia sit grauis, vel leuis.*
13 *Correptio fraterna est quædam eleemosina spiritualis, & maior quacunque corporali.*
14 *Omissio cõceptionis fraternæ, licet ex genere suo sit peccatum mortale in particulari, siue in indiuiduo esse potest quandoque peccatum veniale, aut nullũ peccatũ, declara. n. 16.*
15 *Differentia, quæ versatur inter præcepta affirmatiua & negatiua.*

17 Cor-

17 *Corripere, & corrigere, correptio & correptio differunt inter se.*

18 *Vsus non faciendi correptionem dicitur potius abusus.*

19 *Praeceptum correptionis fraternae reducitur ad quartum praeceptum decalogi.*

20 *Correptio fraterna non est immediatus actus charitatis, sed misericordiae.*

21 *Virtus misericordiae in quibus actib. exerceatur.*

22 *Correptio fraterna maior est eleemosina corporali ex parte obiecti, minor verò ex parte necessitatis.*

23 *Omne peccatum quod corripi potest aut procedit ex ignorantia, aut ex passione, aut ex malitia.*

24 *Correptio duplex altera procedens ex virtute charitatis, altera procedens ex virtute iustitiae.*

25 *Quae est actus iustitiae, & tendit ad punitionem ad solos pertinet praelatos, non verò ad subditos.*

26 *Quae est actus charitatis, & procedit per simplicem admonitionem, qua emenda fratris procuratur pertinet non solum ad omnes, sed etiam ad Praelatos.*

27 *Praelati cum sint personae publicae, & esse debeant exemplar totius populi, ratione officij tenentur ad impletionem omnium diuinorum mandatorum.*

28 *Et magis quam alij tenentur etiam ex vi praecepti charitatis ad correptionem, & strictius & arctius quia ex praecepto charitatis, & ex praecepto iustitiae num. 29*

30 *Praeceptum de correptione fraterna prout est actus charitatis magis obliget praelatos, quam alios intensiuè, vel extensiue.*

31 *Praelati etiam ex vi praecepti charitatis, quod est de correptione fraterna, ad plura tenentur, quam aliae priuatae personae, & ipsi subdit inter se inuicem.*

32 *Praelati tenentur inquirere, & inuigilare super gregem suum, & accuratè inuestigare suorum subditorũ vitam, & mores, vt ipsos fraternaliter corrigant, & emendent.*

33 *Occurrere debent, & non expectare quod illis petatur hoc debitum inquirendi, & corrigendi.*

34 *Praelati dicuntur speculatores, eo quod debent se gerere speculando vitam subditorum.*

35 *Praelati an teneantur reprehendere sub mortali, id quod de se non est plusquam veniale.*

36 *Possunt esse aliqui casus in quib. Praelati corripere teneantur sub mortali id, quod de se non est plusquam veniale.*

37 *Praelatis ex officio incumbit cura bono publici, & ideo tenẽtur sub mortali euitare quodcunque damnum publicum.*

38 *Parentes & patres familias magis tenentur diligere, atque corripere suos filios, et sibi domesticos, quam caeteri priuati teneantur se inuicem diligere, & corripere.*

39 *Ordine charitatis tenemur magis diligere nobis propinquos, quam extraneos.*

40 *Praelati tenentur magis ad correptionem suorum subditorum, quam patres carnales ad correptionem suorum filiorum.*

41 *Subditi arctius tenentur Praelatos suos ex charitate corripere, quam alios extraneos, & ipsi inter se inuicem, & nu. 42*

43 *Obligatio diligendi praelatos in subditis maior est cum sint sibi magis coniuncti.*

44 *Subditi in Praelatorum correptione tres conditiones obseruare debent, & circunstantias, & quae ista sint.*

45 *Praelati crimen quando fuerit publicum, & scandalosum, & quod vergit in perniciem publicam licitum est subdito praelatum publicè reprehendere, vt in haeresi, nu. 6.*

47 *Pec-*

47 *Peccator, & in peccato existens an possit, aut debeat alios corripere? opinio negatiua, sed contraria verior, & Respondetur argumentis, num 57*

48 *Peccator per se loquendo etiam dum in peccato existit bene potest, immo & quandoque debet alios ex charitate corripere.*

49 *Nullus ex delicto debet commodum reportare.*

50 *Peccatum multis modis impedit, & extenuat efficaciam correptionis.*

51 *Quando quis existimat quod propter peccatum, conceptio, quam alteri est exhibiturus futura est inutilis, cessare potest à correptione.*

52 *Homo non tenetur ad correptionem proximi quando illam præstare nō potest, nec tenetur a peccato exire.*

53 *Prælati tenentur vt officium suum expleant, & subditos suos corrigant, vel vitam emendare aut officium deponere.*

54 *Peccator non debet alios corripere increpando, & superbè accusando, sed gemendo, & se simul cum illis reprehendendo.*

55 *Peccator publicus alios superbè increpando & reprehendendo mortaliter peccat, ratione scandali, & quia superbè agit.*

56 *Prædicatores in peccato mortali prædicantes peccant mortaliter.*

58 *Præceptum correptionis fraternæ in casu quo correptio proximi est simpliciter ad salutem ipsius necessaria adimplendum est, etiam cum damno, & detrimento vitæ, et aliorum bonorum temporalium.*

59 *Peccatum aut procedit ex malitia aut ex fragilitate, & passione, aut ex ignorantia.*

60 *Peccatorum ex malitia non tenemur necessario succurrere.*

61 *Charitatis ordine magis tenemur diligere uitam spiritualem proximi, quam temporalem nostram.*

62 *Iudices, atque Prælati, etiam in casu, quo correptio non est ita simpliciter necessaria tenentur ad illam cum damno, & detrimento vitæ, & aliorum bonorum.*

63 *Prælati, & pastores debent corripere ex necessitate præcepti.*

64 *Priuatæ personæ tenentur etiam ad correptionem fraternam in casu, quo ipsa non est simpliciter necessaria, dummodo id sine graui suo damno facere possint, ad quod tenentur prælati. nu. 65*

66 *Excusatur quis à correptione proximi si credat quod etiam ipse eandem necessitatem incurrat.*

67 *Casus, in quibus omittens correptionem peccat venialiter.*

68 *Ignorantem res ad salutem necessarias an teneamur corrigere? pro negatiua. num. 69*

70 *Ignorantia duplex alia iuris alia facti.*

71 *Prælati, & alij omnes, ad quos ex officio pertinet alios corripere tenentur ab eis depellere omnem ignorātiam iuris diuini, & humani, etiā facti quando sperant se posse proficere.*

72 *Prælati sunt quasi Ecclesiæ oculi tenenturque proinde omnia prospicere.*

73 *Tenentur eos admonere, quorum sibi, cura incumbit, & depellere ab eis omnem ignorantiam rerum, quæ ad eorum statum pertinent.*

74 *Correptio non obligat quando probabiliter creditur, quod potius damnum, quam commodum sit allatura.*

75 *Obligatio correptionis cessat cessante correptionis fine.*

76 *Prælati non solum, sed etiam particulares personæ tenentur ad correptionem si ignorantia inuincibilis est iuris naturalis diuini, vel diuini positiui, quamuis timeant quod potius damnum, quam commodū sit allatura & idē si uergit in præiudicium tertij & de ratione. n. 77*

78 Pri-

78 *Priuatæ & particulares personæ tenentur admonere proximũ de his, quæ necessaria sunt, vt quisque sciat.*

79 *Non tenentur regulariter loquendo depellere ignorantiam facti circa ius humanum, nisi factum, vel omissio redundaret in irreuerentiã Dei, seu Christianæ Religionis, aut proximi scandalum, quod declaratur.*

80 *Doctor publicus docendo, siue prædicando tenetur veritatem dicere, si sciat aliquibus potius damnum, quam commodum allaturum.*

ARTICVLVS I.

Vtrùm fraterna correptio cadat sub præcipto?

1 PRO Huius † Articuli, & aliorum, quæ in subsequentibus sunt, dicenda maiori intelligentia, vt ex oppositione contrariorum veritas plenius illucescat, & difficultas hæc magis, ac magis in suo constituatur puncto, pro parte negatiua nonnulla libet proponere argumenta, ad probãdum quod correctio fraterna prædicta non cadat sub præcepto.

Et probatur primò. Nam iuxta
2 vulgare dictum, † ad impossibile nemo obligatur; ait enim D. Hieronymus lib. quem inscripsit de expositione Symboli ad Damasum, Maledictus sit omnis, qui dicit, Deum aliquid impossibile præcepisse: sed correctio fraterna prædicta (vt videtur) est nobis incompossibilis, non enim positum in nostra manu, aut in nostra potestate est, quod proximus corrigatur: quin verò id est in potestate, aut ipsius corrigendi, qui diuino motus auxilio, si corripi voluerit, poterit id ipsum facere, vel vt melius dicamus, in potestate ipsius Dei, qui teste D. Paulo ad Roman. 9. cuius vult miseretur, & quem vult indurat: qua etiã ratione dixit olim Sapiens. Ecclesi.7. quod nemo potest corrigere quem ille despexerit: Christus etiam Dominus, dixit Ioann. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: dicendum est igitur, quod fraterna correctio non cadit sub præcepto, & quod nec ad ipsam faciendam tenemur: cum (sicuti præmissum est) non sit in nostra potestate, & ad impossibile nemo obligetur.

Secundò argumentor ad idem. Nam rarissimi hodie in mundo sunt, aut forsan nulli, qui peccatum saltim mortale existiment, ac reputẽt, omissionem prædictæ correptionis fraternæ: neq; inuenitur modò aliquis, qui ea de re in sacramento confessionis se accuset: signum igitur est ex communi omnium consensu, & resolutione, quod fraterna ipsa correctio non cadit sub præcepto. etenim videtur quod si in precepto esset, aliter practicaretur, nec obliuioni ita tradita fuisset, saltim à religiosis, & spiritualibus viris. Durissimum etiam esse videtur dicere, quod omnes ferè propter omissionem correctionis fraternæ, sint in actuali peccato mortali, & damnentur.

Tertiò & vltimò ad idem sic argumentor. Nam omnia † præcepta ad 3
salutem necessaria, secundum communem doctrinam continentur in præceptis Decalogi: sed in Decalogo non apparet aliquod præceptum ad quod possit reduci hoc de correctione fraterna, quin verò nec in Euangelio ea de re aliquis reperitur locus expressus: nam si aliquis maximè testimonium illud, quod Matthæi 18. refertur, si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum: sed illud testimonium diuersimodè à Doctoribus, & sanctis Patrib. interpretatur, nam plurimi dicunt illud non esse præceptũ, sed tantummodo

tummodo consilium; alij verò aiunt, quod dato quod esset præceptum, non est intelligendum de correptione peccati coram nobis commissi: sed contra nos, hoc est de iniuria nobis illata, & peccato, quod contra nos fit: dicendu est igitur, quod ea de re, nec in decalogo, nec in Euangelio, positu est peculiare præceptum: ex quo proinde sequitur intentum, quod correctio proximi sub illo non est. Hæc sunt quæ pro hac parte communiter adducuntur, siue possunt adduci: quibus tamē non obstantibus in cōtrarium est veritas, quæ explicabitur sequentibus conclusionibus.

Prima Conclusio.

4 CORreptio Fraterna cadit † sub præcepto, naturali, diuino & humano positiuo. Hæc conclusio est communis, aut saltim communior omnium Doctorum resolutio, tam Theologorum, quam Iuris Canonici peritorum: & ex Theologis tenent eam, quidam cum Magistro in quarto sententiarum distinctio. 19. alij verò cum D. Thom. 2. 2. quæst. 33. art. 1. & Canonistæ asserunt hoc idem, in cap. nouit de iudicijs, & in

5 cap. si peccauerit, 2. quæst. 1.

Sed quod præceptum † correctionis fraternæ sit de iure naturali, probari potest. Primò ex eo quod habetur, Ecclesiastici. 17. vbi agendo de creatione hominis, & primis nostris parentibus, postquam dixit Sapiens, quod creauit Deus de terra hominē, & ad imaginem suam fecit illum, addit. Quod mandauit illis vnicuique de proximo suo. Quod quidem præceptum cum in sacra pagina nullibi repetiatur expressum, siue scriptum, manifestè profectò colligitur, quod sit naturale, primis nostris parentibus traditum, & cum natura ipsa sibi indictum, & in ipsorum, & nostris mentibus impressum. Ita quod natura ipsa dictante tenentur homines inuicem curam habere de se ipsis, ac prouidere sibi non solum in temporalibus, verum etiam (idque maxime) in spiritualibus: cum anima multo præciosior sit corpore, & cunctis rebus temporalibus. Cum igitur excogitari haudquaquā possit maius subuētionis suffragium, quā quod homines cum peccant, & à recta ratione deuiant inuicem corrigantur; liquidum profectò fit, quod prædicta fraterna correctio est de iure naturali, id quod & confirmari potest ex eo etiā, quod habetur Matth. 7. vbi innouando præcepta naturæ dixit olim Christus Dominus: Quæcumque vultis vt faciant vobis homines, eadem & vos facite illis. Quę quidem verba (si vti par est considerentur) non tam nouum aliquod continent præceptū, quā expressionem, siue explicationē iuris naturalis antiqui. Quæ & exponens D. Aug. inquit hunc esse legitimū ipsorum sensum: Vt quæcūq; secundùm rectam rationem nobis fieri volumus, eadē & nos faciamus alijs. Ex quibus verbis sic explicatis, sic colligo argumentum, & quidem efficacissimum, ad probandam supradictam conclusionem, & quod correctio prædicta fraterna cadat sub naturali præcepto. Nam certum est quod nos cum peccamus, & circa salutem æternam periclitamur, volumus, aut saltim secundùm rectam rationem velle debemus, per alios corrigi, & emendari: ergò & nos similiter cum possumus, tenemur fratres nostros emendare, & corrigere, & eis simile auxilium præstare. Quisnam quæso est, qui naturaliter non velit, ex puteo extrahi si cadit? Et quid aliud est peccatum, quam profundus quidā puteus? Sequitur ergo quod fratrē corripere, eūdēq; ex peccati limo profundo extrahere: de iure sit naturali.

Quod & confirmari potest secūdò, ex ipsa hominis natura. Est enim homo † (vt auctor est Aristot. 9. Ethi- 6

corum, & 2. Polyticorũ) animal suaptè natura ciuile, politicum, atque sociabile: nec solum ad societatem natus, vt oues, & boues, cæteraque id generis animantia, quę in hoc solummodo gregalia sunt, quod affectiones suas illiteratis vocibus sibi mutuò manifestant: quin verò in hoc est animal polyticum, atque sociabile, vt alij alios ratione, & sermone instruãt, & quod vtile illis sit, quid verò nociuum, quid iustum, quidve iniustum, se inuicem doceant, & admoneant: ergo vnusquisque hominum à natura sua, & naturæ iure tenetur errantem proximum suum, consilio, atque exhortatione sua corrigere, & in viam salutis reducere, ac se inuicem omnes iuuare, instar membrorum vnius corporis, quæ cum nullum sibi solum sufficiat, mutuas sibi operas, & auxilium præstant: Videmus namq; experientiâ ipsa docente, quod manus stomacho auxilium præstat, alimentum illi præbendo; stomachus vicissim manus alit, pedes sustinent oculos, oculi dirigunt pedes, idque natura ipsa dictante: ergo similiter homines per eandem naturæ legem, sibi tenentur inuicem auxilium præstare, non solum in temporalibus, verum etiam (idque maximè, vt dictum est) in spiritualibus. Quod quamuis obliget cunctos in vniuersum homines, ex speciali tamen ratione arctius illud facere tenentur Christiani, qui non solum inter se inuicem naturali modo coniunguntur, sed speciali sacri Baptismatis virtute sunt vnius corpora membra, quorum caput est Christus, vt dixit D. Paul. 1. Corin. 12. Cũ igitur hominum nullus ita sibi sufficiat, vt non etiam alterius ope, & auxilio indigeat: manifestè profectò colligitur, quod natura ipsa dictante, tenentur sibi inuicem auxilium præstare, docendo, admonendo, & cum necessitas exegerit corrigendo; & eos, qui aberrant, exhortatione sua in viam veritatis reducendo. Quod quidem intelligentes nonnulli ex Antiquis Philosophis olim, solo rationis naturalis lumine ducti, id ipsum mirificè præstiterunt. Nam Plato lib. 10. de legibus circa finem, legem condidit, qua statuit, vt si quis esset in carcere propter peccatum contra Deũ commissum, vt (v. g. propter blasphemiam) adducerentur ad illum viri probi, & sapientes, qui illum corrigerent, atque cohiberent, & ad pietatem exhortarentur. Id ipsum statuit etiam Aristot. 9. Ethic. cap. 3. quando dixit, quod non est soluenda amicitia, quando amicorum aliquis deliquerit, nisi factus fuerit incorrigibilis. Nam (inquit) si corrigibilis est, magis ferendum est ei admonitionis auxilium, quam pecuniæ, si temporaliter egeret. Verba quidem sunt ista notatu dignissima; ex quibus superque satis colligitur propositum, nempè, quod correctio fraterna sit de iure naturali, obligans cunctos in vniuersum homines, sed maximè Christianos.

Sed quod etiam sit de iure diuino † positiuo, facilè potest colligi ex dictis, & ex eo, quod habebatur olim in lege veteri scriptum. Exodi 23. & Deuteronom. 22. Nempè, quod si bos, aut asinus hominis (etiam inimici) periret, reduceretur in viam, nec aliter quispiam pertransiret. Formalia, & expressa verba sacri Textus referre libet. Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis eum. Quæ quidem verba versans D. Chrysostomus, cum, vt inquit D. Paulus, non sit de bobus, siue animalibus cura Deo: dicit, quod naturale, atque diuinum indicant præceptum, ad hoc positum: Vt vnusquisque in animalibus disceret, quod secundum Euangelium facturus erat cum homine. Verba sunt expressa Diui Chrysostomi. Facit & ad hoc propositum, & probandum, quod hoc prace-

præceptum sit de iure diuino, illud quod adduximus supra ex Ecclesiastico, c. 17. vbi dixit Sapiens: Quod vnicuique hominum mandauit Deus de proximo suo: Et paulò inferius, cap. 19. additur: corripe amicū (idest proximum tuum) ne fortè dicat non intellexi. Quid clarius vnquam quæso dici potuit; Sed de iure diuino præceptum. Sed deueniendo ad Euangelium, & nouum testamentum, Matthæi, ca. 18 habetur eiusmodi de correctione fraterna præceptum à Christo Domino positum: atque expressè, & explicitè intimatum in illis verbis: Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quod si eos non audierit, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tāquam Ethnicu, & publicanus. Amen dico vobis quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata, & in cœlo, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta, & in cœlo. Potuitne quæso aliquid clarius dici? Super quę verba (iuxta communem Doctorum sententiam) quam maximè notādum venit verbum illud, corripe, quod est imperatiui modi, quo quidem, non solum insinuatur consilium (vt quidam volunt, ac perperam dicunt) verum & expressum præceptum, non quidem de nouo positum, sed quo Christus Dominus explicauit, & declarauit naturale antiquum. Et quod sit pręceptum, non verò solummodo: consilium, expresè tenet Innocentius III. in cap. nouit de iudicijs: vbi prędicta Christi referendo verba (inquit) Quomodo possumus nos mandatum Domini non exaudire? Vbi quam maximè, notandum † venit, verbum illud mandatum, vt vel ex hoc notum fiat (quidquid dicat Panormitanus super prædictum capit. nouit de iudicijs) quod de mente Innocentij correptio fraterna est non solum consilium, sed pręceptum, illudque diuinum, obligans non solum pręlatos, verum etiam generaliter, & in vniuersali cunctos in vniuersum Christianos. Quod & insinuare visus est olim D. Paulus 1. ad Thessalonicenses, ca. 5. quando dixit cum omnibus hominibus sine discrimine loquendo, inquietos esse corripiendos. Corripite inquietos, consolamini tristes. Quod etiam prædicta correptio fraterna sit de iure humano positiuo, multis capitulis, ac Iuris Canonibus comprobatur, quibus fraterna ipsa correptio strictè fieri pręcipitur. Facit ad hoc in primis, cap prouidendum, distinct. 83. vbi in persona Symmachi Papæ, sequentia verba habentur: Non est grādis differentia, an lęthum inferas, vel admictas: mortem enim languētibus probatur infligere, qui hāc cum possit non excludit. Et paulo inferius in eadem distinction. cap. error, dicitur. Error cui non resistitur approbatur: & veritas cum minimè defensatur opprimitur: negligere quippe cum possit deturbare peruersos, nihil aliud est, quam fouere. Nec caret scrupulo societatis occultè, qui manifesto facinori obuiare desinit. Et in capite quid enim, eadem distinctione: etiam ad hoc propositum dicitur: Quid enim prodest alicui suo errore non pollui, si consensum pręstat erranti: paulo etiam inferius, in capit. Consentire, habetur: Consentire videtur erranti, qui ad resecanda, quę corripi debent, non occurrit. Facit & ad idem cap. Facientis, distinction. 86. quod est Ioannis, 8. vbi ad hoc propositum notabilissima sequentia habentur verba: Facientis culpam procul dubio habet, qui quod potest corrigere negli-

8

git emendare. Scriptum quippè est; non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, participes iudicantur. Et libat Domino prospera, qui ab afflictis pellit aduersa. Et negligere cum possis deturbare peruersos, nihil aliud est quam fouere. Nec caret scrupulo consensionis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. Et probat odisse se vitia, qui condemnat errantes. Nec relinquit sibi locum deuiandi, qui non pepercerit excedenti. Nam primus Innocentiæ gradus est, odisse nefanda, & latum pandit delinquentibus aditum, qui iungit cum prauitate consensum. Et nihil prodest alicui non puniri proprio, qui puniendus est alieno peccato. Verba sunt expressa, & ad propositum quàm maxime notatu digna. Et vt ne quis † dicat hęc
9 tantummodo ad prælatos pertinere, & de ipsis solis esse dicta, aut intelligenda: audiat Anacletum Papam, in quadam sua tertia Epistola, quæ refertur, in capit. Tam sacerdotes, 24. quæst. 3. Cuius sunt sequentia verba: Tam Sacerdotes, quam reliqui fideles, omnes summam curam debent habere de his qui pereunt: quatenus eorum redargutione, aut à peccatis corrigantur, aut si incorrigibiles apparuerint, ab ecclesia separētur. Quid quæso amplius ad hoc propositum potest desiderari: ad probādum quod prædicta fraterna correctio cadit sub præcepto, & omnes obligat? Neque audienda est Glossa, quæ verbum Fideles, pro prę[l]atis exponit: nam certè potius textum destruit, quam exponat. Et causa deceptionis suæ fuit, quia glossator erat in sententia, & opinione quorundam iuris peritorū, asserentium fraternam correptionem prædictam, solummodo prælatos obligare, quod non est verum: nam omnes obligat, tam sacerdotes (sub quorum nomine prælati comprehenduntur) quam omnes in vniuersum fideles, vt dictum est. Quod huiusmodi præceptum obliget ex genere suo ad mortale, dicetur ac simul probabitur in sequenti conclusione.

Secunda Conclusio.

PRæceptum † Correctionis fraternæ, ex genere suo obligat ad mortale. Hæc conclusio est cōmunior omnium Doctorum resolutio, & eam tenet expressè Magister Soto de Secreto, membro. 2. quæst. 1. conclusion. 2. & Bañnes in 2. 2. D. Thom. quæst. 33. artic. 2. dubio. 2. conclusion. etiam 2. & Aragon in eādem, 2. 2. D. Thom. quęstion. 33. articul. 2 conclusi. 1. Pro cuius maiori intelligentia, simul & probatione præmitto, quod ad cognoscendum quando aliqua † lex, siue præceptum obliget ad mortale, seu ad veniale, respiciendum quam maxime est ad materiam de qua agit, hoc est ad id, quod talis lex, siue præceptum præcipit, siue prohibet. Nam si materia fuerit grauis, obligat ad mortale, si verò leuis ad veniale: quod est certum in omni materia. Quo præmisso, ac præsupposito, probatur modò prædicta conclusio. Nam materia, circa quam pręceptum prædictæ fraternæ correctionis versatur est grauissima, est enim non minus, quam salus spiritualis proximi, quæ quidem salus res grauissima est, inter omnes, quę hominibus offerre se se possunt: dicendum ergo est, quod eiusmodi præceptum ex genere suo obligat ad mortale. Id quod, & confirmari potest, ex quam pluribus Sacræ Scripturæ auctoritatibus, in hunc sensum explicatis à glossis in proprijs suis locis. Et primò glossa explicans illa verba, quæ habentur Leuitici 20. Succidam omnes, qui consenserunt ei, vt fornicaretur: dicit esse consentientes

10 (margin, beside "PRæceptum † Correctionis fra-"); 11 (margin, beside "do aliqua † lex")

sentientes omnes, qui possunt accusare, arguere, vel admonere, & non faciunt: & quod ipsi non effugient iudicium Dei. Item alia glossa explicant illa verba Pauli ad Roman. 1. quibus dicitur: Quod morte sunt digni, non solum, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus: dicit consentire est tacere, cum possis redarguere. Ex quibus locis, & glossis sic explicatis, superque satis colligitur, quod præceptum prædictum correptionis fraternæ, ex suo genere obliget ad mortale. Quod & confirmatur etiam specialiter ex doctrina D. Augustini. sermo. 10. de verbis Domini, qui habetur in tom. 10. vbi explicans præceptum prędictum de correptione fraterna, inquit. Si neglexeris conuitiatorem corrigere, peior es tacendo, quam ille conuiciando. Ex qua auctoritate sic colligo argumentum. Si ille conuiciando mortaliter peccaret: ergo & is, qui tacet, qui sine causa correctionem omittit: siquidem (vt dicit Augustinus) peior est ipso. Et in eodem sermone dicit idem D. Augustinus: Qui fratrem suum cum possunt corripere parui faciunt. Caim caput Ecclesiæ malignantium imitantur, qui fratricidium suum excusans, custodem se esse fratris sui falsò negauit. Verba sūt expressa, & quidem valde notanda. Et idem Augustinus tractatu 10. supra Ioannem, explicans illa Christi Domini verba, zelus domus tuæ comedit me: dimittentem correctionem fraternam, cōparat ei, qui in sudario denarium reposuit: ex quo proinde à Domino fuit reprehensus, atque damnatus, vt habetur Lucæ, cap. 19. Et tract. 7. super Canonica. 1. Ioann. c. 4. explicans illa verba: Si sic Deus nos dilexit, & nos debemus alterutrum diligere, inquit. Non putes tunc te amare seruum tuum, quando eum non cædis: aut tunc te diligere filium tuum, quando non das ei disciplinam, aut tunc te amare vicinū tuum, qn̄ eū nō corripis: nō est ista charitas, sed lāguor ferueat charitas ad emendandum, & corrigēdum. Habetur in c. non putes 5. q. 1. Ex supradictis D. August. auctoritatibus, superque satis colligitur nostræ conclusionis veritas, & quod præceptum correctionis fraternæ ex genere suo obligat ad mortale. In cuius maiorem comprobationem, sequentem etiam statuo conclusionem.

Tertia Conclusio.

12 Adeo certum est, quod præceptum correctionis fraternæ, ex suo genere obligat ad mortale, vt contrarium dicere sit temerarium, atque periculosum in fide. Hanc conclusionem libuit apponere, propter quosdam (non quidem sine magna temeritate) negantes esse præceptum de correctione fraterna, sed tantummodo consilium: & dicentes, quod si est præceptum, illud spectat ad Prælatos tantummodo, non verò ad omnes in vniuersum Christianos. Cuius positionis fundamentum est, quia, inquiunt, illa Christi Domini verba, quæ habentur Matth. 18 Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum, &c. Soli D. Petro fuere dicta, tanquam supremo totius Ecclesiæ capiti, atq; vniuersali Prælato, vel ad multum Apostolis, cęterisq; discipulis, & ijs, qui in Ecclesia succedunt in eorum locū: nam, & his tātummodo, non verò alijs dictum etiam fuit à Christo Dn̄o, Matth. 5. quod ipsi sunt Sal Terræ, & lumen mundi. De his etiam intelligēda sunt verba illa, Ezech. 3. & 33. quibus dicitur, eosdem esse speculatores, & vt tales in Ecclesia positos. Hos affirmant DD. prædicti tantūmodo, nō verò alios obligare, atq; comprehendere præceptum prædictum correptionis fraternæ. Qui huius senten-

tiæ, & opinionis plura videre voluerit fundamenta, consulat Magistrum Sotum de Secreto, membro 2. quæst. 1. & 3. & Aragon 2. 2. quæst. 33. ar. 2. agendo de correptione prædicta, quæ omnia breuitati studentes consultò fecimus missa, contenti nostra proposita conclusione, qua diximus, adeò esse certum, quòd correptio prædicta fraterna cadit sub præcepto, vt contrarium dicere, nedum falsum existimemus, verum etiam temerarium, atquè periculosum in fide. Et quidem quod sit periculosum in fide, facilè ex inde probatur: quia negari nullo modo potest, teneri omnes in vniuersum homines, saltim sub generali præcepto charitatis, ad faciendas eleemosynas corporales sub mortali, quando eiusmodi eleemosynæ proximo sunt necessariæ: ita quod ipsarum omissio contraria omninò sit charitati: iuxta illud quod habetur Ioan. 1. c. 3. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas manet in illo? Quod fuit, ac si diceret, minimè manet: sed nec manere potest. Sed cor-
13 reptio † prædicta fraterna (vt ex dictis constat, & statim dicetur amplius) est quædam eleemosina spiritualis, & maior quacunque corporali: periculosum ergo est in fide, dicere, quod non tenentur ad correctionem fraternam omnes in vniuersum Christiani, saltim ex generali præcepto Charitatis, quamuis aliud non reperiretur præceptum. Ratio quidem est efficacissima, & satis notatu digna. Ex qua etiam constat, quod id ipsum affirmare sit temerarium. Nam certè temerarium est, propriæ sententiæ inhærendo, aliquid affirmare, aut docere, quod vel etiam indirectè contrarietur fidei, & Sacræ scripturæ authoritatibus. Et quod sit temerarium simul, & in fide periculosum, sequenti præterea ratione probatur. Nam licèt omnia Sacræ Scripturæ testimonia, quibus fraterna correptio præcipitur glossari possint, & illud Matth. 18 (ex quo specialis eiusdem obligatio colligitur) de facto quibusdā glossetur, dicendo, quod vel illud est consilium, aut quod non traditur ibi absolutè fraternæ correptionis præceptum, sed solummodo insinuetur forma, & ordo, qui in eadē est seruandus, hoc est, quòd fiat tali, vel tali modo: seu dicendo (vt volunt alij) quod eiusmodi præceptū (si quod est) tantummodo incumbit prælatis, non verò subditis: licèt (inquā) hoc ita sit, cum tamen prædicta scripturæ testimonia, quę pro hac re adducuntur, & adduci solent, & locus ille Mat. 18. in speciali, secundum communiorem, & veriorem Sanctorum Patrum expositionem, innuant, aut saltim innuere videantur præceptum: valde profectò est periculosum in fide, simul atq; temerarium, in re adeo graui particulariter sentire: & eiusmodi testimonia contra vnanimem consensum sanctorum Patrum, & contra expressum decretum Innocentij III. in ca. nouit de iudicijs (vbi correctionem prædictam vocat mandatum) in alium sensum detorquere, seu aliter interpretari. Hoc itaque est certissimum, atque constitutissimum.

Quarta Conclusio.

14 Omissio † correptionis fraternæ licèt ex genere suo sit peccatum mortale: in particulari verò & in specie, siue in indiuiduo, esse potest quandoque peccatum veniale, & aliquando nullum prorsus peccatum, nec mortale, nec veniale. Probatur conclusio, quoad primā partem. Et quidem, quod omissio correctionis fraternæ in aliquibus casibus non sit plusquam peccatum veniale, exinde patet: nam certum est, quod peccata venialia alicuius sin-

gularis personæ (nisi sint per se ordinata ad mortale) non sub mortali corripere tenemur; imò in eis correctionis omissio, solummodo est peccatum veniale. Præterea qui leui de causa, vel putans se sua correptione nihil posse proficere, eandem ommittit, seu ex leui metu: certum est quod nō peccat mortaliter, sed tantummodo venialiter. Multa alia exēpla possent adduci ad hoc propositum, sed dicta sufficiant. Quod verò omissio eiusdem correctionis, esse quandoque possit absque vllo prorsus peccato (quod dictum est in 2. parte conclusionis) probatur, & quidem satis de se patet. Nam cum eiusmodi correctionis præceptum sit affirmatiuū, non vero negatiuum: nec proinde obliget (vt dicitur) ad semper & pro semper; sed pro loco & tempore, & cum suis debitis circunstantijs, debeatque esse actus virtutis, ordinatus in debitum suum finem: certum est quod in aliquo casu cessare poterit ipsius correctionis finis, & quod ipso cessante, cessat subinde ipsius obligatio: & poterit tūc absque vllo prorsus peccato prætermitti. Et quia mentionē fecimus de præceptis affirmatiuis, & negatiuis, libet in pręsentiarū dicere, quid inter ipsa versetʳ discriminis. Et dico breuiter, hanc esse differentiā

15 † inter præcepta affirmatiua, & negatiua: quod negatiua obligant (vt dicitur) ad semper, & pro semper. Volo dicere, quod obligant ad hoc, vt quod illis prohibetur, siue vetatur nunquā fiat: at affirmatiua (quamuis obligent ad semper) non tamen pro semper: quod est dicere, quod non obligant ad hoc vt quod præcipitur semper fiat, sed pro loco, & tempore, & cum debitis circunstantijs, quando expediens fuerit. Et ratio differentiæ est, quia negatiua prohibent id, quod semper est malum facere, & quod nullo tempore aut loco fieri licet: at affirmatiua præcipiunt bonum: & cum bonum (teste D. Dionysio de diuinis nominibus, cap. 4.) sit ex integra causa, & nihil vtcumque sit ex genere suo bonum, censeatur tale, nisi vestiatur debitis circunstantijs: inde est, quod pręcepta negatiua obligant ad semper, & pro semper (nam nunquam malum bene fit, sed quotiescumq; & quomodocunque fiat est peccatum, nisi ignorantia excuset) at affirmatiua, quamuis obligent ad semper, quantum ad præparationem animi, non tamen obligant pro semper quantum ad exercitium, siue executionem: nisi quando concurrunt debitæ circunstantiæ, quarum vna, atque pręcipua est circunstantia finis. Ex quo colligitur veritas eius, quod à nobis in conclusione est dictum: nempè quod correctio fraterna inter eum potest absq; vllo prorsus peccato prętermitti. Vtq; omnia † vnico conclu- 16
dam verbo, dico ꝙ quando correctio fraterna est necessaria, & fieri potest commodè, & concurrunt debitæ circunstantiæ, obligat sub mortali: quādo verò leui de causa, vel alio particulari respectu fieri prætermittitur est veniale: quando autem iusta existit causa, vt prætermittatur (vt pote si nullus speratur fructus, siue effectus, aut si timetur maior peruersio fratris) in tali casu ipsam prætermittere, nullum est omninò peccatum. Videatur hac de re Soto de Secreto, membro, 2. p. 1. & 2. per totam, sed præcipue conclus. 5. vbi ad hoc propositum reperire licebit plura, eaque notatu dignissima. Solummodo restat respondere ad argumenta in contrarium adducta.

Ad primum dico, † quod hæc duo 17
verba, corripere, & corrigere, correptio, & correctio, quibus promiscuè vtuntur Theologi, licèt sępissimè pro eodem accipiantur; differunt tamen, & multum inter se: sicut suadere, & persuadere: quorū vnū est veluti alterius finis, & alterū viā parat ad aliud.

Q 4 Nam

Nam correptio est via ad correctionem, & correctio est eiusdem correptionis finis. Importat namque correptio fratris admonitionem, siue ex illa sequatur fructus & effectus, siue non: at correctio importat admonitionem eandem cum fructu & effectu. Quo fit vt corripere possimus, etiam inuitum & nolentem: corrigere autem non nisi volentem. Quæ differentia desumpta est ex doctrina D. Aug. lib. 3. de Ciuitate Dei, cap. 9. vbi ait: nolunt quidam plerumq; corripere, cum possint aliquos corripiendo corrigere Neque immeritò Doctores Theologi fraternæ correptionis nomine, assumunt illam operationem, quæ ordinatur in id ipsum, quamuis id non fiat cum effectu, neque semper sequatur finis: nam secundum veram Philosophiam actiones sortiuntur denominationem ab intento fine. Quo supposito ad argumentum respondetur, quod quamuis positum nō sit in nostra potestate, quod frater corrigatur: hoc est quod sequatur correptionis finis & effectus: vnde neq; correctio ipsa cum effectu cadit sub præcepto, attamen in nostra potestate est, quod frater à nobis admoneatur & corripiatur, siue ipse corrigatur, siue non: & hoc sufficit, quia id tantum est nobis præceptum. Teste enim Arist. 1. Topicorum, cap. 2. Non est rectoris persuadere, nec medici sanare, sed vtriusque nihil prætermittere, eorumque necessaria sunt. Videatur hac de re Soto de secreto, memb. 2. q. 1. in fin.

18 Ad secundum argumentum † respondeo, quod quamuis correptio fraterna prædicta (vt argumentum præsupponit) non sit in vsu, imò verò non corripiendi sit vsus: eiusmodi tamen vsus, potius est dicēdus abusus, qui multo malo nostro præualet; & regnat in hoc sęculo (maxime in viris sęcularibus) qui suarum animarum, & aliorum cura quasi totaliter negligunt: non sic autem est apud timoratæ conscientiæ viros, & maximè apud religiosos, qui hoc digni censent nomine. Sed quidquid de hoc sit, de prędicto vsu, vel nō vsu, seu abusu: dico quòd qui alios non corrigunt cū possunt, & illud facere teneantur, vel excusandi sunt, dicendo quod cessant à correptione pro eo quod moraliter credunt nihil sua correptione posse proficere, ex quo videtur quod cessante correptionis fine, cessat & obligatio ipsius: aut potius reprehendendi & incusandi sunt, pro eo quod ex verecundia seu ex alio humano respectu, adimplere omittunt præceptum adeo strictè obligans, & tantopere commēdatum à Christo Domino in Euangelio.

Ad tertium respondeo † cum supradicto Magistro Soto, membro secundo, quæstione prima in solutione ad tertiū, quod pręceptū correptionis fraternæ reducit ad quartū præceptū de honoratione parētum, sub quo cōprehenduntur omnia præcepta, quibus aliquod beneficium proximo tenemur impendere. Nam in decalogo solummodo sunt illa præcepta, quæ statim proposita recipiuntur sine aliquo Doctore: illa verò quæ non sunt adeo manifesta, quin indigeāt expositione sapientum, virtualiter comprehenduntur sub illis, vt docet S. Tho. 1. 2. quæstione 100. articulo 3. Primi generis est pręceptum honorandi parentes: nam statim propositum naturali lumine recipitur: at benefacere alijs proximis correptionis via: licet non sit ita manifestum, facilè tamen negotio persuadetur, & sic ad illud reducitur. Ad illud verò quod dicitur de testimonio adducto ex Math. c. 18. Si peccauerit in te tuus frater vade, & corripe eum, &c. Dico cum M. Bañes verum esse, quod Chrisostomus, & Hieronymus super Matthæum, cap. 18 & Ambrosius & Hilarius super Lucam, cap. 17. inter-

interpretantur illud de peccato commiſſo in nos, ſeu contra nos; at Diuus Aug. ſermone 16. de verbis Domini, dupliciter exponit eiuſmodi teſtimonium: vno modo, ſi peccauerit in te, id eſt, contra te, vel faciendo tibi aliquam iniuriam. Alio modo in te, id eſt, te ſciente; & expreſsè dicit, quod admonet nos Dominus ibi, non negligere peccata fratrum: Et quoquomodo interpretetur, ſi benè inſpiciatur, manifeſtè colligitur, quod illo teſtimonio explicauit, & innouauit Chriſtus Dominus naturale præceptũ antiquũ de correptione proximi: nam qui peccat in me (id eſt me ſciente) etiam peccat contra me, peccando contra Deũ me teſte: & mihi etiam iniurius eſt, ſicut qui offendit Patrem coram filio; etiam offendit eundem filium. Sic explicat iſtum locũ D. Th. quodlib. 11. art. 12. cuius explicationem cõiter recipit omnis Theologorum ſchola, & incunctàter tenet ex eo colligi obligationem ſtrictam correptionis fraternæ. Nam ſi quando proximus peccat contra me, tam attente debeo illi prouidere, & malo ipſius mederi, ne pereat; multò ergo magis & melius, tenebor illi ſuccurere corrigendo, quãdo non peccat contra me, ſed coram me, ſeu me ſciente. Eſt enim (inquit Ban.) argumẽtum quaſi à maiori ad minus. Nam ſi tanta debet eſſe cura fratris, vt meæ ẽt iniuriæ obliuiſcar, quo peccanti miſericordiam impendam; multo ergo magis id ipſum debeo facere, quando non peccat cõtra me, nec mihi iniurius eſt, ſed peccat coram me, hoc eſt me ſciente. Cum. n. eiuſmodi præceptum fuerit poſitum, vt ordinet nos in bonum proximi: vbi æqualis fuerit neceſſitas ſpiritualiter lucrandi fratrem, æqualis ẽt erit obligatio; & ſic parum refert quod illud teſtimonium, ſi peccauerit in te, &c. intelligatur, in te, id eſt contra te, ſeu in te, id eſt coram te, vel te ſciente. Hæc ſolutio eſt ſupradicti Magiſtri Banes in 2. 2. D. Thom. quæſt. 33. artic. 2. concluſione 2. vbi agit de obligatione ſupradicti præcepti de correptione fraterna, quæ eſt valde notanda, & ponderanda.

ARTICVLVS II.

Vtrum correptio fraterna ſit actus immediatus Charitatis, & ipſius obligatio maior, quàm eleemoſina corporalis.

DE hac difficultate, & quæſtione agit D. Thom. 2. 2. qu. 33. art. 1. & cum eo omnes communiter Doctores. Sed quia nobis nõ eſt in votis aliorum ſententias ex vno in alium locum tranſcribere, ſed ſolum modo reſolutiuè ea, quæ ſunt ſcitu digna, atque neceſſaria dicere, difficultati propoſitæ, reſpondeo per duas ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

QVamuis correptio † fraterna ſit actus Charitatis, & amoris quo proximus in viam ſalutis dirigitur, non eſt tamen ipſius actus immediatus, ſed miſericordiæ: quæ ſpecialis quædam eſt virtus, & peculiaris effectu Charitatis. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Th. 2. 2. q. 33. art. 1. & Magiſtri Soto de Secreto, membro, 2. quæſt. 1. in principio, & eandem tenent Magiſter Bañes, & Aragon, ſupra 2. 2. D. Thom. quæſt. 33. art. 1. Et eſt communis omnium Doctorũ reſolutio. Pro cuius concluſionis intelligẽtia ſimul & probatione adnotare oportet, quod quamuis ſit generale officium Charitatis omnibus benefacere: attamen benefacere hoc aut illo modo, non immediatè ptinet ad Charitatem: ſed ad alias virtutes, quæ ſub illa continentur, & quas ipſa ſub ſe comprehendit, & illas ad operandum mouet. Qua de re vidẽdus eſt D. Th. loco 20

loco vbi supra. Hoc præmisso dicit nostra conclusio, quod correptio fraterna qua proximus in viam salutis dirigitur, quamuis ad Charitatem pertineat: (nam ad eandem virtutem pertinet procurare fratris bonū, & repellere illius malum) non tamen immediatè, sed mediatè: nam immediatè nō pertinet nisi ad virtutem misericordię cuius est immediatus actus elicitus, quamuis imperatus à Charitate. Exer
21 cetur † enim virtus misericordiæ quādoque in rebus corporalibus, vt in eroganda eleemisina corporaliter esurienti; quandoque vero in spiritualibus, vt in corripiendo, & consulendo proximo. Quæ quidem misericordia (vt inquit prædictus D. Tho.) maior est quacumque corporali, & inter spirituales post illam, quę est iniuriam, siue peccatum inimico remittere: correptio ipsa supremum locum obtinet. De qua misericordia fit mentio, in cap. tria sunt distinct. 45. Vbi Albini nomine dicitur: Quod tria sūt eleemosinarum genera: vna corporalis, quæ est egenti dare quidquid poteris: alia spiritualis, dimittere ei à quo læsus fueris: & tandem tertia delinquentes corrigere, & in viam salutis, & veritatis errantes reducere. Sed proh dolor, quod quā paucissimi sunt nunc diuites in prudentia spirituali, qui possint & velint in eiusmodi virtute semetipsos exercere.

Secunda Conclusio.

22 QVamuis ex parte † necessitatis, corporalis eleemosinæ interdum maior sit, quam correptio fraterna: ex parte tamen obiecti, maior est obligatio correptionis fraternæ, quā eleemosinæ corporalis. Pro intelligentia simul & probatione huius conclusionis, oportet permittere ex D. Tho. 1.2. quæst. 73. ar. 1. quod grauitas peccati destinanda est, & consideranda, & pœnes obiectum & pænes circunstātias, inter quas precipua est necessitas. Certum est etiam quod obiectum præcepti de correptione fraterna (quod est vita & salus spiritualis proximi) longè maius, atque præstantius est, quàm vita corporalis ipsius. Quibus præmissis, ac præsuppositis manet clara, & manifesta prædicta cōclusio. Etenim si obiectum correptionis fraternæ, est præstantius vita ipsa corporali: benè sequitur, quod & obligatio ipsa corripiendi ex hac parte sit maior, quam obligatio eleemosinæ corporalis. Solum superest probare, quod sit minor ex parte necessitatis. Cuius etiam & ratio in promptu est: nam vt plurimum correptio fraterna, non ita necessaria esse solet, ac sit multorum corporalis necessitas: licèt enim peccatum adeò grauis sit infirmitas, multis tamē modis ei mederi potest. Vtque breuiter sciri possit qualiter ista se habeant, oportet suppo
nere: quod † omne peccatum quod 23
corripi potest, aut procedit ex ignorantia, aut ex passione, aut verò ex malitia. Si procedit ex ignorantia, à qua nisi is, qui peccat instruatur, & corripiatur exire non valet, certissimum est, quod correptio sit sibi quam maximè necessaria, & in eo magis meritoria, quacumque eleemosyna corporali. Nam teste Gregor. homil. 11. in Matth. Plus est animam in æternum victuram pabulo verbi reficere, quam ventrem morituræ carnis terreno pane satiare. Et D. Chrysost. hom. 3. super Epist. ad Cor. ad idem propositum inquit: Si immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, si vnam conuerteris animam. Quę omnia intelligenda sunt, quando correptio est simpliciter necessaria: vtpotè quando peccato procedit ex fratris ignorātia, à qua sine nostra correptione non potest exire. At verò vbi peccatum procedit, non ex ignorātia, sed ex passione, vel malitia, non est correptio vt plurimum ita necessariò, cum

abs-

absque tali correptione, & absque hominis cuiuspiam auxilio, cũ sola Dei ope, à suo peccato peccator possit exire, quod si nõ fecerit, imputetur eidẽ. In hoc casu igitur, quamuis correptio (vt dixi) maior sit ex obiecto, quam eleemosyna corporalis, est tamen minor ex parte necessitatis. Sed si vtrobique eadem sit necessitas, certum est quod maior est eleemosyna ipsa correptionis, quam quæcumque alia corporalis, ac proinde, & quod eius omissio maius est peccatũ: cum æquali existente necessitate, detrimentum quod proximus patitur sit grauius. Contingent autem huiusmodi casus rarò, & plures se se offerunt, in quibus eleemosyna corporalis est magis necessaria: ac proinde loquendo de his, quæ vt plurimũ, & regulariter contingunt, consultò dictum fuit à nobis in conclusione, quod obligatio correptionis fraternæ, quamuis sit maior ex parte obiecti, est tamen minor ex parte nacessitatis.

ARTICVLVS III.

Vtrum correptionis fraternæ praeceptum, ex speciali ratione charitatis, vel iustitiæ, ad prælatos pertineat?

24 PRO intelligentia huius difficultatis, oportet † præmittere ex D. Tho. 2.2. quæst. 33. artic. 1. 2. & 3. quod duplex est correptio, vna quæ est actus charitatis, & procedit per simplicem ad monitionem, & ordinatur ad fratris emẽdam tanquã ad finem: alia verò, quæ est actus iustitiæ, & procedit per modum iudicij, per quam non solum emenda fratris procuratur, verum etiam & commune bonum, ad quod spectat, quod ipse interdum puniatur, vt ex eo alij experimentum capiant, & eius exemplo cæteri corrigantur, & à peccatis abstineant. Qua præmissa distinctione, ad propositam difficultatem respondetur per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

CORreptio † quæ est actus iustitiæ, & procedit non per solam simplicem admonitionem, sed per modum iudicij: & qua non solum emẽda fratris procuratur, verumetiã & commune bonum, per delinquentis punitionem: ad solos spectat Prælatos, non verò ad subditos. Hæc conclusio est expressa D. Tho. vbi supra quem omnes communiter sequuntur Theologi, & Iurisperiti, & ratio eius in promptu est. Nam cum eiusmodi correptio (vt præmittitur) sit actus iustitiæ, & pertingat vsque ad punitionem & vindictam, certum est quod necessariò debet habere vim coerciuam, quę solummodo in iudicibus, atque Prælatis reperitur: ij enim tantummodo sunt, qui ad puniendum iudicialiter publicam authoritatem habent: vpotè qui teste D. Petro 1. cap. 2. Missi sunt adeo, ad vindictam male factorum laudem verò bonorum. De quibus etiam dixit D. Paulus ad Roman. 13. Quod sunt vindices Dei, in iram eis qui malum operantur, & nõ sine causa in eundem finem gladium portant. Hoc itaque est certissimum, atque constitutissimum. 25

Secunda Conclusio

COrreptio etiam quæ † est actus charitatis, & procedit per simplicem admonitionẽ, qua emenda fratris procuratur, quamuis (vt dictum est) omnes in vniuersum obliget Christianos, quin verò, & omnes generaliter homines vsum habentes rationis iure naturæ; ex speciali tamẽ ratione etiam pertinet ad Prælatos. Quod correptio prædicta (prout est actus charitatis) generaliter obliget omnes, non solum Christianos, 26

verum

verum etiam Gentiles & Paganos, quacunque lege, aut secta viuant, modò sint rationis compotes, iam superque satis constat ex supradictis in art. 1. vbi multis ostendimus prædictum correptionis præceptum esse naturale, & quamuis vt multa alia præcepta legis naturæ contineãtur in Euangelio, non tam de nouo fuit positum ibidem, quam insinuatum esse de iure naturali, & quod obligat omnes vniuersaliter homines, non minus quam præceptum dilectionis proximi, ad cuius obseruantiam naturæ iure tenentur cuncti. Et in secundo articulo ostendimus, quod correptio prædicta est quædam eleemosyna spiritualis (si rationem obiecti consideremus) maior multò quacunque corporali, vt tradit glos. in cap. charitas, el secondo, de pœnitentia, distin. 2. Sed quod idem correptionis fraternæ præceptum, specialiter etiam prout est actus charitatis, ad Prælatos pertineat, hac vel vnica ratione probatur. Nam
27 Prælati † cum sint personæ publicæ, & esse debeant exemplar totius populi, certum est (idque tenet communis opinio) quod ratione sui officij & status, arctius, atque strictius tenentur ad impletionem omnium diuinorum mandatorum, quam reliqui de populo: dicẽdum ergo est, quod & arctius, & strictius tenentur ad obseruãtiam dicti præcepti de correptione fraterna, etiam prout est actus charitatis: & ad habendam maiorem charitatem, & dilectionem erga suos subditos, quam teneantur alij: idque maximè quia Matth. 18. in illis verbis: Si peccauerit in te frater tuus, &c. (ex quo loco expressius deducitur præceptum prædictæ correptionis fraternæ) specialius factus fuit sermo cum Prælatis, nempe cum D. Petro, cæterisque Apostolis, & discipulis, & ijs qui in Ecclesia in eorundem locum succedunt. Quin verò & generaliter in Scriptura sacra, vbicunque præcepti prædicti de correptione fraterna fit mentio, peculiariter Prælatis, & Ecclesiæ Pastoribus † intimatur, necnõ 28
& insinuatur, arctius, & strictius eosdem ad impletionem eiusdem teneri, quam teneantur reliqui de populo priuati homines: per quod manet satis probata prædicta conclusio. Et est expressa sententia D. Hieronymi, qui explicando prædicta verba Matth. 18. Si peccauerit, &c. inquit: studeant sacerdotes (quo nomine generaliter omnes comprehendit Prælatos) adimplere id, quod ad eos specialiter dicitur. Est etiam sententia D. August. 1. de Ciuit. Dei, cap. 9. tom. 1. vbi dicit; Quod etiam in correptione fraterna, quæ ad oẽs pertinet, grauior est cura Prælatorum. Quæ quidem verba adducit D. Tho. loco vbi sup. in solutione ad primum. Et cum dicat, quod in correptione fraterna, quæ ad omnes pertinet, grauior est Prælatorum cura: manifestè profectò constat, quod D. Tho. & D. August. loquuntur de correptione fraterna, quæ est actus charitatis, quæ omnes obligat, & ad omnes pertinet: & non solum de correptione iudiciali, quæ est actus iustitiæ. Quod dico propter nonnullos, qui quamuis concedant Prælatos ex officij sui munere, tanquam iudices, & ex præcepto iustitiæ arctius teneri correctione iudiciali, arcere, & corrigere sibi subditos: nõ tamẽ (inquiunt) tenentur ad id arctius, siue strictius, quam alij priuati homines, ex vi præcepti de correptione fraterna, quod pertinet ad charitatem: nam dicunt quòd charitas æqualiter omnes obligat, & non magis Prælatos quàm alios priuatos homines. Sed re vera contraria sententia est verior, atque tenenda, quam tenet D. Tho. loco supra citato, vbi expresè loquitur de correptione, quæ est actus charitatis: ad quam Prælati strictius tenentur, quam quicunque alij. In cuius quidem rei signum, Christus Dominus

Ioann.

Ioann.20. antequam D. Petro Ecclesiæ curam, & suum ouilem commendasset, de dilectione sua, & charitate, per ter eundem examinauit, ac postea subdidit: Pasce oues meas. Quasi innuens ex iniuncto sibi officio, ipsum arctius, atque strictius fore adstringendum prædicto vinculo, & charitatis præcepto. Vt itaque omnia vnico concludam verbo dico, quod Prælati præter præceptum iustitiæ, quo peculiariter tenentur iudicialiter corrigere sibi subditos, & arcere eos à peccatis: ex præcepto charitatis, & fraternæ correptionis, etiam tenentur magis ad eorundem fraternam correptionem, quam alij priuati homines: & hoc est quod diximus in conclusione, quod tenentur specialiter,
29 seu speciali ratione. Nam † tenentur (vt ita dicam) duplici ex capite, & ex præcepto iustitiæ, & ex præcepto charitatis: & ex hac parte etiam arctius, & strictius, quam teneantur alij priuati homines. Ex quo etiam sequitur (quod vellent omnes Prælatos quam maximè memoriæ commendare) quod Prælati violantes, siue prætermittentes præceptum prædictum de correptione fraterna, cæteris paribus grauius peccant, quam quicunque alij priuati homines.

Ex dictis in præcedenti conclusione, difficultas resultat, quam maximè notatu digna, & ea est, vtrum præce-
30 ptum † prædictum de correptione fraterna, prout est etiam actus charitatis, magis obliget Prælatos, quã alios, non solum intensiuè, verum etiam extensiuè. Volo dicere, an ex vi huius præcepti Prælati ad plura teneantur, & ad exercendum aliquem actum circa sibi subditos, & ipsorum fraternam correptionem: ad quem non teneantur aliæ priuatæ personæ, & ipsi subditi inter se inuicem. Nec enim est par ratio de maiori obligatione intensiua, & de extensiua, nam Caietanus 2.2. quæst. 33. artic. 2. quamuis agnoscat in Prælatis maiorem obligationem adimplendi hoc charitatis præceptum intensiuè, nam plus (inquit) tenentur diligere, & corripere sibi subditos, quam alij, cum sint sibi magis coniuncti, quam sint ipsi subditi inter se inuicem, & ordo charitatis exposcit, vt magis coniunctos, magis atque strictius diligamus: quamuis (inquam) hoc ita sit, & illud concedat Caietanus: negat tamen Prælatos ad impletionem prædicti præcepti de correptione fraterna magis teneri, & magis obligari extensiuè, non enim credit: quod Prælati ex vi huius præcepti quatenus est actus charitatis, magis teneantur suorum subditorum vitam, et mores inquirere, quam vnus alius de plebe, vel vnus subditus respectu alterius subditi, sed si quam habent maiorem obligationem, hoc (inquit) est ex vi præcepti iustitiæ. Sed re vera contraria sententia est verior, atque tenenda, de qua sequens statuitur conclusio.

Tertia Conclusio.

PRælati etiam † ex vi huius præcepti charitatis, quod est de correptione fraterna; ad plura tenentur, quam aliæ priuatæ personæ, & ipsi subditi inter se inuicem. Hæc conclusio est expressa D. Thom. 2.2. quæst. 33. artic. 2. ad 4. & eandem tenet Adrianus in 4. quæst. de correptione fraterna, in responsione ad primam confirm. 2. argum. & Soto de Secreto, memb. 2. quæst. 3. conclus. etiam 3. Pro cuius conclusionis intelligentia simul & probatione, præmitto ex D. Thoma vbi suprà, quod subditi, & priuatæ personæ, ex vi huius præcepti de correptione fraterna, non tenentur inquirere, siue inuestigare aliorum subditorum peccata quò illa corripiant: quin verò inquit D. Thom. tenentur ea non inquirere, 31

nec

nec esse exploratores vitę aliorum, iuxta illud quod habetur Prouerbiorum 24. Ne insidieris, & ne quæras impietatem in domo iusti, nec vastes requiē eius, septies enim in die cadit iustus, & resurgit. D. etiam Augustinus libro de Verbis Domini sermone, 16. loquēdo de correptione fraterna, & de modo quo fieri debet, inquit, Quod facienda est, non quærendo quid reprehendas, sed videndo quod corrigas. At verò Prælati non solum ex pręcepto iustitiæ (quod obnixè obseruare tenetur) verum etiam ex vi huius præcepti charitatis, tenentur peccata suorū subditorum inquirere, non quò illa iudicialiter corrigant tanquam iudices solummodo, sed quo illa corrigāt fraternaliter, tanquam patres. Quod est dicere, quod præter illud ius, quod Prælati habent inquirendi tanquam iudices, siue subditos infamatos de aliquo crimine (de quo plura diximus in quæst. 7. agendo de particulari inquisitione) etiam ex vi, & ex speciali ratione huius præcepti charitatis, quod est de correptione fraterna, tenentur efficere aliquos actus, ad quos non te-
32 nentur alij subditi. Nā tenentur † inquirere, & inuigilare super gregem suum, & accuratè inuestigare suorum subditorum vitam, & mores; non quidem iudiciali ordine, nec quò illa iudicialiter puniant (id enim sine pręcedenti infamia facere haudquaquam licet) sed fraternaliter, & sicut patres in secreto, paternali, quodam modo, & ordine, vt ipsos corrigant, & emendent, prout sibi visum fuerit expedire. Tenentur etenim corrigere nō solum suorum subditorum peccata publica (quod pertinet ad forum iudiciale) verum etiam & secreta secreto (quod est paternalis muneris) procurando & faciendo interdum coniecturas, ita vt nullum omninò eorum crimen ipsos lateat, quam maximè fieri poterit. Hac de re qui plura voluerit videre, consulat Magistrum Soto, de Secreto, membro 2. quæst. 3. conclus. 3. vbi agendo de Episcopis dicit, non sat esse eosdem, & cæteros Prælatos Ecclesiasticos, habere causarum forū vt illud habent Prætores sęculares; sed multa alia debent efficere ex charitate, se gerendo non vt iudices, sed vt patres, suorum subditorum spiritualem salutem obnixè, ac totis viribus procurando. Et quod ad id teneātur Prælati, ac præterea ratione probatur. Nam certum est † quod illud, 33
quod debetur alicui determinatæ personæ, pręstandum sibi est non expectādo quod nobis occurrat, aut quod à nobis illud petat: quin verò debemus dare operam vt personam prædictam inueniamus, ipsamque inquiramus, vt ei soluamus debitum: quod constat exemplo de eo, qui debet aliquas pecunias alicui: nam tenetur quidem creditorem requirere, non expectando quod sibi occurrat, aut quod ipsas petat illi, vt soluantur. Sed Prælati ex speciali pręcepto charitatis, & non solum ex præcepto, & ex ratione iustitiæ (vt dictum est) tenentur arctius, atque strictius diligere sibi subditos, quam aliæ priuatæ personæ: ergo & tenentur præstare circa ipsos aliquem peculiarem actū, ad quē alij non teneantur: & certè iste nullus est alius, quam inquirere, quod corrigant, non expectando vt correptio ipsa ab eisdem iudicialiter petatur. Et hoc est diligere sibi subditos magis, non solum intensiuè, verum etiā extensiue. Pro hoc facit quam maximè ca. Quamuis, de regul. iuris, quod est D. Gregorij, vbi pro Prælatis specialiter dicitur, quod non est bona excusatio pastoris, si lupus oues comedat, & ipse nesciat. Hac etiam ratione in sacra pagina Prælati † dicūtur Spe 34
culatores, & perpēsa vi & robore verbi huius speculari, satis datur intelligi qualiter ipsi in hisce rebus se gerere debeant; cum quanta cautela, quādoque res deteriorē in partē interpretādo:

do: de quo videndus eſt D. Thom. 2. 2. quæſt. 60. artic. 4. in ſolutione ad 5. vbi ad hoc propoſitum plura dicit eaque notatu digniſſima.

Sed ex prædictis inſurgit difficultas, quam maximè ſcitu, & notatu digna pro ceremonijs religioſorum, quæ quidem vel nulla ſunt culpa quæ obliget in conſcientia, vel ad multum ſunt veniales. Et difficultas eſt, an ex
35 † vi prædicti præcepti de correptione fraterna, Prelati teneantur quandoque reprehendere, & corrigere ſub mortali, id quod de ſe non eſt plus quã veniale? Et certè pro parte negatiua videtur, quod non capit intellectus quonam pacto alicui eſſe poſſit lethale, non corripere id quod quamuis fiat, non eſt pluſquam veniale. Sed nihilominus pars affirmatiua eſt verior, de qua ſequens ſtatuitur concluſio.

Quarta Concluſio.

36 ALiqui ſe ſe † offerre poſſunt caſus, in quibus peccatum ſit Prelatis mortale, non corripere id, quod de ſe eſt tantummodo peccatum veniale. Hæc concluſio eſt expreſſa Magiſtri Soto de Secreto, membro 2 quæſt 2. concluſ. 3. & eſt doctrina valde notanda. Primus caſus eſt, quando Prælatus poſſet plebem ſuam à leuibus iuramentis, & prauis conſuetudinibus peccandi venialiter purgare. Secundus verò, quando poſſet efficere ne cadant cedant ceremoniæ, & obſeruationes alicuius religionis, etiam ſi non obligent ad peccatum, ſed ad multum ſint peccatum veniale. In vtroque iſto caſu (dicit Soto) quod Prælati tenentur corripere ſub mortali eiuſmodi peccata, vtcumque venialia: & ratio (inquit) eſt: nam cum
37 Prælatis † ex officio incumbat cura boni publici, tenentur ſub mortali euitare quodcumque damnum publicum, ſi fuerit notabile: in propoſito autem dicit, quod quamuis peccata venialia in ſingularibus perſonis non graue, aut notabile damnum eſſe cenſeantur; in republica tamen, & congregatione qualibet regulari (maximè ſi ſint frequentia) quam maximũ damnum reputantur, ac magni momenti eſt illa extirpare: ex quo proinde ratione prædicti magni nocumenti tenentur Prælati interdum reprehendere, atque corripere ſub mortali, id quod de ſe non eſt pluſquam veniale. Hæc doctrina (vt dixi) eſt multo notabilis pro ceremonijs religionum, quæ quamuis ex ſe, vel nulla ſint culpa, vel ad multum venialis, & non cenſeatur magnum crimen in particulari ipſas infringere, aut violare: in republica tamen & congregatione ac domo regulari, multũ intereſt eiuſmodi damna ad normam, & regulam reuocare, idque obligabit Prelatos quandoq; ſub mortali: quod oportet eoſdem multum adnotare. Et quia latiſſimam mentionem fecimus de Prælatis, rationi videtur conſonum, vt dicamus aliquid de obligatione, quam etiam habent parentes, ac patres familias diligendi ſuos filios, & domeſticos, & an teneantur magis eoſdem corripere, quam cæteri priuati homines, & ipſi inter ſe inuicem? Cui difficultati reſpondetur per ſequentem concluſionem.

Quinta Concluſio.

PArentes † Et patres familias, magis tenentur diligere atque corripere filios ſuos, ſibi domeſticos, quam cæteri priuati homines teneantur ſe inuicem diligere, & corripere. Hæc concluſio eſt expreſſa D. Auguſt. ſermone 94. & 109. de Tempore, & homilia 6. in lib. 50. Homiliarum; & refertur in cap. Duo iſta, 23. quæſt. 4. vbi ponit D. Auguſt. ſeptem perſonarum genera quibus ex officio incumbit corrigere, 38

ac

ac proinde correptionis præceptum eosdem obligat specialiter: Episcopus (inquit August.) tenetur corripere plebem suam, paterfamilias domum, maritus vxorem, Rex regnum, diues familiam suam, Prætor Prouinciam, & pater plebem suam. Et certum est quod loquitur de correptione fraterna, non verò de iudiciali. Nam paterfamilias familiam suam, aut maritus vxorem, corrigere non possunt correptione iudiciali, & coercius, nec illis infligere pœnas à lege constitutas pro peccatis: sed solummodo tenentur eosdem fraternaliter corripere, maiori cum diligentia, quam extraneos, id enim expostulat ordo ipse charitatis, vt potius subueniamus propinquis, & nobis magis coniunctis, quam extraneis. Quod adeo verum est, vt duobus
39 propositis, † propinquior semper præferendus sit extraneo, & si vtrunque negligo, maius peccatum est negligere propinquum, quam extraneum. Cùm igitur filij magis coniuncti sint cum suis patribus, & domestici cum suis dominis, quam reliqui de populo inter se se, liquidũ profectò sit, quod correptio fraterna magis eosdem obliget quam alios. Quod & confirmari potest exemplo de eleemosyna corporali: nam certum est ex communi omnium sententia, quod magis tenemur ad impendendam illam filijs, domesticis & nobis magis coniunctis, quam alijs: ergo idem dicendum est in proposito de correptione fraterna, quæ est eleemosyna quædam spiritualis. Vnde & D. Paulus prima ad Timotheum cap. 5. ad hoc propositum inquit: Quòd qui suorum & maximè domesticorum curam non habet; fidem negauit, & est infideli deterior. Quod multum est notandum, & memoriæ commendandum. Sed alia non contemnenda insurgit etiam difficultas, & ea est, an prælati propter ea, quæ superius sunt dicta, teneantur magis ad correptionem suorum subditorum, quam Patres carnales ad correptionem suorum filiorum, & domini suorum domesticorum? de qua sit conclusio.

Sexta Conclusio.

Prælati Magis † sunt obligati 40
ad correptionem suorum subditorum, quam Patres carnales ad correptionem suorum filiorum, & domini respectu domesticorum. Hæc conclusio est expressa Magistri Soto, de Secreto membro 2. quæstione tertia, conclusione quarta, quam & probat hac efficacissima ratione. Nam quamuis Pater carnalis quantum ad vitam corporalem magis teneatur diligere filios suos, quam prælati subditos: tamen quantum ad vitam spiritualem, prælatus qui est pater spiritualis, magis tenetur diligere sibi subditos, & vigilantius illis prospicere, quam pater corporalis teneatur subuenire suis filijs. Itaque cæteris paribus grauius peccat prælatus, non corripiendo subditum quando tenetur, quam pater carnalis, aut dominus non corripiendo filium, aut seruum, quando etiam tenetur. Et est certè ratio notanda, quæ fundatur in suprapósito principio, quod prælati quantum ad salutem spiritualem sunt magis coniuncti cum sibi subditis, quam Patres carnales sint coniuncti cum suis filijs, aut domini cum suis seruis domesticis.

AR-

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm ſubditis ſtrictius teneantur, fraternaliter corripere ſuos prælatos, quā alias priuatas perſonas, & ſeipſos inter ſe inuicem?

Prima Concluſio.

41 SVBDITI † Arctius, atque ſtrictius tenentur prælatos ſuos charitatiuè corripere, quàm alios extraneos & ipſi interſe inuicem. Pro huius concluſionis intelligentia præmitto, qđ quamuis ſubditi nō poſſint prælatos ſuos corripere correptione iudiciali (hæc enim vim coerciuam requirit, quam ſubditi in prçlatos non habent) non tamen eximuntur ab eorundem correptione charitatiua, & fraterna à charitate procedente. De quo eſt expreſſa ſententia D. Gregorij, in quadam ſua Epiſtola, quç refertur, in cap. ſicut El ſecondo, 2. q. 7. Cuius ſunt quæ ſequuntur verba. † Sicut laudabile diſcretumque eſt, reuerentiam, & honorem prioribus exhibere: ita rectitudinis, & Dei timoris eſt ſi qua in eis ſunt, quæ indiget correptione, nulla diſſimulatione poſtponere, ne totum (quod abſit) corpus morbus inuadat, ſi languor non fuerit curatus in capite. Verba quidem ſunt valde notanda. Quibus præmiſſis dicit concluſio, quod ſubditi arctius, atque ſtrictius tenentur prælatos ſuos fraternaliter, & charitatiuè corripere: quā extreneos & ſe inuicem, q̃ & ſequentibus rationibus efficaciſſimus probatur. Primo quia † obligatio diligendi prælatos in ſubditis maior eſt, cum ſint ſibi magis coniuncti, vtque pluries diximus ordo charitatis id expoſtulat, vt qui magis nobis ſunt coniuncti magis diligantur. Vnde ſicut in corporalibus poſt amorem patrum in filios, ſecundum locum tenet amor filiorum in patres: ita in ſpiritualibus, poſt amorem prælatorum in ſubditos præcipuum etiam obtinet locum amor ſubditorum in prælatos, ac propterea tenentur ſtrictius eoſdem charitatiuè corripere. Secundò probatur id ipſum. Nam ſi etiam correptio pęnes neceſſitatem conſideranda ſit, prælatorum neceſſitas multo eſt maior, & plus ipſi indigent correptione, quam alij priuati homines. Vt enim inquit D. Auguſtinus. Quanto ſunt in loco ſuperiori, tanto verſantur in periculo maiori. Reperire enim licebit multos, qui verbis ſubdolis & fraudulentis illos decipiunt, paucos vero aut nullos, qui eoſdem corripere etiam (cum opus fuerit) audeant, & moti quidam verecundia nonnulli timore, alij verò ambitione, & ſtudio illis complacendi, & gratiæ comparandæ remouentur à prælatorum correptione. Ex quo planè ſequitur (id quod dictum eſt) eſſe ipſos in maximo ac miſerabili periculo conſtituto, ac proinde, quod ſubditi ſtrictius tenentur illis ſuccurrere, eoſdēq; cum deliquerint (ſed maximè publicè) ex fraterna charitate corripere. His accedit, & alia pręcipua ratio, q̃ ſit tertia in ordine, & ea eſt: quod prædictorum prælatorum peccat, maximè (vt dixi) ſi fuerint publica vergere quadam ratione videntur in perniciem totius communitatis, ex quo proinde colligitur, quod ſubditi tenentur magis eoſdem quam alios priuatos homines corripere: cum teneantur magis ſuccurrere bono communi, & euitare cōmune malum, quam malum cuiuſpiam alterius particularis. Ad quod quidem propoſitū facit quam maximè, quod dixit olim D. Gregorius, & habetur in c. præcipuè 11. q. 3. Quod prælati, qui peruerſa aliqua perpetrant tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmittunt. Vnde neceſſe eſt, vt tanto cautius ſe à culpa cuſtodiant, quanto per praua quæ faciunt, non ſoli ipſi mori-

moriuntur. Verba quidem sunt notatu dignissima.

Secunda Conclusio.

44 IN prælatorum fraterna † correptione, tres sunt à subditis obseruãdæ conditiones, & circunstantiæ. Prima, vt correptio sit occultissima, & lucratissima; ita vt suæ famæ, & honoris, quam maxima habeatur ratio. Licèt enim id in omni correptione generaliter sit obseruandum: maximè tamen in correptione prelatorum, vtpotè quorum bona fama reipublicę quã maximè est necessaria, & qui contrarium faciunt de mẽte Anacleti Papæ, & habetur in c. sicut Cham 2. q. 7. damnandus esset, sicut & prædictus Cham damnatus est, Genes. 9. Eò qđ verenda patris sui non cooperuit, sed irridenda monstrauit. Secunda conditio est, vt subditus nõ corripiat prelatum increpando, sed admonẽdo, & obseruando, & eidem nocumẽta, quæ ex suo delicto, sine crimine subsequũtur demonstrando, pro quo facit illud D. Pauli 2. ad Thimot. 5. Seniorem tene increpaueris, sed honora vt patrẽ. Et de Beato Dionysio legitur in Epistola 8. Quod Demophilum discipulum suum grauiter reprehendit, eo quod Sacerdotem quẽdam irreuerenter corripuit. Tertia conditio est: vt prælatorum correptio non à quocunque fiat, sed ab eo, cuius correptio magis profutura speratur: vtpotè qui sũmæ sit prudentiæ, & spectatæ virtutis, & qui alius prælatum suũ auderet corripere, lapidandus esset, vt bestia, quia montem (id est Prælatum suũ) in eminenti loco constitutum, tetigit, iuxta illud quod habetur Exod. c. 19. vel puniendus vt Oza, qui pro eo à Deo percussus legitur, 2. Reg. 6. quia arcam testamenti tetigit. Ad quod facit quam maximè, quod dixit D. Gregorius in Pastorali. Sanctorum vitã corrigere nemo præsumat, nisi qui de se meliora sentit, Et quod prædictæ conditiones omnes obseruãdæ ad vnguem sint in prelatorum correptione, exinde patet. Nam cum correptio esse debeat actus virtutis misericordię immediatè, atque elicitiuæ, charitatis verò, mediatè, & imperatiuæ, debeatq; proinde esse uestitus debitis circunstantijs, haudquaquam tale promoueri poterit nomen, nisi in ipsa cõcurrant prædictæ conditiones, quæ inter aliàs omnes sunt potissimæ, & præcipuæ, ad quas aliæ (si quæ sunt) poterunt etiam reduci.

Tertia Conclusio.

QVando † Prælati crimẽ furti publicum, & scandalosum, & quod vergit in perniciẽ publicam: licitum erit subdito ipsum publicè, & coram facie totius populi reprehendere. Vt si (Verbi gratia) esset crimen hæresis (quod absit) in hoc nec ipsi Papæ erit parcẽdum: vt habetur expresse in ca. si Papa, distin. 40. Nam † in materia fidei omnis fidelis vtcunque minimus, auctoritatem habet vt quemcumque quantumuis grandem, possit redarguere, & reprehendere, adeo grauis est labes præfati criminis. Vnde fit, vt ad eiusdem accusationem serui aduersus Dominos, & criminosi, & infames admittantur: quod in alijs criminibus non licet, vt habetur, in capit. præsumunt, 2. quæst. 7. Nec id solum facere licet in materia fidei, verum etiam & quotiescunque peccatũ prælati fuerit scãdalosum, licèt ipsum publicè reprehendere, vt habetur in cap. Paulus, eadem causa & quæstione. Haud enim D. Petrus admiserat hæresis crimen, imò verò nec peccatũ adeò graue, vt illud esset mortale: quia tamẽ alijs in eo scandalũ dabat, legitur ad Galatas 2. quod D. Paulus cũ acriter, & publicè reprehendit. Dicit enim ibi D. Paulus: in faciem ei restiti:

itaquia reprehensibilis erat. Quam ēt correptionem, & ipse D. Petrus libēti animo sustinuit, cū tamen esset totius Ecclesiæ caput, quod quidem ponderans D. Augusti. super prædictum locū, inquit: Quòd in eo D. Petrus. Magnum exemplum maioribus dedit, vt non dedignentur à posterioribus corrigi, si aliquando ipsi rectum tramitē dereliquerint. Et addit D. Augustinus: Quòd nec mirandum est, quod D. Petrus id ipsum fecerit, cum & ipse Christus summus omnium Magister, & Dominus, legi correptionis se subiecerit, dicens Ioan. 8. quis ex vobis arguet me de peccato? Et alibi: Si malè loquutus sum testimonium perhibe de malo. Omnia hæc valde sunt notanda.

ARTICVLVS V.

Vtrum peccator in peccato existens, possit aut debeat alios corripere?

47 Videtur † quod non. Nam vt supra dictū est, correptio debet esse opus charitatis, & à virtute charitatis procedere: sed peccator quamdiu est in peccato manet extra charitatē, nec potest aliquem ex charitate corripere: ergo id ipsum facere haudquaquā sibi licet, quin verò corripiendo in sua ipsa correptione de nouo peccabit. Quod & confirmari potest ex multis Sacræ Scripturæ auctoritatibus, quibus peccatores alios corripientes reprehenduntur. Tale est illud Psalm. 49. Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, proiecisti sermones meos retrorsum, si videbas furem currebas cum eo, &c. Tale est etiam illud, quod habetur Matth. 7. vbi eos qui talia agunt, vocauit Christus Dominus Hypocritas, in quos inuehitur dicendo ibi: Quid tu vides festucam in oculo fratris tui; trabem autē, quæ in oculo tuo est non consideras? Hypocrita, eijce primum de oculo tuo trabē, & tūc videbis, vt deducas festucam de oculo fratris tui. Tale ēt est illud, quod habetur ad Rom. 2. vbi idem Paulus eosdem inexcusabiles esse dicit: Propter quod (inquit) inexcusabilis es, ò homo, tu omnis qui iudicas: in quo enim alterū iudicas, te ipsum condēnas. Cuius quasi rōnem reddens, addit: Eadem enim agis, quæ iudicas. Ex quibus oībus locis, & alijs à me breuitatis causa omissis videtur colligi, quod peccatoribus in peccato existentibus, licitum non sit alios corripere. Quibus tamen non obstantibus, in contrarium est veritas.

Prima Conclusio.

48 Per se loquendo, † peccator etiam dum in peccato existit, bene potest, imò & qn̄q; debet alios ex charitate corripere. Probatur hæc cōclusio primò. Quia correptionis præceptum (vt supra pluries est dictū) est præceptum charitatis, ad quam oēs in vniuersum tenentur, & à cuius obligatione nullus eximitur: ergo nec peccator ratione peccati est exemptus, aut excusari pōt à corripiēdi obligatione, aliàs videretur, quod ex delicto † 49 reportaret cōmodum, quod omnia iura strictè prohibent. Id quod & confirmatur rōne, quæ in hac re est præcipua D. Tho. 2. 2. q. 33. art. 5. Vbi dicit quod correptio pertinet ad aliquē, & obligat eum in quantum viget in eo vsus rationis: sed rationis vsus nō tollitur, nec aufertur omninò per peccatum, non enim tollit peccatum oē bonum naturæ: ergo nec per se loquēdo aufert corripiendi obligationē. Vnde dico, quod licèt à correptione iudiciali, & ēt ab accusatione multi repellantur ratione peccati: vt habetur in iure. 3. q. 4. per totam, & nos infra latè dicemus, dū agemus de denunciatione iudiciali, & accusatione: nā infames,

& publici peccatores, & excõicati accusare non possunt, aut forsan neque denunciare iudicialiter, nec ius dicere: nã ad publicum iudiciũ necessaria est ęstimatio, & opinio probitatis iudicis accusatoris, & ẽt testium, vt fidem faciant in iudicio: sed tñ à correptione fraterna (q̃ est ex charitate) nullus per peccatum repellitur, quia de necessitate, & natura talis correptionis solummodo est persuadere, & veritatẽ dicere, quod quicunque rõnis compos potest præstare: quo fit vt peccatores per peccatum non omninò excusentur à corripiendi obligatione. Videatur hac de re Soto de Secreto membro secundo, quæstione tertia, conclusio. 6.

Secunda Conclusio

50 PEccatũ † multis modis extenuat, atque impedit efficaciã correptionis. Probatur hæc conclusio. Primò, quia corripiẽs (maximè si sit maioribus criminibus obnoxius) indignum se quodãmodo reddit, vt alias corrigat, qua quidem ratione D. Hieronymus explicãdo illa verba Mat. 7. Quid tu vides festucã in oculo fratris tui trabẽ aũt, quæ in oculo tuo est nõ cõsideras, inquit, quod loquitur Christus, ibi: De his, qui cum mortali detineantur crimine, minora peccata fratribus non concedunt Secundò impedit peccatum efficaciã correptionis ratione cõditionis peccati, vt puta, si peccator est publicus, & publicè alios corripit: tunc (vt dicemus statim) correptio nihil prodest, imo verò q̃nque ratione scandali obest. Præsumitur, enim de huiusmodi corripiente, quod non ex charitate, sed ad ostentationẽ corripit, cum non seipsum prius corrigat: & vt ait D. Chrysostomus, super eadem verba Matthæi 7. Vt per bonã doctrinam, propria ipse celet flagitia. Tandem tertiò impeditur per peccatum efficacia correptionis ratione periculi, & propter superbiã corripientis, in quantum aliquis propria peccata paruipendens, & se ipsum in corde proximo suo præferens, superbia effertur proximi peccata ita austera seueritate dijudicans, ac si ipse esse iustus, quod quidem scandalosum est, & maximæ superbiæ iudiciũ, proximo suo indignè se præferre. Qua quidem ratione D. Augustinus lib. 2. de ser. Domini in monte, inquit. Quod accusare aliorum vitia, officium est bonorum, quod cum mali faciunt, alienas partes agunt.

Tertia Conclusio.

51 IN casu quo † quis existimat, quod propter peccatum correptio, quã alteri est exhibiturus futura est inutilis, cessare potest à tali correptione. Hæc conclusio est manifesta: nam in tali casu huiusmodi correptio esset vana, & ad opus vanũ, & inutile nemo obligatur. Vnde dico, quod si aliquis peccator adeo esset perditus, infamis, & scelerosus, vt iustè crederet, quod correptio sua futura esset prorsus inutilis: excusaretur procul dubio à præcepto correptionis. Sed dices contra: non in tali casu videtur, quod huiusmodi peccator teneatur resipiscere, & à peccato exire, vt adimplere possit præceptum correptionis, aliàs ex delicto reportabit commodum, cũ propterea excusetur ab hoc præcepto, quod omnia iura strictè cohibent. Huic difficultati respondeo sub distinctione. Et primò dico, quod si fiat sermo de personis particularibus, certum est quod non tenentur à peccato exire, ex hac speciali ratione, vt fratrem suum possint corripere. Et ratio in promptu est: nã ad opera misericordiæ (v.g.) ad faciendam eleemosynam nullus tenetur, nisi quando facultatem habet, vt illã conferat. Non enim tenetur quis opes acquirere, vt eleemosynam faciat,

ciat, similiter nec tenetur homo ignarus literas procurare, & addiscere, vt rectum consilium alijs possit prestare. Ita dico in proposito, quod homo
52 † non tenetur ad correptionem proximi, quando illam præstare non potest, nec tenetur à peccato exire ex hac speciali ratione, aut ad id gratiam procurare, vt per correptionem subueniat alijs. Nec propterea dicitur ex delicto reportare commodum: nam commodius profectò foret, atque salubrius multo cuilibet, in gratia, & amicitia Dei existere, & permanere, quam ab aliquo ipsius præcepto excusari: & prætermittere id, quod facere aliàs posset meritoriè. Si autem fiat sermo de prælatis: si propter sua peccata credunt ad emendandos, & corrigendos suos subditos se esse inu-
53 tiles: dico quod in tali † casu tenentur huiusmodi prælati, & personæ publicæ, quo munus, & officium suum expleant, & subditos suos debitè, & vti par est corrigant, vel vitam emendare, aut officium deponere. Quod vel hac ratione probo. Nam huiusmodi non solum ex charitate, verum etiam ex officio suo, & ex iustitia, tenentur consulere spirituali suorum subditorum saluti. Ex quo videtur quod tenentur proinde se ipsos reddere aptos, & idoneos, ad præstandum huiusmodi munus. Et confirmari potest à simili. Nam certè qui aliquas debet pecunias alicui, si illas non habet: operam tenetur dare, & procurare, vt ipsas habeat, & creditori reddat, pro eo quod id ipsum est debitum ex iustitia: ergo pari ratione prælatus cum subditos corripere ex officio sibi incumbat, sitque id debitum ab eo, non solum ex charitate, verum etiam ex iustitia: operam tenetur dare, vt ad corripiendos ipsos fiat idoneus. Vnde resolutiuè dico, quod si talis daretur casus, quo prælatus propter sua peccata atque flagitia, ad suum officium exequendum inutilis reddatur, & in idoneus: teneretur procul dubio, aut vitam suam emendare, aut officium deponere, vt sup De quo videatur Soto etiam vbi supra, & Aragon 2. 2. q. 33. art. 3. concl. 3.

Quarta Conclusio.

Peccator non debet † alios corripere increpando, & superbè accusando, sed gemendo proprium peccatum, aut se simul cum alijs reprehendendo. Hæc conclusio est D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 5. in corpore. Ad quam probandam adducit testimonium D. Aug. lib. de serm. Domini in monte, vbi inquit: Cogitemus cum aliquem reprehendere nos necessitas cogit, vtrum tale sit vitium, quod nunquam habuimus: & tunc intelligamus nos homines esse, & habere potuisse. Vel tale est vitiũ, quod aliquando habuimus, sed iam non habemus: & tunc tangat memoriam nostram communis fragilitas, ita vt correptionem illam non odium, sed misericordia præcedat. Si autem inuenerimus in eodem nos esse vitio irretitos non obiurgemus, sed congemiscamus, & ad æqualiter cauendum nos inuitemus. Hoc modo & vsurarij, & meretrices, & perditissimi quique homines possunt alios eiusdem farinæ corripere. 54

Vltima Conclusio.

Qui † Peccator publicus alterum sine istis conditionibus, increpando, & superbè accusando reprehenderet, mortaliter peccaret: tum ratione scandali: tum etiam quia superbè agit. Hanc conclusionem probant argumenta proposita in initio huius Articuli. Nã cum talis corripiens prætermittat ordinẽ charitatis, iuxta quẽ à se ipso deberet incipere, & talis correptio ortũ habeat à superbia, & eo fiat fine, vt 55

ipse bonus existimetur, & appareat: planum est, quod id ipsum in se est malum, & peccatum ex genere suo mortale ratione scandali,& superbię, & quia malo fine vitiatur. Verum est tamen quod his deficientibus, si huiusmodi correptio cum timore, & humilitate ab ipso peccatore fieret, nullũ in eo esset peccatũ: quinimò & esse posset meritoria, si aliàs fieret in gratia, et si corrigẽs ipse esset peccator publicus, & etiã si ille esset prædicator. Quod notanter dico, contra Caietanũ
56 dicentem, quod † prædicatores in peccato mortali prædicantes, peccant mortaliter. Qua de re videndus est etiam Soto in 4. distinct. 1 q. 5. art. 6. & Aragon. 2. 2. q. 33. art. 5. conclu. 2.
57 du. 1. & 2. Ad rationem † in initio articuli adductam dico, quod quamuis correptio peccatoris non procedat ex habitu charitatis infuso: ad adimplendum pręceptum correptionis quantũ ad substantiam actus, & ad hoc vt correptio ipsa inter alios actus bonos, enumeretur, cum sit actus de se laudabilis, si fiat cum debitis circunstantijs sufficit quod procedat ex naturali proximi dilectione.

Ad authoritates autem adductas ex Sacra scriptura, dico, quod loquũtur in casu quintæ conclusionis. Quod est certissimum, atque verissimum, & nullam aliam continet difficultatem.

ARTICVLVS VI.

Vtrum pręceptum correptionis fraternæ obliget ad sui obseruantiam, etiam cum periculo vitæ famæ, & honoris, aut cum dispendio bonorum temporalium?

VT Quod quæritur in præsenti Articulo perspicuum fiat, pono exemplum. Credit aliquis probabiliter, quod per suam admonitionem, & fraternam correptionem, poterit adulteram ab adulterio retrahere: timet tamen & rationaliter, quod si id faciat occidetur ab adultero, seu aliquo alio modo infamabitur, & metu mortis, siuè infamiæ, adulteram omittit corripere. Quæritur, an iste talis peccet mortaliter? & idem quæro, in aliquo casu simili, quo timeretur dispendium bonorum temporalium?

Qua in re, vt clarius, atque distinctius procedã, & cũ ea breuitate qua nitor, omissis varijs, ac pęnè innumerabilibus Doctorũ opinionibus, huic quæstioni resolutiuè satisfaciam per tres conclusiones: si prius in memoriã reduxero, quod difficultas præsentis articuli, intelligi potest de priuatis personis, & de personis publicis, & communibus (quales sunt iudices, & Prælati) potest etiam procedere in casu quo correptio ipsa est simpliciter necessaria, & in casu, quo non sit tam arcta, & extrema necessitas; est tamen aliqualis imo verò, & grauis necessitas. Quibus omnibus respondetur per ordinem per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

IN casu quo † correptio proximi ad salutem est simpliciter necessaria, non solum Prælati verum etiã & personæ particulares tenentur ad illam, etiam cum notabili detrimẽto, & periculo suæ vitæ, famæ, & honoris, & cum dispendio bonorum suorum temporalium. Notanda sunt omnia huius conclusionis verba loquimur enim in casu extremæ necessitatis. Et ad explicandum qualis sit iste casus, & an moraliter loquendo possit contingere oportet præmittere vnum notabile, quod erit totale fundamentum huius conclusionis, imò & totius quæstionis. Dico ergo quod peccatum † omne aut procedit ex malitia, aut verò ex fragilitate, seu passione, vel ex ignorantia. Inter 58 59

ter

ter quas spirituales necessitates hæc est differentia, quod necessitati prouenienti ex malitia, nulla ratione tenetur quis succurrere, neque peccatori ex malitia peccanti, vllo modo est, aut esse potest nostra correptio simpliciter necessaria, cum ipse sibi possit subuenire cessando à malitia, postquam (vt supponitur) ex malitia peccat, & ex sua praua, & mala voluntate. Ex quo
60 vlterius sequitur, † quod non tenetur quispiam cum suo proprio damno, & periculo, huiusmodi peccatori succurrere: succurrat ipse sibi si voluerit, exeundo à malitia & à peccato; quod si noluerit facere, imputetur sibi. At verò illi necessitati, quæ prouenit ex fragilitate, seu passione, vel ex ignorātia, cum eius subuentio sit simpliciter necessaria, necessarium proinde est, vt succurratur sibi, & peccatori talem necessitatem patienti, etiam cum periculo vitæ, famæ, & honoris, & cum dispendio bonorum temporalium: quia (vt supponitur) ipse aliàs nisi per nostrā admonitionem, & correptionem, non potest sibi subuenire. Quod vt plenius notū fiat, statuo vnū exemplū desumptū ex coporalib. necessitatibus. Nam certum est quod si quis ex malitia nollet laborare, nec comedere, nisi de meis panibus, non teneor ego illos sibi dare, aut tali eius necessitati seccurrere tribuendo illi mea bona, quamuis fame moriatur, laboret ipse: quod si noluerit imputetur sibi. At qui esset in extremis, et extrema necessitate laboraret, & non ex malitia, sed ex vera, & reali necessitate, quia nempe nullo modo potest laborare, nec habet vnde vitam suam alere, & sustentare possit: cum iste casus sit extremæ necessitatis perspicuū est, quod eius etiam subuentio est simpliciter necessaria, & quod tenemur illi necessariò succurrere sub mortali. In quo sensu verum habet illud D. Ambro. quod refertur in cap. Pasce, dist. 86. pasce fame morientem, quisquis enim pascendo hominem seruare poteras, si non pauisti, occidisti. Applicādo ergo hæc ad nostrum propositum, idem omninò dicendum est de correptione fraterna, quæ est quædam spiritualis eleemosina: quod in casu, quo ipsa est simpliciter necessaria, ad conseruandam, siue recuperandam vitam spiritualem proximi: tenemur peccatorem corripere, etiam cum periculo propriæ vitæ, famæ, & honoris, & bonorum temporalium: cum peccator in tali casu, alias non possit sibi subuenire: non autem in alio casu, nisi Prælati forsan (vt dicemus) & iste & non alius est casus, in quo correptio fraterna cum tāto detrimento, & periculo potest obligare.

Sed quod in hoc casu fratrem teneamur corripere, quæ est nostra cōclusio, probatur hac postrema ratione. Nam charitatis ordine † magis 61
tenemur diligere vitam spiritualem proximi, quam temporalem, & corporalem nostram; sed qui in tali casu metu mortis aut alterius rei temporalis, fratrem non corriperet, cum correptio sit illi simpliciter necessaria, postponit vitam spiritualem eius, temporali suæ, & suis bonis temporalibus, subtrahendo illi correptionem simpliciter necessariam; cum stante tali fragilitate passione, vel ignorantia (vt supponitur) ipse sibi non posset succurrere: ergo omni proculdubio peccat mortaliter, qui in tali casu correptionem omittit. Non est autem eadem ratio de eo, qui non ex fragilitate, passione, vel ignorantia, sed ex malitia peccat: nam neque correptio est illi simpliciter necessaria, neque proinde tenemur illum cum tanto damno, aut periculo corripere, cum ipse cum Dei gratia se possit corrigere cessando à peccato: ex quo fit consequens, quod prætermittendo eius correptionem, non postponimus vitam spiritualem pro-

ximi, temporali nostræ: cum vita nostra in tali casu non sit medium ex natura rei ordinatum ad correptionem fratris ex malitia peccantis, neque vllus tenetur malitiæ alterius cum suo dãno, & detrimento subuenire: quod (vt dixi) est totale fundamentum nostrę conclusionis, & totius quęstionis. Atque de hoc casu, & similibus, si qui sunt extremæ necessitatis, intelligendum est illud Ioan. in sua Canonica 1. cap. 3. vbi inquit: In hoc cognouimus charitatem Dei, quod ille animã pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Quæ verba dum explicant Doctores dicũt, quod iuxta ipsa necessariò debet dari aliquis casus, in quo teneamur ponere vitam corporalem nostram, pro spirituali proximi, & quod talis casus est ille, in quo vita nostra est simpliciter necessaria, ne frater noster spiritualiter moriatur, & pereat: tunc (inquiũt) necessum est, vt omnia postponantur eius correptioni. Hac de re videatur specialiter Aragon 2. 2. quæst. 33. art. 2. dubio 8. Sed dicet aliquis quod iste casus sit metaphysicus, & quod de facto nunquam potest contingere: nam etiam qui peccat ex passione potest sibi subuenire relinquendo passionem, sicque correptio non est illi simpliciter necessaria: nec verò illi, qui peccat ex ignorantia: nam vel illa est vincibilis, vel inuincibilis, si inuincibilis ipsa eundem excusat, neque peccat, ex quo proinde sequitur, quod non teneor illi succurrere. Si verò est vincibilis, ipse peccator cum diuino auxilio, qui omnibus præsto est potest eam vincere, & sic neque in hoc casu est correptio illi simpliciter necessaria, neque ipse in tam arcta necessitate constitutus, vt cum tanto damno, aut periculo, teneat ego illi subuenire, non est ergo dabilis talis casus extremæ necessitatis. Respondeo quod quamuis vix aut rarò huiusmodi casus extremæ necessitatis reperiatur, in quo correptio sit ita simpliciter necessaria, si tamen aliquis reperitur esti ste, de quo modò diximus nempe quando aliquis laborat ignorãtia vincibili, alicuius rei ad salutem simpliciter necessariæ, & potest à me solo edoceri. Tũc cum correptio mea sit illi simpliciter necessaria, certum est, quod teneor illam adhibere etiam cum periculo propriæ vitæ, famæ & honoris. An verò quando proximus laborat ignorantia inuincibili alicuius rei ad salutem necessariæ, teneamur etiam semper illum edocere, & corripere, explicabitur amplius in articulo sequenti, modò sit secunda cõclusio.

Secunda Conclusio.

IN casu etiam † quo correptio non est ita simpliciter necessaria, vtpote quia peccatum non procedit ex fragilitate, aut ex ignorantia; sed vel ex passione, aut malitia; prælati, & superiores iudices, tenentur quandoque sibi subditos corripere, cum periculo suæ vitæ, famæ & honoris, & aliorum bonorum temporalium. Probatur hęc conclusio. Nam (vt supra diximus) prælati tenentur prouidere, & consulere saluti suorum subditorum non solum ex charitate, verum etiam ex iustitia, & ex propria sua ratione, qua pręlati sunt, & ex officij sui munere, magis quàm aliæ personæ priuatæ: ergo quotiescunque sibi subditi laborauerint graui aliqua necessitate, licèt ipsa nõ sit extrema, sed vel ex malitia, vel ex passione procedens, & in casu quo (vt dictũ est) correptio non est simpliciter necessaria, tenentur pręlati ipsi eosdem corrigere, & si opus fuerit pro eis vitam exponere, vt ipsis subueniant. Ex quo colligo, quod interdum vbi priuatæ alicui personæ esset consilium pro fratre vitam exponere, prælatis erit, aut saltim esse poterit præceptum. Quod 62

for-

forsan innuere voluit Christus Dominus Ioann. 15. nam cum vniuersaliter, & ad omnes indistinctè dixisset, maiorem hac dilectione nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis, quasi innuens, quod hoc sit perfectionis consilium, tãdem Ioan. 20. non conditionaliter, sed absolutè de prælatis dixit: Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis:
63 quasi in hoc insinuare volens; † quod id in prælatis & pastoribus pertinet ad necessitatem præcepti. Quod est valde notandum, atque memoriæ cõmendandum.

Sed dices, de priuatis personis loquendo, est verum quod nunquam peccabunt omittendo correptionem propter timorẽ, nisi in casu extremæ necessitatis, & in casu, quo correptio est simpliciter necessaria? Etenim si hoc dicamus, quam rarissimè occurret in eis necessitas adimplendi præceptum tantopere à Christo Domino commendatum. Respondeo, & sit tertia conclusio.

Tertia Conclusio.

64 Etiam priuatæ † personæ tenentur ad fraternam correptionem proximi, in casu quo non est extrema necessitas; neque correptio simpliciter necessaria: dummodo id commodè, & sine graui periculo vitę, famæ, & honoris, & bonorum temporalium facere possint. Probatur hæc conclusio, quia (vt pluries dictũ est) correptio est quædam eleemosyna spiritualis, sed præceptum de eleemosyna, non solum obligat potentem illam facere, in casu tantum extremæ necessitatis, verum etiam & quando est grauis necessitas, & maximè de superfluo, ergo in his, & similibus casibus, qui fratrẽ possit corripere sine graui suo damno, & sine detrimento aut periculo, neque illud faceret, peccabit mortaliter. Et confirmatur, nam sicut in diuitibus illud censetur superfluum aliquibus, quod sine graui suo damno elargiri possunt; ita etiam & ad correptionis propositum, quasi superfluũ reputatur vt rationem habeat obligandi: quod facili negotio, & sine graui suo damno quidam possunt præstare. Ex quo infertur, quod in multis casibus, in quibus quia peccatum procedit vel ex passione, vel ex malitia, non est extrema necessitas, quia peccator ipse si vellet posset resipiscere: cum tamen necessitas sit grauis, quia vix, rarò, aut nunquam homines sine correptione emendantur: tenebuntur non solum prælati, † ve- 65
rum etiam & personæ particulares fratrem corripere, cum id sine suo graui damno facere possint, alias qui id ipsum non efficeret, censeretur (& quidem meritò) neglexisse salutem spiritualem sui proximi, quod omninò contrarium est charitati. Aduerto tamen, consulto adiuncta fuisse à nobis illa verba, dummodo id sine graui suo damno facere possint: vt liquidum fiat, quod cum tanto damno, detrimento, aut periculo particulares, & priuatæ personæ non tenebuntur corripere: Nam Dei præcepta non obligant cum tanto rigore, quia vt dicitur. Matth. 11. Iugum Christi Domini suaue est, & eius onus leue. Quod etiam patet à simili. Nam lex etiam naturalis est, vt subueniamus pauperi in extrema necessitate constituto: ipsa tamen non obligat cum vitæ propriæ periculo: non enim quis tenetur facere eleemosynam existenti in extremis, si certò credat, quod inde subsecutura sit eidem alia etiam extrema neces-
sitas: imò verò † neque si est grauis 76
necessitas tenetur quis proximo succurrere, si credat quod eandem ipse incurret, si necessitati subueniat alienæ. Hoc vltimum notabile est valde memoriæ commendandum. Quod & consensus hominum sapientum

tum communis confirmat, ex quo in rebus moralibus magnum desumitur argumentum: quia licèt qui vt fratrem corrigeret, & emendaret, propriam vitam, & alia temporalia postponeret: laudaretur ab omnibus, & quidem meritò, tanquã de bono consilij, & supererogationis à se patrato opere: haudquaquam tamen redargueretur peccati, & tãquam eiusdem reus diiudicaretur, qui metu mortis, vel dispendij bonorum suorum temporalium à tali correptione cessauerit; nullus enim est, qui intelligat correptionem cum tanto periculo, & detrimento obligare. De his omnibus videatur Soto de secreto membro 2. quæst. 1. & Aragon 2. 2. quæstio. 33. artic. 2.

Quarta Conclusio.

67 QVi fraternam † correptionem prætermittere, putans se graue aliquod detrimentum forte passurum, sed reuera non ita est: aut putans se corripiendo nihil posse proficere: mouetur tamen & amittit correptionis spem leuibus coniecturis: & qui prætermittit corripere ex leui aliquo timore, in his & similibus casibus correptionis omissio non erit peccatum mortale. Hæc conclusio iam aliqualiter constat ex supradictis, & constabit amplius ex inferius dicendis, & de ea videatur Soto vbi supra.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm teneamur corripere eum, qui alicuius rei ad salutem necessaria patitur ignorantiam inuincibilem?

68 VT iste Articulus, † & quod in eo quæritur plenius elucescat: ponam aliqua exempla, quibus id quod dicitur illustretur. Petrus & Paulus, v. g. inierunt inter se simoniacum aliquem contractum, quem tamen esse simoniacum ipsi contrahentes ignorant: ego autem id ipsum certò scio: quæritur an tenear illos admonere, & à tali ignorantia eripere, vt & ipsi eiusmodi cõtractum dissoluant? sit aliud exemplum. Est aliqua mulier, quæ ante Concilium Tridentinum contraxit clandestinè cum Petro, & ante consummationem matrimonij contraxit in facie Ecclesiæ cum Paulo, & consummauit matrimonium cum illo, arbitraturque illa inuincibiliter hoc secundum matrimonium fuisse validum: ego autẽ scio ipsum esse nullum & inualidum; dubium est, an tenear ego illam à tali ignorantia eripere? Aliud statuo exẽplum. Vxor cuiusdam viri audiens illum apud Indos esse mortuum, contraxit cum alio: ego vero certò scio, viuere proprium eius maritum: dubitatur, an in hoc, & alijs similibus casibus, teneamur corripere illos, qui talem patiuntur ignorantiam inuincibilem. Et augetur difficultas ex eo, quia dubitari etiam potest, an etiam teneamur in casu quo scio meam admonitionem, seu potius correptionem non illis profuturam, imò verò obfuturam: quia nempe illi in primo exẽplo constituti, non rescindent contractum: neque mulieres supradictæ separabuntur à suis maritis, & ad suos proprios reuertentur viros. Quæstio hæc est satis ingeniosa, multũq; difficilis: quam & proinde difficultatem hinc inde libet, pro vtraque parte difficilem reddere.

Et pro parte negatiua, † quod non teneamur in his, & similibus casibus huiusmodi à tali ignorantia eripere: 69
ex eo videtur, nam isti inuincibilem ignorantiam habentes non peccant: ex quo proinde apparet, quod non tenemur eos admonere, aut corripere, cum correptio futura sit, & solum esse debeat (vt dicemus) de peccato, vt expressè

expreſsè colligitur ex illo Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, &c. Vbi ponitur correptionis finis, qui eſt fratrem lucrari. Lucratus enim eris (inquit Chriſtus) fratrem tuum: illum, nempè, qui per peccatum perierat, vel, qui non admonitus perijſſet: ergo cum illi, qui (vt ſupponitur) habent ignorantiam inuincibilem non peccent, neque ſpiritualiter pereant, imò verò, & poſſint eſſe in gratia, & mereri cum talia faciunt: videtur profectò, quod non teneamur eos corripere, cum ceſſet correptionis finis.

Pro alia parte videtur, quod correptio ipſa obliget, & quod teneamur eos à tali ignorantia eripere: nam iſti tantum excuſantur à peccato ratione ignorantiæ inuincibilis, quæ facit huiuſmodi opera eſſe inuoluntaria, & quod non ſint peccata: ſed reſpectu mei, qui poſſum illos corripere, ſi non admoneo, videtur, quod ſint volita, cum ſciam ipſa eſſe peccata, nec impediam: ergo in tali caſu teneor huiuſmodi corripere, & admonere: eo vel maximè cum talia opera ex natura rei ſint Dei Optimi Maximi offenſa, quam & ipſe vitare teneor: & contra rationē charitatis eſſe videtur ipſa non impedire. Vtrumque argumentū eſt certè fortiſſimum.

His hinc inde pro vtraque huius difficultatis parte adductis, pro eius intelligentia libet aliquot notabilia præmittere, & mox quid tenendū videbitur, explicabitur per ſequentes concluſiones.

70 Primò premitto, † quod duplex eſt ignorantia, quędam iuris, alia verò facti. Ius etiam eſt duplex, aliud Diuinum, aliud humanum. Ignorantia ergo inuincibilis iuris eſt, quādo quis ignorat legem, qua aliquid præcipitur ſiue prohibetur. At vero ignorantia facti eſt, quando pręſuppoſita talis legis cognitione, ignoratur, quod aliquod opus, quod verè eſt contra legem: reuera ſit contra illam.

Secundò præmitto, quod perſonæ ad quas ſpectare poteſt correptio, ſunt etiam in duplici differentia: Quidam enim ſunt, ad quos ex officio pertinet alios edocere, & corripere, vt prælati, patresfamilias. Aliqui verò quibus id ipſum nō ex officio incumbit, vt ſubditi, & perſonæ particulares.

Tertiò præmitto, quod hæ ignorātiæ etiam ſunt in duplici differentia. Nam quædam eſt, ex qua ſequitur damnum proximi: alia verò, ex qua nullum ſequitur proximi damnum, quibus præmiſſis, ſit prima concluſio.

Prima Concluſio.

PRælati, & alij † omnes, ad quos ex officio pertinet alios edocere, 71
& corripere, tenentur id facere, & depellere ab eis omnem ignorantiam inuincibilem, iuris Diuini, & humani, ac etiam facti: quandocunque credunt ſe id poſſe facere cum fructu & ſine ſcandalo. Hæc concluſio exinde patet. Nam prælati, & eis ſimiles (vt dicitur Ezechielis 3. & 33.) ſunt
ſpeculatores † quorum proinde eſt 72
videre omnia, & admonere alios de his, quæ ſibi ſunt neceſſaria: ergo tenentur ſubditos ſuos illuminare, & quocunque modo poſſint, ab eis omnem ignorantiam depellere. Quod & confirmatur ex ordine quem habent oculi ad reliqua membra corporis. Nam certum eſt, quod ſi pedes errarent, & oculi non eos corrigerent, neque egreſſus dirigerent: huiuſmodi error imputaretur eiſdem: ergo & pari ratione, ſubditorum ignorantia, cum prælati ipſi in Republica cōgruētiſſimè comparentur oculis, niſi eos corrigant cum poſſunt, eiſdem imputabitur prælatis. Id quod & cōfirmat teſtimonium D. Pauli Actuum 20. vbi ad ſimile propoſitum dixit: Conteſtor vos hodierna die, quod mundus ſum à ſanguine omniū, non enim

ſub-

subterfugi, quominus annunciarem omne consilium Dei vobis. Superque verba inquit Diuus Gregorius, & refertur, in c. Ephesijs d. 43. quod non esset mundus Paulus, nisi expressisset omne consilium Dei ipsis: Sequitur ergo quod prælati, & Doctores tenen-
73 tur † corripere, & admonere eos, quorum sibi curam incumbit, & depellere ab eis omnem ignorantiam earum rerum, quæ ad statum suum pertinēt; quod notanter dixi, nam quæ sunt extra statum suum, non quidem tenentur depellere: nam certum est quod non tenentur eos edocere, quod Abraham duos filios habuit, seu quod Tobias habuit canem, & his similia. Nō enim tenentur docere nisi ea, quæ alij tenētur necessariò scire: sed huiusmodi nullus tenetur ex necessitate scire: ergò nec prælati aut Doctores tenentur ea ipsos edocere, aut talium rerū ignorantiam ab eis depellere.

Secunda Conclusio.

74 SI prælati † & alij, ad quos aliorū cura incumbit, probabiliter credunt suam admonitionem, & correptionem potius damnum quam cōmodum fore allaturam: non tenētur corripere, siue admonere eos, qui iuris Diuini positiui non simpliciter ad salutem necessarij, vel iuris humani, aut etiam facti laborant ignorantia inuincibili: & multo minus in tali casu tenentur ad id aliæ personæ particulares. Hæc conclusio est contra Adrianum in 4. in materia, de confessione dub. 7. Vbi dicit quod confessor, qui scit penitentem suum ex ignorantia iuris Diuini seu humani aliquid facere, quod est illicitum: tenetur huiusmodi admonere etiam si probabiliter credat suam admonitionem non ei pro futuram, imò verò potius obfuturam, vt in exemplis positis in initio huius articuli. Et ratio Adriani est: quia ignorantia iuris non potest esse inuincibilis, nisi quando nō adest qui illā possit vincere, siue depellere: hoc est fundamentum Adriani. Nos autem in contrarium dicimus, quod in his casibus, & similibus, si probabiliter creditur, quod admonitio, vel correptio potius damnum, quam commodum est allatura, omittenda, & prætermittenda est: & relinquendi sunt qui eam patiuntur in sua ignorātia inuincibili. Fundamentum nostræ conclusionis est, quia in his casibus, & similibus, † cum cesset correptio- 75
nis finis: cessat proinde & obligatio ipsius. Pro quo etiam facit vulgaris illa sententia D. Augustini. Si scirem nihil tibi posse prodesse: non te admonerem. De hoc etiam extat expressa determinatio Innocencij III. in c. quia circa, de consanguinitate, vbi consultus Papa à quodam Episcopo quid esset agendum cum quodam homine, qui per falsam dispensationem contraxit matrimonium cum muliere sibi consanguinea; respondit Pontifex: Dissimulare poteris, vt in copula sic contracta permaneant, cum ex separatione (vt asseris) graue videas scandalum imminere. Ecce qualiter expresse summus Pontifex dissimulandum esse dixit in matrimonio aliàs nullo, inuincibiliter tamen ignorato, ne ex separatione maius scandalum suboriatur. Hac de re videndus est Arag in 2.2.q.33.art.2.dub. 7. quod est multum notandum, ac memoriæ commendandum.

Tertia Conclusio.

SI ignorantia † sit iuris naturalis Diuini, vel Diuini positiui, quod est simpliciter ad salutem necessarium, aut vergit in præiudicium tertij; non solum prælati, verum etiam & priuatæ personæ, tenentur corripere eos, qui talem ignorātiam patiuntur, & eam ab eis depellere, quamuis sciāt quod ipsi alias non abstinebunt à pec- 76

cato,

cato, imo verò quod huiusmodi correptio siue admonitio, potius damnum, quam commodum est allatura.

Pro explicatione, & declaratione huius conclusionis, pono exemplum. Ignorat quis, v. g. inuincibiliter aliquod præceptum decalogi, vt fornicationem esse peccatum: vel ignorat ea, quæ necessariò expresse tenetur scire ad consequendam salutem, vt sacramentum Baptismi, vel fidem Mediatoris, & alia huiusmodi, quæ sunt de iure Diuino: quorum doctrina, & notitia est simpliciter ad salutem necessaria: vel ignorat aliquid, ex quo sequitur grauis iactura proximi: Dico quod in his, & similibus casibus, non solum prælati, verum etiam & personæ particulares, tenentur huiusmodi admonere, & depellere ab eis ignorantiam, quam habent (quamuis inuincibilem) etiam si sciant huiusmodi admonitionem nihil profuturam, imo verò potius damnum, quam commodum allaturam. Huius
77 conclusionis † ratio est, quia horum ignorantia haberi non potest citra iacturam honoris Diuini, & citra damnum proximi: & quotiescumque tale sequitur damnum, & talis iactura: contra charitatem Dei, & proximi erit, eiusmodi ignorantiam non depellere. Hac de re videatur Aragon vbi supra, vbi plura licebit adinuenire quam maxime notatu digna.

Quarta Conclusio.

78 PRiuatæ † etiam, & particulares personæ, tenentur admonere proximum suum, circa illas res, quæ necessariæ sunt vt quisque sciat, maximè si vident quod propter talem ignorantiam proxima ipse constitutus sit in maximo peccandi periculo. Probatur, hæc conclusio. Nam quilibet ex charitate (vt certum est) tenetur si potest subleuare proximum suum ab aliqua graui miseria quã patitur: sed ignorantia rerum, quas homo scire tenetur, grauissima est miseria earum, quas homo potest pati: ergo & quilibet tenetur ex charitate illam subleuare. Nec solum loquor de his quæ sunt iuris Diuini naturalis, vel Diuini positiui simpliciter ad salutem necessarij (de quibus dictum est in præcedenti conclusione) verum etiam de his, quæ sunt iuris humani Ecclesiastici, vt de præceptis Ecclesiæ: de sacris obseruationibus festorum, & de ieiunijs; nam horum profectò ignorantia (etiam si sit inuincibilis) est grandis miseria, & constituit hominem in periculo peccandi mortaliter, quod est magna iactura. Tenetur autem admonere, si sperat se sua admonitione aliquid posse proficere, aliàs verò non (vt dictum est in secunda conclusione) nam cessat correptionis obligatio, vbi cessat correptionis finis.

Quinta Conclusio.

IGnorantiam † facti circa ius humanum, regulariter loquendo priuatæ personæ non tenetur depellere, nisi quando factum, vel omissio eius, redũdat in irreuerentiam Dei, seu Christianæ Religionis, aut in proximi scãdalum. Declaratur conclusio. Video. v. g aliquem inculpabiliter manducare carnes in die prohibito; possum quidem (si voluero) ipsum admonere, & reprehendere, sed tamen necessariò & sub mortali non teneor id facere, cum ex eo nulla sequatur irreuerentia Dei, aut Christianæ Religionis, neque vergat in proximi scandalum, neque ipse manducans peccat, cum (vt supponitur) id faciat inculpabiliter, neque ego sim eius prælatus, cui proinde ex officio incumbat illum admonere, & corripere. Hu- 79

ius

ius conclusionis ratio est, quia leges non obligant cum tanto rigore, vt omnes in vniuersum teneantur admonere, & corripere fratres peccantes ex ignorantia facti. Hac de re videatur etiam Aragon vbi supra.

Sexta Conclusio.

80 PVblicus Doctor, † & omnis ille, ad quem spectat ex officio alios admonere,& corripere, siue docendo, siue prædicando: tenentur apertè veritatem dicere, & depellere ab eis omnem ignorantiam cuiusque iuris, etiam si sciant & probabiliter credant, earum rerum notitiam quibusdam ex auditoribus, potius damnum, quam commodum allaturam; vt poto, quia ipsi ab opere cepto non desistent, ac proinde nec excusabuntur, cum antea excusarentur, propter ignorantiam, quam habebant inuincibilem. Probatur hæc conclusio; Nam hoc interest inter doctrinam priuatam, & publicam, quod priuata ordinatur ad bonum priuatum alicuius particularis personæ; at verò publica ordinatur ad bonum commune. Vnde fit, quod doctrina particularis cessare debet cessante fine particulari: at verò communis, & publica: non est omittenda, aut debet cessare propter detrimentum alicuius personæ particularis: cum ordinetur ad aliorum bonum commune. Hac de re videatur etiam Aragon vbi supra.

QVÆSTIO X.

De denunciatione & correptione fraterna quantum ad conditiones requisitas, tam ex parte corripiendi, quam ex parte corripientis: in sex articulos diuisa.

SVMMARIVM.

1 *Conditiones quæ requiruntur ex parte corripiendi.*
2 *Quæ requiruntur ex parte corripiẽtis.*
3 *Peccatum præteritum. & quod nullo modo manet in futurum non est materia correptionis.*
4 *Cessante fine cessat necessitas medij.*
5 *Peccatum mortale quod adhuc pendet in futurum est propria correptionis materia.*
6 *Peccata venialia, nisi sint ordinata ad mortale, non sunt necessaria correptionis materia.*
7 *Peccata venalia non corripere aliquando est peccatum veniale.*
8 *Venialia per se ordinata ad mortale necessaria sunt correptionis materia.*
9 *Peccata venialia si in Republica increbuerint in Prælatis, atque iudicibus necessaria sunt correptionis materia.*
10 *Præceptum correptionis fraternæ ad hoc vt obliget necesse est vt habeatur spes emendationis.*
11 *Quæ non est desperanda, si adhibeatur correptio fraterna.*
12 *Regula obseruanda in correptione fraterna.*
13 *Qui certus est se nil profuturum exẽptus est ab obligatione corripiendi.*
14 *Qui dubitat an correptio prodsit, certus est autem, quod non oberit, non debet cessare à correptione.*
15 *Qui dubitat, an corripiendo possit potius obesse, quam prodesse, si huiusmodi damnum est in præiudicium boni communis debet cessare à correptione.*

16 *Dam-*

16 *Damnum quòd ex fraterna correptione timetur, si est spirituale eius qui corripitur, & exereor, quod frater iudicabitur, aut scandalizabitur, seu deterior fiat, est cessandum à correptione. quod declara. nu. 17.*
18 *Si damnum proximi est temporale non est cessandum à correptione.*
19 *Opportunitas temporis est expectanda in correptione.*
20 *Licitum est hominem perditum in peiora labi permittere, qui postea ignominia confusus melius resipiscat, & cautius viuat.*
21 *Aliquando sunt permittenda mala vt aliquod bonum eueniat.*
22 *Peccati cognitio necessaria est ad correptionem ex parte corripientis, quid quando de peccato dubitatur. num. 23. & quid de peccato, cuius cognitio habita fuit in confessione. num. 24*
25 *Mansuetudo necessaria in corripiente.*
26 *Correptio est facienda à persona magis commoda.*
27 *Omissio correptionis est aliquando peccatum mortale, aliquando veniale, & aliquando nullum.*

IN hac quæstione veniunt à nobis explicandæ conditiones requisitæ, tam ex parte corripiendi, quam ex parte corripientis, quæ vt inquit Gerson, tractatu 34. de correptione, & Astensis libro 2. titulo 6. ad sex capita reducuntur: quarum tres primæ pertinent ad corripiendum: aliæ verò tres ad ipsũ corripientem. Ex parte corripiendi requiritur. Primò † quod peccatum,
1 de quo fieri debet correptio sit mortale, aut saltem veniale, quod ordinetur ad mortale. Secundò quod sit spes emendæ: ac tandem tertiò quod fiat tẽpore debito, & non aliud tempus opportunius speretur. Ex parte corripiẽ-
2 tis requiritur. Primò † certa peccati cognitio. Secundò mansuetudo. Tertiò commoditas: hoc est vt correptio fiat à persona magis accommoda; de quibus omnibus in subsequentibus articulis agendum est per ordinem. Sed primò de prima conditione requisita, & quæ se tenet veluti ad modum materiæ ex parte corrigendi, quæ sunt peccata, de quibus fieri debet correptio, de quo sequens instituitur articulus.

ARTICVLVS I.

Vtrùm omnia et sola peccata mortalia, sint correptionis materia.

EX suppositione, quod prima conditio requisita ad fraternam correptionem ex parte corripiendi, est eiusdem correptionis materia, quęritur in præsenti articulo, àn ipsa sit omne, & solum peccatum mortale? Et quia peccatum mortale (vt de se patet) multipliciter potest considerari, vt est pręteritum, & vt est futurum; vt emendatum, vel non emendatum: de his omnibus in particulari, particulares à nobis ponentur conclusiones.

Prima Conclusio.

SI peccatum † est iam omninò pręteritum, ita vt nec maneat complacentia, nec sit periculum in illo; non est præceptum imo nec salutare consilium ipsum corripere. Hæc cõclusio est Magistri Soto de secreto, memb. 2. q. 2. conclusione 2. quam & constituit contra quam plures ex Doctoribus antiquis, asserentes quod correptio fraterna respectu peccati mortalis futuri, est præcepta sub mortali vt euitetur: at verò respectu peccati iã præteriti, est solum modo consilium. Hęc opinio habetur à glossa in c. si peccauerit 2. qu. 2. Sed nihilominus contraria sententia est verior, & tenenda. Cuius & ratio in prõptu est: nam certum est secũdum philosophum, quod ces- 3

4 cessante † fine cessat & necessitas medii: cum igitur in pecato præterito & iam prorsus lapso, cesset correptionis finis, dicẽdum profectò videtur, quod cessat & necessitas medij, & obligatio ipsa corripiendi, sicque correptio non esse poterit præcepta, neque etiam sub consilio, vt dicit prædicta glossa. Quod probo specialiter, & quod neq; id facere sit salutare, aut laudabile cõsilium: quia vt plurimum non solum vtile non est, verum & quandoque perniciosissimum, cicatrice sanati vulneris refricare; & in hoc fraterna correptio ab inquisitione, & accusatione differt (vt nos supra aliqualiter diximus: & amplius inferius dicemus) quod inquisitio, & accusatio locũ habent etiam in peccatis præteritis, & iam emendatis, cum eorum finis sit punitio publica propter bonum publicum: at verò correptio cum habeat pro fine solummodo emendam fratris; hoc solum est quod respicit: & sic non agit de peccatis præteriti, & iam emendatis, si nec manet complacentia, neque in ipsis est reincidendi periculum.

Secunda Conclusio.

5 PEccatum † mortale præteritum quod adhuc manet, & propter pertinaciam, seu propter quidpiã aliud simile habet periculum, & quodammodo pendet in futurum: illud est propria vera, & necessaria correptionis materia.

Probatur hæc conclusio. Nam finis correptionis, vt colligitur ex illo Matthæi 18. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum (ex quo loco, vt pluries iam diximus, originaliter reducitur correptionis præceptum) est fratrem lucrari: Fratrem in quam per peccatum deperditum, & qui non correptus perijsset; per nostram admonitionem, & correptionem recuperare: ex quo proinde sequitur, quod omne illud, per quod frater deperditur, seu non correptus, & admonitus deperderetur: est propria vera, & necessaria correptionis materia: sed tale est omne peccatum mortale, quod adhuc manet, & quodammodo pendet in futurum: sequitur ergo intentum, nempe quod huiusmodi peccatum necessario est corripiendum, & propria & necessaria fraternæ correptionis materia.

Tertia Conclusio.

PEccata † venialia singularis personæ, nisi per se sint ordinata ad mortale, non sunt necessaria correptionis materia, neque ipsa corripere cadit sub præcepto: imo verò in his correptionis omissio, uel nullum erit peccatum, vel ad multum veniale. 6

Probatur hæc conclusio quantum ad primam partem, nempe quod huiusmodi uenialia corripere non sit præceptum. Et probatur ex ordine charitatis. Nam nullus tenetur magis diligere alium quàm se: sed de venialibus nullus tenetur sub mortali semetipsum corrigere: ergo neque aliũ. Quod verò quandoque nullum sit peccatũ (etiam veniale) huiusmodi venialia non corripere, exinde constare potest; nam tales possunt concurrere circunstantiæ, quæ id ex poscant. Et præterea quia huiusmodi peccatorũ genus, non constituit hominem in eo statu, vt qui ipsa non corripuerit, propterea dici possit nõ lucrasse fratrem suum, cum per talia peccata venialia frater non absolutè spiritualiter deperdatur. Sed tamen quod aliquando huiusmodi peccata † venialia non corripere, 7 peccatum sit saltim veniale; ex eo probatur: quia id est quadam ratione debitum fratribus venialiter peccantibus, quod quidem debitum fundatur à doctoribus in illo, quod dixit Christus Dominus Ioannis 13. discipulis suis. Si ego laui pedes vestros, & vos

vos debetis alter alterius lauare pedes. Vbi per hanc pedum ablutionē, Doctores omnes communiter intelligunt, correptionem peccatorum venialium. Iam enim præmiserat illa verba, qui locus est non indiget, nisi vt pedes lauet, & subdit: si ego laui pedes vestros, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Quod fuit ac si expressius diceret, qui mundus est à peccato mortali, non indiget nisi vt mundetur nunc à venialibus. Cum er
1. go iuxta hanc Christi Domini sententiam id sit quodammodo fratribus debitum, per illa verba: & vos debetis: liquidum profectò fit, quod id facere sit aliqualiter necessarium, & qđ fratrem de venialibus non corripere, quandoque ad minus erit peccatum veniale, nisi prætermittatur ex causa rationabili. Vnde inferunt Doctores communiter, quod qui posset fratrem suum emendare à consuetudine leuiter mentiendi, siue iurandi (quod omne non est plus quam peccatū veniale) tenetur id facere sub peccato veniali. Nam verbum debeo, præceptum proculdubio insinuare videtur non quidem præceptum quod ad mortale obliget, sed solum ad veniale: quia id facere etiam est quodammodo fratrem lucrari, qui vt diximus, & colligitur ex Euangelio, est vnicus, atque potissimus fraternæ correptionis finis.

Quarta Conclusio.

8 PEccata venialia, † quæ de se ordinantur, aut disponunt ad mortale, necessaria sunt fraternę correptionis materia, & illa non corripere cum possimus, est peccatum mortale. Maioris claritatis gratia, libet hanc conclusionē exemplis aliquibus illustrare. Et pono exemplum in eo, qui ingreditur domum aliquā suspectam, aut familiaritatem conserit cū mulieribus suspectis, cum mulieribus inquam malæ famæ: In his, & alijs similibus casibus, quæ hominē conijciunt, siue constituūt in periculo peccandi mortaliter: dicit nostra conclusio, quod qui ipsum non corriperet, peccaret mortaliter. Hæc cōclusio sic explicata, est Magistri Soto de secreto membro 2. quæst. 2. conclusione 2. quam & probat ex quodam pręcepto Diui Augustini in regula. Loquens enim de oculi petulantia: si oculi (inquit D. Augustinus) petulantiā in aliquo aduerteritis, huiusmodi statim admonete: ne male cępta progrediantur: sed de proximo corrigantur. Sed ratione probatur; quod sit peccatum mortale in hoc casu huiusmodi fratrem non corripere, ratione periculi, quod habet mortaliter peccandi: nā certum est, quod qui videret hominē subire periculum mortis corporalis, nec ipsum cum posset à tali morte liberaret, peccaret mortaliter: ergo & à fortiori id ipsum est dicendum, de eo, qui cum potest, non liberat fratrē suum à morte peccati spirituali: quæ vt de se patet, maior est; & magis timenda, atque vitanda, quacunque corporali.

Quinta Conclusio.

PEccata † venialia (etiam de se nō ordinata ad mortale (si iam in Republica siue in Religione ali qua percrebuerunt: in prælatis atque iudicibus sunt necessaria correptionis materia, & illa corripere tenentur sub mortali. Hæc conclusio est expressa Magistri Soto de secreto mēbro secundo, quæst. 2. conclusio. 3. De qua conclusione iam diximus supra, quādo agebamus de obligatione prælatorum, qua tenentur corripiendi sibi subditos, & ponit exemplum Soto in ceremonijs Religionū, vt quod seruetur silentium: quod fratres prædicatores nō passim vescantur carnibus, 9

bus,& similibus. Nam quamuis,(inquit) illa vel nulla sint peccata,vel ad amplius venialia: tenentur nihilominus prælati, & alij, quibus aliorum cura incumbit, cum possint illa damna resarcire, & ad regulam reuocare sub mortali, cum ad ipsos pertineat, & ipsis ex officio incumbat,cura boni publici, teneanturque proinde omne damnum notabile Reipublicæ euitare. Huiusmodi enim peccata quamuis quia venialia sunt in singulis personis nõ graue censeantur damnum: in Republica tamen quod increscant, siue quod sint frequentia,graue damnum Reipublicè existimatur, & magni momenti est illa extirpare: quod prælati, & eis similes facere tenentur sub mortali. Hæc dicta sufficiãt quoad primum requisitum ex parte corripiendi, quod est peccatum, & materia, super quam correptio ipsa debet cadere. Reliquum est, vt de alia condicione requisita aliquid dicamus.

ARTICVLVS II.

Vtrum ad correptionem fraternam necessum sit quod habeatur spes emendæ

Conclusio.

20 AD hoc vt obliget † præceptum de correptione fraterna ex parte corripiendi, necessum est quod habeatur spes emendæ, qua nõ existente correptio ipsa non obligat. Probatur simul & declaratur hæc cõclusio. Et primò, quia correptio fraterna in tali casu esset vana; & certũ est quod ad opus vanum nemo obligatur. Secundò, nam præcepta mediorum sunt propter consequutionẽ finis (vt de se patet:) ergo deficiente fraternæ correptionis fine (qui est salus spiritualis proximi) deficit & cessat præceptum correptionis eiusdem, quantum ad suam obligationem. Debet enim,(vt inquit) Diuus Paulus 1. Corinthior. 9. In spe qui arat arare,& qui triturat in spe fructus percipiendi. Si igitur nulla habetur spes emendæ non obligat præceptum correptionis fraternæ. Sed aduerto quod non ex eo viri negligentes, & parum spirituales,ansam debent sumere totaliter omittendi (vt communiter fit) pręceptum fraternæ correptionis, dicentes raram esse, aut nullam spem emendæ; cum frequentissimè contrarium videamur contingere; & multoties emendari † eos, de quibus parua, aut 11 nulla suæ emendæ habetur spes. Hæc doctrina est Diui Augustini, & habetur in capit. Nabuchodonosor, 23. quæstion. 4. Est itaque hac in re magna, & prudenti cautela vtendum. Pro cuius maiori intelligentia, adducere libet aliquas † regulas, quæ hac 12 in re sunt magni ponderis atque momenti.

Qui sufficientibus † coniecturis 13 certus est, se nihil sua correptione, & admonitione profuturum, exemptus est à tali obligatione corripiendi. Hæc sit prima regula in hac materia, de qua videatur Soto de secreto membro 2. quæstione 2. conclusione quarta & Aragon 2. 2. quæstion. 33. articul. 2.

Qui dubitat † an sua fraterna cor- 14 reptio proderit, certus est autẽ quod non oberit, non debet cessare à correptione, imò verò fratrem debet corripere. Probatur simul, & declaratur hæc regula, exemplo boni medici, qui certus de aliqua medicina quod non poterit obesse, quamuis dubitet an sit pro futura, nihilominus infirmi desiderans salutem adhibet ipsam, in quo quidem optime facit. Hanc etiam ponit pro regula Diuus Augustinus in sua regula. Et habetur in capit. si quis de pęnitentia distinction. 7. vbi in simili casu dicit Diuus Augustinus. Do tibi pęnitentiam, quia nescio an tibi proderit. Nam si scirem non tibi profuturam, non tibi

darem

darem illam. Quinimò & verba ipsa Christi Domini in Euangelio posita Matthæi 18. Si te audierit, &c. vbi traditur correptionis præceptum, verba sunt dubitantis. Ex quibus omnibus colligitur, quod ad hoc, vt fratrem teneamur corripere, non est necessum vt simus certi quod nostra correptio fraterna sit profutura: sed sat est quod dubij simus: & in id aliqualē probabilitatem habeamus, & sciamus quod ipsa correptio non oberit. Qui enim quidquam aliud expectaret numquam fratrem suum corrigeret, nec colligeret vnquam fraternæ correptionis fructum, qui est fratrem lucrari. Vt enim dicit Sapiens Ecclesiast. capit. 11. Qui obseruat ventum nunquam seminat, & qui considerat nubes nunquam metet. Id quod vulgari sermone dicitur (que quien todo lo mirò, con bueyes nunca arò.) Non igitur in his rebus expectanda est certitudo, quin verò sufficit quod quis dubitet. An sua fraterna admonitio, sit profutura, si certus est, quod nullum sit damnum allatura.

15 Qui dubitat † & timet, an corripiendo possit potius obesse, quam prodesse: si huiusmodi damnū quod timet est in præiudicium boni communis, cessandum prorsus est à correptione. Probatur simul, & declaratur hæc regula. Timeo ego (verbi gratia) quod homo perditus, & impudicus ex mea correptione nomen Dei blasphemabit: aut quod si illum admoneo ex Sacris Literis, quod ipsas sit contempturus, seu in falsum quendam sensum interpretaturus: dico quod in his, & similibus casibus à correptione est cessandum Cuius resolutionis ratio est; quia bonum commune semper præponendum est bono particulari, & contrarium facere esse cōtra præceptū Christi Domini Matth 7. Prohibentis sanctum dare canibus, seu mittere margaritas ante porcos. Cui accedit & alia ratio, ea est, quia in hoc casu nō solum deficit spes emendæ (quæ, vt pluries dixi, est vnicus, ac potissimus fraternæ correptionis finis) verum etiam est timor de opposito.

16 Si autem huiusmodi † damnum quod ex fraterna correptione timetur, sit damnum spirituale eius, qui corripitur, vt si vereor quod frater mea correptione indurabitur, aut scādalizabitur, frater seu deterior fiat, in hoc etiam casu abstinendum est & cessandum à correptione. Probatur hæc regula: quia in hoc etiam casu cessat correptionis finis, qui est emēda fratris: vnde correptio tunc temporis non solum non esset vtilis, verū & perniciosa. Hanc regulam approbat atque confirmat Diuus Augustinus 1. de ciuitate Dei, capit. 9. vbi inquit. Si propterea quis obiurgandis, & corripiendis malè agentibus parcit, quia eisdem metuit ne ex eo deteriores fiant: consilium est charitatis. Idem dicit Sapiens Prou. 9. Noli arguere derisorem, ne te oderit. Super quæ verba dicit glossa, & est satis notabilis: Non est timendum ne tibi derisor cum arguitur contumelias inferat, sed hoc potius pro uidendum, ne tractus ad odiū inde peior fiat. Quod quidem est† intelligendum, dummodo 17 tale peccatum non sit in præiudicium Reipublicæ, vt hæresis, proditio ciuitatis, &c. vel in damnum & præiudiciū tertij: vt qui machinaretur alterum occidere. Nam in his casibus quāuis timeatur quod correptio nostra fraterna non sit profutura: imo verò quod sit maius damnū allatura; debemus huiusmodi peccatorem fraternaliter corripere: quinimo & denunciare illi q̄ possit prodesse & nō obesse (si peccatū est secretū.) Si aūt peccatū est publicum, & sunt testes ad illum conuincendum, debemus ipsum iudici denuntiare iuridicè: vt talis peccator puniatur coreptione, & punitione

iudiciali, vt latius dicemus infra, cum agemus de iudiciali denunciatione. In his ergo non est à correptione cessandum: & multo minus in casu contento in sequenti regula.

18 Quando damnnm † proximi quod ex nostra fraterna correptione timetur est temporale: vt pote quod frater correptus affligetur, & præ tristitia, seu dolore infirmabitur, vel aliud simile detrimentum patietur: non est propterea ab eius correptione cessandum, nam parum id refert: Est tamen in hoc casu, & alijs omnibus magna cautela adhibenda: & obnixè procurandum vt correptio ipsa fiat quam minimo damno fieri possit. Probatur hæc regula: nam spiritualia semper sunt temporalibus præferenda, iuxta illud quod habetur Matth. 5. expedit tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, potius quam vt totum corpus tuum mittatur in gehennam: sed in tali casu damnum quod timetur est temporale, bonum autem, quod speratur, est spirituale: ergo propter ipsum non est à correptione cessandum, aut correptio ipsa prætermittenda. Probatur etiam hæc regula, exemplo D. Pauli 2. Corinth. 7. vbi agendo de quadam correptione, quo Corinthios acriter reprehenderat: dixit. Et si contristaui vos in Epistola non me pœnitet, & si pœniteret, videns quod illa Epistola, & si ad horam vos contristauit, nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Hęc dicta sufficiant pro secundo requisito ex parte corripiendi, quod erat spes emendæ. Agamus de tertio.

ARTICVLVS III.

Vtrum in correptione fraterna, sit expectanda temporis opportunitas?

Prima Conclusio.

Temporis † opportunitas, expectanda est in fraterna correptione. Volo dicere quod expectanda est in fraterna correptione, non solum commoditas personæ, & quod correptio fiat à persona magis accommoda (de quo dicemus statim) verum etiam expectanda est opportunitas temporis: ita quod si maior opportunitas temporis, & personæ speretur, si correptio ipsa differatur: differenda, & dilatanda est. Hæc conclusio est Magistri Soto vbi supra, & est contra Adrianum, quem sequitur Aragon 2. 2. quæstio 33. articulo 2. sed meo quidem iudicio, minus bene. Nam cum finis fraternæ correptionis (vt iam pluries dictum est) sit emenda fratris; quotiescumque visum fuerit quod propter dilationem huius correptionis, vel quidpiam simile, huiusmodi finis melius est consequendus: curandum id obnixè est. Etenim si quis vellet feruentem bilem hominis recenti iniuria affecti repente extinguere: nihil aliud profectò faceret, quam ligna igni adhibere: & nihil tunc correptio ipsa prodesset, quin potius obesset. Qua ratione Diuus Augustinus 1. de Ciuitate Dei cap. 9. dixit. Si quis obiurgandis, & corripiendis malè agentibus parcit, quia opportunum tempus inquiritur: non videtur esse cupiditatis occasio, sed charitatis consilium. Hæc doctrina est, quæ maximè memoriæ est commendanda, pro hac correptionis materia, ne dum prodesse cupimus, maius aliquod damnum afferamus. 19

Sed difficultas se se offert, & quidem satis notanda. Vtrum liceat siue quan-

quandoq; expediat, hominem perditũ in peiora crimina labi permittere, quò postea ignominia confusus, emẽdetur & melius resipiscat.

Hanc difficultatem tangit Soto de secreto, membr. 2. quæst. 2. conclusione 4. prope finem. Et Aragon 2.2. qu. 33. artic. 2. dubio 6. & maioris intelligentiæ gratia, pro parte negatiua ad veritatem eruendam, & difficultatem agitandam, sic argumentantur. Nam peccatum (vt de se patet) est offensa Dei: sed offensa Dei propter nullum finem videtur permittenda, cum teste D. Paulo ad Rom. 3. non sint facienda mala, vt inde veniant bona: ergo nec in tali casu licebit, hominem perditum in peiora labi crimina permittere; etiam ad consequendum huiusmodi finem, vt postea pudore & ignominia confusus emendetur, & melius resipiscat. Hoc argumentum pro parte negatiua proponit Soto, ad augendam difficultatem: sed eo nihilominus non obstante, sententiam tenet affirmatiuam, quæ & mihi probabilissima videtur, de qua sit, 2. conclusio.

Secunda Conclusio.

20 Licitum est † hominem perditum, ad tempus in peiora labi permittere: quo postea melius resurgat & cautius viuat. Probatur hęc conclusio exemplo Dei optimi nostri maximi, qui hac forsan ratione permisit peccatum Diui Petri, vt cautiùs postea resurgeret. Vt enim, inquit Sapiens Ecclesiast. 42. Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier. Quod est ac si expressius diceret; melius esse peccatum hominis prudentis & fortis; quam bona opera, quandoque hominis imprudentis, & ignaui. Quod quidem est intelligendum, non formaliter, & in se: sed per occasionem, seu occasionaliter: quia nempe ille occasione desumpta ex peccato, cautius resurgit, hic verò ex boni operis complacentia vana secutus, periculosius cadit. Quod notandum est valde, quia frequenter contingit. Probatur etiam conclusio ratione. Nam cum correptio fraterna sit propter emendam fratris, ipsa & omnia alia facienda sunt eo modo, quo melius conducit ad eiusmodi finem coasequendum. Ex quo rectè concluditur nostrum intentum, nempe quod sit licitum cum fratre quandoque dissimulare, & ipsum in peiora labi permittere, quo postea optatus consequatur finis, qui est emenda ipsius, & vt melius resurgat, & cautius viuat.

Ad argumentum igitur in contrarium adductum, facili negotio respondetur, dicendo quandoque † esse licitum, illud quod de se est offensa Dei, propter aliquem bonum finem permittere: quamuis nunquam licitum sit propter aliquem bonum finẽ aliquod malum facere: quia vt rectè dicit argumentum, non sunt facienda mala, vt indę eueniant bona. Neque enim idem est propter bonum finem malum permittere, & malum ipsum facere: nam non permittitur nisi propter maius fratris bonum. Ex eo autem quod malum aliquod fiat à nobis, nihil boni, imò multa mala sperari possunt. Qualiter autem Deus in his rebus cum peccatoribus interdũ se habeat, permittendo mala, & etiã peccata in pœnam aliquorum præcedentium peccatorum, videatur Soto vbi supra, qui hac de re plura, eaque notatu dignissima dicit. Nunc dicam s oportet conditiones ex parte corripientis requisitas quarum prima est certa peccati cognitio. 21

ARTICVLVS IV.

Vtrùm certa peccati cognitio, sit necessario requisita ad hoc vt quispiam debeat aut possit alium corripere?

Conclusio.

22 AD hoc † vt aliquis alium possit corripere, necessum est vt ipsius peccatũ sit certò cognitũ, & quod est mortale, aut inducit ipsum in periculum peccandi mortaliter: nec sat est vt quis de eo dubitet. Hæc conclusio compertissima est apud omnes, & eam expresse tenet Magister Soto de secreto memb. 2. qu. 2. conclusione 4. Nam si quis dubius de peccato alterius ipsum corriperet, & peccatum quod non commisit, aut forsan neque somniauit sibi impingeret; præterquã quod haud paruam ei iniuriam irrogaret. correptio ipsa in se esset inutilis, vana, & infructuosa, & damnum potius, quam commodum aliquod attulisset. Ad hoc facit illud, quod habetur Eccles 20. Priusquam interroges, ne vituperes quemquam. Circa hanc conclusionem sunt qui dicant
23 satis esse, hominem † dubitare de peccato alterius, vt ipsum posit corripere: & adducunt exemplum de eleemosyna: Inquiunt enim, quod sicut ad eleemosynas corporales non solum tenemur quando manifesta est corporalis proximi necessitas ipsas erogare: verum etiam & quando verisimiliter dubitamus de illa: ita in proposito. Sed reuera est dispar ratio: nam quod in corporalibus non indigenti eleemosyna erogetur, nullum est periculum, nullaque ei, cui fit, irrogatur iniuria. At verò in spiritualibus iniuria fit nec parua proximo, si temerè ipsum iudicantes de peccato, quod nunquam forsan somniauit corripimus, ipsumque ei obijcimus. Vt igitur omnia vnico concludam in verbo, dico quod hac in re magna prudentia vtendum est, & quando probabiliter existimatur fratrem peccatum aliquod commisisse, & sunt in id aliquæ sufficientes coniecturæ; licebit & quandoque dicere cum magna modestia, & mansuetudine, nec non & verborum temperantia: Hoc vulgo dicitur, talis per viciniam rumor sparsus est: non quidem ipse credo quæ dicuntur, si tamẽ (quod absit) ita idest, vide obsecro quantum in hoc sit periculi, quam male agas, &c. Hac prudentia, & mansuetudine vtendo, si quod dicitur verum est, frater emendabitur: & sequetur ille qui potissimus est, seu potius vnicus fraternæ correptionis finis. In calce huius articuli aduerto, quod circa † peccata, quorum certa cognitio 24
ex confessione habetur, nullatenus est de eis frater corripiendus, aut ipsa sunt correptionis materia: aut de ipsis fas est extra confessionem loqui, vt iã aliqualiter diximus supra, & infra est amplius dicendum. Videatur Soto de secreto memb. 2. quæst. 2. conclusione 4. & Aragon 2. 2. qu. 33. artic. 2. dub. 8.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm mansuetudo etiam sit necessaria ex parte corripientis?

Conclusio.

MAnsuetudo † Etiã in corripiente summopere necessaria est. 25
Hæc conclusio cõstat ex communi omnium doctorum sententia, & ex ipsa omnium rerum magistra experientia, quã conditionnẽ in corripiẽte necessariã esse, volens insinuare olim D. Paulus ad Galat. 6. tradens correptionis formã, & modum, quem in corripiendis fratribus debemus obseruare, dixit, Fratres, si præoccupatus fuerit aliquis in aliquo delicto, vos, q̃ spirituales estis huiusmodi instruite;

te;in ſpiritu lænitatis, conſiderans ſe ipſum,ne & tu tenteris: alter alterius onera portate,& ſic ad implebetis legem Chriſti. Verba ſunt iſta aurea,& mira, & pro correptione fratrũ notatu digniſſima.In quibus & ſpecialiter notari habet verbum illud.inſtruite, pro quo alius vertit interpres, inſtaurate: quo apertè inſinuatur fraternæ correptionis finis,qui vt pluries dictũ eſt,& habetur Matth 18.eſſe tantum debet emenda inſtructio & inſtauratio fratris deperditi per peccatum. Si te(inquit Chriſtus) audierit, lucratus eris fratrem tuum: correptionis ergo finis eſt fratrem lucrari.Quo circa dico,quod qui rigidè,ſiue rigoroſè fratrem, ſiue peccatorem corripiendo increparet(præter quam quod ipſe male ageret) oleum profectò, & operam in tali correptione perderet. Eſt igitur manſuetudo ſummopere neceſſaria in correptione, vt dicit noſtra ſuperius allata concluſio.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm correptio ſemper fieri debeat, à perſona magis accommoda?

Concluſio.

26 CORreptio † ſemper facienda eſt à perſona magis accommoda: & ab eo, de quo ſperatur quod poſſit prodeſſe,& non obeſſe. In hac concluſione vnanimiter conueniunt omnes Doctores,& ea eſt vna ex conditionibus requiſitis ex parte corripiẽtis,quod correptio fiat à perſona magis accommoda. Ita quod ſi ſit alia perſona,quæ commodius fratrem poſſit corripere,relinquatur ſibi.Coincidit etiam hæc conditio cum alia ex requiſitis ex parte corripiendi, quæ eſt temporis opportunitas (de qua diximus ſupra) & vtraque colligitur ex fraternę correptionis fine,debet enim correptio eſſe actus virtutis, vndequaque proinde veſtitus,atque circunſtãtionatus omnibus ſuis circunſtantiis, ita vt integram omni ex parte, atque perfectam ſui habeat cauſam. Debet itaque corripiens omnes loci, temporis,atque perſonæ proſpicere circunſtantias, & reliqua omnia,quæ in fraterna correptione veniunt conſideranda:ita tamen & hac lege,vt non de facili neque ex læui cauſa correptio ipſa prætermittatur: nec ſemper Prælati correptio ſperetur,quàmuis ipſa magis profutura videatur.

Hac de re videatur † Soto de Secreto memb.2.qu.2.concluſ.4. atque 27
ex dictis omnibus planè colligitur, quando correptionis omiſſio erit peccatum mortale: quando verò veniale: & quod aliquando nullum erit peccatum,imo verò eſſe poterit actus virtutis, & officium charitatis, fratrem non corripere.De quo etiam videatur D.Tho.2.2.quæſt.33.art.2.& ibi Aragon,& Banes,& Soto de ſecreto mẽb. 2.quæſt. 2.concluſione 5.

QVÆSTIO XI.

De denunciatione,ſiue correptione fraterna,quantum ad ordinem in ipſa ſeruandum,8.articulos diuiſſa.

SVMMARIVM.

1 *Ordo ſeruandus in correptione fraterna habetur. Matth.c.18.an cadat ſub præcepto.nu.2.*

3 *Probatur,quod non cadat ſub præcepto:ſed contraria opinio verior.nume. 5. Reſpondetur argumentis negatiue.num.11.*

4 *Sententia Patris fratr. Bernardini de Areualo circa modum ſeruãdum in correptione.*

5 *Ordo fraternæ correptionis poſitus in euangelio eſt de iure naturali, & diuino,& cadit ſub præcepto,& cõtrarium dicere temerarium eſt, & non multum tutum in fide, & ra-*

 tio.

tionem vide. numero 7

8 *Qualiter obliget, & adimpleri debeat prædictus fraternæ correptionis ordo in Euangelio positus,*

9 *Qui aliquando immutari poterit quādo rectæ rationi id visum fuerit expedire.*

10 *Fama proximi quanta habēda sit ratio, vt nostra correptione non diffametur, & si corripi potest corā vno teste non debet fieri coram duobus.*

11 *Verba posita in Euangelio, si peccauerit in te frater tuus, secundum opinionem fratris Bernardi de Areualo intelligi debent de iniuria in nos commissa, seu nobis illata, quā probauit quatuor argumentis, vt nu. 13. Sed contra nu. 14. vbi declaratur nu. seq. & respondetur argumentis. num. 18.*

15 *Locus iste licet per se primò intelligatur de iniuria in nos illata, intelligitur etiam ad literam. & per necessariam consequentiam de quocunque peccato coram nobis, & nobis scientibus commisso, & de ratione, nu. 17*

16 *Verba Augustini in c. si peccauerit. 2. q. 1. valde notanda.*

19 *Correptio fraterna an debeat fieri de necessitate præcepti, præcedente secreta admonitione?*

20 *Argumenta pro parte negatiua, quibus respondetur, nu. 41.*

21 *Contraria opinio probatur.*

22 *Peccata, de quibus fieri potest correptio sunt in multiplici differentia, & non omnia eiusdem rationis.*

23 *Peccatum notorium, & publicum publicè est corripiendum. Quæ correptio ad omnes spectat, nu. 25*

24 *Tempora sunt distinguenda, vt concordentur iura, & sacra scriptura.*

26 *Casus, in quo obligat præceptum dilectionis Dei super omnia.*

27 *Denunciatio criminis notorij non est statim facienda, & in quo casu.*

28 *Peccata quæ vergunt in perniciē publicam Prælatis, siue iudicibus statim sunt denuncianda, quāuis sint secreta, & quæ sint contra perniciē publicam. num. 29. limitatur in cognitis in confessione. & dummodo non firmiter quis speret huiusmodi malis posse se abundè per suam secretā admonitionē occurrere. n. 30*

31 *Peccatum hæresis statim, & absque vlla admonitione est inquisitoribus denunciandum.*

32 *Fornicatio apud regulares censetur vergere in perniciem publicam.*

33 *Peccatū quod vergit in præiudicium tertij secreta admonitio non debet præcedere.*

34 *Est denunciandum illi, qui possit magis prodesse, quam obesse.*

35 *Peccatum quod vergit in præiudiciū tertij denunciandum est, & curandum, vt id fiat quam minimo damno fieri possit, & qualiter id faciendum sit. Et quomodo hæc denūciatio à Clericis sit facienda. n. 36*

37 *Peccatum secretum, quod non vergit in perniciem publicam, aut præiudicium tertij est secreto prius admonendum, quam Prælato denunciandum.*

38 *Peccatum commissum non solū corā me, verū etiam coram tribus, aut quatuor testibus secretò prius admonendum est, quam denunciandus.*

39 *Fama proximi est multum æstimanda cum sibi, vt resipiscat maximè sit necessaria, et quoad spiritualia, & quoad temporalia. nu. 40.*

42 *Quando, & quibus concurrentibus secreta admonitione prætermissa denūciatio statī est faciēda Prælato.*

43 *Secreta fraterna correptio semper est ante denunciationem facienda, si speratur pro futura. prætermittenda si nullus ex ea speretur fructus, aut credatur, quod futura est inutilis.*

44 *Frater si secreta admonitione corripitur, & emendatur nullatenus est prælato denūciādus, nisi maneat in verosimili periculo recidēdi. n. 45*

46 Træ-

ARTICVLVS I.

Vtrùm ordo correptionis fraternæ positus in Euangelio cadat sub præcepto.

Ro huius articuli intelligētia: & vt paremus viā ad ea, quæ in subsequentibus sunt dicēda, oportet præmittere: quod de ordine† seruando in correptione, siue denunciatione fraterna, habetur præscripta forma à Christo Domino in Euāgelia Matth. 18. vbi correptionis eiusdē est traditū, seu potius expressū & intimatū præceptū. Ibi. n. præscribitur modus in eadē seruandus, nempe quod frater peccans in principio corripiatur secretò: deinde si corripientem non audierit, quod adhibeantur vnus, aut duo testes: vt in ore duorū, vel trium testium stet omne verbum: ac tandē tertiò quod si eos non audierit, nec ipsius peccatū fuerit emēdatū, 1

quod

quod dicatur Ecclesiæ, ideſt prælato. Reliqua, quæ ibidem ponuntur ac facienda præcipiuntur, in caſu quo Eccleſiæ non audierit, & inobediens fuerit, vtpotè eiuſdem excommunicatio, in illis verbis, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus: non tam ad fraternam correptionem, quam ad ordinem iudiciarium pertinent. De his igitur tribus in fraterna correptione ſeruãdis, nempè ſecreta admonitione: teſtium inductione, & denũciatione: peculiariter eſt à nobis agẽdum in hoc & ſequentibus articulis. Sed primò queritur in communi, an eiuſmodi fraternę

2 correptionis † ordo à Chriſto Domino in Euãgelio poſitus, cadat ſub pręcepto. Et quia hęc difficultas magna eſt, & variè à Doctoribus agitatur, volo eam argumentis propoſitis magis difficilem reddere. Et primò videtur quod ordo prædictus non cadat ſub præcepto.

3 Nam † in lege Euangelica (vt dicũt omnes Doctores communiter) nullũ de nouo impoſitum fuit præceptum præter illa de recipiendis Sacramẽtis in ipſamet inſtitutis: nam omnia alia fidei, ſpei, charitatis, & pœnitentiæ præcepta, in omni lege fuerũt ſemper tanquam ad ſalutem neceſſaria, quãuis non ita explicata, ſicut in lege noua: ſed iſte ordo, & proceſſus correptionis fraternæ non cadit ſub præcepto legis naturæ: ergo nec impoſitũ eſt de nouo in lege Euangelica. Quod non ſit de lege naturæ exinde conſtat, nam naturali luminè nõ poteſt colligi tãquam ad ſalutẽ neceſſarius eiuſmodi proceſſus: eò vel maximè cũ in illo fiat mentio Eccleſiæ, quam eſſe naturali lumine non fuit cognoſcibile: Sequitur ergo quod eiuſmodi proceſſus, ſiue ordo nullo modo cadat ſub præcepto.

Secundò ad idem ſic poteſt argumentari. Nam vbicunque ponitur aliquod præceptum ſiue naturale illud ſit, ſiue Euangelicum, neceſſe eſt, vt præſcribatur tempus obligationis ipſius, vt planè conſtet quando obliget, aut non obliget: ſed quando obliget aut non obliget ordo, & proceſſus pręd ictus poſitus in Euangelio non planè conſtat; & de eo inter Doctores Theologos vix reperitur certa aliqua determinata ſententia, quin verò in hoc maxima eſt opinionũ diuerſitas, & differentia: dicendum eſt igitur, q̃d nullum tale reperitur præceptũ, quod ſub mortali obliget, eò vel maximè quia ſi tale fuiſſet à Chriſto Domino impoſitum, eſſe videretur onus, & iugum grauiſſimum, atque duriſſimũ, & contra illud q̃d ipſe dixit in Euãg. Matth. 11. quod iugum ſuũ erat ſuaue, & onus leue.

Tertiò argumẽtor ad idem, nã ſecundũ veram Philoſophiam, & Theologiã, qui tenetur ad aliquod ſeruandum præceptum, ſimul etiam tenetur ad illa, ſine quibus ipſum adimpleri minimè poteſt: ſed ſi ordo, & proceſſus prædictus eſſet ſub præcepto, ſequeretur, quod & Theologiã Sacram addiſcere eſſet etiam ſub illo: cum circa eiuſdem obſeruantiam innumerę, eædemque difficillimæ emergãt quæſtiones, atque difficultates, quæ ſine ſcientia Theologiæ ſciri, & adimpleri minimè poſſunt: aut ſaltim ſequeretur, teneri fideles omnes ſingulis momentis conſulere viros peritos, & interrogare Theologos pro adimpletione præcepti prædicti, ad euitanda pęnè infinita pericula, quæ circa illũ ſe ſe offerunt: quæ omnia nõ ſunt dicenda, neque quod ad id ipſum Chriſtus Dominus nos voluerit obligare, cum (vt dictum eſt) aliàs de lege ſua dixerit, quod ſuum iugum ſuaue eſt, & onus leue: dicendum igitur eſt, quod prædictus ordo, ſiue proceſſus poſitus in Euangelio, haudquaquam cadit ſub præcepto.

Quartò argumentor ad idem, quia ſi prædictus ordo, & proceſſus præciſè, atque neceſſariò eſſet obſeruãdus:

magna

magna (vt apparet) eademque innumera ex eo in Christiana Republica sequerentur inconuenientia, mostruosa, atque inexplicanda communitatis pernicies: remanerent enim ferè omnia delicta impunita, & infinita suborirentur mala, & peccata: periret totaliter, & impediretur administrationis iustitiæ executio, ciuitates omnes pessimis hominibus replerentur: & quam maximum eisdem traderetur ad peccandum velamen. Etenim si hæreticus (v. g.) seu quilibet alius peccator, priusquam Prælatis, siue Iudicibus esset denunciandus, vt contra ipsũ inquireretur seorsũ, & in secreto esset admonendus, & corripiendus, & deinde coram vno, aut duobus testibus: quis dubitet quod posset ipse multo melius in suo peccato perseuerare, & errore, suaque labe multos alios inficere, ac totam penè Rempublicam corrumpere? quod & specialiter verũ habet in Religionibus: etenim si in eisdem prædictus ordo adungem esset obseruandus, haud quaquam possent prælati aliqua delicta corripere, præter illa, quæ essent omninò publica, nimiumque scandalosa: & futuris malis antequam euenirent minimè possent prouidere: ex quo quis non videat quanta mala, & damna religionibus eisdem prouenirent, eisdem si clausa omninò ianua, & via inquirendi, visitandi, & castigandi suorum subditorum delicta, peccata, & crimina, nisi adunguem seruato prædicto in Euangelio posito atque expresso fraternæ correptione ordine: sed hæc omnia non sunt dicenda, nec admittenda: ergo ad intentum.

Quintò, & vltimo ad idem sic argumentatur excommuni praxi, vsu, & more prælatorum Ecclesiasticorum omnium, qui vt inquit D. Augustinus, & refertur in cap. in ijs dist. 11. quam plurimum valet ad stabilienda, & declaranda dogmata Christianæ Doctrinæ. Et argumentum formatur in hunc modum. Prælati Ecclesiastici (sed præsertim inquisitores, Patres, & Iudices Apostolici contra hæreticam prauitatem constituti) in suis publicis æditis quando visitant suos districtus, sub anathematis censura præcipiunt, atque constringunt omnes, vt absolutè, & absque vllo prorsus discrimine deferãt ad ipsos crimina, & delicta, quę nouerint correptione digna, circa res illas, quæ in ipsorum edictis continentur, nulla mentione facta de seruando prædicto ordine in Euangelio posito: quod & communiter etiam faciunt religiosorum prælati in suis visitationibus: dicendum est igitur: quod ordo, & processus prædictus nullo modo cadit sub præcepto, aliàs frustra eiusmodi edicta legerentur & publicarentur, cum essent contraria, & aduersa Euangelio, atque Diuino præcepto: aut saltim inquisitores, & prælati prædicti peccarent grauissimè, non ponentes in suis edictis eiusmodi modificationem: esset enim veluti laqueum simplicibus, & ignorantibus inijcere, occasionemque præbere ipsis, vt mortaliter peccarent: quod de tantis patribus & personis adeò grauibus, & qualificatis, nefas est cogitare aut dicere: dicendum est igitur quod ordo prædictus non cadit sub præcepto.

Propter hæc † & alia similia argumenta, quidam Author nomine frater Bernardinus de Areualo nostri Sacri Ordinis, vir insignis olim, valde pius, Religiosus, & nec modicum doctus, tractatu quodã de correptione fraterna, quem edidit: seu potius post ipsius mortem typis est mandatus: dixit quod quamuis fratrem corripere de peccato suo, præceptum sit affirmatiuum, cunctos sub mortali obligans ex iure naturali, & Diuino pro loco, & tempore, sicuti & cætera 4

alia præcepta affirmatiua in Euangelio posita, siue expressa: modus tamen adimplendi eiusmodi præceptum, & fratrem peccantem corripiendi, non est (inquit) determinatus in iure: nec ille positus in Euangelio, Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, &c. cadit sub præcepto, aut obligat ad sui obseruantiam. Nã illa verba nõ intelliguntur ad literam indifferenter de omni peccato coram nobis commisso (vt communiter exponi consueuit à Scholasticis Doctoribus) sed de propria iniuria in nos, siue contra nos cõmissa, aut nobis illata. Et addit, quod nec sic cadit sub præcepto ordo ille, & processus in Euangelio positus, quin verò tota ipsius obligatio oritur ex lege charitatis, atque ita eius executio regulari debet per charitatis regulã, & iuxta illud præceptum in Euangelio positum, diliges proximum tuum sicut te ipsum. Hæc supradictus author in dicto suo libello per sex conclusiones quas ponit, atque probare contendit multis sanctorum antiquorum patrum auctoritatibus, innumerisque rationibus, sed potissimæ sunt, quæ adduximus in initio articuli. Sed hæc sententia pro eo, quod contraria sit opinioni communi Doctorum omnium scholasticorum, & quia credit, quod Euangelij verba prædicta secũdum literalem sensum non possunt, aut debent intelligi etiam de omni peccato coram nobis commisso indifferenter, sed tantummodo de iniuria in nos commissa, seu nobis illata: quia etiam negat, quod ordo prædictus à Christo Domino in Euangelio positus haudquaquam cadit sub præcepto: communiter non admittitur, quin verò reprobatur à Doctoribus,
5 & contrarium † omninò necessariò videtur dicendum, iuxta ea, quæ in præcedentibus à nobis dicta sunt. Vnde omnibus his dimissis, quid hac in re dicendum est explicabitur per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

Ordo † correptionis fraternæ 6
præscriptus à Christo Domino in Euangelio positus, in illis verbis Matthæi 18. Si peccauerit in te frater tuus, &c. Est de iure naturali, & Diuino, necessarióque obseruandus pro loco, & tempore, sicut & omnia alia præcepta affirmatiua: & contrarium dicere non est nimiũ tutum in fide, quin verò quadam ratione esse videtur temerarium, cum sit contra torrentem Doctorum Scholasticorum omnium. Hæc conclusio est communis DD resolutio. Et volo dicere, quod ordo prædictus (pręterquã quod est de iure naturali, seu ad rationem naturalẽ multum conformis) etsi non fuit à Christo Dño de nouo in Euangelio positus: fuit tamen ab eodem ibidem de nouo expressus, intimatus, declaratus, atque promulgatus, sicut & multa alia præcepta naturalia, quæ in lege Euangelica sunt expressa, intimata, declarata, & promulgata. Venit enim Christus Dominus in hunc mundum (vt refert scriptura sacra) nobis vt esset Doctor, & legifer, seu potius naturalis legis explicator, declarator, & promulgator, & vt ipse dixit non vt legem solueret, sed potius eandem vt perfectissimè adimpleret: quod & fecit non solum suo exemplo, verum etiam & sua Euangelica doctrina. Et inter alia legis naturalis præcepta, quæ expressè intimauit, & declarauit, fuit vnum hoc, de quo in præsentiarum est sermo, circa ordinem in correptione fraterna seruandum, quem proposuit, vt conuenientem per se loquendo, & necessariò obseruandum, vtpote ad rationem, siue naturalem legem multum conformem. Quod autem eiusmodi ordo in aliquo casu nõ sit conueniẽs, nec omninò ad vnguem seruandus, seu non conueniat vt obseruetur, hoc

re

per accidens est, parumque id refert, cum scientia non tradatur teste Aristotele, de ijs quæ per accidens contingunt, sed de illis, quæ rei alicui conueniunt per se. Quæ conclusio sic explicata verissima est, & negari nullo modo potest. Et probatur hac vel vnica efficacissima ratione. Nam † certum
7 est, & apud omnes compertissimum (iuxta ea quæ superius sunt dicta) teneri omnes in vniuersum homines ex iure naturali, atque Diuino proximũ suum corripere, & errantem in viam salutis dirigere cum possunt, idq; per media suauia, conuenientia, & quam maximè proportionata prædicto correptionis fini: sed excogitari minimè potest mediũ suauius, aut magis conueniens, & proportionatum, ad hoc vt is, qui peccauit corrigatur: quam vt obseruetur ordo prædictus in Euãgelio positus, nĕpè vt prius benignè, & charitatiuè secretò corrigatur, & quod si idipsum non sufficiat iterum de nouo coram vno, aut duobus testibus admoneatur, & in casu quod nec sic semetipsum correxerit, denuncietur Ecclesiæ (id est Prælato) ei scilicet qui possit prodesse, & non obesse, quò eundẽ paternaliter corrigat: quæ prædicta omnia vt fiant sunt expressè intimata, posita, & declarata in Euangelio à Christo Domino: ergo non nimium est tutum in fide, propriæ sententiæ adhærendo, & contraria sanctorum Patrum postposita, contrarium dicere: & quod per se loquendo ordo prædictus in Euangelio positus non est conueniens. Dico (quod meo quidem videri) hæc sententia, & opinio haud modicũ temeritatis habet, in re adeò graui contra torrẽtem Doctorum scholasticorum velle auctorẽ vnum particulariter sentire, & omnibus illis se opponere: idque maximè cum omnia inconuenientia, quæ contra hunc dicendi modum ipse pro sua statuenda, & corroboranda sententia adducit, sint inconuenientia, quæ non per se, sed omninò per accidens contingunt. Nos verò in præsentiarum loquimur, de conuenientia prædicti modi correptionis fraternæ per se, non verò per accidens. Et quidem si ipse non esset omnium optimus, & in primis eligendus ad supradictæ correptionis finem, vt quid Christus Dominus ipsum nobis intimauit, expressit; atque obseruandum proposuit? non certè ob aliud nisi vt eundem vt possibilem, & præ omnibus optimum eligeremus. Quod certè sufficiebat, superque satis erat vt à Doctore prædicto non reprobaretur, cum à Christo Domino fuisset in Euangelio positus, & confirmatus tantorum scholasticorum Doctorum doctrina, & auctoritate. Sed vt breuiter sciri possit qualiter prædictus sit ordo obligatorius, & cadat sub præcepto: & in occurrentibus casibus debeat obseruari, ac practicari, secunda statuitur conclusio.

Secunda Conclusio.

PRædictus † fraternę correptionis ordo, quamuis sit de iure naturali, & Diuino in Euangelio positus: non tamen ita est in præcepto determinatè, vt in omni euentu ad vnguem debeat obseruare: sed solummodo quando recta ratio dictauerit eundem esse magis conuenientem ad consequendum optatum correptionis proximi finem. Hæc conclusio probatur hac ratione. Nam cum eiusmodi præceptum sit affirmatiuum, non verò negatiuum in omnibus, & per omnia sectari debet legem aliorum præceptorum affirmatiuorum, quę sua habent certa, & determinata tempora, pro quibus obligant, regulata à recta ratione, & prudentia: & certum est quod iudicium prudentiale semper respicit media conuenientia, magisque proportionata fini. Ex quo manifestè sequitur, 8

tur, quod quando recta ratio dictauerit ordinem prædictum non esse prætenso fini conuenientem, prætermittendus est in totum vel secũdum partem: prout magis visum fuerit expedire. Ex hac conclusione sic explicata, sequitur vnum corollarium valde notabile, & illud est. Quod
9 aliquando † potest quis incipere fraternam correptionem à primo gradu, nempe quando viderit id expedire, congruumque esse prætenso fini. Interdum verò à secundo relicto primo, seu etiam à tertio relictis duobus primis, quando viderit, & recta ratio dictauerit quod sua admonitio, vel etiam facta coram vno, aut duobus testibus, futura est inutilis, ociosa & infructuosa, aut forsan nociua. In tali casu bene poterit reuelari fratris peccatum prælato tanquam patri, vt ipse solus vel coram corripiente correctionem adhibeat, & delinquẽtem paternaliter corripiat. Quorum omnium ratio in promptu est, nam iuxta sententiã philosophi ratio mediorum desumenda est, à fine, & cum prædictus fraternæ correptionis ordo medium sit, non verò finis: omnia quæ in ipso continentur, regulanda ac pensanda sunt, prout prætento fini magis, aut minus visa fuerint expedire.

10 Ex quo etiam infertur † aliud corollarium non minus notabile, quod affert Magister Bañez 2.2.q.33.ar. 8. dub.2.con.5. Et illud est, quod quando ratio dictauerit, vt prudenter fuerit iudicatũ: quod primus gradus prædicti ordinis fraternæ correptionis (quæ est secreta admonitio seorsũ facta inter peccantem & corripientem solum) sufficiens est ad corripiendum, & liberandum ipsum: si sine causa legitima incipiatur correptio à secundo gradu eundem corripiendo coram testibus, peccatũ erit mortale. Cuius ratio est, quia sic corrigens quantum est in se infamat fratrem suum apud alterum absq; vrgente necessitate, & sine iusta, & rationabili causa, quod est multum notandum, atque memoriæ commendandum. Verùm est tamen quod statim se limitat, atq; modificat prædictus doctor, dicendo intelligendum hoc esse quantum est ex parte actus, nam ex circunstantijs occurrentibus aliud forsan erit dicendum. Nã talis esse poterit persona, cui fratris peccatum reuelatur, vt parum vel nihil peccator ipse detrimẽti in eo patiatur: in quo casu (inquit) nõ erit nisi solummodo peccatum veniale, aut forsan nullum peccatum. Simile iudiciũ esse dicit, de eo qui correptionem incipit à tertio prædicti ordinis gradu, relictis duobus prioribus: cuius etiã ratio est, quia infamat quodãmodo fratrem suum apud prælatum, qui adhibitis prioribus remedijs, prodesse illi poterat minori cum dispendio suæ famæ, & honoris. Quæ quidem doctrina multum est notabilis, & conformis sententię, atque doctrinæ D. Thomæ, qui (vt infra videbimus) tenet quod secreta admonitio interdum esse potest de necessitate præcepti, vt publicam denuntiationem præcedat: & etiam dicit esse aliquando totaliter, & omninò à correptione cessandum, tunc scilicet quando probabiliter existimatur quod fraterna correptio quouis modo facta futura est prorsus inutilis ad emendationem fratris, sed de his latius dicemus infra. Modò respondere oportet ad argumẽta in initio articuli ꝓposita: ad probãdum non esse sub præcepto seruandũ prædictum fraternæ correptionis ordinem, in Euangelio positum.

Ad primum † respondetur, esse quidem præceptũ non de nouo in Euangelio positũ, sed in eodẽ expresũ, intimatum, insinuatum, atque declaratũ à Christo Domino, sicut & multa alia legis naturalis præcepta, expressa, intimata, insinuata, atque explicata 11

plicata

plicata ab eodem reperiuntur in Euãgelio. Nec obstat dicere quod naturali lumine non erat cognoscibilis Ecclesia: nam id parum, vel nihil ad propositum refert, quia superque satis illam futuram esse cognouit Christus ipse Dominus, suoque instituto vsque ad consummationem sæculi duraturam. Sicque iure optimo in tertio gradu opponere potuit, vt frater peccans, & non per primam correptionem seorsum factam, nec verò per secundam factam coram testibus, correctus & emendatus; denunciaretur Ecclesiæ, hoc est prælato, qui & eandem representat. Præter quam quod nullo vnquam tempore defuere prælati, seu communitatis rectores, apud quos si semel & iterum correpti non emendarentur, denunciari possent, si incorrigibiles existerent, & hoc est satis vt apponi possent illa verba, dic Ecclesiæ.

Ad secundum argumentum respondetur: quod quamuis eiusmodi correptionis ordo in Euangelio positus sit sub præcepto, necessarioque obseruandus: non proinde necessum est, vt tempus suæ obligationis, & adimpletionis, ita præcisè sit determinatus: vt ratione, atque iudicio prudentiali aliud dictante non possit interdum, quin verò, & sæpè sæpius immutari, vt & contigit etiam in alijs præceptis affirmatiuis. Nam præceptum est etiam de oratione facienda, nec tamen tempus in id ipsum ita pręcisè est determinatum, vt non quandoque liceat, aut forsan expediat, illud immutare: & idem dico de eleemosyna, & alijs. Idem igitur iudiciũ est de correptione fraterna, cuius quidem ordo in Euangelio positus vt seruetur cadit sub præcepto, & si non sit determinatum an obnixè an pro omni loco, & tempore eundem expediat seruare hic & nunc, sed pro vt dictauerit iudicium prudẽtia. Neque enim Christus Dominus proponendo in Euangelio huiusmodi ordinem, quo suauiter fieret proximi correptio, & quò minimo eiusdem damno fieri posset, eundem semper determinatum esse voluit, aut docuit in omni euentu esse necessariò seruandum: sed secundum quod recta ratio, & prudentia per cuius iudicium erat exercendus dictauerit. Neque eiusmodi præceptũ existimari vllo modo potest, aut debet durum iugum, siue incomportabile onus, quin verò facilissimum, & suauissimum: cum non obliget nisi quando commodè id ipsum fieri potest, & prout visum fuerit magis expedire ad fratris correctionem et emendationẽ, quod oportet multum notare, ac memoriæ commendare.

Ad tertium respondetur, haudquaquam esse necessum Theologiam addiscere ad seruandum eiusmodi fraternæ correptionis ordinem, nam ratio ipsa superque satis dictat, qualiter eiusmodi præceptum ad impleri debeat & possit, & in casu quo id non sufficiat: haudquaque desunt vbique Theologi, & viri prudentes qui possint consulere, & in casu quo desint, ignorantes excusabuntur ab eiusdem adimpletione.

Ad quartum respondeo negando, quod ex præcepti prædicti obseruantia, aliqua per se, & necessariò exoriãtur inconuenientia, & incommoda: aut quod foueantur peccata, & impediatur iustitia executio, aut quod delicta remanebunt impunita: nam his omnibus superque satis consultum est per doctrinam traditam à scholasticis Doctoribus, vt nos diximus supra agendo de inquisitione, & infra dicemus latius in subsequentibus articulis, quando hisce de rebus magis in particulari fecerimus mentionem. Vbi & dicetur quo nam modo procedendum sit ab Ecclesiasticis prælatis, omnibusque in vniuersum iudicibus, ad inquirenda, corrigenda, atque punienda delicta, & crimina, quæ se

se

se obtulerint, eorundem habita ratione: publica publicè, secreta vero secretè: qualiter etiam prædictus fraternæ correptionis ordo propter speciales rationes, & causas, omnino prętermittendus sit in delictis etiam secretis, & vergentibus in perniciem publicam, & in alijs de quibus dicemus infra.

Ad quintum, & vltimum adductum de praxi, & modo procedendi prælatorum Ecclesiasticorum, nec nō & inquisitorum: dico haudquaquam concludere id quod argumētum prętendit: nam in omnibus edictis, quæ ponuntur à prælatis, & iudicibus doctis, atque prudentibus, suæque obligationis obseruatoribus, semper excipiunt delicta, & crimina occulta (vt & excipi debent) nec denunciari, ac reuelari eisdem, nisi præmisso prædicto fraternę correptionis ordine in Euangelio posito: ni fortè fuerint talia, quæ vergant in perniciem publicam: de quibus supra diximus, & amplius infra dicemus: vt hæreses & similia. qua quidem ratione consultissimè, atque prudentissimè faciunt, & ad ius Diuinum atque hominum multum conformiter, hæreticæ prauitatis inquisitores præcipientes in suis edictis vt eiusmodi crimina, & delicta ad eosdem deferantur statim nulla mentione facta de fraternæ correctionis ordine, & absque cuiuspiam prorsus consulatione: sed de hoc latius infra in articulo tertio. Pro nunc prædicta sufficiant, ad probandum, & monstrandum qualiter sub præcepto cadat prædictus fraternæ correptionis ordo in Euangelio positus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm illa Christi Domini verba in Euangelio posita. si peccauerit in te frater tuus, &c. indifferenter, & ad literam intelligantur de quouis peccato coram nobis commisso: an verò solummodo de iniuria nobis illata?

Circa hanc difficultatem, † vt in præcedenti articulo est dictum singularis est opinio & sententiæ prædicti patris fratris Bernardini de Areualo in dicto suo libello de correptione fraterna: vbi non contentus dixisse quod prædictus locus intelligendus est ad literā de iniuria in nos commissa, seu nobis illata, quod & sufficientissimè probat, atque confirmat ex communi sanctorum antiquorum patrum doctrina: addit quod ad literam nullo modo potest, aut debet intelligi de alijs peccatis coram nobis commissis, vt communiter exponit consueuit à doctoribus scholasticis: in quoquidem plus nimio eosdem carpit (vt ne dicam irridet) dicens, quod propter sinistram, & minus rectam loci prædicti intelligentiam, & quia consultò deuiare voluerunt à verò, & germano illius sensu: necessum eosdem fuit in varias plerumque sibi inuicem contrarias, sententias & opiniones incidisse: quod (inquit excusare optimè possent: ponentes præceptum vbi non erat illud: & volentes quod prædicta Christi Domini verba intelligerentur, de quouis peccato indifferenter coram nobis commisso: cum tamen ad literam non intelligantur, nec intelligi debeant, nisi solummodo de iniuria propria nobis illata, aut in nos commissa, & ne sic vllo modo obligat, aut est determinatus prædictæ fraternæ correptionis ordo. Et pro hac sua sententia statuenda, defendenda, atque corroboranda, argumentatur 12

tur

tur quatuor vijs seu ex quatuor capitibus. Et primo ex ipso textu proprioque & literali supradicti loci sensu. Secundò ex communi doctrina, & consensu (vt ipse credit) sanctorũ antiquorum patruum. Tertiò ex approbatione sacrorum Canonum, & tandẽ. Quartò ex vrgentissimis, atque efficacissimis (sibi vt videtur) rationibus: quæ omnia nos complectemur qua maxima breuitate fieri poterit.

15 Et ad primam †viam devenientes, quod locus prædictus ad literam haudquaquam possit, aut debeat intelligi nisi solummodo de propria iniuria in nos commissa, seu nobis illata: sic argumentatur prædictus author. Nã si contextus ipse literæ rectè inspiciatur: apertè & manifestè apparet, quod locus ille: Si peccauerit in te frater tuus: non alium facit, aut facere potest sensum, quam si peccauerit contra te: hoc est, si te læserit: si te iniuria, aut contumelia aliqua affecerit: si te in aliquo damnificauerit: nam illa præpositio, in secundum latinorũ communem, loquendi vsum: non facit alium sensum, neque significat aliud, quam erga, vel contra, iuxta verborum varietatem. Cum igitur in proposito (vt de se patet) prima significatio non habeat locum dicendum procul dubio est, quod prædictus locus in secunda significatione sit accipiendus, neque habere alium sensum, quam si peccauerit contra te frater tuus, id est si te læserit, aut iniuria, siue contumelia aliqua affecerit, vt prædictum est. Qui & dicendi modus cõformis est stylo, & modo loquendi sacræ scripturæ, quæ distinguere solet inter peccare in hominem, & peccare in Deum: hoc est contra hominem, vel contra Deum: iuxta illud quod habetur Genesis 39. Quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum? Exodi etiam 10. habetur: Peccaui in Dominum meum: & in vos. Item & 1. Regum 2. habetur, si peccauerit vir in virum, placare ei poterit Deus: si autem peccauerit in Deum, quis orabit pro eo? Quibus omnibus in locis, inquit prædictus doctor (vt de se patet) præpositio, in, idem valet quod contra: & idem significat ac si diceretur peccare contra Deum, vel peccare contra proximum. Ex quibus omnibus (vt ipse credit) manifeste colligitur, quod proprius, atque germanus loci prædicti sensus est: si peccauerit in te frater tuus: id est, si peccauerit contra te: nõ verò corã te, vel te sciente, vt volunt Doctores scholastici communiter: & quod id dicere sit confundere verborum proprietatem, & proprium, & literalem sensum, non ex literæ contextu, sed ex proprio cerebro fingere. Certè hoc est fortissimum argumentũ ex his, quę affert prædictus doctor.

Secundò argumentatur ad idem, ex communi sensu, & Doctrina Sanctorum antiquorum patrum, ex quorum (inquit) interpretatione eruendus est, atque petendus verus sacræ scripturæ sensus, & nõ ex cuiusuis placito, vt dixit olim D. Clemens in Epistola 5. & refertur in c. relatum d. 37. sed D. Hieronymus, Chrysostomus, Ilarius, Ambrosius, Beda, quin verò & D. ipse Augustinus (quem Doctores scholastici in suum fauorem solent adducere) omnes prædictum locum exponunt, & dicunt ipsius esse literalem sensum, vt prædictum est: si peccauerit in te frater tuus: id est contra te: & nullus ipsorum est, qui dicat debere intelligi de peccato coram nobis, aut nobis scientibus cõmisso: ergo eiusmodi interpretatio voluntaria est, & absque vllo prorsus fundamento à Doctoribus Scholasticis confingitur.

Tertiò argumentatur ad idem ex Sacris Canonibus: sed specialiter, ex cap. nouit de iudicijs, & cap. cũ ex iniuncto, de hereticis: ex quibus de mẽte Innocẽcij III. Põtificis maximi

expressè colligitur, quod prædictus locus Euangelicus ad literam est intelligendus de peccato commisso contra aliquem, non verò de commisso coram nobis, aut nobis scientibus: non igitur est id dicendum: sed vt prędictum est.

Quartò & vltimo argumentatur ad idem, quia non est vis inferenda verbis sacræ Scripturę ob rationes aliquas apparentes, aut verus ipsius sensus retorquendus à communi omniũ consensu: sed si prædictus locus intelligatur (vt cõmuniter Doctores Scholastici ipsum interpretantur) eiusmodi intelligentia est inuiolenta, & aliena à communi consensu: alia verò quæ adducta est, suauis, genuina, & quæ in nullas nos ducit angustias: aut aliqua ex ipsa sequuntur inconuenientia: ergo hæc est amplectenda, non verò illa. Hæc in substantia sunt argumenta, quæ prædictus autor adducit pro sua sententia, & opinione stabilienda, & improbanda communi Doctorum omnium scholasticorum loci prædicti intelligentia. Et qui hac de re plura videre voluerit, consulat eundem authorem tractatu supra citato, & Magistrũ Bañez 2. 2. quęst. 33. articulo 8. dubio 1. Quibus nihilominus
14 † non obstantibus quod hac in re tenendum est, explicabitur per sequentem conclusionem.

Conclusio.

15 QVamuis † locus ille Euangelicus positus Matthæi 18. Si peccauerit in te frater tuus: per se primo intelligatur ad literam de iniuria in nos illata, siue contra nos commissa: nullatenus tamen negari potest, quod etiã ad literam, & per necessariam consequentiam intelligatur, ac extẽdi debeat ad omne peccatum coram nobis, seu nobis scientibus commissum. Hæc conclusio est expressa supradicti Magistri Bañez loco supra citato. Et quantum ad primam ipsius partem satis manet probata, per argumenta proposita à prædicto authore pro sua sententia, & opinione stabilienda. Nam quantum ad hoc cum eo conueniunt omnes. Sed quantum ad secundam partem cõstat expresſé ex † D. Augustino sermone 16. de verbis Domini, & refertur in cap si peccauerit 2. q. 1. vbi post approbatam primam loci huius intelligentiam, atque explicationem secundam etiam statuendo inquit: Sic agamus & sic agendum est, non solum quando in nos peccatur, sed etiã quando peccatur ab aliquo, ita vt ab altero nesciatur in secreto debemus corrigere. Et ponit exemplũ in homicida, & in adultero. Et post pauca addit: Peccauit ergo in te frater, si tu solus nosti: tunc certè in te solum peccauit: nam si multis audientibus tibi fecit iniuriam: & in illos peccauit quos testes suæ iniquitatis fecit: quando me audiente fratri meo quispiam iniuriam facit, absit vt à me alienã esse putem. Ecce qualiter D. Augustinus approbat secundam loci huius intelligentiam prædictam, vt qui me teste, vel me sciente peccat in proximum: etiam dicatur in me peccare. Nam & paulo inferius inquirendo, quid est in te peccauit? Respondet & dicit: Esse idem ac si diceretur, tu scis quia in te peccauit. Non igitur negari potest quod secundum D. Augustinum locus prædictus intelligi etiã possit, ac debeat ad literam de peccato coram nobis commissio, vel quod nobis scientibus factum fuit. Id quod & necessariò dicendum apparet per necessariã consequentiã (vt statim probabitur) Vnde nec mirũ est, aut reprehẽsione dignũ fuit, quod Doctores Scholastici communiter hanc sententiam, & hunc dicendi modum fuerint amplexati, cum etiam illum tradat Abulensis super prædictum locum Matth. 18. q. 65. & multi alij. Sed prætermissis

missis authoritatibus deueniamus ad rationem in id ipsum probandum fortissimam & irrefragabilem, quæ & formari potest in hunc modum.

17 Nam certum est, † nec negari vllo modo potest, quod vbi eadem concurrit, aut fortè maior ratio, corrigendi fratrem peccantem propter bonum ipsius, corripiendus ipse necessariò est, & in eo seruandus ordo correptionis positus in Euangelio, & præscriptus à Christo Domino: sed quando proximus peccat contra me speciali aliquo peccato, aut me afficit iniuria, seu contumelia aliqua teneor corripere illum, ipsique succurrere (vt vult prædictus author) & ne vorauit est, non solum me non vindicando, quin verò monstrando mansuetudinem, & lenitatem, quam ibi Christus ponit non attendendo ad aliud quidpiam, quam ad medendum fratri qui me offendendo & lædendo multo magis offendit Deum, ac semetipsum læsit: multo ergo magis, atque à fortiori, propter eundem finem lucrandi ipsum teneor corripere illum, ac illi succurrere per meam correptionem quando me non læsit, sed commisit aliquod peccatū coram me, quo læsit seipsum, ac Deum offendit. Consequentiam exinde patet, & argumentū valet (vt dicitur) de maiori ad minus. Nam si tantam debeo habere curam fratris mei deperditi per peccatum, quod in me commisit, vt meæ etiam iniuriæ obliuiscar quò illum corripiam, & misericordiam ipsi impendā: multo ergo magis id ipsum debeo facere, quando mihi non iniurius fuit sed me vidente semetipsum læsit, ac perdidit, aliquod committendo peccatum. Confirmatur hæc sententia alia ratione fortissima. Nam certum est, quod per eiusmodi præceptum & illa verba: Si peccauerit frater tuus, &c. Christus Dominus nihil aliud omninò voluit, aut prætendit, quam ordinare nos in bonum fratris peccantis, & per peccatum deperditi: vt per nostram correptionem lucremur illum, quo ad maximè fieri poterit: sed frater non minus deperditur per peccatum coram nobis commissum, quam per iniuriam contra nos illatam: ergo iuxta sententiam, atque præscriptum Christi Domini etiam in isto casu eidem tenemur succurrere: ipsumque corripere, & conari per nostram correptionem lucrari, si possumus. Consequentia exinde de se patet, quia vbi est eadem, aut maior necessitas, eadem est etiam aut maior obligatio. Neque enim obligatio corripiendi fratrem, oritur ex eo, quod me læserit, aut non læserit: sed ex eo quod frater fuerit per peccatum deperditus: siue illud peccatū sit contra me, siue verò contra alios, dum tamen ego illius habeam notitiam. Sensus itaque prædictorum verborum iste est: Si peccauerit in te frater tuus, id est. Si peccauerit te sciente, vel etiam contra te frater tuus: vade & corripe eum, &c. ita quod corripiendus sit ex charitate frater peccans, & succurrendum est, illi eumdemque lucrari obnixè curandū, non solum quando peccat coram nobis (hoc est nobis videntibus, & scientibus) verum etiam & si peccet contra nos, & nos iniuria aliqua, aut contumelia afficiat: quod valet, verumque habet per necessariam consequentiam, deductam ex Christi Domini verbis, per argumentum quasi à maiori ad minus. Videatur hac de re magister Bañez loco supra citato. Ad argumenta igitur in contrarium adducta, prædicta doctrina intellecta facili negotio respondetur.

Ad primū, † quod quamuis ille locus primò, & per se intelligatur ad literā de peccato specialiter in nos, siue contra nos commisso: per necessariam tamen consequentiam, & argumento deducto quasi à maiori, siue à fortiori, etiam intelligitur ad literam 18

de quouis peccato commisso coràm nobis, vel nobis videntibus, aut scientibus iuxta mentem, & sententiam D. Augustini.

Ad secundum respondeo similiter, quod quamuis sancti Patres prędictũ locum intellexerint & explicauerint in primo sensu, studendo persuadere hominibus lenitatem, & mansuetudinem quam erga fratres, seu contra ipsos peccantes, seu eosdem iniuria, aut contumelia aliqua afficientes deberent habere: non tamen per id excluserunt, siue repulerunt secundum à nobis adductum sensum: quin verò ipsum tanquam rem per se notam ac manifestissimam reliquerunt: vtpotè qui per euidentem consequentiam deductam argumento quasi à maiori ad minus ab omnibus facillimo negocio colligeretur, vt & collegit prædictum sensum Diuus Augustinus loco vbi supra, quem communiter secreta est tota Theologorũ Schola cum Magistro, & cum D. Thoma, qui & proinde posuerunt illum tanquam præcipuum, ac potissimum fundamentum totius huius materiæ de correptione fraterna, & hoc sufficit superque satis est.

Ad tertium respondetur similiter, quod illi sacri Canones, quamuis sequantur prædictum primarium sensum, illumque adducant ad suũ propositum: non tamen per id excludũt, aut repellunt hunc secundum à nobis traditum, & in conclusione positum.

Ad quartum respondeo negando hunc sensum esse extortum aut violentum, quin verò literalem & genuinum, & ad intentionem Christi Domini in illis verbis quam maximè accommodum: vt satis constat ex rationibus adductis ad probationẽ conclusionis, quæ pro isto articulo dicta sufficiant: nam ad omnia alia, quæ prædictus author adducit inconuenientia, in dicto suo libello siue tractatu de correptione fraterna: sufficientissimè fiet satis in subsequentibus Artic. quibus in particulari explicandæ sunt, omnes aliæ, quas ipse adducit difficultates.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum in correptione fraterna, secreta admonitio ex necessitate præcepti denunciationem debeat præcedere?

HAnc quæstionẽ † mouet D. Thomas 2.2.q.33.art.7.& in 4.sententiarum distin.19.q.2.art.3. quęstiuncula 1.& in quolibetis quodlibeto 11.art.15. & maioris claritatis gratia eandẽ difficultas aliquibus propositis in cõtrarium argumentis, quibus probare videtur, quòd in correptione fraterna secreta admonitio nõ ex necessitate præcepti denunciationem debeat præcedere. Et primum argumentum formatur in hunc modum. 19

Nam certũ † est quod in omnibus nostris operibus, sed maximè charitatis debemus Deũ quoad maxime fieri poterit immitari, iuxta illud D. Pauli ad Ephesios 5. Imitatores Dei estote, sicut filij clarissimi: sed Deus interdum publicè peccatores punit, atque castigat, absque vlla præuia monitione premissa: ergo & nos id ipsum facere possumus, seu potius debemus. Consequentia cum maiori est legitima, minor etiam constat ex Doctrina eiusdem Diui Pauli 1. Corinthiorum vndecimo, vbi dicit: Quod propter occulta peccata, sed maximè sumentiũ 20

indi-

indignè Sacramentum Eucharistiæ, multi sunt infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi: quod quidem supplicij genus quoddam est, illudque grauissimum: ergo intentum.

Secundò ad idem sic argumentatur Diuus Thomas: nam vt inquit Diuus Augustinus libro contra mendacium, cap 15. ex gestis sanctorum intelligi potest, & debet, qualiter sacræ Scripturæ præcepta sint intelligenda: sed in gestis sanctorum interdum inuenitur facta peccati occulti publica denunciatio nulla secreta monitione premissa: vt constat ex illo Genesis 37. vbi legitur, quod Ioseph accusauit fratres suos apud patrem crimine pessimo: & Actuum 5. dicitur etiam, quod Diuus Petrus Ananiam, & Saphiram occultè peccantes, & defraudantes de pretio agri, publicè denunciauit, quin verò & damnauit, siue castigauit: nulla secreta monitione præmissa, & ipse Christus Dominus non legitur secretò admon esse Iudam antequam eundem alijs Discipulis denunciaret: non igitur est de necessitate præcepti in correptione fraterna, secreta admonitio, vt publicam denunciationem præcedat. Quod & confirmatur ex eo quod Leuitic. 5. fieri præceptum erat, vt quicumque audisset vocem falsò iurantis, statim iudici crimen denunciaret, nulla prorsus facta mentione de secreta admonitione. Ex quo etiam colligitur intentum.

Tertiò ad idem sic potest argumentari. Nam accusatio multo grauior res est quam denunciatio: sed ad publicam accusationem potest quis procedere nulla secreta admonitione præmissa: sed solummodo facta inscriptione, iuxta cap. super his, cap. licet Helis capit. qualiter & quando el secondo de accusat. ergo multo melius potest quis procedere ad publicam denunciationem nulla secreta monitione præmissa.

Quartò sic argumentor ad idem. Nam non videtur esse probabile, quod ea, quæ sunt in communi vsu, & consuetudine religiosorum, sint contra ius, aut contra præcepta Christi: sed in religionibus consuetum est quod in capitulis aliqui proclamentur de aliquibus culpis, nulla secreta admonitione præmissa: nec videtur, aut credendum est quod id ipsum fiat cum peccato, quin verò forsam cum maximo merito: non igitur secreta admonitio ex necessitate præcepti, publicam denuntiationem debet præcedere.

Quintò & vltimò argumentatur Diuus Thomas ad idem. Nam religiosi, & subditi (vt de se constat) tenentur suis prælatis iusta præcipientibus obedire: sed prælati quandoque præcipiunt, vel communiter omnibus, vel specialiter alicui, vt quidquid nouerint correctione dignum denuncietur eisdem: ergo tenentur id ipsum facere, ac illis obedire, etiam ante secretam admonitionem: ex quo fit consequens, quod in correptione fraterna, secreta admonitio prædicta ex necessitate præcepti non denunciationem publicam debet procedere.

Hæc sunt argumenta quæ pro hoc parte possunt adduci, quibus non obstantibus, Diuus Thomas adducit † in contrarium Doctrinam Diui Augustini sermone 16. de verbis Domini, vbi explicans prædicta Christi Domini verba, Matthæi 18. Si peccauerit in te frater tuus: dicit monitionem fraternam denunciationem debere præcedere, faciendamque eandem esse, studendo fratris correptioni, & parcendo pudori. Fortè enim (inquit Augustinus) præ verecundia peccator defendere incipiet peccatum suum: & quem vis facere meliorem, facies peiorem. Cum igitur ex lege charitatis teneamur cauere ne frater noster peior efficiatur manifestè (vt videtur) apparet, quod fraterna admonitio publicam

cam prælati denuntiationem debet procedere, & quod id ipsum cadit sub præcepto.

Vt huic difficultati (quę grauissima atque difficilima est) & fundamentũ totius huius materiæ (quæ est de correptione fraterna) debitè satisfacere possimus, præmittere oportet, quod
22 peccata † de quibus fieri potest correptio sunt multiplicia, & nõ oĩa eiusdẽ rationis. Quædam enim sunt publica, alia, verò secreta. Et ex secretis quædam qua vergunt in perniciem totius reipublicæ, siue præiudicium tertij: quædam verò quæ non in reipublicæ, siue alicuius vergunt præiudicium, nisi solummodo ipsius peccantis. Ex publicis autem, quædam etiam dicuntur publica, quia pluribus quam vni sunt nota, & manifesta (quæ & in iure appellantur probabilia, pro eo quod plurium testimonio possunt comprobari) quædam verò dicuntur publica, non solum pro eo quod plurium testimonio possunt comprobari: verum etiam & quia de eis publica est fama, ac publicæ sunt proclamata, licèt aliqua possint tergiuersatione cælari: quod peccatorum genus à iurisperitis appellatur famosum. Ac tandem alia dicuntur publica, quia non solum possunt plurium testimonio comprobari, & publicè sunt proclamata: verum etiam sunt euidentia, siue notoria, quę nulla possunt tergiuersatione cœlari: qualia sunt quæ gesta atque patrata sunt in omnium oculis. Qua distinctio ne præmissa (quæ quam maximè est memoria commendanda) separando certa ab incertis, propositę difficultati, paulatim fit satis per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

Peccatum † quod fuerit publicũ, siue notorium, ita quod patratũ est in omnium oculis, non est secretò admonendum, aut corripiendum: sed publicæ arguendum. Hæc 23
conclusio est communis omnium Doctorum Theologorum, ac iurisperitorum resolutio. Omnes enim vbique docent quod in eiusmodi peccatis non est secreta admonitio præmittenda: sed publicæ coram omnibus sunt increpanda, corripienda, & arguenda, Loquor de notorijs, quæ patrata sunt in omnium oculis, & quæ nulla possunt tergiuersatione cælari. Nam non est idem iudicium de alijs probabilibus, & de his, de quibus increbuit infamia, de quibus infra suo loco dicemus. Sed loquendo de supradictis notorijs, probatur conclusio, Nam in eiusmodi peccatis non solum habenda est ratio eius, qui peccauit, nec solum adhibendum est remedium vt subueniatur sibi, & vt ipse melior fiat: verum etiam habenda est ratio boni communis, & adhibendum remedium etiam alijs, in quorum conspectu peccatum commisit, vt non scandalizentur: sed hoc fieri nequit nisi huiusmodi peccata publicè arguantur & reprehendantur: ergo necessariò id ipsum est faciendum. Confirmatur & hæc conclusio ex Doctrina Diui Pauli 1. ad Timotheum 5. vbi de ijs peccatis publicis agendo, dixit: Peccantes coram omnibus argue: vt & cæteri timorem habeant. Habetur in cap. sed illud d. 45. Facit & ad hoc cap. 1. de pęnitentijs, & remissionibus, vbi dicitur, quod manifesta peccata non sunt occulta correptione purganda. Facit & c. si peccauerit 2. q. 2. quod est Diui Augustini, vbi etiam dicitur: corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram oĩbus: illa verò corripiẽda secretius, quę peccãtur secretius.

Post

Post quæ addit D. Augustinus: Distin
24 gue † tempora & concordabis iura, & sacram Scripturam: illam scilicet, Matthæi 18. si peccauerit in te frater tuus vade & corripe eum inter te, & ipsum solum: & illam Diui Pauli 1. ad Thimothe. 5. Peccantes coram omnibus argue.

25 Aduertendum est, quod hæc † publica publici peccatoris correptio, non ad solos spectat prælatos, quibus ex officio incumbit iura boni publici: verum etiam & ad personas priuatas, quæ etiam tenentur publicè repræhendere eum, qui publicè & coram omnibus peccat: dummodo id sine graui suo damno facere possint. Cuius quidem rei ratio est, quoniam correptio prædicta (vt pluries dictum est) est officium charitatis, & ortum habet à charitate: & charitatis lege certum est, quod non solum prælati, verum etiam & aliæ personæ particulares consulere tenentur bono proximi sui, ac bono totius communitatis succurrendo aliorum scandalo. Sola differentia stat in hoc, quod priuatæ personæ tenentur ad id solum (vt dixitur) ex vno capite: nempe ex charitate, sicut & ad alia opera charitatis, quando id sine graui suo damno & detrimento facere possunt: at verò prælati tenentur ad id, & ex charitate, & ex iustitia, & etiam ex vi præcepti charitatis (vt supra diximus) plus quam alij: ac proinde etiam cum aliquo maiori suo periculo, & damno. Quamuis tamen id ita sit, si peccatum aliquod adeo esset graue quod multum læderet Dei honorem, vt si (v.g.) sacrilegus homo impiè nomen Dei blasphemaret, quo suo facto occasionem præberet præsentibus ipsum contemnendi: in tali casu non solum prælatus, verum etiam & persona quæ vis particularis, tenebitur etiam cũ graui suo damno eiusmodi blasphemum publicè repre-
26 hendere. Et iste † forsan est casus, in quo etiam cum periculo vitæ obligat præceptum dilectionis Dei super omnia: de qua re videat Soto de secreto membro 2. q. 4. conclus. 1. Sed notandum est, quod quamuis vtrique teneantur eiusmodi peccatorum publicum, notorium & scandalosum in facie corripere, atque reprehendere: nō
† tamen obligantur subditi per eundē 27
statim iudici denunciare quando crimen non vergit in perniciem publicam, licèt id ipsum facere illis sit licitum (vt infra dicemus) nam multa licent, quæ non expediunt, & proximi peccata semper sunt corripienda, eo modò quo melius conducit ad ipsius emendam, & ad conseruandum illius honorem. Sed dices, quid faciendum est in peccatis secretis, & in publicis non notorijs, 1. & 2. modo dictis, eorum quæ supra commemorarimus? Dico quod de his non est etiam absolutè, sed cum distinctione loquendum. Nam delicta secreta (vt diximus) quædam vergunt in perniciem publicam, alia in præiudicium tertij: & quædam sunt quæ in nullius vergunt præiudicium, nisi solummodo ipsius peccantis, & inter hæc quædam sunt magis nota, quam alia: de quibus omnibus dicendum est per ordinem in sequentibus conclusionibus: sed modò de criminibus vergentibus in perniciem publicam sit 2. conclusio.

Secunda Conclusio.

Peccata † quæ vergunt in perniciem publicam, vt proditio ciuitatis, hæresis, & similia, quæ sũt contra commune bonum, & cõtra totam Rempublicam: siue illa secreta sint, siue publica, nõ sunt publica, aut secreta admonitione corripienda: sed statim sunt iudici, siue prælato denunncianda. Pro huius conclusionis intelligentia oportet præmittere, quæ nam peccata dicãtur vergere in perniciem 28

publicam? Et prætermissis varijs, quæ hic communiter à Doctoribus circũferuntur: dico breuiter, quod licèt generali quadam ratione omnia peccata (etiam priuata) dici possint vergere in perniciem publicam, pro eo quod quantum est de se videntur esse ordinata ad aliorum scandalum: & quia contra bonum publicum quodammodo est quod peccata Republica existant: propriè tamen & in rigore
29 loquẽdo, illa † solummodo peccata in perniciem publicam esse censentur: quæ habent pro obiecto proximo bonum publicum: & quę ex genere suo sunt contagiosa, & contaminant ipsam Rempublicam: vt proditio ciuitatis, quæ est contra bonum totius communitatis: & hæresis, quæ est contra communem Religionem. Huius etiam generis sunt, crimen læsæ Maiestatis, & compilatio ęrarij publici: latrones publici, qui vulgò dicuntur, salteadores, hi scilicet, qui vias publicas obsident, & quorum est animus quascumque personas deprędari, & occidere. Ad hoc etiam peccati genus reducũt quidam ambitionem, & subornationem in Cathedris, & electionibus: & pro Religiosis fornicationem, vt inferius dicam. Cętera verò peccata quę pro obiecto proximo non habent bonũ publicum, sed priuatum alicuius personę particularis: vt homicidium, furtum, gula, & his similia: non propriè esse dicuntur in perniciẽ publicam: sed dicuntur priuata, vel ad multum in præiudicium tertij, ex eis si damnum aliquod cuipiam emergat. Nam quamuis (vt diximus) ex eis etiam aliquod damnum sequatur Reipublicę: hoc tamen est indirectè, & non directè. Directum enim & immediatum horum peccatorum obiectum, non est damnum publicum, sed priuatum ipsorum particularium. Quo pręmisso notabili, (quod valde est memorię commendandũ) dicit conclusio, quod peccata, quę vergunt in perniciem publicam, (quãuis ipsa sint secreta) non sunt prius secreta admonitione corripienda: sed statim iudicibus, siue pręlati denuncianda. Quę conclusio sic explicata omnium est Doctorum communis. Cuius & ratio in promptu est: nam bonum cõmune pręferendum semper est bono particulari: ex quo subinde colligitur, quod in his casibus potius est per denunciationem consulendum bono communi, & bono totius communitatis, quam per secretam admonitione famę, & honori alicuius particularis. Nec id facere vlla ratione erit contra Euangelium, & cõtra id, quod habetur Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum: nam qui talia peccata committunt, non in quempiam solummodo, sed in multos, atque in totam Rempublicam peccant: quorũ poinde omnium saluti potius est consulendum, necessum est, vt in his Euãgelicus ordo seruetur. De his peccatis intelligendum est illud Augustini, qui veritatem occultat, & qui mendaciũ prodit, vterque reus est, ille, quia prodesse non vult: iste, quia nocere desiderat. Videatur hac de re Soto de secreto, membro 2. q. 4 conclus. 1. & 2.

Sed patitur prædicta † conclusio 30
duas limitationes, prima est vt huiusmodi peccata nullo modo sint per cõfessionem cognita. Secunda, dummodo non firmiter quis speret, huiusmodi malis posse se abundè per suam secretam admonitionem occurrere, ipsaque impedire. Harum limitationum prima certissima est, & absque omni prorsus dubio: nempe quod peccatum quod via sacramentali est notum; nulla pacto & propter nullam rationem, siue finem reuelari potest. Quę peccata sciri dicantur in cõfessione, quę verò extra viam superque satis dictum est supra quęstione 5. art. 4. agendo de secreto, & ea de re videatur Soto de iustitia, & iure li. 5. quęst.

quæst.7.art.1. & de secreto memb.2. quæst.7.post 4.cōclusionem, & Aragon 2.2.quæst.33.artic.7.circa 2.conclusionem. Secunda limitatio qua diximus dummodo nō firmiter quis speret huiusmodi malis posse se abunde per suam secretam admonitionem occurrere, ipsaque impedire; non est ita certa: nam (inquit Soto) loco vbi supra, rarissimè & quasi nunquam continget, quod priuatus homo per se abūdè huiusmodi contagionibus possit succurrere: & specialiter si peccatum fuerit hæresis. De quo † dico

31 firmiter quod absque vlla præuia secreta admonitione, statim fiat inquisitoribus denunciatio, quia de illo, qui vt proprio adhæreat sensui ab Ecclesiæ iudicio, & determinatione recedit, parum vel nihil est fidendū, quod alicuius secreta admonitio vllo sibi modo possit proficere. Quod etiam tenent Soto, & Aragon locis supra citatis. Si tamen peccatum non fuerit hæresis, sed aliquod aliud, secreta admonitio fieri poterit, si speretur profutura, vt vel sic correptio proximi fiat, quo minimo eiusdem damno fieri possit: quod semper est procurandum.

In calce huius conclusionis aduertere libuit pro † Religiosis, quod licèt

32 peccatum fornicationis in sæcularibus dicatur priuatum: at in Religiosis censetur esse, & meritò, in dānum publicum, cum verè ita sit in damnū totius Religionis quæ propterea infamabitur: & in damnum aliorum omnium Religiosorum, de quibus propter vnius culpam simile suspicabitur peccatum. Vnde dico, quod Religiosus, qui eo de crimine fuerit notatus, & maximè si semel admonitus non emendetur: non seruato iuris ordine, & nulla præmissa secreta admonitione, potest & debet prælato denunciari. Et idem & potiori ratione dico, de eo, qui (qđ absit) nutu foras exijt, vel fœminas in monasterium introducit: cum id vergat in graue damnū aliorum Religiosorum, & totius Religionis: quod est multum notandum, atque memorię commendandum. Qua de re videatur etiam Emanuel Rodericus, in suo ordine iudiciali, cap.3.

Tertia Conclusio.

Quando † peccatum etiā secre- 33
tum vergit in damnum, & præiudicium tertij, nō est necessum, quòd secreta admonitio præcedat: sed vel iudici, vel ipsi parti, in cuius præiudiciū est, statim est denunciandum. Hæc cōclusio est etiam omniū Doctorum communis. Et pono exemplum in eo, qui certissimè scit (sed secretò) Petrum parare insidias Paulo, & velle ipsum occidere: dico quod debet iste talis vel renunciare Paulo, vt se custodiat: aut verò ipsi iudici vt remedium adhibeat. Quod liceat sibi (imo verò debeat) illud renunciare Paulo exinde patet: nam quamuis tam in tacendo, quam in renunciando contra illorum alterum aliquod sequatur inconueniens, melior tamē est in hoc casu conditio iniuriam patientis, quāuis inferentis: ac proinde potius est succurrendū, & fauendum illi denunciando, quam illi tacendo. Sed quod potius debeat denunciari parti, quam iudici, inde ēt patet: nam cum crimen sit omninò occultum, iuxta celebre illud dictū D. August. quod habetur in cap. hoc videtur 2.q.5. † denunciari debet illi, 34
qui possit magis prodesse quā obesse. Præterquam quod crimē quod ita est occultum (vt supponitur) cum probari non possit, nec per infamiam, aut per indicia disquiri: non licet iudici (saltim tanquam iudici) illud denunciare. Hac de re videatur Soto de secreto membro 2.quæstio.4.concl.2. & Aragon 2.2.q.33.art.7.

Sed aduertendum est, quod quandocumque † eiusmodi crimen, siue

pec-

[illegible]

...in dicto suo libello sit tractatum ... correptione fraterna: sufficientis... sit satis in subsequentibus Artic... bus in particulari explicandæ ... tiones aliæ, quas ipse adducit ... citatis.

ARTICVL[VS]

TERTIVS.

Vtrum in correptione fraterna ... admonitio et necessitate ... denunciationem debe... cedere?

HAnc quæstionem ... ... materiam diffi... ... quæstiuncula 1. & in q... libro 11 art. 15. & n... gratia eandem difficult... posita in contrarium s... bus probare videtur ... peccatore fraterna secr... ex necessitate præc... nem debeat præced... argumentum form... dum.

Nam certum † est ... nostris operibus, ... is debemus Deum ... poterit imitari ... ad Ephesios 5. ... te, sicut Filij ch... tendum publice ... que castigat, a... monitione premi... facere possum... Consequentia... tra, minor ... eiusdem Diu... undecimo, ... culpa peccat...

ndignè Sacramentum Euchariſtiæ, multi ſunt infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi: quod quidem ſupplicij genus quoddam eſt, illudque grauiſſimum: ergo intentum.

Secundò ad idem ſic argumentatur Diuus Thomas: nam vt inquit Diuus Auguſtinus libro contra mendacium, cap 15. ex geſtis ſanctorum intelligi poteſt, & debet, qualiter ſacræ Scripturæ præcepta ſint intelligenda: ſed in geſtis ſanctorum interdum inuenitur facta peccati occulti publica denunciatio nulla ſecreta monitione præmiſſa: vt conſtat ex illo Geneſis 37. vbi legitur, quod Ioſeph accuſauit fratres ſuos apud patrem crimine peſſimo: & Actuum 5. dicitur etiam, quod Diuus Petrus Ananiam, & Saphiram occultè peccantes, & defraudantes de pretio agri, publicè denunciauit, quin verò & damnauit, ſiue caſtigauit: nulla ſecreta monitione præmiſſa, & ipſe Chriſtus Dominus non legitur ſecretò admon eſſe Iudam antequam eundem alijs Diſcipulis denunciaret: non igitur eſt de neceſſitate præcepti in correptione fraterna, ſecreta admonitio, vt publicam denunciationem præcedat. Quod & confirmatur ex eo quod Leuitic. 5. fieri præceptum erat, vt quicumque audiſſet vocem falsò iurantis, ſtatim iudici crimen denunciaret, nulla prorſus facta mentione de ſecreta admonitione. Ex quo etiam colligitur intentum.

Tertiò ad idem ſic poteſt argumentari. Nam accuſatio multo grauior res eſt quam denunciatio: ſed ad publicam accuſationem poteſt quis procedere nulla ſecreta admonitione præmiſſa: ſed ſolummodo facta inſcriptione, iuxta cap. ſuper his, cap. licet Heli, capit. qualiter & quando el ſecondo de accuſat. ergo multo melius poteſt quis procedere ad publicam denunciationem nulla ſecreta monitione præmiſſa.

Quartò ſic argumentatur ad idem. Nam non videtur eſſe probabile quod ea, quæ ſunt in communi vita, & conſuetudine religioſorum, ſint contra ius, aut contra præcepta Chriſti: ſed in religionibus conſuetum eſt quod in capitulis aliqui proclamentur de aliquibus culpis, nulla ſecreta admonitione præmiſſa: nec videtur, aut credendum eſt quod id ipſum fiat cum peccato, quin verò forſam cum maximo merito: non igitur ſecreta admonitio ex neceſſitate præcepti, publicam denuntiationem debet præcedere.

Quintò & vltimò argumentatur Diuus Thomas ad idem. Nam religioſi, & ſubditi (vt de ſe conſtat) tenentur ſuis prælatis iuſta præcipientibus obedire: ſed prælati quandoque præcipiunt, vel communiter omnibus, vel ſpecialiter alicui, vt quidquid nouerint correctione dignum denunciemt eiſdem: ergo tenentur id ipſum facere, ac illis obedire, etiam ante ſecretam admonitionem: ex quo fit conſequens, quod in correptione fraterna, ſecreta admonitio prædicta ex neceſſitate præcepti non denunciationem publicam debet procedere.

Hæc ſunt argumenta quæ pro hoc parte poſſunt adduci, quibus non obſtantibus, Diuus Thomas adducit † in contrarium Doctrinam Diui Auguſtini ſermone 16. de verbis Domini, vbi explicans prædicta Chriſti Domini verba, Matthæi 18. Si peccauerit in te frater tuus: dicit monitionem fraternam denunciationem debere præcedere, faciendamque eandem eſſe, ſtudendo fratris correptioni, & parcendo pudori. Fortè enim (inquit Auguſtinus) præ verecundia peccator defendere incipiet peccatum ſuum: & quem vis facere meliorem, facies peiorem. Cum igitur ex lege charitatis teneamur cauere ne frater noſter peior efficiatur manifeſtè (vt videtur) apparet, quod fraterna admonitio publi-

peccatum, quod vergit in præiudiciũ tertij, est iudici vel parti denunciandum, curandum obnixè est vt fiat id quam minimo damno fieri possit: ita quod si sufficit reuelatio illius in genere, non fiat in specie, siue in particulari: etsi sufficit reuelare crimen tãtum, non reueletur persona, etsi alia via (hoc est per meam secretam admonitionem) possint illi malo occurrere, & indubitanter credo ipsam fore profecturam, & damnum illud omninò cessaturum: teneor profectò id facere. Cum hoc tamen stat, quod si damnum est graue, nec uitari omnino potest, nisi reuelando personam reuelanda etiam & manifestanda est, vtcumque crimen sit occultũ, hac lege quod non sit cognitum per confessionem vt prædictum est. Huius resolutionis ratio est. Nam quamuis demus, quòd quòd crimen sit furtum, & fama Petri maius bonum sit quam opes Pauli: in casu tamen quo ego scio ipsum opes Pauli velle subripere: iniuria ipsa quam Petrus inferre curat Paulo subripiendo eius opes: iustitiam facit vt propterea fama ipsius Petri sit postponenda, & præponendæ opes Pauli: sua enim malitia promeretur Petrus, vt hac in re & in hoc casu, famæ suæ nulla habeatur ratio. Videatur hac de re Soto & Arag. vbi sup.

36 Sed dices, qui vicendum est de † clericis: si talia crimina fuerint sibi extra confessionem nota: debent ne aut possunt ea iudici, siue parti manifestare? Videtur quidem quod non, cum ex tali manifestatione timeri iustè possit quod latro ipse suspendatur, & deueniatur vsque ad effusionẽ sanguinis, sed eo non obstante dico, quod etiam clerici possunt (imò & tenentur) huiusmodi crimen parti siue iudici manifestare: dummodo faciant prius solitã protestationem, vt non deueniatur ad mutilationem membri, vel effusionẽ sanguinis. Huius resolutionis ratio est manifesta, nam certum est quod omnes fideles (etiam clerici) charitatis præcepto tenentur procurare bonum proximi, & quamuis clerici ex iure positiuo teneantur non se immiscere in causis sanguinis, cum procurare bonum proximi sit debitum ex iure naturali, non est credendum quod fuerit intentio iuris positiui, tali & tam stricto iuri velle præiudicare, quando præcipit quod Clerici non se immisceant in causis sanguinis. Debent tamen (vt dixi) prius protestari se id facere tantum, vt euitetur damnum proximi, & non animo vt criminosus ipse plectatur capite, de quibus omnibus, & alijs multis, quæ breuitatis causa consultò omitto, videatur Soto, & Aragon loco supra citato.

Quarta Conclusio.

PEccatum Secretum † quod non vergit in perniciem publicã, aut 37
in damnum, & præiudicium tertij, sed solum in damnum ipsius peccãtis, semper est necessariò secretò ante denunciationem admonendum, siue corripiendum. Pono exemplũ in peccato gulæ & similibus, quæ peccanti tantum nocent. Probatur hæc conclusio, primo ex expresso fraternæ correptionis ordine tradito in Euangelio Matth. 18. vbi habetur. Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Vbi de mente D. August. vbi supra dictum est, illa uerba (in te peccauerit) non solum sic sunt intelligenda, ac si diceretur contra te peccauerit, vel te offenderit: sed etiam sensus ipsorum est, in te peccauerit, hoc est, te sciente peccauerit. In quo casu peccantem esse dicit seorsum corripiendum, & postea adhibendum esse vnum, aut duos testes, & quod si id non sufficit, tunc demum & non ante, dicit peccatum Ecclesiæ, siue Prelato esse denunciandũ, id quod tenet expressè ipse D. August. quod huiusmodi peccatum secretum

prius

prius est secretò admonendum, quam denunciandum. Verba August. libet referre, quia sunt notabilissima, & habentur sermone 16. de verbis Domini, & referuntur, 2. quæst. 1. cap. si peccauerit. Dicit ibi August. Si tu solus nosti, quia in te peccauit frater, & cũ vis coram omnibus arguere, non eris correptor erroris, sed proditor. Ex quibus verbis planè colligitur quod peccatum secretum, quod non vergit in perniciem publicam, nec in præiudicium tertij: prius est secretò admonẽdum, quam prælato denunciandum: & quod contrarium facere, & erit cõtra charitatem, & contra Christi Euãgelium. Secundò probatur eadem cõclusio ratione. Nam cum in huiusmodi correptione solum prætendatur priuatum bonum eius, qui corripitur: subueniri ei certè debet quo minimo damno fieri possit, exemplo boni medici, qui si absque abscisione aliqua membri salutem ægroto potest conferre, id ob nixè curat, & qui contrarium faceret haud paruam ei irrogaret iniuriam. Sic & in proposito dico, quod non minorem peccanti ipsi profectò infert, qui cum possit absque læsione suæ famæ, & honoris ipsum corripere, & à peccato eruere: eius crimina iudici, siue Prælato denũciat, maculando ipsius famam, quæ præciosissimum bonum quoddam est, & magni æstimanda.

Quinta Conclusio.

38 NOn† solum is, qui coram me, aut forsã alio secretò peccauit, prius secretò est admonendus, & corripiendus: verum etiam & ille qui corã duobus, tribus, aut quatuor testibus deliquit, & aliquali sui peccati laborat infamia, ante quam coram ipsis corripiatur, siue prælato denuncietur. Probatur hæc conclusio quo ad primam partem. Nam quamuis illi testes iam peccatum eius sciant, & quantum ad ipsos non videatur lædi, siue violari illius fama: læditur tamen & violatur pudor, & verecundia proximi, si in plurium præsentia & corã pluribus (etiam scientibus) reprehendatur, & corripiatur: quod summopere est vitandum, & omnibus modis prius tentandum, an frater per secretam nostram admonitionem corrigatur probatur etiam conclusio quo ad secundam partem. Nam in eiusmodi casu, si ob aliquam causam secreta admonitio foret prætermittenda, & peccatum statim iudici, siue prælato denunciandum: maximè vt haberetur ratio boni publici, cui potius debemus consulere, quam bono alicuius particularis. Sed in hoc casu quamuis duo, tres, aut quatuor peccatũ illud sciant, cum tamen ipsum (vt supponitur) non sit contra Rempublicam, nec in præiudicium tertij: nec sit publicè scandalosum: non læditur, aut periclitatur bonum publicum: ergo in tali casu nõ est prætermittenda secreta admonitio, sed habenda est ratio famæ proximi, & curandum quam maximè vt subueniatur sibi, quam minimo damno fieri possit. Hæc etiam est expressa sententia D. Augustini, & habetur in cap. supra dicto, si peccauerit 2. quæstion. 1. vbi dicit; Forte quod tu scis, & ego scio, non tamen coram te corripio: quia nolo curare, non accusare. Quod est ac si expressius dixisset, quod nec corram illo, qui iam peccatum nouit est frater in principio corripiendus, adeo ipsius† fama pluris est æsti- 39
manda, cum sibi sit vt resipiscat quã maximè necessaria. Ad quod propositum facit etiam quod dixit D. Hieronimus, explicando supradicta verba. Si peccauerit &c. corripiẽdus est seorsum frater, ne si semel pudorem & verecundiam amiserit in peccato permaneat. Quæ quidem verba referens D. Thom. 2. 2. quæst. 33. art. 7. in corpore, dicit: Quod fama† proximi quam 40
maximè necessaria est, & quantum ad spiri-

spiritualia, & quantum ad temporalia. Quantum ad temporalia, quia in his quandoque homo patitur detrimentum, etiam ab ipsa fama, & pro eo quod non sit bonæ famæ. Quantũ verò ad spiritualia, quia etiam multi à peccato retrahuntur timore infamia, & videre licet multos, qui ineffrenatè peccant, quando se infamatos vident atque conspiciuntur. Quæ quidem verba multum sunt consideranda atque notanda, vt non vllo modo contemnatur peccantium fama.

41 Ad argumenta † in contrarium adducta in initio articuli respondetur. Ad primum, quod quia Deo omnia crimina, quantumuis occulta manifesta sunt, & respectu ipsius ac si essent publica, & notoria: inde est quod potest Deus crimina statim punire, nulla præuia admonitione præmissa, eo modo quo & humanus Iudex ea, quę sunt publica, & notoria, quin verò & potiori ratione. Habent enim se ad diuinum iudicium occulta peccata, quemadmodum & publica, & notoria ad iudicium humanum. Cum quo etiam stat quod regulariter loquendo, Deus (quæ magna est sua misericordia) neminem puniat, quamuis id iustè facere posset: quin prius eundem semel & iterum admoneat, per publicam, vel secretam aliquam interiorẽ inspirationem. Ad quod facit illud, quod dixit olim Iob. c. 33. Quod quandoque Deus per somnium hominis aperit aures, & peccatorem corrigit. Hæc solutio est. D. Tho. vbi supra.

Ad secundum argumentum respõdetur. Ad illud de S. Ioseph, quod forsan prius admonuerat fratres suos, quamuis non id ipsum legatur ibidẽ. Vel dici potest, quòd illorum peccatum nõ indigebat admonitione, quia erat publicum, & inter fratres commune quod & colligi potest ex eo, q̃a legitur quod pluraliter eosdem accusauit. Aut dicere etiam possumus, non esse necessarium excusare factum iuuenis, qui forsam zelo non secundum scientiam fratres suos accusauit, ordine fraternæ correptionis postposito. Videatur hac de re Soto de secret. membr. 2. qu. 4. in solutione ad primum argumentum.

Ad illud verò quod adducitur D. Petri dicit idem Soto quod reuelauit peccatum Ananiæ & Saphiræ vxoris suæ, tanquam minister Dei, & ipsius sententiæ executor, cuius etiam reuelatione eiusmodi peccatum cognouit. Expediebat namque vt in primitiua Ecclesia peccata illa sacrilega (quamuis occulta) ex speciali Dei iussu publicè punirentur, vt vel sic illius temporis homines Christianam religionem venerarentur. Quod & factum in isto casu legimus, nam postquam dicitur quod ad D. Petri verba Ananias cecidit, & expirauit, statim subditur: Quod factus est timor magnus super omnes qui audierunt. Potest etiã dici, quod eiusmodi peccatum (quod fuit fraudare de precio venditi agri) non ita fuit occultum, quin rumor & infamia ad aures D. Petri peruenisset: ita vt iure de illo Ananiam posset interrogare, ac publicè eundem punire pro eo, quod deliquit.

Ad illud verò de Iuda, dico quod Christus Dominus non reuelauit ipsius peccatum præsens quod habebat in animo: sed tanquam Propheta prænunciauit id, quod erat futurum: quę quidem prænunciatio fuit necessaria ad finem suæ redemptionis, vt ostenderet se verè esse redemptorem, nec inuitum traditum esse morti ad illud verò quod adducitur in eodem secundo argumento, ex Læuitico, capit. 5. dico quod ille locus intelligendus est de denunciatione facienda iuris seruato ordine, qui quidem ordo (vt pluries est dictum) est de iure naturali, atque diuino, & hæc breuiter sic dicta sufficiant.

Ad tertium argumentum respondetur quod in eadem decretali, qua dici-

dicitur quod secreta admonitio in accusatione non debet præcedere, dicitur etiam expresse quod debet præcedere ante denunciationē. Quod vt plenius notū fiat libet decretalis eiusdē adunquem verba referre: quæ sic habent. Et si tribus modis possit procedi in criminibus puniendis, per accusationem, denuntiationem & inquisitionem: diligens tamen adhibeatur cautela, ne per breu: compendium, deueniatur ad graue dispendium. Nam sicut accusationem legitima debet præcedere inscriptio: sic & denuntiationē charitatiua admonitio, & inquisitionem clamorosa insinuatio. Verba sūt expressa supradictę decretalis, quę habetur in cap. qualiter & quando el 2. de accusa. Et si quæras, cur potius in denunciatione, quam in accusatione secreta admonirio debeat procedere: dico id proterea esse, quia denunciationis finis est emenda fratris, qui finis omnibus est modis tentādus prius quam ad denunciandum deueniatur, seu peccatum fratris prælato denuncietur. At in accusatione cum eius finis non tam sit emenda fratris, quam vindicatio & punitio criminis: hinc est quod sine respectu ad emendam, & omni admonitione postposita accusatio fieri potest, vt suo proprio loco dicemus.

Ad quartum dico, quod proclamationes, quæ habentur in communi vsu religiosorum, sunt delebibus quibusdam culpis, quæ nullatenus vergunt in infamiam eorum. Vnde fit vt rectè ipsæ fieri possint vbi habentur in vsu, absque aliqua præuia admonitione: nec enim illud propriè est tales culpas denunciare, sed voluti ipsas in fratrum memoriam reducere: de quibus verò simile erat quod si ipsi fratres memoriam habuissent se accusarent. Sed tamen vbi tales culpæ essent graues, haud quaquam liceret iure eas sine præuia admonitione proclamare, & qui contrarium faceret, & per talem modum fratris peccatum publicaret, Christi Domini præceptum de secreta fratris admonitione facienda procul dubio violaret. Ad quod propositum vocandæ sunt culpæ graues, non solum peccata mortalia, verum etiam & quæcumque alia quæ fuerint contra famam & honorem proximi. Vnde dico, quod si quis religiosus domus suspectas ingrederetur, nullatenus esset propterea in capitulo sine præuia admonitione proclamandus: vt habetur expressè in Regula D. Aug. de oculi petulantia. Hac de re videatur Soto vbi supra, & Aragon 2.2.q.33 art.7.

Ad Quintum respondeo, quod quādo prælatus præcipit, vt renuncietur sibi quidquid fuerit correptione dignum, siue hoc fiat communiter ad omnes, siue specialiter ad aliquos, semper id est intelligendum seruato iuris ordine, & si contra ipsum aliquid sibi renunciari præciperet, & prælatus ipse præcipiens peccaret mortaliter, & subditi in hoc ei non tenerentur obedire contra præceptum diuinum: responderi enim & posset, id quod dixit olim D. Petrus act. 5. Obedire oportet Deo, magis quam hominibus: nec enim prælatus est occultorum iudex, sed solus Deus: vt amplius infra dicemus.

ARTICVLVS IV.

Vtrum quando non est spes sed valde dubium, quod nostra admonitio sit profutura, speratur autem quod proderit admonitio Prælati, si sibi peccatum denuntiandum.

ET pono exemplū, in casu quo aliquis scit quod prælatus est talis, qualis ipsū esse oportet, mitis suauis religiosus, & prudēs, & de quo experimentum habetur, quod suorū sub ditorū honoris & famæ quā maximā est-

curam habeat, magisque optet prodesse, quam obesse: quæro an in tali casu, si sim dubius, quod mea secreta admonitio sit fratri profutura, possim prædicta secreta admonitione prætermissa, peccatum eidem saltim tanquam patri denunciare?

Conclusio.

42 IN casu quo † prædictæ omnes conditiones & limitationes existant, licitum erit secreta admonitione prætermissa fratris peccatum Prælato, vt patri denunciare: si certò credatur quod ipse sit se gesturus vt pater non vt iudex, & quod sic melius poterit proximi necessitati subuenire. Hęc cōclusio cū his limitationibus est apud omnes communis, & multum rationi conformis. Nam si certò creditur (vt supponitur) quod mea admonitio parum vel nihil est profutura, aut quod futura est inutilis, vtilis autem admonitio prælati, in tali casu potius est cōsulendum saluti spirituali proximi, quam eius famæ, & honori, & quibuscunque bonis suis temporalibus. Sed aduerto memoria esse retinendas omnes illas supra positas limitationes: nam omnes obseruari oportet priusquam quispiam subito, & sine causa prætermittat præceptum correptionis fraternæ, & fratris secretum peccatum prælato (etiam tanquam Patri) denuncietur ante secreta admonitionem. De qua re videndus est Soto de secreto, membr. 2. quæst. 4. dub. 3. vbi asserit, quod in tali casu etiam possumus fratris peccata eius fidelissimo amico reuelare, quo ipse cum maiori fructu eundem corrigat. Secus autem esset, si non aliquis maior fructus speraretur: tunc enim, nec amico, nec Prælato debemus fratris crimen reuelare, sed per nos ipsos illum admonere, & corripere, aut admonitionem siue correptionem prætermittere, si nihil pro futura speratur. Videatur Aragon. 2. 2. quæst. 33. art. 7. in fine.

Et vt omnia præ manibus habeantur, pro hac re, sequentem statuo generalem regulam.

Secreta † fratern a correptio semper est ante denunciationem præmittenda, si speratur pro futura: prætermittenda autem si nullus ex ea speretur fructus, aut credatur quod futura est inutilis. Cuius regulæ, & resolutionis ratio est, nam teste Aristotele, ratio mediorum sumitur à fine: cum igitur finis fraternæ correptionis vnicus, atque potissimus sit salus, & emenda proximi, ex tali fine, & spe, quæ habetur ipsum consequendi, omnis correptionis ordo est attendendus, & considerandus, & secreta admonitio facienda quotiescumque speratur pro futura, prætermittenda autem si nullus ex ea speretur fructus, aut credatur qđ prorsus futura est inutilis; idemq; est iudicium de alio remedio inductionis testium (de quo statim dicemus) quin verò & de denunciatione ipsa Prælato facienda, nam omnia ista prætermittenda sunt, quando certo creditur futura prorsus inutilia. 43

ARTICVLVS. V.

Vtrum frater per secretam nostram correptionem admonitus, correctus, & emendatus, sit etiam Prælato denunciandus, quò præseruet ipsum à recidiuo.

HAc de re est singularis opinio Ricardi in 4. sent. distinct. 19. artic. 4. qu. 1. vbi tenet, quod quamuis, frater per secretam nostram admonitionem sit correctus & emendatus, est nihilominus prælato denunciandus, quò ipse remedia necessaria adhibeat, & ipsum à ricidiuo reseruet. Sed hac sententia non obstante, in cōtrarium statuitur conclusio.

Con-

Conclusio.

44 SI secreta † nostra admonitione frater corrigitur, ita vt nullum prorsus maneat reincidendi periculum: nõ est vlterius progrediendũ, nec denunciatio facienda est Prælato, etiam si ipse de hoc iniustè; & præter ius præceptum imponat. Hæc conclusio incunctanter tenetur ab omnibus. Et in hoc cautè est legendus, & nullatenus sequendus Ricardus, sed interpretandus ad nostræ conclusionis sensum, ita vt id quod ipse dicit sit
45 verum, & faciẽdum, in casu quo † frater etiam fraterna admonitione correctus, & aliqualiter emendatus, manet in verosimili reincidẽdi periculo. Vbi tamen huiusmodi non subest periculum, fraterna nostra & secreta admonitione præmissa, & fratre iam emendato, non est vlterius progrediẽdum, sed illic est sustinendum, assecuto iam fraternæ correptionis fine, qui est fratrem lucrari. Et certè id ipsum faciendum insinuãt illa Christi domini verba, quæ habentur Matth. 18. Si te (inquit) audierit, lucratus eris fratrẽ tuum. Quam quidem clausulam, dum sic Christus Dominus terminauit, cõsequenter insinuare voluit, non esse vlterius progrediendum, nisi aliquid fuisset de nouo quod ad id occasionẽ præberet; quale est illud quod adiecit statim: Si te non audierit: tunc dixit quid correptor ipse debeat efficere; nempe adhibere vnũ, vel duos testes, & quæ sequuntur deinceps. Ex quibus planè sequitur quanta sit iniustitia, & quam grauis iniuria fratrem iã emendatum prelato denunciare, cum fama subditi apud prælatum tanti sit æstimanda, vt non nisi ex magna causa, & graui necessitate sit prodigenda.
46 Nec prælatus † ipse subditus ad hoc vlla ratione potest compellere: imò in sua generali visitatione tenetur dicere, & ipsos admonere, vt peccata iam emendata nullatenus sibi renuncient, nec verò occulta (quamuis non sint emendata) nisi prævia secreta admonitione præmissa: eo solo excepto casu quo illa sint, de quibus diximus supra vergere in perniciem publicam, siue in præiudicium tertij: vel si spes non habetur emendæ; & in casu quo certò creditur quod correptio & admonitio priuatæ personæ futura est inutilis, vtilis verò admonitio prælati: in his enim (vt diximus) licitum est secreta admonitione prætermissa, fratris crimen prælato reuelare, non tanquam iudici, sed tanquam patri: vt & correptio fiat (iuxta Euangelium) charitatis ordine, & quo minimo damno proximi fieri possit: quæ omnia sunt valde memoriæ commendanda.

ARTICVLVS VI.

Vtrum inductio testium denunciationem debeat precedere?

HAC de re est † peculiaris opinio Durandi in 4. dis. 19. quæs. 47
4. vbi mordicus tenet, quod licèt in crimine, quod est occultum in secundo gradu ex his quæ supra diximus, hoc est in crimine quod nõ vnus solus, sed plures illud sciunt, per quos potest probari iuridicè, locum habeat ordo præfixus in Euangelio de inductione testium: in quo casu (inquit) quod adhibendi sunt testes, non noui, sed illimet quibus iam aliàs crimen erat notum, & manifestum quò probari possit. Attamen in crimine omninò occulto, & secreto, vtpotè quod solus nouit, & scit ille, qui admonuit, nõ licet adhibere testes, nec de hoc loquitur Euangelium: qua propter tenet, quod in tali casu, siue frater corripiatur, siue non, facta iam secreta admonitione illic est sistendum, nec adhibendi sunt testes, aut vlterius est progrediendum, quousque sint vel aliqua indicia, seu infamia, vnde possit talis

pec-

peccator inquiri, vel testes, per quos denunciatus possit conuinci. Poterit tamen (inquit) in tali casu huiusmodi peccator, & eius peccatum sine testium inductione prælato tanquam patri secreto reuelari, qui possit prodesse, & non obesse. Huius opinioni mentionem facit D. Tho. 2.2.q.33. artic. 8. in solutione ad primum, & eam tenent quam plures ex Canonistis, & Altisiodorensis lib. 3. tract. 25. cap. 2. vnde creditur quod & ipsam desumpsit Durandus. Et pro hac opinione, vt plenius elucescat sic argumentor, & probo
48 quod † non sit necessaria inductio testium prædicta, ante denunciationem prælato faciendam.

Nam vel peccatum est omnino occultum, aut est publicum, & manifestum: si publicum, & manifestum, & quod in iure dicitur notorium: iam dictum est supra, quod hoc peccati genus non in secreto, sed publicè est arguendum, & corripiendum: vt enim habetur in capitulo prohibentur, 2. q. 1. quæ manifesta sunt Iudicialem Ordinem non requirunt: si verò non est ita publicum, sed aliqualiter secretũ; ita tamen quod notum est tribus, vel quatuor, qui mecum simul crimen viderunt: cum in hoc casu probari possit testibus, non videtur etiam necessaria inductio testium: immo videtur superflua: si verò crimen est ita secretum quod non est notum plus quam vni (mihi scilicet qui iam secretam admonitionem adhibui, quamuis sine vtilitate, & fructu) multo minus est necessaria inductio testium: nam quid prodest huiusmodi testes inducere? aut enim inducendi sunt ad probandum præteritum crimen (& hoc est vanum cum probari non possit, si non fuit notum plusquam mihi soli) vel inducendi sunt ad obseruandum proximum, & capiendum ipsum in peccato, si in posterum reinciderit, & nec hoc videtur esse licitum, quia de mente Augustini non debemus esse exploratores vitæ aliorum, immo in hoc casu melius, & magis secundum charitatem esset, indicare illis, qui possint illius peccatum impedire, quam alijs, qui eum possent in peccato capere: dicendum est igitur (inquit Durandus) quod nulla ratione in correptione fraterna testes sunt inducendi: maximè cum nemo habeat ius diffamandi suum proximum ipso inuito, etiam propter bonum eius spirituale: & certum est, quod qui tales testes adducit, siue inducit, & reuelat proximi sui crimen ijs, qui illud antea non nouerant, diffamat ipsum: quod facere nulla ratione licet. Hæc Durandus. Sed his non obstantibus, in contrarium est veritas, de qua sit conclusio.

Prima Conclusio.

SI frater per se † secretam nostram admonitionem non fuerit correptus, etiamsi crimen sit occultissimum, adhibendi sunt vnus aut duo testes (iuxta Euangelium) antequam crimen prælato denuncietur. Hæc conclusio est expressa D. Thomæ, & est ferè omnium Doctorum communis. Quæ & probatur primo ex ipso Euangelio Matthæi 18. vbi in vniuersali, & absque discrimine, & nulla de hoc, aut illo crimine facta distinctione dicitur: Si te non audierit, adhibe tecum vnum aut duos testes. Et quod hoc sit intelligendum non solum quando peccatum est probabile, verum etiam in quocumque alio casu occulto, quandocumque peccator per secretam admonitionem non corripitur, exinde patet: nam immediatè postquam dixit: si peccauerit in te frater, id est, te solo sciente (vt exponit Augustinus) statim subdit, corripe eum inter te & ipsum solum, & sequitur, si te nõ audierit, adhibe tecum vnum, aut duos testes. Non ergo loquitur solummodo de peccato probabili, verum ẽt de quocunque alio vtcunque occulto 49

(sa-

(sacramento confessionis excepto) & loquor generaliter de aliis, de quibus est necessaria correptio & admonitio: & certè contrarium dicere, videtur quod sit contraire Euangelio. Probatur prædicta conclusio secundo. Nam
50 † verbum, adhibe in Euangelio positum, idem pollet ac si diceretur, nouos testes adiũge: vt quod tu solus noueras, plures sciant: non enim propriè dicuntur adhiberi ad alicuius criminis cognitionem, illi, qui iam aliàs crimen ipsum nouerant: nec hoc facere vllo modo erit contra ius naturale de seruando secreto: nam (vt supra diximus) hoc præceptum suam habet epicheiam, & interpretationem patitur: & cum salus spiritualis proximi multo prætiosius sit bonum, quã eius fama: si ipsa sine huius detrimento recuperari non valet: non erit contra ius naturale, imo vero secundum ipsum licebit, & tenebimur illam huic præferre & anteponere: & cum iactu-
51 ra † famæ proximi eius spiritualem salutem procurare: exemplo boni medici, qui interdum infirmo abscindit mẽbrum, quo totam eius vitam conseruet. His omnibus accedit alia tertia ratio, nã qui fraterna correptione, & admonitione adhibita nõ corripitur: sed quodammodo est pertinax, ius famę suę deperdit, saltim quantũ adhoc vt eius fama non tanti sit æstimanda, quin pro eiusdem correptione, & testes necessarij & talia non debeãt, aut possint adhiberi. D. Thomas alia etiã via procedit ad probandam eandem conclusionem, ex ordine procedendi conformiter ad ius naturæ. Est enim (inquit) natura comparatum, ac veluti constitutum: vt de extremo ad extremum non fiat transitus nisi per medium: cum igitur inductio testium sit medium inter secretam admonitionem, & publicam denunciationẽ: conuenientissimè quidem à Christo Domino statutum fuit, vt post secretã admonitionem, ante denunciationem ipsam testes inducantur, vt vel sic paulatim, & gradatim, peccati cognitio vsque ad prælatum diffundatur, & corrigatur frater quam minimo damno fieri possit. Hæc D. Thomas.

Secunda Conclusio.

IN casu, quo † nulla sit spes quod frater per inductionem testiũ emendabitur, non sunt huiusmodi testes adhibendi: imo & generaliter loquendo in omni casu, quo emenda proximi non speratur, nec frater est secreto admonẽdus, nec inducendi testes, nec prælato est denunciandus, nisi peccatum sit in damnum Reipublicæ, vel in præiudiciũ tertij, vt supra diximus: nam amissa spe emendæ, cessat horum omnium finis. Hæc conclusio est etiã D. Tho. & omnium Doctorum communis. Sed aduerto, quod non sat est semel fratrem admonuisse secretò, vt propterea liceat testes adhibere: sed faciendum idest secundo, & tertio, vt colligitur ex verbis Augustini in sua regula. Nec propterea quod frater per secretam admonitionem non emẽdetur, desperandum subinde est quod per testium inductionem non emendabitur: nam certè adhibitis testibus, vel emendabitur vel confundetur, aut saltim metuens quod in crimine capiatur, cautius viuet. 52

Ad argumentum † Durandi respõdetur. Quod siue peccatum sit notum pluribus, cũ quib. probari possit: siue verò tantum vni: testes secundũ Euãgelium sunt adhibendi: nec id facere erit frustra, sed cum magno fructu fiet. Nam cum crimen non est notum nisi tantum vni, proderit † inducere testes vt si peccatum fuerit iteratum, ab aliquibus videatur, qui apud iudicem testes esse possint: nec hoc erit vitæ alterius insidiari, sed potius fratris saluti consulere, & ipsum iuxta Euangelium à peccato reuocare. Secũdò & in eodẽ casu id facere erit ẽt proficuũ, 53 54

vt vel sic frater peccans verecundia affectus resipiscat: & tandem tertiò vt testes ipsi apud iudicem testimonium perhibeant, corripientem omnia ad salutem fratris necessaria fecisse. Nec hoc erit vanum, & inutile, nam quãuis prælatus in prædicto casu, cum non sint testes qui peccatum viderint delinquentem non possit punire: debet tamen illum secreto admonere, & cautius obseruare. In casu autem quo peccatum notum est pluribus, & probari potest: vtile etiam erit huiusmodi testes adhibere: vel eos qui iam crimen nouerunt, vel alios qui de nouo afferantur, vt vel sic peccator erubescat, & timeat (nisi resipiscat) peccatum suum fore prælato denunciandum. Hæc solutio est Diui Thomę.
55 Sed aduerto † quod non sunt statim duo testes simul adhibendi, sed prius vnus, postea verò alter: vt si fortè frater vno teste adhibito fuerit correctus: non apud plures diffametur; id quod & exposcere videtur ordo ipse Euangelicus cum dicitur: adhibe tecum vnum aut duos testes: qua disiunctione vtendo innuere videtur Christus Dominus, non omnes simul esse adducendos, sed prius vnus, postea alter, vt si primus non sat sit, adhibeatur secundus. Quod dum fecerimus nulla ratione poterit dici, quod fratrem infamare velimus, cùm tot, tantæque adhibeantur cautelæ: sed potius eius saluti spiritnali consulere, & spiritualem eius vitam procurare. Videatur Soto de secreto membr. 2. quæstion. 4. conclusion. 5. in fine, & Aragon vbi supra. 2.2. quæstion. 33. artic. 8.

ARTICVLVS. VII.

Vtrùm si correptio secreta, neque verò facta coram testibus fratrem corrigere non sufficit, sit statim prælato denunciandus?

Prima Conclusio.

Denunciatio † facienda est prælato, quotiescumque frater secreto, vel etiam coram testibus est admonitus: & nec sic est emendatus. Hęc conclusio est adeo certa vt de illa nulla sit, aut esse possit controuersia, cum in Euangelio habeatur expressa. Quæ quidem denunciatio etiam facienda est prælato, quotie cum que creditur quod frater per nostram secretam admonitionem, & testium inductionem non corrigetur & emendabitur: aut si semel correptus, & admonitus, timeatur † quod iterum delinquet: seu quod ex non reuelando prælato aliquod poterit suboriri scandalum, & isti sunt casus, in quibus (præter illos quos supra retulimus) nõ obligat ordo correptionis fraternæ, sed statim denunciatio facienda est prælato, & magis prouidendum bono totius communitatis, & religionis, quam particulari famæ alicuius fratris, siue religiosi, curandum enim obnixè est, vt non vnius fragilitas, multorum religiosorum pariat infamiam. 56 57

Sed aduerto, quod † eiusmodi denunciatio, quæ facienda est prælato, prius facienda est ipsi tanquam patri, postmodum verò (si id ipsum non sufficiat) tanquam iudici. Cuius resolutionis ratio est, quia (vt pluries est dictum) ordo charitatis id ipsum exposcit, & quod fratris correptio fiat quo minimo damno fieri possit. Videatur hac de re Soto loco vbi supra. 58

Secunda Conclusio.

59 PRædicta † fraterna denunciatio, quæ facienda est Prælato, tunc & non aliter est facienda, quando est aliqua spes emendæ, nec maior timetur peruersio fratris. Hæc conclusio est Magistri Soto de secreto memb. 2. q. 4. conclusio 6. & est contra Panormitanum, qui in c. nouit de iudicijs, in ea est sententia, & opinione, vt dicat non esse à denunciatione cessandum, quamuis nulla spes habeatur emendę, & maior peruersio, siue induratio fratris timeatur. imo veró in hoc casu (inquit Panormitanus) potiori iure, & maiori ratione est fratris peccatum prælato denunciandum: vt & ipse delinquens puniatur, & vt cæteri timorem habeant. Cuius sententiæ fauere videtur illud, quod habetur in Euangelio: Quod si frater prælatum non audierit, habeatur tanquam ethnicus, & publicanus. Huic etiam sententiæ fauere videtur, D. Ambrosius, & habetur in cap. est iniusta 23. q. 4. vbi inquit, non esse indulgendum de facili peccatori, ne facilitas venię incẽtiuum tribuat delinquendi.

Sed nihilominus ab hac sententia recedit Soto, & dicit quod quamuis
60 ipsa verum † habeat in peccatis publicis, scandalosis & perniciosis Reipublicæ, in quibus (vt dictum est supra) talia delicta prætermisso fraternæ correptionis ordine, statim sũt iudicibus, siue prælatis denuncianda: quia in his publicæ salutis potius habenda est ratio, quam famæ alicuius particularis: attamen (inquit Soto) Panormitani sententia non habet verum in peccatis particularibus, & quæ solum nocent peccanti: in his enim cum finis fraternæ correptionis sit emenda fratris, omnia sunt disponenda eo modo quo commodius, atque vtilius huiusmodi finis cõsequatur. Vnde fit, quod nec frater sit secretò admonendus, nec inducendi testes, nec eius peccatum prælato denunciandum est: quoriescunque spes emendæ non habetur: sed omninò ab istis est cessandum, vel deueniendum ad iudicialem denunciationem, si crimen probari potest testibus, aliàs minimè. Dicit tamen Soto, quod non quis de facili desperare debet, quod frater per denunciationem quæ fit prælato emendabitur, etiamsi id non fecerit per admonitionem, qua vel secretò, vel coram testibus est à nobis admonitus: nam prælatorum verba in correptione multum habeant ponderis, & ad minus timor ex eo augebitur ipsi subdito, vt cautius viuat, & in futurum caueat: & prælatus etiam deinceps super eo oculatius inuigilabit, & instantius Deum orabit pro oue perdita. Verba sunt valde notanda: & penitus obseruanda.

ARTICVLVS VIII.

Quid nam debeat facere prælatus siue Iudex, aduersus subditum fraternaliter denunciatum: an debeat & possit ipsum iuridicè punire?

Prima Conclusio.

SIue † peccatum fratris fraternaliter denunciati probari possit testibus siue non, prælatus non potest iure huiusmodi subditum fraternaliter denunciatum, & qui secreto peccauit publicè punire, aut iuris pœnam ei infligere. Hæc conclusio comperta est apud omnes: quam & summopere præ oculis habere velim cunctos prælatos. Iuxta quam dico quod † quamuis aliquis denunciet alicui prælato crimen aliquod à subdito fuisse commissum, & sint etiam duo, aut plures testes iurati conscij criminis, nisi ille qui denunciat tanquam actor procedat, iudicialiter denunciando vel accusando (de quibus infra suo proprio loco dicemus) prę̨latus huiusmodi subditũ, 61 62

nõ põt pęna publica punire; vno verò neque ad eiusdem delicti inquisitioné procedere examinando plures testes, nisi adsit infamia, aut clamorosa insinuatio, vt in capit. inquisitionis de accusat. habetur expressè. Quod vt amplius manifestum fiat pono exemplũ. Sunt duo, vel tres qui renuncient alicui prælato in generali inquisitione siue visita, vidisse Petrum cum femina in lecto simul accubuisse, de quo crimine huiusmodi Petrus nõ est diffamatus, quia (vt supponitur) id solũ viderunt supradicti tres viri, qui & annunciauerunt prælato secreto & fraternaliter, non verò iuridicè, neq; accusando, eundem vt tanquam iudex puniret, sed vt tanquam pater remedium aliquod adhiberet; dico quod in tali casu cum illi, qui prælato crimen renunciauerunt, non id fecerint cum actione iudicialiter denunciãdo, vel accusando: & cum ibi non sit pars aduersa (nam merus denunciator, vt tenent omnes cõmuniter non est pars aduersa) non habet ius eiusmodi prælatus, siue iudex publicè puniendi huiusmodi crimen: imo nec inquirendi amplius sumendo, & examinãdo plures testes, aliàs idem esset iudex, & accusator: quod omnia iura strictè prohibent: vt constat ex cap. multi 2.q.1. & ex ca. 2.4.q.4. Et ratio huius cõclusionis in promptu est, nam cum finis huius fraternę correptionis, & fraternalis denunciationis sit emenda, & salus spiritualis proximi: charitas ipsa exposcit vt ei quam minimo suæ famæ damno fieri possit subueniatur: & omnia prius tentanda sunt, quam frater diffametur, aut contra ipsum iudicialiter procedatur, aut ipse iudiciali correptione arceatur: & prælatus, qui contrarium faceret procul dubio peccaret mortaliter. Malè igitur
63 faciũt † aliqui prælati ignari, qui plus nimio iustitiæ zelo inhærentes (non secundum scientiam) contra iuris ordinem huiusmodi subditos secretò delinquentes publicè puniunt, atque castigat: aut de illis inquisitionem faciendo eosdem infamant: cum nec publicè puniri, nec verò inquiri quispiã possit, nisi sit qui ipsum iudicialiter denunciet, vel accuset: aut in id ipsum adsit infamia, quæ (vt pluries dixi) vicem & locum obtinet accusatoris.

Sed dices, quid igitur debet facere prælatus in hoc casu? Respondeo, &
dico, quod debet † subditum fraternaliter denunciatum secretò admonere: tunc vel maximè quando crimen non potest testibus comprobari: admonere autẽ prius leniter (id si viderit expedire) vel rigidè addẽdo minas, & dicendo quod faciet hoc aut illud, & quod ipse deinceps vitam illius explorabit: poterit etiam (si sibi visum fuerit & vtilius fore dijudicauerit) admonere eum coram patribus. Adhibere autẽ verbera in hoc casu haud quaquam licet (etiamsi crimen possit testibus comprobari) nam cum hæc denunciatio sit fraterna, & non iudicialis, non licet prælato eiusmodi subditum punire, si ipse promittit se corrigere, & emendare. Hæc doctrina est expressa mag. Soto de secreto membro 2.q.4.conclus.7. Quando igitur frater secreta pręlati correptione, siue admonitione fuerit emendatus, aut promiserit se emendare, non est vlterius progrediẽdum, sed illic est sistendum iuxta Euangelium cum iam fuerit lucratus. Sed dices, quid si frater denunciatus, & à prælato admonitus crimen negauerit? Respondeo & fit secunda conclusio. 64

Secunda Conclusio.

SI subditus † fraternaliter denunciatus, & à pręlato admonitus crimẽ negauerit, & non sunt legitimi testes, quibus possit conuinci, quia nẽpè solus ille scit, aut vidit peccatũ, qui illud prælato denunciauit: in hoc casu non põt prælatus quidpiã aliud facere, 65

facere, quam subditum iterum admonere, pro illo Deum exorare: & expectare quousque existat aliquod quod crimen manifestum faciat, vel adsint indicia ad inquirendum, aut reperiantur testes ad eundem conuincendum. Hæc etiam conclusio est magistri Soto vbi supra, cuius & rationem reddit: quia prælatus in tali casu non potest procedere nisi vt iudex, & processus iudicialis locum non habet, nisi quando adest accusatio vel iudicialis denunciatio, vel vbi existunt indicia, infamia, aut semiplena probatio. Ex quo sequitur quòd prælatus in tali casu non potest vlterius procedere, nec subditum vllo pacto punire; imò verò neque eundem iuridice interrogare, si non sit aliquid ex supradictis. Sed dices, quid si ad reum conuincẽdum sint legitimi testes? Respondeo & sit tertia conclusio.

Tertia Conclusio.

66 QVando † subditus fraternaliter denunciatus, & à prælato admonitus crimen negauerit, & sunt testes legitimi ad eundem conuincendum, ius habet prelatus interrogandi eum tanquam Pater; etsi subdito constiterit quod ipsum interrogat legitimè, quia habet testes ad illum conuincendum, tenetur prælato crimen confiteri, & contrariũ faciens peccat mortaliter. Hæc etiam conclusio est magistri Soto vbi supra, de qua videndus est etiam Aragon 22. q.33.art.8 dub.3. Sed aduerto quod nec tunc p̃latus poterit eiusmodi subditum sic confessum publicè punire, aut pęnis à iure constitutis: si ipse promittat se emendare & corrigere. Licitum tamen sibi erit illum flagellis secretò cædere fraternaliter, nõ tam ad punitionem præteriti criminis, quam ad terrorem, & vt caueat in futurũ. Quod valde est memoriæ cõmendandum, & à prælatis quam maximè curandum, & ne imprudentes sint in processu fraternali: nam quando crimina non sunt publica, nec contagiosa aut perniciosa Reipublicæ, nec denunciãtur iuridicè: non sunt iudicialiter, sed fraternaliter punienda.

Sed dices, quid si eiusmodi subditus postquam fraternaliter est denunciatus, & à prælato admonitus, cum crimen suum testibus possit comprobari, non illud fuerit confessus, nec proponat se emendare, sed proteruè, & pertinaciter neget? Respondeo & sit 4. conclusio.

Quarta Conclusio.

IN hoc† casu dicit Soto vbi supra, & Aragon & alij multi 22. quæst. 33. articul 8. Caietanum sequuti, quod si nulla speratur emenda fratris, sed magis eius peruersio, & maior induratio timetur, & peccatum est ex iis, quæ solum nocent peccanti, & nõ ex illis, quæ vergunt in perniciem publicam, & denunciatio facta prælato est mere fraterna, & non iudicialis; à punitione est cessandum, nec vlterius progrediendum. Cuius conclusionis, & resolutionis hanc afferunt rationẽ: nam cum finis fraternalis denunciationis (vt pluries dictum est) sit emenda fratris: si ex tali punitione nulla speratur emenda, aut certò creditur, quod ipsa futura sit inutilis, relinquenda est: nam cum denunciatio sit fraterna (non verò iudicialis) omnia agenda & disponenda sunt in ordine ad solam fratris emendam. Sed dices, quid si fratris emenda speratur? Sit 5. & vltima conclusio.

Quinta Conclusio.

IN hoc casu dicit Soto vbi supra, quod si ex punitione fratris emenda speratur si à p̃lato vlterius procedatur, procedendũ est aduersus eũ via iuris tanquã aduersus pertinacẽ. Hæc concl. est magistri Soto vbi sup.

tur fratrem suum accusare, siue licitũ illi sit id ipsum facere, vel non facere. Hæc supradictus Banes loco supra citato. Sed re vera hæc sententia, & opinio magistri Banes, nec verò magistri Soto hac in re mihi satis placet: sed nec placere potest, qui in verò sequen

70 dam † esse credo in hoc casu sententiã Panormitani in ca. nouit de iudicijs, vbi hac de re agendo dicit, cessandum non esse à fratris denũciatione, & correptione quamuis de sua emenda nulla omninò habeatur spes, imo maior peruersio, & induratio ipsius timeatur: nam (inquit) in eo casu potiori iure ac maiori ratione fratris peccatũm prælato est denunciandum, & ab eo rigidè corripiendum, vt delinquens ipse puniatur, & vt cæteri timorem habeant. Cuius etiam sententiæ certè expresse fauere videtur id quod habetur in Euangelio Matth. 18. vbi dicitur, quod si frater prius secreto, vel coram testibus admonitus non fuerit correctus, quod prælato denuncietur, etsi prælatum ipsum corripientem non audierit, quod habeatur sicut ethnicus, & publicanus. Ex quibus verbis planè colligitur deueniendum esse contra eum ad ordinem iudiciarium, postquam fraternaliter corrigi noluit, neque etiam admonitus à prælato. Huic etiam sententię fauere videtur D. Ambrosius, & refertur, in c. est iniusta 23 q. 4. vbi dicit, non esse de facili indulgendum peccatori, ne facilitas veniæ incentiuum alijs tribuat delinquendi Resolutiuè itaque dico, quod nullo modo mihi placet prędicta opinio magistri Soto, posita in quarta, & quinta conclusionibus, quatenus dicit in eo, de cuius emenda nulla prorsus habetur spes, cessandũ omninò est à correptione procedendum verò (et iudicialiter) aduersus illũ, de cuius emenda habetur spes. Nam certè sequeretur id quod ipse sibi prædictus magister Banes opponit, & solutio ab eo lata argumenti vires haudquaquam im minuit, nẽpe quod ille meliores esset conditionis, quã iste. Nec verò etiam mihi placet opinio magistri Banes quatenus dicit, in vtroque isto casu cessandum esse a correptione, priuata, siue publica, nisi in quantum expedire videbitur bono communi, nam quis nõ videat semper expedire bono communi, vt non delicta maneant impunita: item & quod subditi ex aliorum delictis non punitis, & facilitate nimia veniæ, ansam & incentiuum non summant delinquendi? quis etiam non videat ex contrario facto quod innumera sequerentur inconuenientia, & subditi omnes apparere conarẽtur incorrigibiles, id ipsum si viderint futurum sibi proficuum, ad euadendam, & excusandam prælati correctionem? dicẽdum est igitur quod in vtroque prædicto casu frater peccans, semel, & iterum seorsum correptus, postpodum verò coram testibus, ac tandem prælato denũciatus, si ab eodem etiam correptus non fuerit emendatus, & illius peccatum legitimis testibus potuerit comprobari: procedendum aduersu, eum esse ad tribunal iuridicum, & quod in eo casu definit via correctionis fraternæ, & incipit ordo fori iudicialis, insinuatus (quin verò expressus atq; præceptus) a Christo Domino in illis verbis Matth. 18. Si Ecclesiã non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus. Quæ resolutio, & sententia omnino in hac re videtur tenẽda, & sequẽda, & non magistri Soto, aut magistri Banes, quia contra expressã verba Christi Domini est, & contra commune bonum.

In calce huius articuli apponere libuit, † formã seruandã in fraternali ꝑ- 71
dicta denũtiatione quę fieri debet sequenti ordine. Ego frater Petrus vel Paulus, N. charitate permotus, & quo maxime possum zelo Dei ductus: tibi N. vt Patri denuntio, non verò, vt iudici, fratrem Ioannem vel Franciscũ, N. contra Dei legem, seu regularia

statuta in sui ipsius perniciem, & aliorum Religiosorum scandalum, atque offendiculum, tale peccatum commisisse: quare vt ipsius saluti consulas obnixe rogo, & obsecro, nam & ego pro meo munere secretam debitam admonitionem, vel etiam coram testibus (iuxta Euangeliũ) facere non pretermisi. Quod si aliqua de causa ex superius adductis, correptionẽ secretum, vel corã testib. facere prætermiserit, id ipsum debet explicare, ac dicere, quod omisit secretam debitam admonitionem, vel ẽt faciendã coram testibus: pro eo quod eiusmodi frater ex alijs factis, signisq. verisimilibus apparentibus, incapax esse prorsus videretur fraternę correptionis. Hęc de hoc articulo, & tota quæstione dicta sufficiant.

QVÆSTIO XII.

De denunciatione iudiciali, in septem articulos diuisa.

SVMMARIVM.

1 *Renunciatio iudicialis duplex, alia publica alia priuata.*

2 *Renunciationis iudicium verè, et propriè est iudicium, & hoc quidem ordinarium.*

3 *Renunciatio fit ratione delicti publici, & quilibet de populo potest denunciare, dummodo non inueniatur prohibitus, & etiam ratione peculiaris officij, vt fiscalis &c.*

4 *Fiscalem creat qualibet ciuitas & respublica morum habens imperiũ, qui publica maleficia denunciet.*

5 *Fiscalis vti publicus minister iustitiæ ex officio tenetur accusare siue denunciare eum, qui agit contra rempublicam, vel contra Principem.*

6 *Quilibet de populo, qui non sit prohibitus accusare, creari potest fiscalis.*

7 *Episcopi, & ipsorum vicarij possunt sua diacesis constituere, & creare fiscales, qui pro rebus ecclesiasticis agant &c. qui iurare tenentur nu. 8. & debent esse Sacerdotes, vel ad minus in sacris constituti nu. 9*

10 *Fiscales de iure communi denunciare possunt quascunq. personas, & quascunque delicta quod intellige quãdo delicta probari possunt num. 11.*

12 *De iure regio non admittuntur in sæculari foro ad denunciandum nisi de notorijs criminibus, vel nisi delatorem assignauerit.*

13 *Probare tenentur crimina, quæ denũciant, aliàs condemnantur in expensis num. 14*

15 *Iudicialis denunciatio quinque modis differt ab accusatione.*

16 *Renunciatio iudicialis aliquando est idem, quod accusatio.*

17 *Renunciationes fiscalium non debent de facili admitti, sed cum magna prudentia sunt admittenda.*

18 *Renunciatores in denunciatione palliata debent præstare omnia, quæ ad accusationem spectant.*

19 *De renunciatione iudiciali repelluntur oẽs qui ab accusatione arcẽtur.*

20 *Fiscalis solus potest denunciare peccatum perpetratum præteritum.*

21 *Delicta non debetur remanere impunita.*

22 *Peccatum præteritũ quod adhuc manet, non solum fiscalis, sed quilibet de populo tenetur denunciare, dummodo sine graui suo damno, Quod declara in illis casibus, quando non sufficit correptio fraterna, nu. 23. & quando certò scitur, fratrem esse actualiter in aliquo peccato n. 24*

25 *Peccat mortaliter, qui ad iussum prælati reuelat id quod occultum est, absque præuia monitione.*

26 *Peccata notoria, & quæ vergunt in perniciem publicam, statim sunt iudicialiter denuncianda.*

27 *Sed peccata priuata, quando speratur emenda, debent denunciari præuia correptione fraterna, & admonitione.*

28 In

rit, & accusator sciebat quod iniustè ad delationem procedebat.

99 *Denuncians plura delicta contra aliquem non ex necessitate sui officij, sed sponte, & non probans nisi vnum, non excusatur à calumniatoris pena: & idem si denunciet crimen aliquod cum circumstantijs si probasset crimen, & non circumstantias, siue qualitates.*

100 *Accusator, siue denunciator non plenè probans quæ denunciauit, tenetur Iudicis arbitrio se compurgare quod non accusauit animo calumniandi; ad hoc vt non puniatur.*

ARTICVLVS I.

Quotuplex sit denuntiatio iudicialis?

IAM supra quæst. 8. agendo de denuntiatione in cōmuni, & generaliter sumpta, eandem in fraternam, & iudicialē diuisimus: dicendo quod quamuis aliqui Doctores quatuor cōstituant denunciationis species, omnes tamen ad prefatas duas reducuntur, quarum & congruas diffinitiones adduximus. Post modum verò per tres continuas quæstiones 9. 10. & 11. egimus in particulari de denuntiatione fraterna, in se: & quantum ad suam obligationem, item & quantum ad conditiones ad eandem requisitas, tam ex parte corripiendi, quam ex parte corripientis, & quantum ad ordinem in ipsa seruandum: nunc superest agamus etiam in particulari de denunciatione iudiciali: & inquiramus quotuplex illa sit seu quotupliciter fieri possit? cui difficultati respondetur per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

OMnis in vniuersum † denunciatio iudicialis est duplex: quædā publica, alia verò priuata. Hęc conclusio est omnium Doctorum communis in cap. nouit de iudicijs, de qua specialiter videndus est Panormitanus verbo, Nunc descendendo ad iudicialem denunciatio nem, & Speculator titulo de denunciatione: verbo, quis denunciare possit. Et Maranta in sua practica eodem titu. verbo expedita. Iulius Clarus lib. 5. sententia §. final. q. 7. Paz in sua praxi, 1. tom. p. 1. c. 2. à num. 1. cum sequentibus. Denunciatio publica est illa, qua officialis publicus ex officio, suo iudici, siue prælato denunciat alicuius peccatum, siue crimen, ad hoc vt reum mulctet pœna publica. Denunciatio verò iudicialis priuata, est qua priuata etiam persona eisdem denunciat, siue manifestat, præfatum peccatū siue crimen: & prælato (non quidem tanquam patri, sed tanquam iudici) prætendens illi obedire (in casu, quo crimen est iudicialiter denunciandum) aut damnum sibi illatum resarciri (in casu quo ab aliquo iniuria aliqua est sibi facta) postulans se in pristinum statum restitui. Qua de re nihil de nouo dicendum occurrit, pręter hoc quod est in memoriam reducere, id quod iam supra quæstione 8. articulo 1. diximus: nempe prædictæ denunciationis † iudicialis iudicium, verè, & propriè esse iudicium: & ordinarium quidem, vt expresè tenet & probat Paz de eadem re agendo, in sua praxi tomo 1. parte 5. c. 2. id quod colligit: ex cap. licet Heli de symonia, & extrauaganti ad reprimendum, & ex lege ea quidem, C. de accusat. vbi id ipsum dicit latè Salicetus. Idem habetur de iure nostro Regio, in lege 27. titulo 1. part. 7. constatque id ipsum ratione, cum sibi in omnibus, & per

per omnia conueniat pleniſſimè iudicij ordinarij diffinitio, vt patebit intuenti, & tradunt omnes Doctores communiter.

Secunda Concluſio.

3 PRædicta iudicialis † denuntiatio quandoque fit ratione delicti publici (quo caſu quilibet de populo poteſt denunciare) ſicut & accuſare, dummodo alias non inueniatur prohibitus: quandoque verò ratione alicuius muneris, & peculiaris officij, vt quando fiſcalis, ſeu ædilis, aut agrorũ cuſtos denunciat aliquos de aliquibus delictis commiſſis. Hæc etiam concluſio eſt omnium Doctorum communis, de qua videatur ſupradictus Paz loco vbi ſupra nu.3. circa quam nihil pro nunc de nouo dicendum occurrit. Quia tamen mentionem fecimus de fiſcali, & alijs, qui denunciant ſiue denunciare tenentur ratione officij publici: libet in præſentiarum dicere à quo ſiue à quibus huiuſmodi fiſcales, & officiales publici poſſint creari, & inſtitui, de quo fit tertia concluſio.

Tertia Concluſio.

4 QVælibet ciuitas, & reſpublica † merum habens imperium inſtituere, & creare poteſt huiuſmodi fiſcales, & officiales publicos ad publica maleficia denunciandã. Hæc concluſio habetur expreſſa, in leg. 1. §. fin. ff. de officio præfecti verbis, & in leg. ea quidem, C. de accuſa. de qua videatur Paz in ſua praxi tomo 1. 4. parte ca. 2. nu. 4. cum ſequentibus. De cuius ſententia dico quod omnis etiam iudex fiſcalem poteſt creare in cauſa, & delicto aliquo: quando ad id non eſt generalis fiſcalis conſtitutus, vt habetur expreſsè, in leg. 2. C. de delatoribus, lib. 10. ſicque cõmuniter obſeruatur in praxi. Qua de re videatur etiam idem Paz tomo 2. præludio. 4. nu. 5 & Anton. Gomez tomo 3. var. c. 1. n 40 & Iulius Clarus lib. 5. ſentent. §. fin. quæſt. 10. num. 3. Nã quando ſunt delicta aliqua in Republica, nec eſt, qui ea accuſet, ſiue denunciet, fiſcales conſueuerunt creari, qui ad ea punienda fungantur accuſatorum munere. Quo caſu iuxta communem ſtylum dicere ſolent iudices, quod vt hæc cauſa ſiue delictũ impunitũ non maneat, ſed debitè plectatur ordine iuris: Petrum vel Paulũ fiſcalem inſtituunt: nec id immeritò: nam quamuis fiſcalis pro eo quod eſt † publicus miniſter iuſtitiæ, ad cauſas tantum publicas videatur conſtitutus, quo fit vt ex officio tantum teneatur accuſare, ſiue denũciare eum, qui agit contra Rempublicã, vel contra Principẽ: vt habetur de iure Regio, in l. 12. tit. 18. part. 4. quod etſi nõ debitè faciat peccat mortaliter, debetque puniri (vt dicemus infra) attamen de mandato iudicis iam huiuſmodi fiſcalium officiũ extenſum eſt, ad hoc vt denuncient, ſiue accuſent de omnibus delictis, in quibus denunciator, vel accuſator non inuenitur: tum quia ſpectat ad vtilitatem Reipublicæ, ne delicta maneant impunita, vt habetur in l. ſi ita vulneratus, ff. ad leg. Aquil. tum etiam quia qui nocet Reipublicæ membris, & ipſi capiti nocere videtur, ac propterea & capitis ipſius intereſſe, vt reſpondeat pro membris, & quod miniſter, qui pro capite eſt inſtitutus (nempè fiſcalis) cũ opus fuerit, & alio cauſæ promotore deficiente, pro membris etiam agat. Ex quo infero non eſſe magis licitum fiſcalibus prædictis accipere pecuniã, vt denuncient ſiue accuſent aliquod delictum publicum, quàm iudici, vt iuſtam ſentẽtiam proferat, cum vterque ſit miniſter publicus, & vtriſque pro ſuis miniſterijs à Republica ſint congrua ſtipendia conſtituta: quod

eſt

est valde notandum, ac memoriæ commendandum.

Quarta Conclusio.

6 QVilibet † de populo, qui aliàs non sit prohibitus accusare: creari poterit fiscalis. Hæc cóclusio est certa & habetur expressa, in l. D. Adrian. ff. de custod. reorum. Vbi videndus est Bart. num. 7. & Salic. in l. ea quidem, C. de accusatio. nu. 11. Ex qua conclusione colligo, infamem non posse creari fiscalem, cum huiusmodi (vt dicemus infra) prohibiti sint accusare. Qua de re videatur Bernard. Diaz de Lug. in sua Praxi crim. c. 6. num. 2. sed de hoc latius dicemus infra. Quod cum ita sit
7 † Episcopi, & ipsorum Vicarij (qui vt rectius atque facilius regantur, & moderentur suæ dioceses, constituere & creare possunt fiscales, qui pro rebus Ecclesiasticis agant, ipsasque defendant, & vitia suorum subditorum accusent, siue denuncient) quàm maximè curare debent, vt ad huiusmodi munus, & officium exercendum, non eligant nisi viros probos, prudentes, & diligentia, industriosos, fideles, ac Deum quam maximè timentes, qui fideliter suorum subditorum vitia inuestigent, & inuestigata eisdem denuncient, Deum semper præ oculis haben-
8 tes. Qui † & in ipsorum creatione, ante omnia iurare tenentur, quod summa diligentia & fidelitate officium suum exercebunt, nam cum sint publici denunciatores in principio sui officij iurare tenentur, vt notat Angelus, in l. si vacantia, C. de bonis vacantib. lib. 10. & in tractatu de maleficijs, fol. 38. colum. 2. & Follerius in sua practica, pagina 162. & 730. & Præpositus in cap. de accusatione 2. q. 8. Debent etiam
9 fiscales prædicti esse Sacerdotes, † vel ad minus in sacris constituti: nam licèt laici pro rebus Ecclesiasticis, & spiritualibus procuratores possint constitui, iuxta textum, in cap. 1. de procuratoribus in principio, lib. 6. quia tamen fiscales ab Episcopo, vel eius Vicario creati, & constituti, nec dum laicorum, verum etiam & clericorum vitia accusare vel denunciare tenentur (quod laicis est interdictum, per cap. laico, cap. sicut Sacerdotes 2. q. 7. & cap. cum P. de accusationib.) hinc est quod in Ecclesiastico foro fiscales creandi, esse debent Sacerdotes, vel ad minus (vt dixi) in sacris constituti: qui omnia quæ faciunt ex mandato suorum Episcoporum, siue Vicariorum, ea ipsi Episcopi, siue Vicarij facere censentur, vt notat Præpositus in cap. de accusatione 2. q. 8. & supradictus Bernardus Diaz de Lugo in sua pract. criminali, cap. 5. num. 1. Qua etiam de re videatur Paz in sua Praxi, tom. 2. præludio 4. à num. 4. cum sequentibus.

Quinta Conclusio.

HViusmodi † fiscales stãdo in iure communi, aut saltim in communi praxi: denũciare possunt 10
quascunque personas, & quæcunque delicta, etiamsi non sint publica. Hæc conclusio est expressa Saliceti: in l. ea quidem, C. de accusationib. num. 14. & Præpos in summa 2. q. 8. num. 170. & 174. & ita obseruat in foro Ecclesiastico communis praxis, vt dicit Bernard. Diaz de Lugo in sua Practica crim. c. 6. num. 3. Quod intelligendum
† est cum delicta probari possunt, id 11
quod & æquum esse videtur: nam si de solis notorijs facienda esset denunciatio, multa crimina, quæ sæpissimè sunt occulta (licèt probabilia) remanerent impunita. Quamuis autem id
ita sit, de iure tamen Regio † in sæcu- 12
lari foro, fiscalis non admittitur ad denunciandum, nisi de notorijs criminibus, vel nisi debitorem assignauerit: vt habetur expressum, in l. 6 titulo 13. lib. secundo recep. Et idem in foro Ecclesiastico obseruãdũ dicit Paz in sua

Praxi

Praxi tomo 1. par. 5. c. 2. n. 7. allegans in id Concilium Compostolanum actione 3. decreto 23. & Toletanum actione 2. decreto 12. quibus in locis statutum habetur non esse fiscalem admittendum ad denunciandum, nisi præcedente infamia sufficiente, atque
13 informatione. Qui etiã fiscalis † probare tenetur crimina, quæ denunciat, secundum Bartol. in l. D. Andrian. ff. de custodia reorum: & Salicet. in l. ea quidem, C. de accusation. num. 23. & 28. alioquin si reus venerit absoluendus in expensis ipse erit condemnandus, secundum supradictos. Sed de hoc latius dicemus infra in art. 5. & aliqua in sequenti conclusione.

Sexta Conclusio.

QVamuis (vt infra dicemus) denunciatio iudicialis inter alia pęnes ab accusatione differat, quod qui iudicialiter denunciat regulariter loquendo non tenetur se legitimè ad pœnam tallionis inscribere, si in probatione deficiat: nihilo-
14 minus † fiscales prædicti, & quilibet alij probare tenentur crimen quod denũtiant: & qui denũtiat aliquod crimen, quod non scit esse verum, confidens non se esse pœna tallionis puniẽdũ & condemnandum, étsi in probatione deficiat (præterquam quod mortaliter peccat) in expensis erit proculdubio condemnandus, si reus venerit absoluendus. Qua de re videatur Paz loco vbi supra. Sed ac de re plura dicemus infra in articulo 5.

ARTICVLVS II.

In quo differat iudicialis denunciatio ab accusatione?

EX Theologis multi nullam constituunt differentiam inter iudicialem denunciationem, & accusationẽ, fundati in doctrina D. Thomæ 2. 2. q. 68. ar. 1. vbi iudicialem denunciationem, generaliter comprehendit accusationis nomine: sed maioris distinctionis, & claritatis gratia, melius, ac rectius videtur, vt inter ista aliquam constituamus distinctionẽ, & differentiam: vt ne rerum indistinctio ignorantiam pariat, & confusionem. Pro quo sequentes statuo conclusiones.

Prima Conclusio.

DEnunciatio iudicialis † quinque modis differt ab accusatione. Probatur hæc conclusio. 15
Nam 1. differt denunciatio iudicialis ab accusatione, quia denuncians (etiã iudicialiter) saltim si est persona particularis, non intendit, aut prætendit vindictam, & punitionem publicam: sed solummodo suum interesse, in quo læsus est, & damnum passus: non enim curat bonum publicum, sed suũ priuatum: at verò accusans (quantum est ex natura actus) semper prætendit vindictam publicam: & quærit commune bonum saltim directè, & per se quod dico propter Doctores quam plures, qui vt notat Syluester verbo accusatio, dicunt accusationem etiam fieri posse propter bonum priuatum: & è conuerso denũciationem propter bonum poblicum sed hoc non est directè, & per se sed quasi per accidens: finis enim directus, & per se intentus in accusatione (vt dixi) est vindicta publica per pœnam legis ad terrorem populi, & accusatio ipsa per se ordinari videtur in bonum publicum: at verò finis directus, & in denunciatione per se prætensus, non est vindicta publica: sed vel proprium interesse (si denunciatio facta est ab aliquo particulari) vel euitatio damni peccati alicuius, si ipsa facta est à fiscali. Ita quod per se primo denunciatio non videtur in bonum commune ordinari, sed in bonum particulare: quod autẽ & inde

sequa-

sequatur pœna, & vindicta publica: hoc est secundariò, & quasi per accidens, quod valde est notãdum, & memoriæ commendandum.

Secundò differunt denunciatio iudicialis, & accusatio, nam denunciatio (etiam iudicialis) est mera manifestatio criminis facta prælato, siue iudici sine aliqua actione (si ipsa est verè, & propriè denunciatio, & non accusatio palliata, de qua dicemus in sequenti conclusione) solummodo enim denunciatur iudici, siue prælato peccatũ fratris, quò ipse ex officio suo faciat id, quod secundum ius, & Deum sibi visum fuerit expedire: at verò accusatio est delatio criminis cum actione, qua iustitia petitur, & iudex ipse reum ipsum punire, veluti ab actore ipso compellitur. Ex quo nascitur alia differentia, inter denunciationem iudicialem, & accusationem, & est quæ sequitur.

Tertia differentia est, quod denunciator (etiam iudicialis) non dicitur actor sicut accusator: & denunciatio prædicta (vt infra dicemus) in multis dabet locum, in quibus propter aliquod impedimentum, non habet locum, accusatio. Quod (vt inquit) Soto de secreto membro 2. quęst. 5. contingere potest tripliciter, aut ratione personæ quæ agere non potest: aut ratione iudicis, qui nõ est directus, & competens: aut ratione criminis, quod lege permittitur, quorum omnium adducit exempla, quæ poterunt videri ibidem. Ex quo vlterius oritur alia differentia, quæ sit quarta in ordine.

Quartò differunt iudicialis denunciatio, & accusatio, in eo, quod iudex iudicialiter denunciatum non potest tota pœna legis punire, cuius contrarium in accusatione inuenitur: in qua (vt infra suo proprio loco dicemus) iudex reum accusatũ tenetur eundẽ punire tota pęna à lege cõstituta, & in eo (nisi sit superior) dispẽsare non potest.

Quintò, & vltimò differunt denũciatio iudicialis, & accusatio: nam regulariter loquendo iudicialiter denuncians non est obnoxius pœnæ tallionis (etiamsi in probatione deficiat) at in accusatione, qui aliquem accusat, si in probatione deficiat, stando in iure communi antiquo pænam tallionis meretur subire. Cuius differentiæ ratio est: nam qui denunciat (etiã iudicialiter) cum regulariter loquendo non petat pœnam denunciatio infligi: non illam meretur subire: at accusator cũ in sua accusatione ex poscat, & petat pœnam legis accusatio infligi (si falsò accuset & in probatione deficat) pœnam quam alteri parabat meretur proinde & in ipse subire. Ex quibus omnibus planè constat, differentia, quæ versatur inter accusationem, & iudicialem denunciationem propriè dictam. de qua re videatur Soto de secreto, membro 2. q. 5. Sed quia quandoque contingit accusationem palliari sub nomine iudicialis denunciationis, & re vera est accusatio: vt liquidò constet quid de tali denunciatione, & denũciatore dicendum sit, sequens statuitur conclusio.

Secunda Conclusio.

Aliquando iudicialis † denunciatio, est idem omninò quod accusatio. Pro hac conclusione notandum est, quod sunt quandoque personæ quædã particulares (pręter fiscales, qui curam gerunt boni publici) quæ quidem non iustitiæ zelo, sed potius liuore, & inuidia ducti, & quò negotium (alias sibi acerbissimũ) tuti exhibeant, & ne cogantur pęnam tallionis subire, si in probatione deficiant: prætermissa accusatione, quandam denunciatione vti solent, in qua cum actione procedunt, & pęnam à iudicibus reis ipsis postulant infligi. Et de hac denũciatione dicit cõclusio quod est verè accusatio (quamuis pal- 16

liata denunciationis nomine) & parũ vel nihil ab accusatione differt, & de his, qui hoc modo denunciant fratrum suorum crimina, dico multa. Primo, quod non de facili huiusmodi denunciatores, qui fiscaliũ funguntur munere debent admitti: aut eorum
17 † denunciationes de facili, sed cum magna prudentia, & cautela sunt recipiendæ, & nec etiam propter ipsas iudex statim dimoueri dẽt ad ineundam specialem inquisitionem contra aliquem: nisi forsan in casu quo talis denuncians fuerit vir spectatæ virtutis, & probitatis: id quod habetur expresse determinatum in cap. reppellantur de accusationibus, in cap. si peccauerit 2. q. 1. Secundò dico, quod
18 † quando huiusmodi denunciatores ita munus suum, & officium explent vt actionem in tali iudicio videantur præ se ferre: proferendo, & præsentando testes, & iudicem molestè vrgendo, & excitando vt iustitiam faciat, id ipsum prosequendo vsque ad finem: tenebuntur & ipsi proculdubio omnia, & singula præstare, quæ ad accusationem spectant. cum reuera (vt diximus) talis denunciatio, accusatio quædã palliata sit, & nomine solo ab ea differat. Ita tenet expresse Bart. in l. per hanc, C. de temper. & repara, appellatio. & habetur, in l. 1. §. incidit ff. ad turpi. Quo fit, vt qui hoc modo denunciant, & fraudulenter vtuntur hoc denunciationis genere, ad quod confugiunt tamquam ad suæ prauitatis asylum: si legitimas probationes, & reliqua necessaria non egregiè præstiterint, sed improbatione ipsa defecerint, haudqua quam sunt exempti à pœna legis tallionis quin verò videtur, & meritò, stando in iure communi antiquo, quod ipsa debeat eisdem infligi, vt vel sic in posterum se abstineant, & temperent à calumnijs, & falsis denunciationibus. Idem & eodem iure dico, de ijs, qui delicta aliquorum denunciando, seu potius palliatè accusando: literas mittũt ad prælatos superiores, siue Reges, aut Principes: nam denunciator iudicialis, qui iure à pœna tallionis eximitur ille dumtaxat est, qui simpliciter, & sine actione denunciat iudici, siue prælato alicuius fratris crimen, ad eius dumtaxat munus, & officium excitandum: renuens sibi onus probandi iniungi: nec sibi est animus talem denunciationem ad finem vsque persequendi sed tantummodo, quod iudex eadẽ facta ex officio suo faciat quod secundum ius melius sibi visum fuerit magisque expedire. Iste talis denũciator non erit pœnæ tallionis obnoxius: alius verò sic: qui cum actione denunciat, quia reuera est accusator. De quo etiam dico tertiò: quod † omnes illi qui iure ab accusatione repelluntur, arcendi etiam sunt à tali iudiciali denunciatione: cum ab accusatione (vt dictum est) differat solo nomine. Ita tenet Speculator, titulo de denunciatione, §. 1. & quidem meritò nam perditissimi ac criminosi homimines, infamiæ nota fœdati, & qui sui ipsorum curam non habeant, quodammodo fieri potest, vt alienæ salutis piam curam, & solicitudinẽ gerãt, & pie vt tenentur, prosequantur iudicialem denunciationem? Non id credibile fit. De hac igitur denunciatione seu denunciationis genere loquuntur Theologi communiter, quãdo de mente D. Thomæ ipsam comprehendunt generali accusationis nomine, quod multum est notandum, ac memoriæ commendandum. 19

ARTICVLVS III.

Quinam sint qui tenentur denunciare iudicialiter?

PRAEMISSA distinctione de peccato præterito, & iã prorsus elapso, cuius nullum est vestigium: & de peccato, quod adhuc manet

manet in futurum, huic articulo re-
spondetur per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

20 QVantum ad peccatum † per-
petratum præteritum & iam
elapsum, quod continuatio-
nem non recipit, vtpotè qui iam pec-
cator est omninò emendatus: is so-
lummodo tenetur iudicialiter denun-
ciare, cui competit ex officio, nempe
fiscalis. Hæc conclusio est expressa In-
nocentij, in cap. nouit de iudicijs, &
constat ex quam pluribus capitulis
iuris Canonici, præsertim, ex cap. præ-
cipue 1.q.2.c.duo ista 23.q 4. Vnde &
mos est, semperque fuit in cunctis re-
gionibus, vt iudices ordinarij habeant
suos promotores fiscales (de quibus su
pra diximus) qui non inuidiæ liuore,
aut maleuolentia: sed ex nimio iustitię
zelo peccata publica, seu etiam secreta
(in casu quod id liceat) ipsis iudicibus
denunciant, propter bonum commu-
21 ne. Spectat enim † ad iustitiam, quin
verò & ad Dei gloriam & honorem,
vt non delicta (maximè publica) ma-
neant impunita vt is qui publicè pec-
cauit, puniatur: & in hoc casu denun-
ciatio non tam respicit peccantem ip-
sum, cum (vt supponitur) iam sit emen
datus, nec credatur quod amplius sit
peccaturus: quàm alios, vt & ipsi ex eo
experimentum capiant, & à peccatis
retrahantur, quod multum Reipubli-
cæ interest.

Secunda Conclusio.

QVantum verò attinet ad pec-
22 catum † perpetratum, quod
augmentum, & continuatio-
nem recipit, vtpotè quod
adhuc durat, & nondum prorsus est
emendatum: quilibet tenetur denun-
ciare iudicialiter, dummodo id sine
graui suo damno facere possit. Hæc
conclusio habetur expressè, in ca. hoc
videtur 22.q.5. de qua & de pręceden
ti videndus est Sylu. verbo, denuncia-
tio, q.1.n.2. sed intelligenda est conclu-
sio † postquam non sufficit fraterna 23
correptio, in illis casibus, in quibus ip-
sa necessariò facienda est, de quibus
diximus sup q.11. & ēt postquam non
fuit sufficiens fraterna denunciatio,
quæ facta fuit prælato tanquam patri:
aut illa alia, quā alij imaginantur, quæ
fit eidem prælato tanquam prælato
(quam pœnitentialem vocant) in eius-
modi casibus, si hæc omnia fratrem
corrigere non sufficiant: denunciatio
iudicialis fieri debet eidem prælato, vt
personæ publicæ, & quatenus iudex
est, quò fratrem ipsum iudicialiter pu
niat: quę proinde denunciatio iudicia-
lis dicitur. Et hæc denunciatio (etiam
in hoc casu) est opus charitatis, ad quā
proinde cuncti tenentur (vt dictum est
in cōclusione) dummodo id sine graui
suo damno facere possint. Vnde dico,
quod qui in visita, seu inquisitione ge-
nerali, quam faciunt prælati Ecclesia-
stici, & regulares, non denunciat quæ
denuncianda sunt intra edicti præfi-
xum terminum, eo transacto tenetur
ēt denunciare sub peccato mortali, vt
expressè tenet Nauar. in Manuali, c.
25. nu. 46. Sed intelligendum est, quod
huiusmodi † est denunciatio facienda, 24
& superiorum præcepto parendum,
atque obediendum, qn certò scitur fra
trem esse actualiter in aliquo actuali
peccato: vel id est auditum à personis
fide dignis: nam quod quis non scit cer
tò, nec illud audiuit à fide dignis: de-
nunciare nō tenetur: maximè si ex eo
credat prælatum propterea plus nimio
contra fratrem sic denunciatum, siue
visitatū fore indignādum. Dico itaque
quod in generali visitatione, siue edi-
ctis, quando sub obediētia, & censuris
sæcularibus, siue fratribus à prælato
pręcipitur, vt renuncient sibi quidquid
sciuerint, vel audierint: explicandum,
intelligendum, atque interpretandum
est huiusmodi præceptum, quando id
est certò scitum, vel à fide dignis au-
ditum: aliàs non est in eo huiusmodi

prælatis parendum, siue obediendum: ad quod propositum dicit supradictus Nauarrus, in cap. inter verba, conclusione 6. num. 23. quod qui denunciat contra aliquem iudicialiter id, quod probare non potest, peccat mortaliter, id quod & colligit ex quam pluribus decretis, quæ poterunt videri ibidem.

25 Etiam dicit quod peccat † mortaliter, qui ad iussum prælati reuelat id quod occultum est absque præuia monitione, iuxta ordinem superius dictum, nisi crimen sit ex his, quæ dicentur in sequenti conclusione: nec minus (inquit) peccat mortaliter prælatus talia præcipiens, quod est multum notandum, ac memoriæ commendandum.

Tertia Conclusio.

26 IN peccatis † publicis, & notorijs, & in his quæ vergunt in perniciem publicam, vel in præiudicium tertij, non est necessum quod fraterna correptio denunciationem præcedat: sed statim sunt iudicialiter denuncianda: maximè si nulla habetur spes, quod nostra correptio, siue admonitio sit profutura. Hæc conclusio satis constat ex ijs, quę latissimè dicta sunt, dum ageremus de correptione fraterna, q. 11. artic 3. ibi etiam dictum est, quænam peccata sint illa, quæ dicuntur vergere in perniciem publicam. Sed valde memoriæ commendetur,

27 quod in omnibus alijs † peccatis priuatis, semper quod speratur emenda, correptio fraterna, & admonitio huiusmodi debet denunciationem iudicialem præcedere, cuius ordinem, qui sine legitima causa fuerit prætergressus, procul dubio peccabit mortaliter. Hæc conclusio est expressa D. Thomæ 2. 2. q. 33. art. 2. quem omnes sequuntur communiter Doctores, & est expressa sententia D. Augustini in sua regula, tractando de ordine fraternæ correptionis posito in Euangelio, quē dicit obseruandum esse necessariò, mortaliterque peccare eum, qui alicuius crimen (etiam probabile) prælato denunciat non seruato iuris ordine. Sed pro maiori horum intelligentia adducere libet quasdam regulas, quas ponit Magister Soto, lib. 5. de iustitia, & iure, q. 5. artic. 1. vt liquidum fiat, quando, & quomodo prælatis sit obediendum, aut non obediendum, in suis visitis, & inquisitionibus generalibus, quando edicto præcipitur quicunque sciuerit, vt denunciet latentia crimina, de quibus sequentem statuo conclusionem.

Quarta Conclusio.

PRima regula seruanda in generali † inquisitione, seu visitis prelatorum est, quod si crimina sunt iam omninò emendata, cuiuscunque generis sint, nemo tenetur illa denunciare, vel accusare, sed solum esse testis, si eius testimonium in particulari à prælato legitimè expostuletur. 28

Secunda regula. Si autem † nō sunt omninò emendata, & sunt priuata, vt concubinatus, & similia, quæ non habent pro obiecto bonum publicum: huiusmodi peccata tantummodo sunt prælatis, siue iudicibus fraternaliter denuncianda: ad emendationem fratris, eo modo, quo dictum est supra, dum ageremus de fraterna correptione.

Tertia regula. Si autem hæc † peccata non emendata, sint in perniciem publicam: vt proditio ciuitatis, hæresis, & similia, & non potest aliter eiusmodi malo obuiari, talia peccata nulla præuia monitione præmissa, sunt prælatis, siue iudicibus denuncianda iudiciali denunciatione, quin verò & accusāda, si delictorum natura id ipsum expostulet, vt dicetur statim in sequenti quæstione, dum agemus de accusatione. Omnia ista quam maximè sunt notanda.

AR-

ARTICVLVS IV.

Vtrum reperiantur aliqui iure prohibiti, iudicialiter denunciare?

Prima Concluſio.

SI fiat ſermo de iudiciali denunciatione, quæ fit cum actione (de qua dictum eſt in 2. art. concl 2. quod parum, vel nihil differt ab accuſatione, quin verò re vera eſſe videtur quædam palliata accuſatio) certiſſi-
31 mum eſt, quod omnes † prohibiti accuſare, ſunt etiam prohibiti iudicialiter denunciare. Huius concluſionis ratio in promptu eſt, quoniam prædicta iudicialis denunciatio, verè, & propriè eſt accuſatio: ſicque omnes illi, qui ſunt ab accuſando prohibiti, arceri etiam debent ab hac iudiciali denunciatione eadem prorſus ratione. Hæc concluſio eſt expreſſa Speculatoris titulo de denunciatione, §. 1. & de hac intelligendus eſt Bart. in l. Diuus ff. de cuſt. reor. num. 7. vbi dicit, quod qui prohibiti ſunt accuſare, ſunt etiam prohibiti denunciare. De eadem denunciatione intelligendus eſt Bernardus Diaz de Lugo, in ſua pra-
32 ctica criminali Canonica, cap. 6. num. 2. quando dicit, quod à prædicta denunciatione repelluntur homines infimæ conditionis, & officiales, ſi ſunt criminoſi, vel infames, pro quo allegat Henricum, in ca. nouit de iudicijs, colum. fin. & Bernardum in c. præterea, de teſtib. cogendis, & facit in idipſum, text. in ca. cum oporteat, de accuſationibus, & quod dicit Hoſtienſ. in ſumma tit. de denunciatione, §. quis poteſt denunciare, & Anton. in c. cum dilectus de accuſatio. vbi omnes ſupradicti dicunt, quod prohibiti accuſare, iure etiam cenſentur prohibiti denunciare, quod (vt diximus)
33 intelligendum † eſt de dinunciatione prædicta, quæ fit cum actione, & ſolo nomine, aut parum, vel nihil differt ab accuſatione: & re vera eſt quędam palliata accuſatio. Sed loquendo de alia denunciatione quæ fit ſine eiuſmodi actione, ſit 2. concluſio.

Secunda Concluſio.

SI fiat ſermo ſe denunciatione † iudiciali, vt condiſtincta ab accuſatione, & quæ fit ſine actione: nõ 34
eſt neceſſum, vt ipſa fiat à perſonis qualificatis: quin verò ad eandem admittuntur perſonæ communes, etiam infames, minores, & mulieres, præter nominatos in infraſcriptis concluſionibus: dummodo bono zelo denuncient vt ſatis colligitur, ex c. cum I, & A, de ſentent. & re iud. Hæc concluſio eſt expreſſa Syluestri, verbo denunciatio num. 3. q. 2. Vbi quærit quis admitti debeat ad denunciandum? Et reſpondet ſicut præmiſſum eſt, quod omnes ſupradicti. Et reuera hæc ſententia & opinio eſt expreſſa gloſſæ, in cap. ſi peccauerit 2. quæſtione 1. vbi quæſtione præmiſſa: vtrum ad denunciationem perſonæ infames, & criminoſæ admittantur, ſeu admitti debeant? Reſpondet quid ſic: quod probat ex eo, quod omnes ex charitatis præcepto ad denunciandum tenentur item & quia vt conſtat ex cap. quamuis 24. quæſt. 1. etiam † hæreticus de- 35
nunciandum admittitur, & in capit. præterea el ſecondo. de ſponſal. b. admittuntur etiam aliæ perſonæ viles, & quia quando agitur ad correptionem principaliter, & non ita ad punitionem: haud quaquam tantus iuris rigor requiritur, iuxta cap. hoc videtur 22. quæſt. 5. Nam cum in ijs procedatur bona fide, non eſt neceſſe m diſputare de iuris à picibus: iuxta l. ſi fideiuſſor. §. quædam, ff mandati; hæc gloſſa vbi ſupra. Et propoſitis contra reſolutionem prædictam aliquibus iuribus, quibus probari videtur contrarium, & quod ad denunciationem

tionem prædictam tantum honestæ conditionis personæ debent admitti. iuxta capit. Episcopus in Synodo 35. quæst.6. non verò infames, vt habetur, in c. præterea de testibus cogẽdis, & quia etiam ad populares actiones non admittuntur, nisi personæ integri status, iuxta l. popularis, ff. de popula actione: Respondet prædicta glossa nõ esse recedendum à proposita conclusione, sed standum firmiter in prædictis: & quemlibet ad denunciandum debere admitti, dum tamen bono zelo, denunciet, pro quo allegat supradictum cap. cum I, & A, de sentent. & re iudicata Sed addit vnum valde notandum: quod licèt infames, & irregulares ad denunciandum admittantur, non tamen criminosi & qui actu existunt in suis delictis, criminibus & peccatis: nam cum tales non sua correxerint crimina: haudquaquam credendum est de illis, quod bono zelo, sed malo crimina aliorum denunciẽt: iuxta c. infames, §. porrò 3.q.7. sed de hoc amplius dicemus statim in sequenti cõclusione. Tenet eadem conclusionem expresśè Iulius Clarus in sua pract. criminal. lib.5.§.fin.q.7. verbo, quæro igitur: & Salcedo in additionibus ad pract. Bernardi Diaz de Lugo, cap. 6. verbo, denuncio, num. 2. qui & dicũt. Ita obseruari in communi praxi: nam & officiales qui communiter ad denũciandum constituuntur, vt plurimum sunt personæ pauperes, & viles, & quãdoque etiam infames: & nihilominus admittuntur, & super eorum denuncijs proceditur ad inquisitionem. Pro quo ambo allegãt quam plurimos Auctores, quos ego breuitatis causa omitto, vt ad vlteriora procedam: quod fiet approbando distinctionem quãdam, quã hac super re facit supradictus Iulius Clarus, dicendo quod si denunciatio fit de delicto, super quo ex forma statutorum, siue consuetudinis, procedi non potest, nisi ad instantiam partis, in tali casu non ad denunciandum admittatur, nisi qui admitti posset, & deberet ad accusandum (alias fraus fieri videretur legi) at verò vbi agitur de delicto, super quo iudex procedere potest ex officio, & per viam inquisitionis, siue de iure, siue de consuetudine, in tali casu quilibet admittatur ad denunciandum, siue denunciet ex proprio suo motu, siue verò ex necessitate sui officij. Interest enim quam maximè Reipublicæ, vt non delicta maneant impunita: & quod ad Magistratuum, iudicum siue prælatorum quomodocumque notitiam perueniant: in quo quidem (inquit) nemini fit iniuria, siue prę-iudicium, cum eiusmodi † denunciatio nihil aliud operetur, quam vt aperiat viam iudici, siue pręlato ad inquirendum. Addit tamen, quod iudex, siue prælatus ob denunciationem prædictam non potest contra aliquem ad citationem, multoque minus ad capturam procedere: nisi habitis prius aduersus ipsum legitimis indicijs, & sufficienti informatione, de quibus supra dictum est, dum ageremus de particulari inquisitione: & dicemus amplius in artic. sequenti. 36

Tertia Conclusio.

AD denunciationem † iudicialẽ prædictam, criminosi in criminibus perseuerantes non sunt admittendi. Hęc conclusio iam aliqualiter constat ex supradictis, & probatur expresśè, ex cap. cum dilectus de accusat. vbi Innocentius III. prohibuit criminosos quosdam ad denunciandum admitti, & dixit à denunciatione eosdem esse repellendos. Probatur præterea eadem conclusio authoritate Speculatoris, titulo de denunciatione, §. quis denunciare possit: & Panormitani, in c. nouit de iudicijs, verbo, sed quæro: & Felini, in eodem c. nouit: qui & ad hoc probandum quam plures alios auctores adducũt, & gloss. in 37

in d.c. cum dilectus, verbo, concubinarius, glossam etiam in cap. cum oporteat eodem titulo de accusationibus, verbo, ad denunciandum. Item glossam, in c. personas de testibus, verbo, consimili morbo laborantes. Et quidem ratio in id ipsum est appositissima: nam de criminosis in criminibus perseuerantibus, haud quaquam præsumi potest, quod bono zelo, & charitate ducti denuncient, etenim si ex charitate id ipsum facerent, semetipsos prius studerent corrigere, quàm alios: cum (vt dicitur) perfecta charitas incipere debeat à semetipso. Vnde & meritò prędicti à denunciatione repelli debent: nullatenusque admitti, & à prælatis eisdem dici illud Euangelij Matth. 7. Frater sine eijciam prius trabem de oculo tuo, & tunc videbis vt possis eijcere festucam de oculo fratris tui. Prædictis tamen non obstantibus dico, quod circa hanc conclusionem † magna est lis, & controuersia inter Ioannem Andream, & Felinum, in prædicto cap. nouit de iudicijs, contendente Ioanne Andrea, quod criminosi prædicti (etiam in criminibus perseuerantes) ad denunciandum debent, & possunt admitti: aliàs enim (inquit) nullus denunciare posset in toto mundo: cum (vt dicitur) nemo sine crimine viuat: & habetur in c. quia tua, distin. 50. & in c. septies de pœnitent. distinct. 1. & in c. iteratur de consecrat. distin. 2. Et præterea quia si criminosus (etiã in crimine perseuerans) est habilis, & idoneus ad accusandum fauore reipublicæ, vt habetur in l. si quis in graui, §. si quoque. ff. ad Sillanian (quod ibi tenet Baldus) multo ergo melius, ac fortius admitti debet ad denunciandum in fauorem animæ, cum illa multo sit prætiosior corpore, & cunctis rebus Reipublicæ præferenda, vt habetur in c. cum infirmitas, de pœnitentijs, & remissionibus, in fine verbo cæterum: pro quo facit & l. sancimus, C. de sacrosanct. Ecclesi. Tandem probat idipsum prædictus Ioannes Andreas, quia peccatoribus vtcumque in peccato perseuerantibus, non sunt, aut esse debent interdicta bona opera, quæ si operentur esse possunt sibi vtilia, & ad meritum imputari: cum igitur denunciatio prædicta sit opus bonum, & tendat in bonum proximi, nempe in eiusdem correptionem, & ad lucrandam ipsius animam: dicẽdum videtur (inquit Ioannes Andreas) quod criminosi vtcumque in criminibus perseuerantes, ab eadem non possunt, aut debent repelli, quin verò libenter admitti. Sed prædictis omnibus † obiectionibus, iuribus & argumentis, sufficientissimè respondet supradictus Felinus dicendo, quod omnia illa iura intelligenda sunt de criminibus occultis, in quibus in dubio quilibet culpam debet timere (vt ad idem propositum dixit B. Gregorius) forta ssis vbi culpa non est, ac se præsumere peccatorem: attamen in proposito non fit sermo de criminosis occultis, sed de publicis, & manifestis, & in crimine perseuerantibus, de quibus (inquit Felinus) aliud est iudicium. Ad illud verò quod adducitur de eisdem criminosis, quod esse censentur habiles, & idonei ad accusandum fauore Reipublicę, facilè etiam respondet prędictus Felinus dicendo, aliud etiam esse iudicium de accusatione, & de denunciatione, & maximè in casu, quo loquitur supradicta lex sãcimus de seruo, quod ibi est speciale in illo casu, vt admittatur qui aliàs non admitteretur, vt dicit glossa ibidem. Ad vltimum verò de bonis operibus, à quibus criminosi prædicti (vt videtur) non possunt, aut debent excludi, & repelli; dicit Felinus, quod multa bona opera possunt ijdem operari semetipsos prius corripientes, & etiam fratres suos admonẽdo (non quidem publicè, sed secretò) & tandem concludit, quod supradicti criminosi in criminibus perseuerantes absque dubio debent repelli, tum pro-

propter malum zelum de ipsis præsumptum, tum etiam in odium suorũ peccatorum, ne si admitterentur magnum aliquod in Ecclesia generetur scandalum. Per quę sufficienter satis factum esse videtur rationibus & argumentis supradicti Ioãnis Andreæ, manetque amplius probata, & corroborata prædicta nostra conclusio. Circa quam nihil de nouo dicendum occurrit, prętterquam quod infames, licet ad denunciãdum admittantur (vt in secunda conclusione est dictũ) non tamen debent admitti, si (vt dictũ est) sint perseuerantes in crimine, ex quo eorumdem resultauit infamia, nam vt habetur in iure de similibus simile est iudicium.

Quarta Conclusio.

40 NOminatim † excõmunicati ad denunciandum nõ possunt, aut debent admitti. Hæc conclusio est etiam omnium communis, & habetur expressa, in dicto cap. cum dilectus, de accusationibus, in illis verbis, ibi propter quod in eos fuit excommunicationis sententia promulgata: vbi præcipit Innocentius III. excommunicatos quosdam (de quibus ibidẽ fit sermo) à denunciatione esse repellendos. Hoc idem tenet Speculator, titu. de denunciatione, §. quis denunciare possit: & Panormit. in prædicto ca. cũ dilectus. Ratioque in idipsum appositissima est. Nam actus denunciãdi authoritatem requirit in eo, qui denunciat, qua quidem (vt de se patet) carẽt omnes, qui in pęnã sui delicti, & contumacię, actualiter sunt excommunicati. Et pręterea probatur hæc conclusio: quia si (vt prædictum est in præcedenti conclusione) criminosi in criminibus perseuerantes meritissimè iure arcentur, & repelluntur à denũciatione: multo ergo melius ac fortiori ratione arceri debent prædicti nominatim excommunicati: cum sint etiam criminosi, & in peccato perseuerãtes, de quibus & dici potest quod qui sibi nequam sunt, cui alij boni erunt? Sed circa hãc conclusionem aduertit Caietan. 2. 2. q. 68. art. 2. ad 1. quod licẽt eiusmodi nominatim excommunicati iudicialiter denunciare nõ possint, non tamen prohibentur † iudici, siue 41
prælato per viam simplicis denunciationis, & monitionis, aliquorum delicta manifestare: certioresque eosdem facere ab ipsis talia, & talia delicta fuisse commissa: quò ipsi ex officio suo ad inquisitionem alijs concurrentibus, & etiam si (opus fuerit) ad punitionem procedant. In quo quidem casu excommunicati prædicti (vt patet) non aliquod opus authoritatis exercent: sed faciunt quod facere tenentur ex charitate, aut ex iustitiæ zelo, & boni publici, ad hoc vt aliqua delicta, & peccata euitentur, & non vlterius protrahantur, quod facere nõ est sibi illicitum, quin verò (vt videtur) licitum, sanctum & iustum.

Quinta Conclusio.

ADenunciatione † iudiciali prædicta, etiam arceantur, & repelluntur qui fratres suos non prius monuerunt secũdum ordinem traditum in Euangelio Matthæi 18. nisi sufficientem, ac rationabilem causam præstiterint, de omissione prædicti ordinis traditi in Euangelio. Hæc conclusio probatur expresśè, ex iam pluries allegato, cap cum dilectus de accusationibus, in illis verbis, præfatum Episcopum de iam dictis excessibus non fuisse præmonitum, vbi iubet Innocent. III. denunciatores, de quibus ibidem fit mentio, propterea à denunciatione repelli. Idem habetur in cap. 2. eodem tit. de accusationibus, argumento deducto à contrario sensu, estque communis opinio omnium Doctorũ in dictis iuribus. Cui conclusioni & resolutioni fauet etiã 42

aper-

45 apertissima ratio. Nam † cum Christus Dominus in prædicto loco Matthæi 18. præceperit fratres peccantes ante denunciationem prælato faciendam admonendos esse, id ipsum qui sine sufficienti ratione, & causa facere omittit: quo nam pacto non criminosus valde censendus erit, & in crimine perseuerans, & à denunciatione pro inde meritissimè repellendus? maximè cum simul etiam prætergrediatur strictissimum iuris naturæ præceptum, quo cunctis in vniuersum inditum est, vt proximi correptio fiat quo minimo damno fieri possit? qui igitur his omnibus sine sufficienti ratione, & causa prætermissis, ad prælatum sine iudicem, & denunciationem iudicialem prædictam confugit, meritò ab eadem videtur repellendus. Dixi in conclusione, sine sufficiente, & rationabili causa, nam (vt diximus supra) multæ sunt, ob quas admonitio etiam monitoris potest, & debet prætermitti: quod est memoriæ commendandum.

Sexta Conclusio.

44 ETiam arcentur, & repelluntur † à denunciatione iudiciali prędicta conspiratores, & hi, de quibus fuerit compertum, aduersus aliquem falsò inuicem in vnum conspirasse, & conuenisse. Hæc conclusio habetur expressa, in supradicto capit. cum dilectus de accusationibus, in illis verbis: si constiterit denunciatores in denunciatum conspirasse, à denunciatione prædicta eosdem repellatis, Facit & ad hoc capit. per tuas de simonia, el primero, vbi præcipitur cõspiratores prædictos remoueri, ac repelli à testimonio ferendo, etiam contra quendam simoniacum, de quo ibi fit sermo. Estque hæc generalis opinio Panormitani, & Felini, & omniũ Canonistarum communiter in dicto cap. cum dilectus de accusationibus, & cap. per tuas de simonia, & ratio ad hoc est apertissima, nam cum conspiratores prædicti esse censeantur inimici illius, quem iudicialiter denunciant: meritò ab eiusmodi denunciatione veniunt repellendi: nam denunciatio admitti non debet, nisi ab ijs, de quibus iure præsumitur quod fratres suos diligunt, & ipsorum saluti consulere student: aut saltim prouidere bono communi.

Sed quia multi à ferendo testimonio cõspiratorum palliato nomine solent repelli, aut saltim id ipsum procurari ab illis, quos denunciant, siue accusant: memoria retinere, & quã maximè obseruare oportet, quod huiusmodi † conspiratores sunt, aut saltim esse possunt in duplici differentia. Nã 45
cum conspiratoris nomen à conspirando dicatur, fiatque id ipsum quando multi ad aliquid faciendum conueniunt in vnum, cum iuramento, aut sine ipso, in malũ, siue in bonum: inde est quod conspiratio prędicta in duplici sit etiam differentia: alia iusta, sancta & licita, † alia verò iniusta iniqua & fraudulenta. Conspiratio iusta, sancta, & licita, & vt talis communiter à doctoirbus approbata, est quã 46
do multi zelo Dei ducti confęderantur, simulque conueniunt in vnũ, ad procurandum bonum publicum, vel priuatum personæ alicuius particularis: nempè eiusdem emendam, & correptionem à peccato, aut quando Canonici, siue personæ regulares inuicẽ conspirant de non obediendo prælato excommunicato, & similibus. Iniusta verò, iniqua, & fraudulenta est, quando (quod absit) falsò ijdem aduersus eundem se conspirant, de non illi parendo, & obediendo, in casu quo obedire tenentur, vel de denunciando, & visitando eũdem, vel alium apud suũ superiorem de aliqua re, non vera sed falsa: de peccato nempè quod nunquã commisit, aut forsan nec somniauit: facta conuentione inter ipsos, quod

mus illorum denunciet, reliqui verò afferantur in testes. Quae quidem conspiratio alio nomine dicitur coniuratio, de qua videnda est glossa, in capit. constitutionem de sentent. excomm. lib. 6. & Syluester, verbo: confraternitas, coniuratio, & conspiratio, num. 3. q. 3. vbi quęrit, vtrum omnis coniuratio, & conspiratio sit illicita? & praemissa distinctione praedicta, de conspiratione, quae quandoque fit (aut saltim fieri potest) sancta, iusta & licita, ordinata in aliquem bonum finem: & de illa, quae est iniusta, iniqua & fraudulenta: nonnullis adductis iuribus, & exemplis illam probat, ac dicit esse bonam: hanc verò damnat, atque condemnat, & esse dicit peccatum mortale. Quando igitur nos in conclusione dicimus, conspiratores praedictos à denunciatione esse repellendos, intelligendum id est de conspiratoribus conspiratione secundo modo dicta: nempe iniusta, iniqua & fraudulenta: non verò de illa, quae est iusta, sancta & licita: quod quam maximè est notādum, atque memoriae commendandum. Verum est tamen id, quod dicit supradictus Syluester loco vbi supra, quod
47 in dubio, † si dubitetur vtrum conspiratio sit licita, vel illicita, praesumendum est esse malam, & illicitam: pro quo adducit Innocentium, in cap. 1. de schismate, & Vincentium, in cap. fin. de testib. cogend. & Ioannem Andreā, in cap. 2. de verb. sign. Et tandem nu. 4. quaest. etiam 4. dicit quae sit coniurantium, & conspirantium poena, quae & poterit videri ibidem, nam & ab eiusdem tractatione in praesentiarum abstineo, vt alibi congruentiori loco dicatur: & quia non id est praesentis speculationis. Sed an Laicus admitti debeat ad denunciandum Clericum siue Ecclesiasticum de aliquo crimine? Respondeo, & sit septima conclusio.

Septima Conclusio.

Regulariter † loquendo laici nō admittūtur ad denunciandum Clericos, siue Ecclesiasticos de aliquo crimine, sicut nec ad accusandum: solummodo Parrochiano laico specialiter permittitur de suo Parrocho praelato denunciare. Haec conclusio est expressa Iulij Clari in sua practica criminali, quest. 14 verb. propter reuerentiam: sed specialiter tenet eam, quaest. 7. verbo, quaero etiam: vbi dicit hoc esse speciale in laico Parrochiano, quia plurimum interest (etiam laicorum) habere bonos praelatos: & dicit esse hanc opinionem communem, & quod illam tenet Aretinus, in cap. illa, nu. 7. de accusatio. Sed an Monachus possit aliquem denunciare? Respondeo, & sit octaua conclusio. 48

Octaua Conclusio.

Interdictum est † Monachis iudicialiter, & in forma iudicij denunciare, nisi proprium Abbatem: extraiudicialiter tamen & ad poenitentiam quemcūque possunt denunciare. Haec conclusio est etiam supradicti Iulij Clari vbi supra, quaestio. 7. verbo item quaero, quam esse dicit opinionem communem, & quod illam tenet Abbas, in c. ex parte de accusatio. nu. 8. quamuis hoc rarò, aut nunquam in practica reperiatur. 49

Nona Conclusio.

Ad denunciationem † iudicialem faciendam, regulariter loquendo, praeter supra nominatos oēs indistinctè admittuntur, possuntque, & debent admitti. Haec conclusio probatur argumento à contrario deducto, ex iam pluries dicto, & citato ca. cū dilectus de accusationibus: nā cū ibi expressè dicatur à denunciatione 50

tionē esse repellendos publicè concubinarios, excommunicatos, & conspiratores, & non fiat mentio de alijs: satis manifestè colligitur, per regulam, qua dicitur quod exceptio firmat regulam in contrarium: quod alij omnes ab istis debent admitti, id quod tenet expressè Speculator, titulo de denunciatione, & Panormit. in c. nouit de iudicijs.

51 Ratioque † in id est appositissima, nam cum denunciare fratris peccantis crimen, siue delictum, iudici, aut prælato quò ipsum corrigat, & puniat, actus sit charitatis, aut saltim iustitiæ, & quam maximè meritorius (si fiat cum omnibus debitis circunstantijs, iuris, & Euangelij seruato ordine) non videtur quod ab eo aliquis debeat arceri, aut repelli, qui iure aliàs non reperiatur prohibitus, maximè cum præceptum Christi Domini de denunciatione (etiam iudiciali) iudici siue prælato facienda (in casu quo fraterna non sit sufficiens) generale sit, & omnes generaliter comprehendat, quod multum est notandum.

ARTICVLVS V.

De modo & forma seruanda in iudiciali denunciatione, & qualiter iudex siue prælatus in eadem recipienda se debeat habere?

Prima Conclusio.

QVANDO aliquod peccatum publicū, seu aliud quodcumque crimen denunciandum venerit per fiscalem, ædilem, custodem, seu quemlibet alium de popu-

52 lo: denuncians † comparere debet coram iudice, siue prælato competente, & coram tabellione, siue notario per viam actus, in scriptis suam denunciationem redigit, & aliquando de ea libellum porrigit, qui quidem secūdum Speculatorem in titulo de inquisitione. §. viso igitur, num. 6. etiam in denunciatione necessarius est, quamuis plures alij Doctores relati à Socino, in c. qualiter & quando el secondo de accusationibus, n. 731. dicant in eadem libellum necessarium non esse. Sed quod hoc in re communiter obseruatur in praxi est, vt denunciatio quandoque per libellum deferatur, aliquando verò per modum actus fiat (nam quod hoc, aut illud fiat, parum, vel nihil refert) inter quos denunciandi modos hoc versatur discriminis, quod in primo casu denuncians per libellum, loquitur in propria sua persona dicens. Petrus, vel Paulus N. ante, N. comparens, ex officij mei munere, vel Dei, & communis boni zelo ductus; aut per meum interesse particulare, dico, quod Ioannes, vel Franciscus omni Dei timore postposito, & suæ obligationis oblitus, tale vel tale, N. delictum commisit: quapropter tibi illud denuncio tamquam iudici, aut tamquam patri, quò ipsum pœnis à iure constitutis, (vel aliter) debitè punias, &c. Quando verò denunciatio proponitur per viam actus, comparens idem denunciatur coram iudice competente, siue prælato, & tabellione simul assistente, siue astante & in sua propria persona loquente, denunciatore verò in tertia dicit, quod tali die, talis Mensis, & talis anni, N. tali loco N. coram tali indice, siue prælato, N. & se tabellione, comparuit Petrus vel Paulus, qui & denunciauit quod Ioannes vel Franciscus, omni Dei timore postposito, & suæ obligationis oblitus, tale vel tale, N. crimen commisit, quapropter postulauit eundem pęnis à iure constitutis debitè puniri, vt supra. Vtroque hoc modo consuetum est denunciationem prædictam fieri, siue proponi, & certum est, quod vtcumque id fiat, non est necessum vt in ipsa ad vnguem seruentur solemnitates de iure in accusatione requisitæ. De qua re videndus est Pazin sua practica criminali, tomo 1. part. 5. c. 2. §. de stilo fulminandi

minandi processum per viam denunciationis. Vbi & reperire licebit vtramque denunciationis prædicta formã, Hispano sermone conscriptam.

Circa quam aduertere oportet, qđ quamuis in denunciatione prædicta, non sit necessum ad vnguem, vt seruẽtur solemnitates de iure in accusatione requisitæ: denuncians tamen ex officij sui munere (vel aliter) præter de-
53 linquentem, nominare † tenetur testes conscios criminis, & in carta suæ denunciationis, siue cedula, aut libello illos scribere (si crimen fuit publicũ, & ad ipsius notitiam peruenerint) si autem crimen fuit occultum, sat erit quod dicat nomina eorum: à quibus illud audiuit, & intellexit: vt iudex ipse, siue prælatus faciat quod ex officio suo facere tenetur: nempe inquirere de delicto, contra in denunciatione nominatum pro delinquente (in casu quò id facere licet) examinando testes adductos, siue nominatos, & etiã alios à quibus veritas possit haberi. Et
54 licèt de iure communi † denunciator probare teneatur vera esse ea, quæ in denunciatione sua continentur, iuxta textum in l. diuus, & l. ab accusatione, §. nunciatores, ff ad Turpilian. tamen iam communis practica & vsus hoc non admittit, vt dicit Angel. de malef. in l. ea quidem, C. de accusationibus, num. 23. & Marianus in c. qualiter, & quando el secondo, de accusationibus, num. 179. & Cardinalis Alexander, in d. c. versic. quæro an iste: sed sufficit id, quod præmissum est, vt in denunciationis cedula, carta, siue libello, scribantur testes, qui dicuntur esse de contentis in denuncia informati. Quæ sententia paucis mutatis est expressa Iulij Clari in sua pract. crim. lib. 5. §. fin. quæst. 8. verbo, quæro nũc nu. 10 qui & paulo inferius, verbo, vlterius quæro, num. 11. inquirit, vtrum in denunciatione prædicta sint ad vnguem seruandæ solemnitates, quæ de iure in accusatione requiruntur? & adducta opinione & sententia Lucæ de penna, in rubr. de delatoribus, lib. 10. col. 2. vers. 10. Item dicunt aliqui, vbi dicit esse multorum Doctorum † opinionem, quod etiam denunciator iudicialis tenetur se ad pęnam tallionis inscribere, idque esse consuetudine positum, nihilominus tamen contrarium ipse omninò tenet; citans pro se Angelum in supradicta, l. ea quidẽ, 55
nu. 3. vbi dicit quod denuncians † nõ 56
tenetur se inscribere ad tallionis pęnam, quamuis in aliis solemnitatibus, quæ requiruntur in libello accusatorio, idem sit seruandum in denũciatione, atque in accusatione, nempe expressio criminis personarum, loci, & temporis, quod & dicit de consuetudine obseruari per totum mundum. Addit tamen prædictus Iulius Clarus, quod licet denunciator non teneatur se ad pęnam tallionis inscribere, tenetur tamen iudici, siue prælato dare suam denunciam in scriptis, pro vt tradit Bosius, tit. de denunciatio. numer. 14. id quod & obseruat communis praxis, quia denunciatores prædicti semper diferunt suas denunciationes scriptas per modum libelli (pro vt dictum est supra) aut certe eas scribi faciunt cõram se ab aliquo notario, qui illis dictantibus ipsas redigit in actis. Hæc supradictus Iulius Clarus. Sed circa id quid obseruandum sit specialiter in foro Ecclesiastico, dicò quod Bernard. Diaz de Lugo in sua pract. crimin. Canon. cap. 6. num. 4. non contentus supradicta scriptione, vult etiam denunciatorem, siue delatorem obligari ad probandum id, quod denunciat, & dicit, quod quamuis id communiter non obseruetur in praxi, vt ne deterreantur denunciatores à denunciando, & quia sic multa mala manerent impunita ex defectu denunciatorum: ex alia parte videtur quod deberet practicari, vt ne contra ius, & contra charitatem daretur fomes & ansa calumniatoribus impunè bonos in-

infamandi, contra textum, in c. 2. de calumniatoribus. Et quia prædicti au ctoris verba ad hoc propositum quã maxima sunt consideratione digna, libet in præsentiarum eadem ad literã referre, vt à prælatis, & iudicibus Ecclesiasticis uideantur, non tenentur; ac præmanibus habeantur.

57 In hac materia delatorum† iudicibus Ecclesiasticis consulo, vt cum eos acceperint denunciationem ab illis factam inscriptis redigãt, eosque astringant ad probandum omnia crimina ibi descripta, cum suis qualitatibus sub pęna in obligatione declaranda monendo eos, vt crimina quæ probare non possunt, in delatione non inserant, nulla in eis post monitionem & obligationem pęnitentia recepta: quia alias Clerici accusati de variis criminibus infamati manent apud populũ, qui cum accusationis notitiã habeat non semper defectum probationis aliquorum capitulorum intelligit. Nec decipiat quosdam iudices pietas quædam nociua, quæ eosdem retrahit à condemnatione expensarum, & pęnę, quia vident delatores aliqua ex his, quæ detulerunt probasse, magis in hoc amantes susurrones, & maleuolos fouere, quam Clericorum honori, & famæ consulere. Hæc supradictus auctor, cuius quidem verba notatu sunt dignissima. Qui & paulo ante prædixerat, quod quando iudex delatorem admiserit, ille seobligare debet ad probandum quod denunciat, ita quod fiscus obtineat, vt habetur, in authentico de exhibendis reis, §. 1. quod & tradit Lucas de penna, in rubric. de delatoribus, lib. 10 col. 2. verso ad deferendum: nam cum ex denũciatione prædicta, captio sequatur informationis contra denunciatũ: quis non uideat contra reum si fiat: ex huiusmodi informatione, quam maxime grauatam remanere opinionem denunciati, si sit Clericus, aut persona Ecclesiastica. Hæc in substantia prædictus Bernard. Diaz de Lugo. Deberet meo quidem iudicio in prædicto foro, supradicti auctoris opinio practicari: tũ quo fiscus obtineat, tum etiã, vt frenum ponatur calumniatoribus: contra ipsosque procedi possit, in casu detectæ, aut præsumptæ calumnię: sed de hoc infra dicemus latius.

Secunda Conclusio.

Effectus† denunciationis iudicialis prædictæ, est viam apperire prælato, siue iudici, vt faciat id quod facere tenetur, nempe procedere ad informationem, & inquisitionẽ contra personam pro delinquenti nominatam in denunciatione: nam succedit loco diffamationis. præbetque proinde ius ad inquirendum iudici siue prælato ex officio suo contra aliquem, in casu, quo aliàs de iure nõ posset, non præcedente accusatione, aut querela, infamia, aut denunciatione. Vnde ea facta iudex, siue prælatus formare debet suæ inquisitionis libellũ, sic dicendo: quod propter denunciationem factam à tali, N tali die, N. de tali delicto, N. procedit ad sumendam informationem? Quod communiter obseruatur in praxi, & fit fieriq. debet tam in denunciatione, quæ fit à fiscali ex officij sui munere, quam in quacumque alia, quæ facta fuerit à persona aliqua particulari, & nõ exercente fiscalis officium. Hæc conclusio sic explicata (paucis mutatis) est supradicti Iulij Clari loco supra citato, lib. 5. §. fin. quæst. 7. in principio, & infra ad particularia descendendo, verbo, habes igitur, dicit, quod quamuis secundum opinionem communẽ, quam tradit Bosius, tit. de denunciatione, num. 2. dictum † denunciantis maleficium sufficiat ad inquisitionem, id tamen intelligendum est cum sale, ita vt procedat quantum ad inquirendum, hoc est, recipiendum indicia, siue informationes, quæ exhibitæ fuerint

58 59

rint contra illum, qui in denunciatione pro reo est nominatus, etenim si intelligatur ad inquirendum, & ad transmittendam inquisitionem cõtra eum, cui aliquod delictum imputatur: distinctione opus est, & cum ea proce-
60 dendum: nam † aut talis denunciatio fit per partem ipsam offensam, & hoc non sufficit, etiamsi ipse denuncians ex vulnere moriatur, & in sua denunciatione vsque ad mortem perseueret, (licèt in hoc vltimo contrarium consuetudo obseruet, vt dicit idem ipse q. 21. verbo, *a Tertio vulnerati*) aut fit per tertiam personam priuatam, & pariter non sufficit: quia talis in eiusmodi denunciatione fungi videtur vice accusatoris, ac ideo super eius denunciatione (etiam iurata) nullum videtur fieri posse fundamentum, etiamsi deponat de visu (in quo nullus est qui dubitet) aut fit per sindicum, siue officialem authoritate publica ad denunciationes faciendas deputatum: & tunc aut ipse testificatur cum iuramento vera esse, quæ denunciat, & reddit causam scientiæ: & in eo casu fidem facit, sicut quilibet alius testis, qui super ipso delicto deponeret, & super ipsius dicto formari potest inquisitio: aut verò non deponit ipse de delicto, sed dicit alios esse informatos de ipso, in quo casu nihil aliud operatur eius dictum, quam vt aperiat viam iudici ad inquirendum, sed non potest super ipso procedi, nisi simul adsint aliqua legitima indicia. Hæc supradictus Iulius Clarus, quæ obseruari dicit in cõmuni praxi. Post quæ addit, verum est tamen quod si
61 eiusmodi † denunciator fuisset deputatus non solum ad denunciandum delicta, verum etiam ad custodiẽdum agros, vineas, siue passus, vel ad capiendum fraudantes gabellas, seu deferentes arma prohibita, & similia: in tali casu daretur ei plena fides, non modò ad formandam inquisitionem, verumetiam & ad condemnandum reum, nisi denunciatus suam innocentiam probauerit. Quod esse dicit, propter iuramentum quod eiusmodi officiales præstant in principio sui officij, & de consuetudine ita obseruari in communi praxi: pro quo citat Gandinum in titulo: quomodo in maleficijs procedit per denunciationem, num. 4. & alios Doctores, quos breuitatis causa omitto. Sed postea prædictus Iulius Clarus limitat suam resolutionem, † 62
dicendo intelligendam esse, vt procedat in causis, & delictis leuibus: etenim in grauibus, & quibus inferenda veniret corporalis pœna, eiusmodi denunciator haudquaquam erit habendus pro integro teste, & omni exceptione maiori, neque adhibendam esse ei plenam fidem, nisi simul concurrerent aliæ circumstantiæ, quæ mouere possint animum iudicis: cum vt plurimum tales personæ sint viles, & infames, personę parui momenti, quibus adhibenda non videtur plena fides. Supradicta omnia extracta sunt ex prædicto Iulio Claro ad literam loco vbi supra. Cuius authoritas quam maxima est, & in his rebus sufficere videtur, maximè cum tali, ac tantæ rationi innitatur, vt cuilibet vel mediocri ingenio pollenti id ipsum fiat perspicuum.

Sed quia mentionem fecit prædictus Iulius Clarus de denunciatione facta per ipsam † partem offensam: di 63
xitque illam non sufficere, etiamsi denuncians ipse ex vulnere moriatur, & in tali sua denunciatione vsq; ad mortem perseueret: pro quo citat seipsum, in quæst. 21. verbo, assertio vulnerati: vt hac de re planè habeatur notitia dico breuiter, quod denunciatio facta iudici à parte offensa vulnerata: & dicente se ab aliquo fuisse vulneratam, & vulnerantem ipsum nominatim accusante: quamuis si denunciator de infirmitate conualuerit, & in sua denunciatione, siue quærela perseueret, eius dictum operetur, vt contra vulnerantem ipsum super tali delicto ad inquisitio-

quisitionem iure possit procedi, hoc est, ad sumendam informationem contra eum, qui ab offenso nominatur: non tamen ad transmittendam aduersus ipsum inquisitionem, siue faciendam citationem: nisi aliqua simul concurrant indicia: licèt multi iudices de facto contrarium obseruent, quos Angelus de maleficijs, verbo, qui iudex ad probationem, nu. 6. imperitos ap-
64 pellat. At in casu † quo vulneratus ipse moriatur, & in tali suo dicto vsque ad mortem perseueret (inquit prædictus Iulius Clarus) quod eiusmodi perseuerantia, licèt de iure loquendo non faciat indicium, vt tenet glossa 1. in l. mater, C. de calumniatoribus, quam quidam dicunt esse communem: de consuetudine tamen sufficiens est indicium ad inquirendum contra nominatum, atque ita obseruatur in communi praxi, quin verò (& quod fortius est) eiusmodi dictum sufficere dicit ad capturam, esseque opinionem communem, necnon ad excusandum hæredem mortui à calumnia, & temeritate, pro eo quod motus est ad accusandum illum, qui à vulnerato moriente de eo fuerat diffamatus. Hæc supradictus Iulius Clarus, loco vbi supra, quæst. 21. num. 14. quod multum est notandum, ac memoriæ commendandum. Cuius resolutioni fauere videtur appositissima ratio, & ea est, quia cum de nullo sit præsumendum quod sit immemor suæ salutis, & maximè in mortis articulo constitutus, rationi esse videtur consonum, quod fides adhibeatur vulnerato iamiam morituro, deponenti contra vulnerantem, cuius iniuriam iam illi forsan condonauit, & loquenti quasi non esset persona offensa: haud enim (inquit) præsumendum est constitutum in mortis articulo, mortaliter velle peccare proferendo perniciosum mendacium, quod suæ damnationis esset argumentum certissimum. Quamuis tamen hoc ita sit, addit supradictus Clarus loco vbi supra, quod eiusmodi dictum
† constituti in mortis articulo, non 65
est sufficiens ad condemnationem rei, cum non per id plene probetur delictum, nec verò est sufficiens indicium ad torturam, quamuis aliqui Doctores contrarium dicant, quos latissimè refert ibidem, sed contrarium omninò ipse tenet, dicitque obseruari in communi stylo, & praxi, à qua non est recedendum, nam quæ bene (inquit) stant non sunt mutanda.

Tertia Conclusio.

QVænam delicta † de iure com- 66
muni loquendo, aut saltim stando in communi praxi, denunciare possint, & debeant fiscales: iam dictum est supra articulo 1. conclus. 5. Sed pro maiori huius rei elucidatione, dico; quod fiscales non solum possunt & debent denunciare delicta notoria, verum etiam aliqua non notoria, & occulta, propter rationem in eadem conclusione adductam, quin verò & id ipsum ex necessitate sui officij tenentur facere, sub pęna in statutis ciuitatum, & locorum expressa, & constituta, quod & obseruat communis stylus curiarum Ecclesiasticarum. Hæc conclusio est certa, & manifesta, de qua videatur Bernardus Diaz de Lugo in sua practic. crimin. Canonic. cap. 6. quem etiam refert supradictus Iulius Clarus, in sua practic. crimin. lib. 5. §. fin. quæst. 7. num. 5. verbo, scias autem. Quam quidem pęnam infligendam esse dicit eisdem, nisi fortè delictum ita esset occultum, vt sindicus siue fiscalis (vtroque enim appellatur nomine) iure videretur à non denunciatione facta excusati. Quod (inquit) de facili faciunt iudices, maximè quando in eis non argui potest dolus, vel lata

culpa

culpa: vt puta si percussus quispiam fuerit in agris longè remotis ab omnibus. quod ipse approbat & faciendum consulit loco superius citato, vbi n. 6. ad
67 dit, quod sindici † siue fiscales prędicti denunciare tenentur maleficia quæ de iure sunt impunita, vtputa si sit occisus bannitus, qui ex forma statuti impunè posset occidi: nam ad ipsos non spectat iudicare an delictum sit punibile necne, vt tradit Bart. in l. si quis in graui, §. si maritus, ff. ad Sillanianum, & est communis opinio, quæ tenetur, & obseruatur in praxi. Post quæ ad-
68 dit, & dicit, quod ex † consuetudine denunciare tenentur quæcunque delicta, & quascumq; offensiones, & mortes (etiam violentas) quæ ad ipsorum notitiam peruenerint, etiamsi casu contigisse dicantur, vt puta si reperiatur quis in flumine submersus, aut qui ex tecto decidit: nam (inquit) plerumque hæc, & similia delicta dolosè commissa, casui solent imputari: quapropter dignum est vt per fiscales, & sindicos prædictos ad iudicum notitiam perueniant, ad effectum vt rei veritas detegi possit, & detegatur de facto, quod multoties expertum est contigisse. Addit vlterius prædictus Iulius Clarus, quod ad omnia prædicta non solum admittuntur, debentque admitti eiusmodi sindici, & fiscales ad denunciandum ea, verum etiam & quicumque alij: nam licèt id de iure communi aliquam habeat difficultatem, de consuetudine tamen non illam habet, quin verò communiter ita obseruatur in praxi, & dicit esse bonam practicam, vt non ex denunciationis defectu, delicta aliqua in Republica remaneant impunita.

Quarta Conclusio.

Qvamuis (vt constat ex prædictis) omnibus denunciatoribus, tam ijs, quibus id ipsum facere ex officio competit, nempe fiscalibus, siue sindicis, quàm alijs ad id nō deputatis, licitum sit denunciare delicta, quæ nouerint correctione, & punitione digna, tam notoria, quàm non notoria, multum tamen oportet, quod iudices † (sed maximè Ecclesiastici) 69
eiusmodi denunciatores non admittant, nisi delatores prius ad illas probandum se obtulerint, & cognouerint ipsi iudices, quod eiusmodi causæ egrediuntur ex sufficienti informatione, aut saltim ex sufficientibus, & legitimis indicijs. Hæc etiam conclusio est expressa Bernardi Diaz de Lugo, in sua pract. crimin. cap. 6. num. 11. vbi proposita quæstione, vtrum promotores fiscales denunciare, siue accusare possint Clericos de quocumque crimine, nulla facta distinctione priuatumne sit, an publicum: postquam respondet, quod sic: quia de iure Canonico omne crimen est publicum, vt notat glossa, in c. infames 6. q. 1. & sequitur Baldus in rubrica, C. qui accusare non possunt: & talis est publici criminis natura, quod ius ipsum accusandi cuilibet ex populo conueniat: vt probatur, in principio inst. de publ. *iudicijs*, & multo melius, atque à fortiori fiscalibus prædictis in idipsum deputatis, ad accusandum, siue denunciandum crimina ex suo publico officio: nihilominus dicit, quam maximè sibi placere constitutionem Prouinciæ Cæsaraugustanæ positam in titulo de accusation. primam in ordine, quam consulit omnibus iudicibus, sed maximè Ecclesiasticis obnixè obseruare, & eam esse dicit tenoris sequentis.

Procurator † fisci noster, seu Suffra- 70
ganeorum nostrorum, nequaquam ad agendum seu denunciandum prætextu officij sui contra aliquem admittatur: donec proposita seu denunciata credere esse vera, & se posse probare firmauerit iuramento, quod si aliquo instigante per se, vel cum eo præcesserit ad prædicta: instigator ad expensas se obliget, vel det inde quam poterit

cau-

cautionem: reus autem, & citatus respondere minimè compellatur, donec iuratum, & cautum fuerit vt præfertur, & contrafactum sit irritum ipso iure. Hæc vbi supra. Postquam addit supradictus Bernard. Diaz de Lugo, quę sequuntur verba, Vnde omnibus consulo Episcopis, vt in omnibus suis curijs hoc idem seruare faciant, cum prædicta decisio iustissima sit, & quæ honori prospicit subditorum, & fiscales omnes vigilantiores reddet, atque ipsorum leuitatem in accusando, siue denunciando compescet. Quæ prædicta omnia, quam maximè sunt notanda, & memoriæ commendanda.

ARTICVLVS VI.

Vtrum denunciatores denunciata non probantes, aliqua pœna veniant puniendi?

71 VT difficultas † præsentis articuli magis in suo puncto constituatur ipsiusque decisio, & resolutio plenius elucescat: pro ratione dubitandi, & in fauorem partis negatiuæ, non nulla argumenta volo proponere.

72 Et primo videtur † quod eiusmodi denunciatores denunciata non probantes nulla sint pęna puniendi. Nam qui operatur illud, quod ex natura sua bonum est, nulli pęnæ esse videtur obnoxius, quin verò præmio, & laude dignus: sed denunciatores prædicti (etiam denunciata aliqua ex causa non probantes) operantur id, quod ex natura sua bonum est, cum fratrum suorum emenda, & correctionem procurent, & communis boni conseruationem, & vt delicta non maneant impunita (quod quam maximè interest Reipublicæ) ergo etiamsi quandoque in probatione deficiant nulla sunt pęna puniendi, quin verò propter bonum eorumdem zelum laudandi, ac præmio afficiendi.

Secundo ad idem sic argumentor, nam vt habetur expresse in c. super his de accusat. denunciatores prędicti non tenentur se inscribere ad talionis pœnam, ad quam accusatores per dictum capitulum se inscribere astringuntur; nihil ob aliud nisi quia accusatores tendant ad accusatorum pœnam, iuxta ius strictè eisdem infligendam: at denunciatores non tendunt ad id, sed dumtaxat ad fratrum suorum correctionem, & emendam: dicendum est igitur, quod quamuis ipsi quandoque aliqua ex causa in probatione deficiant, non aliqua sunt pœna plectendi, & puniendi: nam inscriptio non ad aliud ordinari videtur, quam ad hoc vt ad aliquam pęnam se inscribens, si in probatione defecerit, eadem imponatur ipsi. Hæc deseruiant pro ratione dubitandi. Quibus nihilominus non obstantibus, in contrarium est veritas, de qua sequens statuitur conclusio.

Conclusio.

DEnunciatores, † & delatores denunciata non probantes, aliqua sunt pęna puniendi, & plectendi: siue id ipsum faciant ij, quibus ex necessitate competit (nempe fiscales) siue quicunque alij, quamuis diuerso modo, & pro culpæ modulo, vt in articulo sequenti statim dicetur. Probatur conclusio 1. nam qui proximum suum aliqua sibi infamiæ labe opposita deturbare contendit: nulli dubium est, quod mortaliter, atq; grauissimè peccet: vt constat ex multis iuribus, sed maximè † ex c. homicidiorum de pęnit. dist. 1. quod est Clementis Papę I. ergo eiusmodi denunciator, siue delator aliqua necessariò pęna pro modulo suæ culpæ venit mulctandus, atque puniendus. Vtque perspicuum magis fiat id ipsum facientes quam grauiter peccent, verba prædicti c. homicidiorum, ac prædicti Clementis 73 74

Papæ

cipientia, vt eiusmodi crimina, & delicta haudquaquā iudicibus, siue prælatis denuncientur: quapropter eiusmodi denunciatores, qui id ipsum faciunt ex officio, & multo melius alij in probatione id efficientes, meritissimè veniunt puniendi, quamuis diuersimodè, & pro culpæ modulo, vt dictum est in conclusione, diceturque amplius in sequenti articulo.

Ad secundū respondeo, quod quāuis denunciatores non teneantur ad pęnam se inscribere (vt præmissū est) & constat ex cap. super his de accusationi: nihilominus si in probatione deficiant, meritissimè illam debent subire, cum sua denunciatione temere facta ac sine legitima probatione, suorum fratrum bonā famam denigrēt, illisque quam maximam iniuriam faciant, opponendo eisdem crimina, & delicta, quæ non fecerunt, aut forsan somniarunt, & stando in iure & vigore prædictorum capitulorum, Homicidiorum de pęnit. dist. 1. & cap. deteriores 6. quæst. 1. homicidis æquētur, aut saltim comparentur, & deteriores esse dicantur ijs, qui à nobis terrena bona nostra subripiunt. Quod & nos

77 † exemplo, & facto suo cumulatissimè docuit supradictus Innocent. III. in d. cap. 2. de calumniatoribus, præcipiendo prędictum scholarum magistrum suspendi ab officio, & beneficio, pro eo, quod in probatione defecit, eorum criminum, & delictorum, quæ obiecerat aduersus suum Episcopum, quamuis & ipse ad nullam pęnā se inscripsisset. Quę solutio est Panormitani, in d. c. 2. de calumniat. vbi & dicit non valere huiusmodi consequētiam: non se inscripsit ad pęnam, ergo nullam meretur pęnam subire: nam in contrarium (inquit) quamplurimæ in iure reperiuntur instantię, & sit prima prædicti capit. 2. de calumniatoribus, vbi nulla inscriptionis prorsus fit mentio, & refertur pęna inferri mandata prædicto scholarum magistro ab officio & beneficio: id quod & etiam habetur in capitulo primo, de electione, libro sexto; vbi obijciens contra electum non confirmatum, ad nullam se pęnam inscripsit, per textum in dicto capitulo super his de accusat. & tamen in probatione deficiens, punitus fuit per dictum, capitul. secundo, de election. lib. sexto, quod inductum est in calumniatorum odium, vt à calumnijs arceantur alij similitudine supplicij. Etenim si huiusmodi pęna à iure non esset imposita, facilè esset cuilibet in suorum fratrum calumnias prosilire, eosdemque passim infamare: remanerentque proinde eiusmodi delicta (quæ grauissima sunt) impunita, quod quidem alienum est, & à ratione, & à iure. Hæc omnia sunt in substantia supradicti Panormitani loco vbi supra, quæ pro isto articulo breuiter dicta sufficiant: nam si quæ supersunt, in sequenti plenius dicentur.

ARTICVLVS VII.

Qua pœna veniant puniendi denunciationes, denunciata non probantes.

Prima Conclusio.

Denunciatores † denunciantes ex necessitate sui officij, vt puta fiscales, & alij in id ipsum à iudicibus deputati, licet de iure communi puniendi essent, si in probatione deficiant, & denunciatus absoluendus veniat, hodie tamen de consuetudine oīum curiarum, nō puniuntur propter calumniam præsumptam, ex absolutione denunciati. Hæc conclus. est expressa Iulij Clari in sua pract. crim. lib. 5. §. fin. quæstio. 7. numer. 12. cuius & rationem appositā reddit, nam cum huiusmodi denun- 78

cient ex necessitate sui officij, cessat in eis omnis calumniæ præsumptio: quod probat ex authoritate aliquorum Doctorum, qui poterunt videri ibidem. Dicit tamen, quod quamuis prædicti excusentur à calumnia præsumpta, quæ exoriri poterat ex eo, quod delictum non plenè fuerit probatum: si tamen appareret de vera calumnia: tunc re vera veniunt puniendi, debentque in expensis condemnari, & fortè grauius iudicum arbitrio puniri, iuxta ea, quæ ipse dixit eodem in loco, q.62.& q.81. Quæ supradicta omnia (inquit) sunt vera etiamsi subscriptio, vel inscriptio ad talionis pęnam hodie iam recesserit ab aula, siue ab vsu.

Secunda Conclusio.

79 DEnunciatores † denunciantes, non ex necessitate sui officij, sed sponte & voluntariè: nihil omnino probantes de delictis denũciatis coram iudicibus, & prælatis, puniri debent pęna calumniosè denunciantibus debita, nempe pęna extraordinaria, quamuis non talionis pęna, pro eo quod iam etiam recesserit ab aula & ab vsu. Hęc conclusio est etiam supradicti Iulij Clari loco superius citato, quęst.7.num.12.in fine, & quæst.62.verbo, dixi supra, & q. 81. verbo, sed quæro, quæ & probatur primò, per textum in c. 2. de calumniatoribus, vbi Summus Pontifex Innocentius III. puniri iussit suspensionis pęna ab officio, & beneficio (quæ fuit arbitraria) quemdam scholarum magistrum (de quo iam pluries diximus supra) pro eo, quod defecerat in probatione quorumdam criminum, & delictorum, quæ non ex necessitate sui officij, sed voluntariè, & sponte obiecerat aduersus suum Episcopum. Probatur & secundò conclusio, ex c. calumniator: & c. qui non probauerit, 2.q.3 in quorum primo (quod est Beati Damasi Papæ) dicitur, quod calumniator si in accusatione defecerit, talionem recipiat. In secundo verò (quod est Beati Adriani etiam Papæ) dicitur, quod qui non probauerit quod obiecit, pęnam quam intulerit (hoc est inferre parauerat) patiator & ipse. Facit & c. si quis Episcopum, eadem causa & q., & c. quisquis 2.q.8. vbi dicitur in fine, quod nemo sibi intelligat impunitam fore licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicij. Tandem tertiò probatur eadem conclusio, authoritate omnium Doctorum Iurisperitorum, & in primis Speculatoris, titulo de accusatione, §.6. in fine, vbi dicit quod cum quis accusat aliquem de aliquo crimine, & nihil probat, calumniari videtur, & calumniatoris pęnam meretur subire. Et titulo de denunciatione, § quis denunciare possit etiam in fine dicit: vltimò nota quod grauius punitur calumniator, quam denunciatus. Quod probat per supradictum, c.2.& 1.de calumniatoribus. Eamdem sententiam tenet Hostiens. in summa, tit. de calumniatoribus, §. quali pęna calumniator puniatur, & Panormit. in supradicto, c.2.de calumniatoribus, verbo, item nota: vbi dicit quod licèt denunciatur non se inscribat ad aliquam pęnam, debet tamen puniri pęna extraordinaria si in probatione deficiat. Et subdit quod † accusator, siue denunciator eo ipso 80
quod non probat quod obiecit, calumniari præsumitur. Eamdem sententiam tenet Bart. in l 1.ff. ad Turpil. & in l. athletas, §. præuaricator, ff. de ijs, qui notantur infamia. & Fel. in supradicto, c.2. de calumniatoribus: vbi proposita quęstione an accusator, siue denunciator eo ipso, quod non probat, calumniari præsumatur: post quam dicit ea de re esse diuersas Doctorum opiniones, in l.1.C. de aduocatis, diuersorum iudicum, & l. 1. §. 1. ff. ad Turpil. & in l. athletas, §. calumniator,

tor, ff. de his qui not inf. tamdem concludit & dicit, quod de iure melior reputata est opinio glossæ, in d. l. athletas, & quod est opinio communis cũ dicta glossa, quod regulariter loquendo accusator siue denunciator, eo ipso quod non probat præsumitur calumniator, & reus innocens: quod probat per l. quoties, §. qui dolo, ff. de probationibus: dicit tamen quod fallit hæc regula in nonnullis casibus, de quibus sit tertia conclusio.

Tertia Conclusio.

81 NOnnulli † sunt casus in quibus denunciator obiecta crimina non probans, seu in probatione deficiens: non præsumitur calumniator. Hæc conclusio est Panormitani, in d. c. 2. de calumniatoribus, & Felini in eodem loco, vbi plures enumerant casus, in quibus accusator siue denunciator, etiamsi non probet, non præsumitur calumniator.

Primus casus est, quando quis accusat, siue denunciat ex necessitate sui officij, vt contingit in fiscali, siue tutore, per l. 2. C. qui accusare nõ possunt.

Secundus casus est, quando quispiam id ipsum facit ex necessitate, vt puta quia est hæres, qui vindicare tenetur necem defuncti, per l. cum fratrem, C. de his qui. vt indigni.

Tertius casus est, ratione immensi doloris, vt quando maritus accusat mulierem de adulterio, quod probare non potuit: per l. quamuis, C. de adulterijs.

Quartus casus est, quando quis accusasset siue denunciasset propter immanitatem, & grauitatem delicti: vt quando quis accusat de falsa moneta, seu alio aliquo simili delicto: nam vt reperiatur facilius accusator, siue denunciator: non vult ius vt in probatione deficiens, incontinenti præsumatur calumniator, per l. 1. C. de falsa moneta.

Quintus casus est ratione infamiæ. Vt si accusatus vel denunciatus erat infamatus de illis delictis, per l. miles, §. mulier, ff de adulter,

Sextus casus est, quando accusator, siue denunciator, audiuit accusatum, siue denunciatum esse sceleratum, & criminosum à fide dignis: secus tamen si à vilibus: pro quo facit textus in c. inquisitioni de sententiæ excomm.

Septimus casus est, quando testes deceperunt accusatorem, siue denunciatorem: vtpote quia promiserunt testificari post modum verò retrocesserunt à promissione, per glossam, in c. paulum 2. q. 3.

Octauus casus est quando accusator siue denunciator semiplenè probauit, quamuis de hoc casu sit lis, & controuersia inter Doctores Post quæ supradicta omnia dicit prædictus Panormitanus vbi supra, quod in his, & similibus casibus, accusator, siue denũciator (etiamsi in probatione deficiat) non præsumitur statim calumniator, sed iudex † ex officio suo debet inquirere, an fuerit calumniatus: 82
& si calumniam euidenter repererit, debet punire calumniatorem, etiam in istis casibus: quæ omnia valde sunt notanda, ac memoriæ commendanda.

Quarta Conclusio.

ACcusatores † siue denunciatores, nihil probantes de accusatis, siue denunciatis: non stat in debent puniri tamquam calumniatores, quando illis imponenda est aliqua pena momentanea: sed prius debet illis assignari aliquod dierum spacium ad suam innocentiam probandam, & quod non processerunt tamquam calumniatores. Hæc conclusio satis colligitur, ex c. 2. de calumniatoribus, vbi post alia sequentia habentur verba. Vobis mandantes, qua- 83

tenus memoratum scholarum magistrum, ab officio, & beneficio suspendatis; donec canonicè suam purgauerit innocentiam, quod nō calumniandi animo ad huiusmodi crimina proponenda processit. Idem habetur in c. 1. de electione, l. b. 6. § qui verò: vbi dicitur: Qui verò in probatione defecerit eius quod obiecerit in personam à beneficijs Ecclesiasticis triennio nouerit se suspensum: ad quæ si infra illud tempus propria temeritate se ingesserit, eis ipso iure perpetuò sit priuatus, nullam super hoc de misericordia spem, aut fiduciam habiturus nisi manifestissimis constiterit documentis, quod ipsum à calumniæ vitio causa probabilis, & sufficiens excusauerit. Probatur præterea prædicta conclusio authoritate Panormitani, qui (vt diximus in præcedenti conclusione) super cap. 2. de calumniatoribus, verbo, in his ergo, post alia inquit: quod in his, & similibus casibus, licèt quis in probatione deficiat non statim præsumitur calumniator, aut debet aliqua pœna momentanea puniri;
84 sed iudex ex † officio suo debet inquirere, vtrum fuerit calumniatus: et si euidenter calumniam repererit, punire debet calumniatorem, etiam in casibus ibidem exceptis, pro quo allegat, legem 1. §. primo. ff. ad Turpilian. & glossam, in l. Athletas, §. calumniator. ff. de ijsque not. infamia: glossam etiam in capit. primo de electio. libro sexto. §. qui verò vbi concludendo dicitur, quod accusatori, siue denunciatori in probatione ex toto deficienti, non statim debet imponi pœna momentanea, sed potius dēt admitti ad suam innocentiam probādam. Quod etiam tenet Iulius Clarus in sua pract. crimin. lib. 5. §. fin. q. 62. verbo, sed quæro: vbi hac præmissa quæstione numquid calumniator possit in eodem iudicio condemnari, an verò opus sit nouo processu, postquā dicitur quod potest in eodem iudicio, & in eadem sententia, vnicoque contextu condemnari: respondet, quod debet nihilominus iudex prius statuere accusatori, siue denunciatori terminum ad allegandum quare non debeant de calumnia condemnari, pro quo allegat Bart. in l. athletas, §. calumniator, num. 6. ff. de his, qui notantur infa. alias enim (inquit) opus esset alia instantia, & alio processu. Postque addit, nota ne erres, nam si condemnares aliquem de calumnia non ei statuto prædicto termino posses in sindicatu conueniri, & puniri, vt dicit Angel. de maleficijs, verbo, & ad quærelam, numero 70. Tandem huic nostræ conclusioni, & resolutioni fauere etiam videtur ratio aptissima, nam certè acerbum, crudele, ac prorsus inhumanum videretur, quempiam de calumnia punire antequam admittantur suæ probationes, ad ostendendum se calumniatorem minimè fuisse, neque calumniandi animo accusasse, siue denunciasse: cum fortè ex aliqua legitima causa posset à tali calumnia excusari.

Sed aduertendum est, consultò dictum fuisse à nobis in conclusione, accusatores, siue denunciatores omninò nihil de à se accusatis siue denunciatis probantes: non esse afficiendos aliqua pœna momentanea antequam præfigatur sibi aliquod temporis spacium ad suam innocentiam ostendendam, atque probandam: non verò mentionem fecimus de pœna successiua: nam hæc verè potest eiusdem infligi, quin verò statim † infligenda illis est, illamque omninò pati merentur, qui in probatione deficiunt: cum limitatione tamen, quòd illam patiantur, donec legitimè, atque canonicè se compurgent: & apertis documentis probauerint, quod non calumniosè processerint, quod patet expresè ex supradicto c. 2. de calumniatorib. vbi Innocen- 85

centius III. de supradicto scholarum Magistro ad literam dixit idipsum: & idem habetur, in cap. primo de elect. libro 6. §. qui verò in fine, in illis verbis. Nisi manifestissimis constiterit documentis, quod ipsum à calumniæ vitio causa probabilis, & sufficiēs ex-
86 cusaret. Ratio que† in id est aptissima; nam si accusatores, siue denunciatores in probatione deficiente (nam de ijs simile est iudicium) quantū ad hoc non aliqua possent pœna (saltim successiua) prædicta puniri priusquam se compurgent, duo mala sequerentur exinde, haud modicum quidem saluti Christianę Reipublicę, hominumque quieti aduersantia. Primū quod saltim pro aliquo tempore multi prædictorum accusatorum, siue denunciatorum accusata, siue denunciata non probantium, iustam possent pœnam euadere, quin verò forsan pro semper, fingendo se velle adducere suæ innocentiæ testes, in remotissimis regionibus existentes: vt interim iudices muneribus sibi beneuolos, atque placatos redderent: vel minis irrogatis sibi secretè: aut si forsan in fugam se dederint (quod quidem grauissimum malum esset, cum ipsorum calumnia pro tempore aliquo vel ad semper impunita maneret. Secundū verò malū quod sequeretur esset quia si quod prædictum est licitum nō fuisset, atque ita à iure statutum, faciliores & procliuiores fuissent homines ad accusanda, siue denuncianda calumniosè suorum fratrum delicta, qui modò timore prædictæ pęnæ incurrendæ, retrahuntur à tali perpetrando facinore: quod multum est notandum ac memoriæ commendandum.

Quinta Conclusio.

87 Accusatores,† siue denunciatores, contra aliquem aliqua crimina, seu delicta obijcientes, siue imponentes, & non nisi semplenè probantes, calumniatorum pena veniunt puniendi: nisi manifestissimis documentis probauerint, se non animo calumniandi id ipsum fecisse, & ad id motos fuisse ex rationabili causa illos excusante, vt puta quia ipsi nō sunt soliti calumniari, vel si reus pro se nihil probauit in iudicio. Hæc conclusio probatur per cap. primo, §. fin. de electione, libro 6. per illa verba posita in fine, nisi manifestissimis constiterit documentis, quod ipsum à calumnia vitio causa probabilis, & sufficiens excusaret. Et quod prædictus Canon editus ab Innocentio IIII. in Concilio Lugdunensi, loquatur de non probāte plenè, sed semiplenè: constat expressè, ex cap. vt circa eod. titu. de elect. libro 6. in fine: Vbi Greg. X. in alio Concilio Lugdunensi eūdem approbando, post alia in sequentia verba prorumpit. Illa sanè, quæ felicis recordationis Innocentius Papę IIII. contra non plenè probantes ea, quæ in formam, vel personam obiecerant statuit, in suo volumus robore permanere. Vbi notāda sunt verba illa: contra non plenè probātes. Et vt videatur clarè quod loquitur de supradicto Canone, glos. ibidē, verbo, statim ad eundem se refert, & citat cap. statuimus, quod est primum illius tituli. Probatur prę terea supra dicta conclusio, per iam pluries citatum c. 2. de calumniatoribus, vbi Innocēt. III. ab officio, & beneficio suspendi præcipit, iam pluries etiam præmemoratum scholarū magistrum, pro eo quod nō plenè probauerat quæ obiecerat contra suum Episcopum in illis verbis. Cum autem processum negotij examinauerimus diligenter: neque intelligere potuerimus probatum esse sufficienter: vbi valde venit notandum verbum sufficienter. Quod & confirmatur etiam per capit si fortè, de electione lib 6. in fine: vbi Gregor. IX. post alia in sequentia verba prorūpit. Cæterū

si præmissi examinis exitus, huiusmodi oppositiones docuerit veritate destitui: opponentes omninò a prosecutione causæ, in qua talia obiecerunt excludimus: & perinde puniri decernimus, ac si pęnitus in probatione omnium quæ obiecerant pefecissent. Vbi quam maximè etiam veniunt notanda illa vltima verba, ac si pœnitus in probatione omnium quæ obiecerant defecissent. Probatur insuper nostra conclusio, auctoritate Archidiaconi, in dict. cap. 1. de elect. §. qui verò: relati à Dominico de sancto Genviniano, qui huic nostræ sententiæ subscribentes, post alia multa dicunt, quod † semiplena probatio, non est probatio, quia nullum, & non sufficiens, æquipollent in iure, iuxta textum, in cap. ex tuæ de Cleric. non residentibus. Ex quo infertur, quod qui non plenè probat, in probatione deficit, iuxta textũ, in c. 1. 3. q. 1. & textum in c si fortè de electione, lib. 6. qua ratione (inquiũt) multum debent sibi cauere, qui aliqua crimina aliquibus obijciunt: nam si non plenè probant, in pęnam certè calumniatorum incidunt. Et addunt, quod semper in iure probationis appellatione in dubio intelligitur plena, nõ verò semiplena: pro quo etiam facit id quod notat glossa, in clementina constitutionem, de elect. verbo, plenæ fides: vbi dicit, probationem semiplenam non sufficere: quod dicunt prædicti auctores esse valde notandum † pro statutis, & depositionibus vbi fit mentio de probatione, nam ea debet esse plena, & non sufficit semiplena. Eandem sententiam & conclusionem tenet Bernard. Diaz de Lugo, in sua pract. crim. Canonica, cap. 9. nu. 5. verbo, postquam verò: vbi post alia agendo de accusatoribus, siue denunciatoribus prędictis, in sequentia verba prorumpit. Postquam verò quispiam obligat se probare quod detulit, si semiplenè probauit, non sufficit quominus condemnetur ad pęnam, ad quam si non probaret se astrinxit: pro quo citat Lucam de Penna, in l. 2. ff. de delatorib. verbo, sed pone. Id ipsum tenet etiam Iulius Clarus, in sua prac. crim. lib. 5. §. fin. q. 62. n. 8. verbo, sed pone. Quæ omnia multum sunt notanda, ac memoriæ commendanda.

88 (margin, at "quod † semiplena probatio"); 89 (margin, at "notandum †")

Sexta Conclusio.

Accusator † siue denunciator deferens aliqua delicta ab aliquo in se ipsum commissa, & illa non probans, nisi per famam, puniri etiam debet pęna calumniæ, siue calumniatoris. Probatur hæc conclusio, primò per textum, in l. penult. & fin. C. de accusationibus, & argumento deducto, x c. sciant 2. q. 8. quod est Calixti Papæ, vbi post alia sequentia habentur verba. Sciant cuncti accusatores, eam rẽ se debere inferre in publicam monitionem, quę munita sit idoneis testibus, vel instructa apertissimis documentis, vel indicijs ad probationem idoneis, & indubitatis, & luce clarioribus expeditæ. Secundò probatur conclusio auctoritate Doctorum, & primò Angeli, in l. mater, C de accusat quem refert, & sequitur Felin. in c. 2. de calumn. idem tenet Speculator, tit. de abolitione, & purgatione, §. nunc de purgatione dicamus, verbo, sed pone: quem sequitur Ioann. Andr. in d. c. 2. de calumn. citãs in id ipsum, c. qui non probauerit 2. q. 3. & c. sciant 2. q. 8. vbi habetur, probationes esse debere luce meridiana clariores. Ac tandem vltimò prędicta probatur cõclusio hac efficacissima ratione, nam cum de facto proprio † ignorantiam iure nemo pręsumere possit: accusans siue denuncians aliquem de aliquo in se commisso delicto: nec illud probãs, nisi per famam, seu alia ratione friuola, omnino calumniari præsumitur, & calumniatoris pęna meritò venit puniendus, nisi aliquid afferat in contrarium, quod à calumnia præsumpta

90 (margin, at "Accusator †"); 91 (margin, at "proprio †")

eumdem excuset. Hoc itaq; est certum, & omni dubio procul, & neque parua annotatione dignum.

Septima Conclusio.

92 ACcusans † siue denuncians aliquem in iudicio, de aliquo commisso delicto, non in se, sed in suos, aut suorum res: vt puta de aliquibus rebus furto sibi sublatis de domo sua, noctis tempore: vel de adulterio commisso cum vxore sua eo absente, seu aliquid huiusmodi: si probauerit de fama, quę ortum habuit à fide dignis, excusabitur à pęna calumniatoribus debita, non verò aliter. Hęc conclusio probatur primò argumento deducto, ex l. cum quidam, §. qui dicetur, ff. de acquir. hæred. & l. fin. ff. de hæredibus instit vbi habetur, quod qui mouetur fama, & assertionibus fide dignorum, non mouetur iniustè: ex quo proinde sequitur, quod excusari debeat à pęna calumniatoribus debita. Facit ad idē, l. 1. §. 1. ff. ad Turpil. & l. athletas, §. calumniator, de his qui nota infa. Secundò, probatur eadē conclusio auctoritate Doctorum, & primò supradicti Angeli, quē refert, & sequitur Felin. in supradicto, c. 2. de calumniat. vbi inquit, quod satis dicitur excusari, qui aliquid fecit motus propter famam ex ortam à fide dignis, & quod per ipsam probare potest suum fuisse iustum errorem, quod probat per textū, in l. miles, §. mulier, ff. de Aleator. idem tenet Anton. & Ioann. de Immol. in d. c. 2. de calumniat. & Bart. in supradicta, l. 1. §. 1. ff. ad Turpil. & l. athletas, §. calumniator, ff. de his qui notantur inf. vbi dicit, quod qualibet causa (etiam colorata excusare habet à dolo, & per consequens à calumnia: pro quo allegat legem igitur, §. fi. ff. de libera) causa, & glossam, in l. Plag. C ad l. fauiam de plagiarijs, quamuis nonnulli dicāt Bartoli opinionem interpretādam esse

93 de fama, † quę lōgo tempore durauit, quę solo excusat à dolo & à calumnia, adducentes in hoc Salicetum, in l. mulier, C. de accusat. & Bal. in l. athletas, §. calumniator. Idem etiam tenet Panormit. in c. cum contingat de rescripus, verbo, in glossa 1. vbi dicit. Nota primò ex hac glossa, quod fama inducit credulitatem: vnde habēs aliquam conscientiam ex fama, dicitur habere illam ex causa probabili. Quod sentit etiam glossa, in c. inquisitioni de sentētia excom. & Bar. in l. 2. C. si seruus vel libertus: vbi ponit pro notabili, quod si aliquis accusauit publicè infamatum, & defecit in probando, non debet puniri pęna talionis vel calumniæ: nam excusabitur propter præcedentem infamiam: quod dicit esse valde notandum ac memoriæ commendandum, & facere ad intellectum, cap. 1 in fin. de elect. lib. 6. Hæc omnia sunt supradicti Panormita i loco supra citato.

Octaua Conclusio.

ACcusans siue denuncians † aliquē, de iniuria, aut maleficio ipsum vel suos non concernente, & probans illud per solā famam, non excusabitur à calumniæ pęna, nisi vltra famā adducat pro se vnum testē. Hæc conclusio probatur primò argumento deducto, ex c. 2. de calumniat. vbi scholarum Magister pro eo quod accusauit, seu denunciauit iudicialiter suum Episcopum de quibusdā criminibus, & quod obiecit non probauit plenè, punitus fuit pęna suspensionis ab officio, & beneficio, quousque se purgasset quod non denunciauit animo calumniandi. Secundò probatur etiam conclusio, argumento etiam deducto, ex l. fin. C. de accusat. & l. 1. C. de famosis libell. & c. sciant 2. q 8 vbi accusatores & denunciatores monentur, vt non accusent, siue denuncient, nisi habeant sufficientes probationes. Probatur præterea conclusio auctoritate Angeli, in l. mater, C. de accusat. & in l. athletas, §. calumniator, ff. de his qui notantur inf. quem refert & sequitur Felin. in c. 2. de calumniat. vbi notanter 94

ter dicit, quod sola fama non reuelat accusatorem à præsumpta calumnia, nisi vltra illam habeat pro se vnum testem. Cui nostræ resolutioni fauet, & sequens apptissima ratio. Nam cum quis accusat, siue denunciat aliquem de iniuria, siue de delicto non se, neque suos concernente, neque sit aliquid, per quod de ipso præsumi possit quod proprio dolore permotus ad accusandum, siue denunciandum prosilierit: neque vti debebat maturè prius negotium ipsum considerauerit, & indagauerit, an plenè probare illud posset, & sic imprudenter proximi sui
95 famam læsit, cum nemo † alium accusare siue denunciare iudicialiter debeat, nisi in casu, quo probationes sint luce meridiana clariores: meretissimè qui id per solam famam probat, calumniatoris punitur pœna, neque ab ea excusabitur, nisi simul cum fama adduxerit pro se ad minus vnũ testem, vt prædictum est in conclusione.

Nona Conclusio.

96 DEnuncians † siue accusans aliquem, & probans delictum per testes, qui postmodum fuere per aduersam partẽ legitimè repulsi, quapropter denunciatus fuit absolutus à iudice, si prędicti testes reprobati fuerint propter ipsorum culpam tempore pro eo, quod falsum testimonium protulerunt, vel quia fuerunt corrupti, idque accusator siue denunciator prædictus resciuit, puniri debet calumniæ pœna: secus est autem si fuerunt reprobati eo, quod essent infames reperti, vel ipsos esse corruptos, aut falsum protulisset accusatorem, siue denũciatorem lateret, quod in dubio præsumi debet attenta, & considerata accusatoris, siue denunciatoris qualitate. Hæc conclusio probatur argumento deducto: Ex lege verius ff. probationibus, & lege qui enim maior, §. fin ff. de bonis libertorum, & eam tenet Felinus, cap. 1. de calumnia. vbi dicit esse etiã sententiam Speculatoris de calumnia, & ponit casum supradictæ conclusionis in proprijs terminis; & ait quod in dubio præsumitur accusatorem, siue denunciatorem testium defectum ignorasse: quod probat per supradictam, legẽ verius. ff. de probationibus. Quæ etiam conclusio in substantia est Bernardi Diaz de Lugo in sua practi. Criminali, cap. 6. num. 6. verbo, quandò verò, vbi dicit accusatorem, siue denunciatorem esse puniendum, quandò testes fuerint reprobati per culpã siue delictũ alicuius ipsorum, & quandò ipsos esse inhabiles, & criminosos, prædictis, accusatori, siue denunciatori esset publicè notum. Secus † est 97
autem si fuerunt reprobati, aut repulsi ex alia causa, sine culpa accusatoris siue denũciatoris, & propter causam, quam ipsi ignorare potuerũt: quia tũc nõ præsumuntur calumniatores, quod probat per Lucam de Pęna in Rubrica de delatoribus, lib. 10. columna 2. verbo ad deferendum: quamuis ipse Lucas de Penna credat id esse tantum verum, quandò accusator, siue denunciator suam, vel suorum prosequitur iniuriam, aliàs sibi videtur dicendũ, quod teneatur ad calumniatoris pœnam, pro eo quod non satisfecit ei, ad quod sponte se obligauit. Sed prædictus Bernard Diaz de Lugo, in hoc vltimo ab ipsius sententia recedit, & dicit quod etiam in hoc casu relinquendum est hoc boni, & prudentis iudicis arbitrio, qui considerare debet, an accusator, siue denunciator, iustam habuerit causam ignorandi defectus testium prædictorum, & an publicum fuerit delictum, & numerus testium sufficiens: aliàs enim (inquit) nullus omninò audebit iudicibus aliqua crimina referre, quantumcumque alia probare possit: timore alicuius occultæ defensionis competentis reo accusando,

do,

do, siue denunciando: sicque delicta in Republica impunita manerent, quod nō est dicendum, neque admittendum.

Decima Conclusio.

98 SI accusans † siue denuncians plenè probauerit crimen: & accusatus siue denunciatus suas etiam defensiones iustas: & eiusmodi defensiones adeo erant notæ, quod accusator, siue denunciator habuerit iustā causam credendi, quod iniquè, atque iniustè ad delationem procedebat: non excusabitur à calumniæ pœna: secus est autem, quando detulit crimen, quod erat publicè notum, & defensiones totaliter occultæ, & fama in contrarium habebatur: nam tunc excusabitur à pœna calumniæ, si suam vel suorum prosequebatur iniuriam, non verò si denunciauit crimen, cuius vindicta sua non intererat. Hæc conclusio est expressa Bernardi Diaz de Lugo, in sua pract. crim. c. 6. nu. 5. quam probat auctoritate supradicti Lucæ de Penna, in rubr. de delatorib. lib. 10. Sed postea ipse mitigat eam, & dicit delatorem in hoc secundo casu initius esse puniendum, quam in casu præcedenti, etiamsi delicti vindicta sua non intererat: cum delictum ipsum fuerit notum, & defensiones occultæ (vt supponitur) nam potuit moueri ex zelo iustitiæ, & publicæ vtilitatis, quæ versatur in expurgandis prouincijs, malis, & sceleratis hominibus. Quod est intelligēdum, nisi aliàs probetur ipsum animo calumniandi accusasse, siue denunciasse.

Vndecima Conclusio.

99 DEnuncians † siue accusans plurima delicta contra aliquem; non ex necessitate sui officij, sed spontè & voluntariè, & non probans nisi ipsorum vnū: non excusatur à calumniatori pœna. Et idem dico de accusante, siue denunciante crimen aliquod cum aliquibus circunstantijs, si tantum probasset crimen, & non ipsius circunstantia, siue qualitates. Hæc conclusio est etiam supradicti Bernardi Diaz de Lugo, loco supra citato. Idque obseruandum dicit quam maximè, in accusatione, siue denunciatione clericorum, de aliquibus commissis delictis, & probat, hanc sentētiam authoritate supradicti Lucæ de Penna, in l. 2. ff. de delatoribus: vbi & ad idem rationem reddit aptissimam, quia inquit, qui se obligauit ad aliquid, quod non impleuit, & se onerauit ad comprobanda superflua, sibi imputet: nam non propterea euitabit pœnam. Quam ob causam (vt iam supra diximus) prædictus Bernard. Diaz de Lugo, consulit omnibus in vniuersum Ecclesiasticis iudicibus, vt nullam accusatiónē, siue denunciationem contra clericū aliquem admittant, nisi in scriptis, & delatorem astringant ad probanda omnia crimina in accusationis libello siue denunciatione scripta, cum omnibus suis qualitatibus & circunstantijs, eundem monendo, vt non inserat quæ probare non possit nulla ei post monitionem, & obligationem pœnitentia profutura, alias enim (inquit) clerici de varijs criminibus accusati siue denunciati, apud populum remanebunt infamati, cū accusationis habeat memoriam, nec semper defectus probationis ad sui notitiā perueniant, quæ omnia quam maxima sunt consideratione digna.

Duodecima Conclusio.

ACcusator † siue denunciator nō plenè probans quæ accusauit, siue denunciauit: arbitrio iudicis tenetur se compurgare, quod non accusauit, siue denunciauit animo calumniandi: Hæc conclusio probatur, primò argumento deducto 100

ex

ex c.2.de calumniator. vbi præceptum fuit purgationem præstari ab eo, qui in probãdo denunciata deffecerat, nẽpe à iam pluries dicto scholarum magistro, & cum non declaretur ibi purgationis qualitas, aut modus seruandus in eadem præstanda: recurrendũ necessariò est ad aliud capitulum, & dicendum quod purgationis qualitas iudicis arbitrio relinquatur, vt habetur in c. inquisitionis, §. quæsiuisti. in illis verbis. Infamato canonica poterit indici purgatio, secundum iudicantis arbitrium. Id quod & expresè tenet glossa, in supradicta, cap. 2. de calumniatorib. verbo, calumniandi in fine, vbi sequentia habentur verba. Pœna ergo illius, qui denunciat, si non probat, erit suspensio ab officio, & beneficio vt hic, donec se purgauerit, & eiusmodi purgatio præstabitur ad arbitrium iudicis, ex quo hic non determinatur, pro quo allegat, c. de causa, §. illis etiam de officio delegati. Probatur id ipsum præterea, quia purgationes hodie sunt arbitrariæ: vt cõstat ex prædicto cap. inquisitionis de accusationib. in fin. & idipsũ tenet Panorm. in d. c. 2 de calumniatorib. verbo, & in ea glossa: vbi etiã dicit, quod purgationes hodie sunt arbitrariæ, & iudices possunt purgationem indicere per sacramentum, seu potius iuramentum, vel per duos, aut tres testes compurgatores, secundum quod eis videbitur expedire. Hostiens. in prædicto, c. 2. de calumniatoribus, loquendo ad hoc propositum dicit, quod sufficit inducere iuramentum purgando, cum textus nihil habeat expressum de purgatione præstãda. Sed Panormitanus magis sibi placere dicit opinionẽ glossæ, asserẽtis purgationem fieri debere per tres testes compurgatores, qui deponant de credulitate: quia cum textus dicat purgationẽ canonicè debere præstari: purgatio canonica quamuis sit arbitraria & possit diuersis modis fieri ad probãdam accusatoris siue denunciatoris innocentiam, non (inquit) debet committi solo eorumdem iuramento, nam aliàs quilibet posset se excusare, à calumnia, iurando quod nõ calumniosè egisset, quod non sufficit. Hoc idem tenet etiam Felin. in dict. c. 2. de calumniatorib. verbo, in eadem glossa, ibi per iuramentum, vbi dicit id ipsum tenere omnes Doctores communiter, & in hoc est standum. Quæ pro ista articulo, ac tota quæstione breuiter dicta sufficiant.

QVÆSTIO XIII.

De accusatione & accusatore in communi, in nouem articulos diuisa.

SVMMARIVM.

1 *Index sine accusatore, an possit quemquam iudicare. opinio negatiua probatur argumentis nu. 2. quibus respondetur nu. 12.*

3 *Iudices in grauibus criminibus puniendis sine accusatore non possunt procedere, seu aliquo alio, quod accusatoris vicem gerat, de iure Canonico. & nu. 11.*

4 *Quod etiam est de iure ciuili.*

5 *Christus non condemnauit adulteram cum non haberet accusatores, vt in Euangelio.*

6 *Index est medius inter accusatorem, & reum.*

7 *Nemo debet fungi Iudicis, & accusatoris munere.*

8 *Absurda sunt euitanda.*

9 *Iudices in causis leuibus possunt sine accusatore procedere, sola facti veritate inspecta.*

10 *Constitutiones Regulares sunt firmatæ Summorum Pontificum authoritate.*

13 *Deus secreta cordis cognoscit, & nullo opus habet accusatore.*

14 *Accusatoris vicem multa gerunt in iure quatuor capitibus distincta.*

15 Cri-

iure communi ab accusando repelluntur, de domo inimici prodeuntes, & qui cum inimicis familiariter conuersantur, & eorum consanguinei. Idem de inimicis de recenti reconciliatis nu.61 quod intelligendum de inimicitia capitali num.62.

63 Calumniatores, conspiratores, & alij, qui falsum testimonium dixerunt, vel quemlibet odio prosequuntur de iure communi ab accusatione repelluntur.

64 Clerici laicos, laici Clericos, subditi Prælatos, serui dignos accusa e prohibentur, nisi in certis casibus. declara num.68.

65 Prohibiti accusare non censentur prohibiti denunciare.

66 Accusatus, & accusator eiusdem debent esse fori. limita quando Clericus suam, vel suorum prosequeretur iniuriam nu.67. & è conuerso quando laicus suam prosequeretur, & suorum iniuriam num.69.

70 Clerici non naturali, & diuino iure, sed humano, & positiuo tantum prohibentur, etiam in causa sanguinis accusare laicos. licet illis adhibere protestationem. se non id facere, quo aliqui occidantur num.71.

72 Excommunicati, & milites de iure communi accusare prohibentur, isti propter qualitatem, illi propter indignitatem. declara num.74.

73 Excommunicatus non potest comparere in iudicio.

75 Pauperes, alienigenæ, & mulieres de iure communi accusare prohibentur, nisi in quibusdam casibus; De paupere declara nu.76. de alienigena nu.77. & de muliere nu.78.

79 Clerici inferiorum ordinum de iure antiquo accusare non poterant clericos altiorum ordinum, quod est abrogatur, & declaratur num 80.

81 Impuberes, & pupilli, & minores viginti annorum, & filij familias de iure communi accusare non possunt. declara num.82.

83 Serui, & liberti, & vasalli prohibentur accusare de iure communi.

84 De consuetudine in omnibus prædictis contrarium obseruatur in praxi.

85 Accusationem an debeat præcedere fraterna correptio. affirmatiua opinio probatur. argumento affirmatiuæ respondetur nu.92.

86 Accusans de re sua propria secreta non debet necessariò præmittere admonitionem, neque in foro exteriori neque interiori.

87 Accusationem de re communi præcedere debet secreta admonitio, si certò credatur profutura.

88 Differentia, quæ versatur inter pœnas inferni, & pœnas huius sæculi, in illis conferendis.

89 Crimen quando vergit in perniciem publicam, & non est quis certus, quod sua sit admonitio profutura, semper denunciatio iuridica, vel accusatio est facienda: dummodo non sit cognitum in confessione.

90 In crimine proditionis Regis, & exitij ciuitatis vel hæresis in dogmatizantibus præcipuè, nulla est præmittenda correptio. sed denunciatio, & accusatio est statim facienda.

91 Verba secreta seductionis dicta secretè in crimine hæresis non sunt seruanda.

93 Accusatio in rebus grauibus debet fieri in scriptis. secus in leuibus, num.94.

95 Accusatio ea forma est describenda, vt actoris. & rei cõtineat nomen, & explicet delictum, de quo agitur, & circunstantias, &c & quid aliud continere debeat, vide num. 96. & si locus & tempus commissi delicti non apponeretur in certa redderetur. nu.97.

98 Accusatio non debet recipi, nisi in scriptis, & præsente eo, qui accusat, & accusatio per procuratorem proponi

proponi non debet. nu. 99.

100 Reus, quod debeat esse præsens, & nullus absens accusetur, non obseruatur in praxi, quamuis esset de iure.

101 Reus absens non est damnandus, maximè in causa capitali, nec quacunque alia criminali, antequam vocetur, & audiatur. Vocatus tamen per edictum, & non comparentes habentur pro contumacibus. nu. 102.

98

103 Accusatio an reddatur iniusta per calumniam, præuaricationem, & tergiuersationem? & quid hæc tria nomina significent.

104 Accusatio, debitis circumstantijs ornata, redditur iniqua per calumniam, præuaricationem, & tergiuersationem. Et omnia accusationis vitia ad ista tria reducuntur. 105.

106 Calumniari aliquem in Iudicio licet ex suo genere sit peccatum mortale, ex ignorantia, vel etiam leuitate esse potest veniale.

107 Præuaricari in causa publica, & ad commune bonum pertinente ex suo genere semper est mortale, secus in causa particulari.

108 Tergiuersari in causa ad commune bonum spectante semper ex suo genere est peccatum mortale, secus in causa particulari.

109 Iudex etiam inferior potest rescindere eas accusationes, quas vitiosas, & defectuosas esse viderit, non tamen iustas, & quæ ordinantur, ad satisfaciendum parti læsæ. Et potest rescindere quando viderit esse perniciosas bono communi. nu. 110.

111 Princeps potest absolutè, & de iure modi accusationes refellere.

99 112 Supremus Iudex potest ex causa rescindere accusationes non solum spectantes ad bonum commune, sed etiam ad bonum cuiusuis particularis.

113 Ab accusatione ciuili, & pecuniaria licitum est desistere quoquo pacto id fiat, siue ex proprio motu, siue ad preces accusati, siue per transactionem. Limita in actione furti. nu. 114.

115 Ab accusatione criminali in causa spirituali ad preces accusati ex rationabili causa recedere licet.

116 Recedere non licet ab accusatione in causa populari, & ad commune bonum spectante nec ex beneplacito proprio neque ad preces accusati, nec per transactionem, limita nisi tale sit crimen, quod induceret pœnam sanguinis, aut pœnam perpetuæ detrusionis, aut pęnam facti. nu. 117.

118 Accusatur in causa criminali priuata, quæ solum vergit in iniuriã particularis personæ potest ab accusatione recidere.

119 Accusator deficiens in probatione an teneantur subire pęnam talionis? quæ iustissima est nu. 120.

121 Talionis pœna, quamuis non sit de iure naturali, est tamen eidem multum conformis. & quamuis fuerit olim de iure diuino in veteri lege, modò tamen non est de iure diuino, sed humano iure stabilita. nu. 122. hanc primus Beatus Damasus Papa instituit, nu. 123. limitatur non rectè semper fieri secundum æqualitatem. nu. 124. Quæ non est modò, in vsu nisi in aliquo speciali. num. 125. 126.

127 Talionis pœna, & si non sit in vsu, acriter tamen puniuntur, ac puniri debent ij, qui alium falsi alicuius criminis accusant.

128 Datur cautela, ne quis pœna talionis, aut alia simili puniatur deficiendo in criminis probatione. 100

ARTI-

ARTICVLVS I.

Vtrum Iudex siue prelatus sine accusatore quempiam possit iudicare?

1 Anc † difficultatem mouet D.Thom.2.2. quæst. 67. articulo 3. & Doctores scholastici Theologi ibidem: & Iurisperiti in capit. si quis 22.quæst.4. cap. nullus el primo,4.q. 4.c.si legitimus de accusat.& leg. illicitas,ff.de offic.præs.& leg. rescripto. ff.de mune.& hono. Et maioris claritatis gratia, vt ex oppositione contrariorum veritas plenius elucescat,libet eam hinc inde discutere, & pro parte affirmatiua aliqua proponere argumenta, ad probandum quod interdum iudices siue prælati, sine accusatore aliquem possint iudicare atque punire.

Primò sic argumentor. Nam iu-
2 stitia † humana deriuatur à Iustitia Diuina: sed in sacra Scriptura legitur, quòd interdum Deus peccatores iudicat, quin verò & punit nullo præcedente actore siue accusatore: ergo & id ipsum in casu iustitia humana, siue humanus iudex, aut prælatus facere poterit.

Secundò probatur id ipsum. Nam Sanctorum facta, quæ in Sacris Scripturis referuntur sunt quasi quędam humanæ vitæ exemplaria, iuxta id quod dicit Diuus Paulus ad Roman. 15. quæcumque scripta sunt, ad nostram Doctrinam scripta sunt sed de Daniele legitur in sua historia cap. 13. quod contra iniquos senes qui falsò Susannam accusarunt, fuit simul & accusator, & Iudex: ergo in aliquo casu iudicem aliquem, siue prælatum id ipsum facere, non omnino erit contra rationem, nec contra iustitiam. Quid enim obstat, quod quis tamquam actor reum accuset, & simul tamquam iudex ipsum condemnet? Eo vel maximè cum ex officij sui munere sibi competat hominum crimina, & delicta vindicare, & iudicare. In casu igitur, quo iudex, siue prælatus certò sciat crimē, ita vt de eo iustè possit vindictam sumere, cum id sit sui muneris, & officij, non esse videtur contra rationem, neque contra iustitiam, quempiam absque vllo prorsus accusatore iudicare & condemnare.

Tertiò ad idem sic argumentor, ex eo, quod passim experimus, ac fieri videmus in religionibus, in quibus prælati interdum sibi subditos nulla expectata accusatione corrigunt, atque castigant, id quod & in suis particularibus domibus facere videmus patres familias: non igitur erit omninò contra rationem, neque contra iustitiam Ecclesiasticos, siue sęculares iudices, interdum etiam id ipsum facere.

Quartò, & vltimò ad idem sic argumentor, nam accusator in iudicio ad hoc dumtaxat necessarius esse videtur, vt crimina, & delicta ad aures iudicis, siue prælati deferat: sed hoc alia multiplici via fieri potest nēpe per denunciationem, aut per infamiam, aut si fortè iudex crimen aliquod viderit: ergo in tali casu iudex siue prælatus iustè poterit quempiam absque præuio accusatore iudicare, quin verò, & condemnare. Eæ sunt rationes & argumenta, quæ pro hac parte possunt adduci: & adducuntur à D.Thoma loco supra citato disputationis gratia. His tamen non obstantibus in contrarium est veritas, quæ & explicabitur per sequentes conclusiones.

Pri-

Prima Conclusio.

3 IVdices † siue prælati in grauibus puniendis criminibus, siue delictis, non possunt sine accusatore procedere, aut sine aliquo alio, quod accusatoris vicem gerat, id quod cautum est iure Canonico atque ciuili, & rationi, ac iuri naturali est nimis conforme. Hæc conclusio est communis omnium DD. & Sanctorum Patrum. Sed in primis Eleuterij Papæ in Epistol. ad omnes Episcopos Galliæ, & Adriani 1. in Epist. ad omnes Orientales Episcopos, quæ ambæ habentur in 1. tomo, conciliorum. Idem etiam dixit Diuus Fabianus Papa, in epist. 2. ad prædictos Orientales Episcopos, cuius sententia refertur in cap. nullus el primero, 4. q. 4. vbi dicit, in omni indicio necessariò quatuor debere personas interuenire, nempe accusatorem, siue actorem, qui causam inferat: reum, qui substineat, & se defendat: iudicem, qui medius inter vtrumque constitutus iustitiam administret, æqualitatem inter ipsos constituat: & tandem testes, quibus id quod ab actore, siue accusatore contra reum obijcitur comprobetur: & expresse dicitur ibidem, quod accusatores & iudices non sint idem, & quod nullus in vlla causa duas simul personas gerere possit. Quod etiam dixit expresse Damasus Papa, in epist. 3. c. 7. cuius sententia refertur, in sequenti c. nullus eadem causa & quæst. Probatur præterea prædicta conclusio, ex sententia D. Ambrosij super epist. 1. ad Corint. cap. 5. quæ & refertur, in c. si quis potestatem 23. q. 4. vbi dicitur, non esse iudicis quempiam sine accusatore damnare, quia Christus Dominus Iudam, cum esset fur, quia tamē non est accusatus, minimè à se abiecit. Pro hac etiam conclusione facit, c. si legitimus, de accusation. quod est Felicis Papæ: in cuius summario habetur, de persona accusatoris quærendum esse prius in omni iudicio. Et infra idem ipse Pontifex dicit, quod si legitimus non fuerit accusator, non fatigetur accusatus: per quæ omnia de iure Canonico, superque satis probata manet conclusio.

Sed quod idipsum sit † etiam de 4
iure Ciuili, constat ex innumeris iuribus, & legibus, sed maximè, ex l. illicitas, ff. de officio præsidis, & l. rescripto, ff. de munerib. & honoribus, vbi habetur, quod qui aduersus se accusatorem nō hēt, ab oneribus prohiberi non debet. Constare potest etiam idipsum ex alijs quam pluribus Romanorum legibus, quas insinuauit olim Festus, vt refertur in actibus Apostolorum, cap. 25. vbi dicit quod contendentibus Iudæis, obnixèque expostulantibus ab eo, vt Diuum Paulum damnaret, respondit, non esse Romanis consuetudinem quemquam damnare, nisi prius is, qui accusatur præsentes habeat accusatores, locumque se defendendi accipiat, ad abluenda crimina, quæ sibi obijciuntur. Ad quas etiam iustissimas leges, alludere visus est olim Christus Dominus Ioann. 8. quando † præsentata sibi à 5
prædictis Iudæis muliere quadam adultera, quò ipsam etiam damnaret, ac iuxta legem præciperet lapidari: eiusdem accusatorem quærens, & quasi insinuare volens eumdem esse de essentia, & substantia omnis iudicij: postquam illis dixit illa verba, quæ referuntur ibidem, qui sine peccato est vestrum, primus mittat lapidem in eam, (quo audito vnus post alterum omnes abierunt) mulierem ipsam interrogando, dixit: vbi sunt qui te accusabant? nemo te condemnauit mulier? Quæ respondit, nemo Domine. Et Dominus ad eam: Nec ego te condemnabo, vade & iam amplius noli peccare. Quid amplius aut clarius vnquam ad hoc propositum dici

dici potuit? sed quod prædicta conclusio rationi ac iuri naturali nimis etiã sit conformis, sequenti ratione manife
6 stè patet. Nam cum iudex † teste Arist. 5. Eth. ca. 4. medius sit inter accusatorem & reum, ad quem tamquam ad iustitiam quandam animatam omnes, qui iniuriam patiuntur debent confugere: cum etiam iustitia non sit ad se, sed ad alterum: contra omnem certè rationẽ est, & à iure naturali nimis abhorret, quod aliquis in aliquo iudicio simul sit accusator & iudex: aut quod iudex sine accusatore preuio, quempiã velit iudicare. & Quod & alia ratione confirmatur, nam & cõtra rationem,
7 ac ius naturale est, quod † quis in vno eodemque iudicio duas simul induat personas, nempe accusatoris, & iudicis, eo vel maxime cum ratio ipsa ex postulet, quod iudex custos sit iustitiæ, & inter litigantes sit arbiter, ita vt in neutram partem se inclinet: etsi in alterutram deberet declinare potius in fauorem accusati, & rei, quàm actoris, siue accusatoris id ipsum facere expediret, Demus igitur quod quis simul sit accusator & iudex: dabimusq; proinde contra iustitiam, & contra omnem prorsus rationem, accusatoris munere dum fungeretur, quod in suã potius partem declinaret, quam in fauorem rei, & naturaliter magis faueret sibi, quàm illi: quod quidem naturalis ratio prorsus abhorret. Plura pręterea exinde † non mediocria, quin
8 verò maxima sequerentur inconuenientia, sed maximè quod pararetur via innumeris calumnijs, & fraudibus, si iudex simul iudicis officio & accusatoris fungeretur: dicendum est igitur id nullo modo esse licitum, nec iuri ac rationi naturali conforme. Videatur hac de re D. Th. 2. 2. q. 67. art. 3. & Soto de iust. & iure li. 5 q. 4. art. 3. & Doctores alij supra citati: vbi & ad hoc propositum multa, eaque notatu dignissima licebit adinuenire, sed dicta sufficiant.

Secunda Conclusio.

IN causis † leuibus, & parui momenti, neque contra rationem naturalem est, neque contra ius positiuũ, Canonicum, aut Ciuile: quod iudices, siue pręlati sine accusatore ad aliquas causas procedant, sola facti veritate inspecta. Hæc conclusio communis est omnium Doctorum resolutio, tam Theologorum, quam Iurisperitorum, atque ita obseruatur in communi praxi: qua quidem ratione, maximè Religionum prælati, ad modum patrum familias, absque vlla præuia accusatione, nullaque seruata fori iudicialis forma, suorum subditorum culpas leues, paruique momenti castigant, & puniunt. Et præterquam quod id ipsum facere possunt ex multiplicia Summorũ Pontificum concessione, quorum auctoritate firmatæ, & roboratæ sunt omnes Monachales, & regulares † cõ- 10
stitutiones: stando etiam in iure communi, Canonico, & Ciuili, & absq; vllo prorsus priuilegio id ipsum facere possent: cum in tali leuium culparum punitione, non tam procedant vt iudices, quam vt patres, & extra Religionem id ipsum faciant ipsi patres familias, quin verò & seculares iudices: nã in læuioribus stando in iure communi non est opus stricta adeo accusationis forma, vt habetur, in l leuia, ff. de accusationibus: vbi præcipitur, vt leuia audiantur & discutiantur de plano. At verò quando † delicta sunt gra- 11
uia, & quæ sine delinquentis infamia puniri nequeunt, & vbi opus est carceribus: neque in Religionibus nec extra, iudices siue prælati procedere possunt siue pręuio accusatore, seu aliquo alio, qui accusatoris vicem gerat, de quibus dicemus in articulo sequenti, & contrarium facere, nec dum erit cõtra ius positiuum, Canonicum & ciuile, verum etiam & cõtra ius naturale, siue contra ipsam naturalem rationẽ.

Ad argu-

12 Ad argumenta † igitur in initio articuli adducta in contrarium, facili negotio respondetur.

13 Ad primũ, quod quia Deus † omnia etiam secretissima cordium planè cognoscit, ad eadem punienda nullo opus habet accusatore. Cum quo etiam stat (quæ magna est sua misericordia & clementia) vt neminem omninò punire velit, aut de facto puniat: absque præuio aliquo accusatoris vicem gerẽte, & supplente, quod est proprij hominis peccantis conscientia, quæ coram Diuino Tribunali, semper atriter peccatorem accusat. Expressa sententia est D. Thomæ loco supra citato, vbi ait, quod creauit Deus mentẽ, & humanam rationem, adeo culpæ inimicã, vt peccantem statim reprehendat, & pungat, iuxta id quod dixit D. Paul. ad Rom. 2. de Gentilibus olim, quod suæ iniquitatis perhibebat illis testimonium conscientia ipsorum cogitationibus inter se inuicem accusantibus, aut etiam defendẽtibus. Ex quibus verbis superque satis colligitur, Quod Deus in iudicandis, & puniẽdis criminibus, vtitur ipsorũ peccatorum cõscientia, quasi quodam accusatore, vt vel sic vndequaque integrũ perfectũ, atque exactissimum eius videatur iudiciũ. Ex quo etiã exijt vulgare illud dictum, quod conscientia præmit plusquã mille testes. Nec solum ipsa peccatorũ conscientia apud Deum accusatoris vicem gerit, verũ & peccatum ipsum, quod et si quandoque apud homines sit occultum, apud Deum tamen semper est patẽtissimum, & ad Diuinum clamat iudiciũ. Pro quo facit illud, quod habetur Genes. 4. de peccato Cain, vbi dicitur, quod vox sanguinis Abel, clamabat ad Deũ de terra: & Genes. 18. de peccato Sodomorum etiam dicitur: quod ad Deum clamabat similiter: qua etiam ratione Deus eosdem puniturus dixit: Vadam & videbo, vtrum clamorẽ, qui venit ad me opere compleuerint. Supradictis omnibus addi potest alia etiã ratio aptissima, & ea est, quod nec ipsa forma finalis iudicij futura videtur absque præuio accusatore, dicente Christo Domino, Matthæi 12. de Iudæis, quod viri Niniuitæ exurgent in iudicio, cum generatione illa, & condemnabunt eam, per supradicta omnia satis patet solutio ad argumentum propositum.

Ad secundum verò de illo, quod adducitur ex Daniele: Dico primo id ipsum fecisse Danielem iudicem, non ex propria sua auctoritate, sed ex diuina reuelatione, & Cælesti impulsus spiritu; quasi ex auctoritate ipsius Dei, & in eiusdem nomine. Vndè nec necessum fuit, vt esset quis qui exterius accusaret senum crimen; sufficiebat enim illorum conscientia, vel delictum ipsum ad modum quo in solutione præcedentis argumenti est dictum. Nam iudicium quod fit ex diuina reuelatione (vt inquit D. Thom. loco supra citato) diuinũ imitatur, iureque optimo, & iudicare, & condẽnare ipsos potuit absque aliquo exteriori accusatore. Præterquã quod vt dicit idẽ D. Thom. 2. 2. quæst. 67. art. 3. in solutione ad 3. Daniel in illo casu non tam fuit iudex, quam iudicij diuini executor, cuius & instinctu mouebatur, cũ quo quidẽ (inquit) stat, quod nõ habenti talem reuelationem, nullo modo liceret facere id ipsum, haud enim omnium sanctorum facta in omnibus, & per omnia sunt imitanda.

Ad tertium quod adducitur de consuetudine Religiosorum, iam superius satis patet solutio ex ijs, quæ dicta sunt in secunda concl.

Ad quartum, & vltimum, dico esse multa, quæ vicem gerunt accusatoris, de quibus dicetur latius in sequenti articulo, quæ prædicta sufficiant,

ciant, nam hac de re multa etiam diximus supra quæst. 7. artic. 1. agentes an particularis inquisitio, quę tendit ad punitionem, nulla præcedenti infamia, actore, vel accusatore sit licita: quæ etiam ad hoc propositum videri poterunt.

ARTICVLVS II.

Vtrùm sint aliqui casus qui vicem gerant accusatoris?

Prima Conclusio.

14 MVLTA sunt † quæ in jure vicem gerūt accusatoris, sed tamen omnia ad quatuor capita reducuntur. Primò, quando crimen est notorium. Secundò, quādo adest infamia, aut clamorosa insinuatio, seu indicia, aut semiplena probatio in casibus, quibus ipsa sufficiunt. Tertiò, quando pręcedit denunciatio iuridica ad vindictam tendens, maximè illa, quæ fit hæreticæ prauitatis Inquisitoribus. Quartò & vltimò, quando fraterna correptione præmissa fratris crimen denunciatur Prælato, vt patri, tunc si denūciatus fuerit obediens, & dicto audiens, non licet Prælato ad pęnā, vel Inquisitionem procedere, sed illic sistit eiusmodi processus; sin autem rebellis extiterit, tunc rebellio ipsa vicem habet accusatoris. Hęc conclusio est vera. & prædicta omnia colligitur expresse ex doctrina Diui Th. 2. 2. quæst. 67. art. 3. in argumentorū solutione, de quibus etiam videndus est Soto libr. 5. de iust. & iure, quæst. 4. ar. 3. in solut. ad 3. & Bañes Salon, & Aragon. 2. 2. quæst. 67. artic. 3. in argumentorum solutione. Sed vt de horum singulis aliquid in particulari dicamus.

De primò casu dico, quod quādo
15 † crimen est notorium, vicem gerit accusatoris. Qua ratione quando ali quod crimen patratum est in cōspectu totius populi, vel corā iudice cū legitimis testibus, vt si (verbi gratia) videat iudex quempiam coram se, & alijs blasphemare, vel aliquem hominem occidere; tunc nulla expectata accusatione, propter euidētiam facti potest illum iudicare, & statim punire. Quod & significare voluerunt olim Sacerdotum Pontifices, quando (licet falsò) existimantes Christum Dominum blasphemasse dixerunt: Blasphemauit. Quid vobis videtur? ecce nunc audistis blasphemiā, quid adhuc desideramus testes? Quasi dicerent quod vbi delictum est ita notorium, nō opus est accusatione, probatione, aut testibus. De sancto Ludouico Rege Francię etiam legitur, quod præcepit suo tempore cauterizari linguam cuiusdam, quem corā se blasphemare audiuit, idque meritò: nam hæc sunt crimina, de quibus dixit olim Diuus Paul. 1. ad Thimot. 5. Quod quorumdam hominum peccata manifesta sūt ad iudicium præcedentia: hoc est prius nota, quam in discussionem veniant: & talia peccata (vt inquit glosa interlinearis super prædictum locum) non sunt probanda, qui ex se sunt iam satis probata. Id ipsum confirmat vulgaris illa sententia Diui Augustini, super Genesis, cap. 4. & refertur in c. euidentia, de accusationibus, vbi loquēs de sanguine Abel iusti, qui clamabat ad Deum de terra, inquit: Quod euidentia patrati sceleris, non indiget clamore accusatoris. In cuius capituli summario etiam notanter, dicitur: † quod super notorio procedit iudex 16
nemine accusante. Idem habetur, in cap. manifesta 2 q. 1. quod est Diui Ambrosij, vbi dicitur, quod manifesta, accusatione non indigent. Quæ verba explicans ibi glosa, verbo manifesta, inquit, quod loquitur de crimine notorio, & quodnā illud sit latissimè explicat, id quod & nos facimus

mus supra agẽdo de particulari Inquisitione, q. 7. ar. 10. & infra aliquid eadẽ de re sumus dicturi. Sed aduertendum est cõsultò à nobis fuisse dictum, intelligendum hoc esse de crimine notorio, quod patratum est in conspectu totius populi, aut corã iudice cum legitimis testibus: Etenim
17 si iudex ipse solus † crimen aliquod videret, essetque illud omninò occultum, haud quaquã posset contra eiusmodi criminosum procedere: cum (vt supra dictũ est) nõ ipse possit esse simul accusator aut testis, quibus deficientibus nõ potest iudex cõtra aliquem procedere. At si ipso præsente, testibusque legitimis ẽt existentibus crimen fuisset commissum, pręsentia illa iudicis simul cum testibus, vicẽ habet accusatoris; & maximè si sedeat pro tribunali; quod est multum notandum, atque memorię commẽdandũ. Qua de rẽ videatur Soto vbi supra, & Salon secunda secundæ, quæstione 67. articulo 3.

De secundo casu dico, quod quã-
18 do † infamia, aut clamorosa insinuatio, vel indicia pręcedunt, non ẽt est opus accusatore: nã hæc vim habent accusatoris, non quidem vt iusta sint causa reum statim in supplicium rapiendi, sed quia facultatem præbent procedẽdi cõtra ipsũ via Inquisitionis, & puniẽdi illũ causa prius explorata, atque discussa, iuxta formã traditam in capitulo qualiter & quãdò, el 2. de accusatio, & cap. Inquisitioni eodem titulo. Potest enim tũc iudex reum interrogare, & ipse tenebitur ad interrogata respondere, cum sibi cõstiterit iudicem iuridicè procedere, & quod fama, seu infamia exorta est apud viros probos: alias enim nec iudex poterit interrogare, nec reus tenebitur ad interrogata respõdere.

De tertio casu dico, quod quandò
19 † præcedit denunciatio iuridica ad vindictam tendens, ipsa etiam locum, & vicem habet accusatoris: non quidem (vt dictum est) ad hoc vt reus statim puniatur: sed solum facultatem præbet, vt contra eũ procedatur via Inquisitionis, ad causæ cognitionem, & delicti vltionem. Et hæc denunciatio iuridica (vt nomen ipsum sonat) nihil est aliud, quam nunciatio, siue manifestatio criminis facta superiori, siue iudici, hoc solo ab accusatione differens, quod qui denunciat (maximè si actionem non præ se ferat) non tenetur probare crimen quod denũciat, sed iudici relinquit vt quod sibi placuerit ex officio faciat (aliàs nullus denunciare auderet) at verò qui accusat, & qui denũciat cum actione persistendo in denunciatione ipsa, & iudicẽ vsque in finẽ ad iudiciũ excitãdo, & interpellãdo: probare tenetur crimen, quod accusat, siue quod cum actione denunciat.

Sed an hæc denunciatio iudicialis, † qua pęna delinquentis petitur, 20
sine præcedente infamia sufficiat ad ineundam contra aliquem particularem Inquisitionem, est non parua difficultas: dicẽtibus quibusdã quod sic, & affirmantibus: alijs verò negantibus, & dicentibus quod non.

Sed hęc difficultas cõcordari † põt 21
cũ Panormitano dicẽdo, quod si eiusmodi denũciatio fiat à fiscali, seu ad instantiã publici officij, bene põt propter eã sine precedenti infamia fieri particularis inquisitio: id quod & colligitur ex l. ea quidem. C. de accusat. & c. preterea de testibus cogẽdis. Si tamen denunciatio prædicta fiat ab aliqua persona particulari, ipsa per se sola non valet ad ineundã Inquisitionẽ particularẽ contra aliquẽ, nisi ẽt simul aliqualis infamia præcedat: id quod & colligitur, ex ca. licet Hæli de simonia, vbi refertur Abbatẽ quẽdam à suis Monachis fuisse denũciatũ de varijs criminib[9], & tñ nõ ibi locũ habuit inquisitio; quia nulla aduersus eũ præcesserat infamia.

Hanc sententiam tenet Bald. in d.l. ea quidem. C. de accus. & Host. in c. qualiter, & quando, el primero eodẽ tit. & est sententia meo quidem videri, iuri ac rationi valde conformis, sed maximè hisce nostris temporibus quibus detractorum virus adeo licentiosè serpit, in eos qui præclari sunt alicuius nominis, seu aliquo munere, aut dignitate presulgent, vt durum profectò, atque intolerabile videatur, propter ipsorum dicta, sine aliqua simul præcedenti infamia, contra eiusmodi in dignitate, & præfectura aliqua cõstitutos, q̃d ad particularẽ Inquisitionẽ procedi possit.

De quarto casu dico, quod quan-
22 dò quis † præuia fraterna correptione Prelato denunciat alicuius fratris crimen, non quidem tanquam iudici (vt dictum est in præcedenti casu) sed tanquam patri, quæ denunciatio fraterna, siue pœnitentialis nuncupatur, tunc quidem si denunciatus obediens extiterit, & Prælati dictò audiens, non licet eidem Prælato contra eum ad pœnam, seu ad ineundam contra ipsum particularem Inquisitionem procedere illum infamando: sed statim à cognitione debet cessare, & illic sistere, vbi correptus frater iam correctus subinde apparuerit. Nam cum iste sit vnicus, potissimus ac totalis fraternæ correptionis finis; ratio ipsa expostulat, vt subueniatur proximo, quo minori damno fieri possit. Si autem frater (sic vt præmittitur denunciatus) post fraternam Prelati admonitionem rebellis extiterit, tunc rebellio ipsa vicem, & locum habet accusatoris, & ius tribuit Prælato, vt contra ipsum iuridicè agere possit, eo modo quo dictum est à nobis suprà q. 11. artic. 8. agendò de correptione fraterna, quãtum ad ordinem seruandum in ipsa.
23 Quod intelligendum † est (vt ibidẽ etiam diximus) q̃n delictum, de quo facta fuit denunciatio testibus potuerit comprobari: nam si omninò fuerit improbabile, & frater denunciatus, & à Prelato admonitus negat peccatum, vel non emendatur, tunc quidem Prælatus non põt vlterius procedere, nec in eum lege agere, seu ipsum punire, quousque existat aliquid, quod crimen manifestum faciat: hoc est quousque sint indicia ad inquirendum, & testes etiam ad conuincendum reum de tali delicto. Nõ enim põt tunc Prælatus procedere nisi vt iudex: & certum est quod processus iudicialis non hẽt locum, nisi quando adsunt indicia, infamia, aut semiplena probatio, eo modõ & ordine quo superius dictum est à nobis. Sic prædicti sunt casus, in quibus iudices non præcedente accusatione contra aliquem possunt procedere; seu vt verius dicamus, qui accusationi æquipollent, & vicem gerunt accusatoris: & dici potest quod sunt quasi quædam accusatio virtualis, quamuis non formalis, explicita, & expressa, de qua fit secunda cõclusio.

Secunda Conclusio.

Extra casus † supradictos semper necessum est in iudicio, ad hoc vt iudices possint procedere contra aliquem, quod formalis, & expressa accusatio præcedat, & iudex, qui sine ea aduersus quempiam procederet (nec dum ipsum damnaret) procul dubio peccabit mortaliter, & erit famæ restitutioni obnoxius. Hæc conclusio est expressa D. Thomæ 2. 2. q. 67. art. 3. & communis omniũ DD. tam Theologorum, quam iurisperitorum: quæ adeo certa & vera est, vt etiam si iudex certò sciat quempiam crimen aliquod cõmisisse, & sint testes legitimi ad eundem conuincendum; & probandum crimen contra illum; si tñ ipse non est infamatus, nec fama existit facti, aut suæ personæ, nec est aliquis, qui 24

eum

cum denunciet, siue accuset; stando in omni iure, naturali, diuino, atque positiuo, nulla ratione potest iudex ex officio eum punire, aut contra ipsum lege agere. Nam (vt pluries dictum est à nobis) ad inuestiganda, punienda, & castiganda crimina, non est nisi tantum triplex iudicialis via, Inquisitionis, denunciationis & accusationis, & in prædicto casu cum (vt supponitur) non sit qui reum denunciet, siue accuset, iudex non potest procedere per viam denunciationis, siue accusationis, nec verò per viam Inquisitionis, cum (vt etiam supponitur) contra eum nulla omninò præcedat infamia: relinquitur ergò quod nullo modo potest procedere: & si de facto contrarium faciat (prætquam quod peccabit mortaliter faciendo contra charitatem) peccabit etiam contra iustitiam, eritquè obnoxius restitutioni famæ, seu infamiæ exinde subsecutæ: & erit ipsius peccatum grauissimum, tanto grauius, quanto maiorem proximo irrogat iniuriam: & quanto iudex ipse, iustitia, seu potius iniustitia, & iniquitate armatus grauius, & potentius nocet. Est tamē notandum (vt etiam diximus in præcedenti, quæst art. 1. agendo de fiscali) in omni iudicio Ecclesiastico, & sæculari esse iam consuetudine positum, vt in Republica delicta, non maneant impunita, quod vbicumque aliquorum criminum, siue delictorũ à iudicibus habetur notitia, & maximè si sunt notoria, aut saltim publica: neque est qui ea denunciet, siue accuset: quod fiscales id ipsum faciãt.

25 Qui quidem † fiscales in republica nomen sortiuntur, & officio funguntur accusatorum, siue iudicialiter denunciatorum, idque meritò, & multum ad rationem conformiter, nam quamuis propriè, & in rigore loquendo ipsorum officium solummodo ad causas publicas, & ad fiscum pertinentes spectare videatur, in idque tantũ sint constituti, ex quo proinde apparet, quod ex suo officio solummodò possunt, & tenentur denunciare siue accusare eos, qui peccant contra Principes ipsos, seu contra rempublicam, vt habetur in l. 12. titulo 8. partita 4. quamuis (inquam) id ita sit, iam tamen in omni loco de mandato principum (vt supra diximus) prædictorum fiscalium officium extensum est, ad hoc vt etiam denuncient, siue accusent, omnia crimina, & delicta, quorum denunciator siue accusator non inuenitur: idque meritissimè, cum expediat quam maximè vt delicta nō maneant impunita, quod in quam magnum damnum, & detrimentum vergeret totius Reipublicæ. Videantur hac de re quæ diximus sup. quæst. 12. artic. 1. & 3. agendo de fiscalium officio.

ARTICVLVS III.

Vtrum quispiam teneatur ad accusandos alios?

De hac difficultate † agit Diuus Thomas 2. 2. quæstio. 68. artic. 1. & etiam de ea videndus est Soto de secreto, membro 2. quæst. 5. & de iustit. & iure lib. 5. art. 1. & Bañes, & Aragon super 2. 2. D. Thom. q. 68. art. 1. & Salon ibidem. Et maioris claritatis gratia, vt quod quæritur magis constituatur in suo puncto, pro parte negatiua libet aliqua proponere argumenta, quibus apparenter monstretur non teneri quempiam ad accusandos alios. 26

Sit primum argumentum, † nam accusatio (vt supra dictum est) est delatio criminis ad iudicem tamquam ad personam publicam vindicationis gratia: sed vindicta in sacra pagina naturali, ac Diuino iure est interdicta, & prohibita, per illa Christi verba, Matth. 6. Dimittite & dimittemini: Diuus etiam Paul. ad Rom. 12. in-

12. inquit, Non vos defendentes, (hoc est non vos vindicantes) charissimi: sed date locum iræ: ergo nemo tenetur ad fratrem suum accusandum, quin verò potius (vt apparet) tenetur ad non faciendum id ipsum.

Secundò ad idem sic argumentor. Nam offensa vel est propria vel est communis: Si propria, consilium est, idque saluberrimum ipsam propter Deum, siue Dei gratia remittere, quo maiora nobis ab ipso Deo dimittantur: ex quo proinde videtur, quod quis ad accusandum non teneatur, aut cogi possit. Maximè cum iure etiam imperatorio sit cautum, vt ne-
28 mo † inuitus, & in propria causa accusare cogatur: vt habetur, in l. vnica C. eodem titulo. Si verò offensa est communis, & publica, & contra bonum commune, & publicum: sat erit tunc illam iudici denunciare, quod fiet cum minori nostri proximi damno, & cum minore etiam periculo pęnæ talionis subeundæ, cui denuncians non est obnoxius (etiam si in probatione deficiat) sicuti est ille, qui accusat: ad hoc igitur vt quis à tali periculo liberetur, dicendum videtur, quod sat sibi sit crimen iudici denunciare, & quod nullus tenetur quempiam accusare, debitam petendo, & ex postulando vindictam, vtcumque crimen sit graue, & in damnum vergat Reipublicæ.

Tertiò ad idem sic argumentor. Nam si accusari esset alicuius virtutis præceptum, nemo propter peccatum ab obligatione id ipsum faciendi exciperetur: non enim propter peccatum debet quis excusari ab impletione alicuius præcepti, ad quod alij tenentur: aliàs enim sequeretur contra ius, & contra omnem prorsus rationem, quod ex delicto reportaret commodum: sed multi propter peccata excusãtur ab accusatione, q̃n verò ad accusandum inhabiles redduntur, vt constat ex multis iuribus, quæ habentur 2. q. 7. per totam: vt excommunicati, infames, & alij de quibus in sequenti art. est dicendum: sequitur ergo quod nullum est de accusatione positum Diuinum, nec verò humanũ præceptum.

Quartò ad idem. Quia si tale esset præceptum, eiusmodi officium siue beneficium prælatis præsertim, & amicis potius quam alijs deberemus præstare, atque persoluere: sed in eadem causa, & quæst. subditi prohibentur (nisi in certis quibusdam casibus) suos prælatos accusare, & laici prohibentur accusare clericos: similiter, & clerici laicos, & maximè in causa sanguinis: vt constat ex Concilio Toletano 4. & habetur in cap. his à quibus, & cap. Clericis 23. quæst. 8. & præterea amicum in iudicio eumdem accusando traducere amicorum fidei videtur derogare: dicendum est ergo quod id ipsum facere nunquam licet, neque ea de re aliquod extat Diuinum, siue humanum præceptum.

Quintò & vltimò ad idem. Quia si tale esset præceptum, cum nullum sit peccatum quod Reipublicæ non aliquod afferat detrimentum, saltim propter scandalum, & aliorum malum exemplum, sequeretur quod de omni peccato, cui in iure posita est pęna fieri deberet accusatio nullo excepto: sed hoc non est dicendum: ergo intentum. Propter hæc argumenta summa Angelica, verbo accusatio, dicit non teneri quempiam ad accusandum alium, præter hæredem hominis occisi: pro quo allegat Bartol. in leg. in eum ff. de accus. & glossam 3. in leg. furtum ff de his qui notant infamia. §. pacti. Sed his tamen non obstantibus in contrarium † est veritas, 29
& quod hac in re est tenendum explicabitur per sequentes conclusiones.

Pri-

Prima Conclusio.

30 DE offensa † siue iniuria propria, & de ijs peccatis, quæ solum nocent personę alicui particulari, nemo tenetur alium accusare; imò verò nec iudicialiter denunciare Prælato tamquam iudici, sed consilium est (& quidem saluberrimum) iniuriam illatam ob Dei amorem remittere, aut præmisso fraternæ correptionis Ordine ipsam Prælato, vt patri reuelare, ad hoc vt peccãtem fratrem fraternaliter corrigat. Hæc conclusio est Diui Thomæ 2.2.quæstio.68.artic.1.& quæst.73.art.3.vbi ad hoc propositum dicit positum esse in cuiusuis arbitrio, famæ suæ detrimentum pati, nisi hoc vergat in aliorum periculum: Ex quibus verbis elicitur, atque in hunc modum formatur conclusionis ratio. Nam cum quisque sit dominus suorum bonorum (etiam honoris & famæ) cui dubium est, aut esse poterit, posse quempiam propter Deum, cum ipsius adiutorio, & gratia iniuriam sibi illatam remittere, quò iuxta Euangelij promissum Matth.cap.6. maiora sibi crimina dimittantur. Est igitur conclusio à nobis posita certissima, stando in iure naturali & diuino (quidquid sit de iure ciuili. Nam stando in iure ciuili adhuc sub iudice lis est, & quam maxima est controuersia inter Doctores iurisperitos, an aliquis sit compellendus, seu compelli possit ad accusandum, & an occisi † hominis
31 hæredes teneantur causam illius prosequi, sub comminatione, quod aliàs erunt hæreditatis expertes. Qua quidem de re, Bart.l.in eum, ff.de accus. partem videtur tenere affirmatiuam, licèt contrarium teneatur communiter, iuxta l.Diui fratres.ff.de accusat. & l.vnicam. C. vt nemo inuitus agere, vel accusare teneatur: De qua controuersia videatur Paz in sua praxi crimin.1.tom. parte 5. cap.3. §.5.nu.1. Sed quicquid sit loquendo de iure ciuili, & exteriori foro, in foro tamen
† interiori, & conscientiæ certissimũ 32
est, quod nullus tenetur in conscientia alium de iniuria sibi illata accusare: aut illam iudicialiter denunciare, nisi forsan in aliquo speciali casu, & semper habito respectu ad bonum publicum, atque commune.

Secunda Conclusio.

QVamuis de iniuria † sibi illata 33
(vt dictum est) nemo teneatur quempiam accusare: licitum tamen erit cuilibet id facere, si debito prosequatur modo, & ob crimen aliquod non fuerit ab accusatione repulsus. De hac etiam conclusione est communis omnium Doctorũ consensus, stando in omni iure, tam naturali quam Diuino. Nam licèt iniurias remittere Diuinum sit, ac non semel in Scriptura Sacra commendatum consilium, & vt de eis à Deo vltionem, siue vendictam non petamus, passim referantur testimonia: non tamen est id ita ex Diuina institutione prohibitum, vt iustitia etiam non habeat suum locum. Quo fit &
† accusatio, & iniuriam vindicta, peti 34
ta & facta authoritate publica, nõ solum non sit peccatum, verum & esse posse actus virtutis iustitię, nunquam in Sacra Scriptura prohibitus, si debitis circunstantijs fuerit exornatus, atque vestitus. Quia tamen accusationẽ (vt plurimum) rixæ, odia & alia id generis mala, & nocumenta comitari solent, cum quibus charitas, & præceptũ dilectionis Dei, & proximi vix aut nullatenus se compatitur: inde ortum habuit remissionis iniuriarũ, Diuinum ac salutare consilium toties in Sacra pagina, sed præsertim in Sacro Euangelio commendatũ. Qui tamen absque his nocumẽtis (hoc est absque rixa, odio, ira, siue rancore) debito ordine illatę sibi iniurię vltionẽ prose-

quereretur, licèt ad Euangelicæ perfe-ctionis fastigium nondum ascenderit: haud tamen vllum in hoc peccatum committit, imò verò forsan in aliquo casu actum virtutis iustitiæ exercebit. Relinquitur ergo ex dictis,
35 quod accusatio † de iniuria propria, eatenus & non aliter est prohibita, quatenus ex odio procedit, & quod iniuriarum vindicta non est Diuino, aut naturali iure interdicta, sed hoc solum vt non propria, aut priuata authoritate fiat: sed communi, & publica, & cũ debitis circunstantijs. Quod & insinuare voluit olim, D. Paulus loco vbi supra, qui postquam dixit, non vos defendentes charissimi, sed date locum iræ, statim subdidit: scriptum est enim mihi vindictam, & ego retribuam. Quæ quidem verba sunt notatu dignissima. In quorum exordio quando dicit non vos defendentes charissimi, sed date locum irę: odium, atque vindictam propria authoritate factam prohibet: dum verò addit, mihi vindictam, &c. patenter insinuat, quod iniuriarum vindicta est Deo, & iudicibus vicem eius gerentibus reseruata, & non omninò prohibita: imo verò licita, si debito modo absque rixa, contentione, odio, ira, siue rancore fiat. Ad quod propositum faciunt quam maximè, ca. si is qui 23. q. 3. & c. si quis contristatus, dist. 90. cum suis glossis, vbi dicitur, quod offensus tenetur remittere rancorem, non verò satisfactionem, & damnum illatæ sibi iniuriæ: offensus
36 † licèt teneatur rancorem remittere: non tamen satisfactionem, & damnũ. Videatur ẽt c. 2. de homicid. in 6. Vbi dicitur, quod sine irregularitatis pęna possunt (etiam clerici) de suis malefactoribus conqueri coram iudice sæculari, ẽt de criminibus, pro quibus debetur pęna sanguinis, protestando expresse, qđ pęnam sanguinis non intendunt: qđ ad hoc propositũ est multum notandũ, ac memoriæ cõmendandũ.

Tertia Conclusio.

De crimine † quod vergit in perniciem publicam, quilibet tenetur reum accusare, vel denunciare, dummodo crimen possit idoneis testibus comprobari. Hæc conclusio est etiam D. Thom. 2. 2. q. 68 art. 1. & omnium Theologorum communis, quin verò & iurisperitorum, in c. nouit, de iudicijs Quænam sint crimina, quæ vergunt in perniciẽ publicam, quæ verò dicantur priuata, & particularia: iam superque satis dictum est à nobis supra, dum ageremus de correptione fraterna quantum ad ordinem in eadem seruandũ, q. 11. art. 3. vbi & ad id adducta sunt exempla quamplurima. Quibus præmissis dicit modò nostra conclusio, quod de huiusmodi peccatis vergentibus in perniciem publicã, extat Diuinum præceptũ, & est obligatio accusandi, aut saltim denunciandi reũ iudicialiter, dũmodò crimen idoneis testibus possit cõprobari. Duo itaque † ista simul debent cõcurrere, ad hoc vt obliget præceptum accusandi, vel denunciandi iudicialiter: & quod crimen sit in perniciem publicam, & quod possit idoneis testibus comprobari: quorum altero deficiente cessat huiusmodi obligatio. Nam si crimen non est contra bonum commune, sed contra bonum alicuius particularis: vel esto sit contra bonum commune, non tamen potest idoneis testibus cõprobari: cessandum ab accusatione est: quia in primo casu quamuis accusatio (vt pręmisimus) sit licita, non tamen est præceptum illam prosequi, imo consilium est talem culpam non accusare, sed propter Deum illam remittere. In secundo verò casu etiam certum est, quod si crimen non põt probari, nemo tenetur accusare, neq; ad id quod non põt debito modo perficere obligari, maximè cum periculo subeundæ pœnæ talionis. Vbi tamen 37 38

illa

illa duo superius allata concurrunt: hoc est quando crimen est contra bonum publicum, & probari potest testibus: obligatio extat accusandi, vel denunciãdi. Quod esse verum vel hac vnica ratione, probatur. Nam vnusquisque
39 † tenetur naturali, & Diuino iure succurrere bono communi, vt & sibi inuicem succurrunt partes toti, & membra suo capiti: quę naturali quodam ductu, cuilibet vel maximo periculo sese obijciunt, quo caput ipsum ab eodem reddant immune. Cum igitur quælibet persona particularis respectu Reipub. membrum sit, & suũ caput (quod est totius Reip. bonum) obnixè debeat obseruare: manifestè profectò sequitur, quod qui viderit Rempublicam contagione aliqua infici seu maculari, vel sceleribus corrũpi: sub præcepto tenetur ad publicam potestatem (id est ad iudicem) per accusationem, & criminis delationẽ accurrere, ad hoc vt à Republica ipsa talia male propulsentur, & arceãtur. Id quod & sub comminatione præcepit olim Deus Leuit. 5. dicens: si peccauerit anima, & audierit vocem iurantis, testisque fuerit quod ipse vidit, aut cõscius est, nisi indicauerit portabit iniquitatem suã: (quæ verba sub forma prædicta probata, in Sacra pagina peccatum insinuant mortale) quod quidem
40 præceptum † morale cum sit, manet etiam vsque adhuc in noua lege, tanquam de iure naturæ. Tandẽ concludẽdo dico, qđ in dicto casu negari nullo mõ põt qđ accusatio prędicta sit licita, quin verò & fieri præcepta: cũ (præter superius dicta) ẽt in iure ipso canonico expressus reperiatur titulus de accusationibus tanquã de re licita, vbi per multa capita dicitur à Sũmis Põtificibus, quonã pacto eiusmodi accusatio sit faciẽda, & in Concilijs tam gñalibus, quã prouincialibus, admissæ semper fuerunt multorũ accusationes, nec reprobati, aut repulsi accusatores: ꝙ quã maximam authoritatem affert nostrę cõclusioni, & clarũ est argumentũ ad probandũ, qđ accusatio sit licita, & iterdũ necessariò faciẽda.

Aduertendum tñ est, dictum à me fuisse in cõi, atq; sub distinctione qđ eiusmodi crimen debet, vel accusari, vel denunciari: nã qui certò sciret qđ abundè succurreretur tali malo ꝑ denuntiationẽ iudicialem, & iuridicam: non tenetur accusare: tũ vt excusetur à periculo pœnæ talionis subeundæ: tũ ẽt quia ex charitate tenemur succurrere bono cõi, quo minori damno, & periculo proximi fieri poterit. Sed tñ vbi crimẽ esset adeo contagiosum, & perniciosum Reipub. & adeo manifestum, & nociuum bono cõi, quod per denunciationem iudicialẽ nõ abũdè, & cõmodè ei videatur posse succurri: tunc necessum est in re tãti momenti, reum in forma accusare: quò tota sibi legis imponatur pęna: ad suum supplicium, & ad aliorum exẽplum: vt alij à similib. abstineant: in quo quidẽ casu non sufficit denunciatio (ẽt iuridica) sed necessaria est accusatio in forma, propter rationem dictã, & vt iudex liberetur in re tanti momenti à labore inquirendi. Hac de re videatur Soto, lib. 5. de iustit. & iure q. 5. art. 1. & Aragon, Bañez & Salon, super 2. 2. D. Thomæ q. 60. art. 1.

Ad argumenta in contrarium adducta, respondetur.

Ad primum quo iniuriarum vindicta † non est naturali, aut Diuino iure prohibita: sed hoc solummodo, vt 41
non petatur ex odio, & rancore, aut priuata authoritate fiat, sed publica. Quia tamen rarò aut nunquam contingit, quod in huiusmodi accusatione, odium, aut rixa non interueniat: ideo vt daretur locus proximi dilectioni, & vt hoc præceptũ rectius obseruari posset: traditum fuit de condonandis iniurijs Diuinum consilium, non tamen id ipsum est præceptum: nisi ad sensum supradictum. Quod & maximè locum habet, dũ crimen vergit

git in perniciem publicam: tunc enim qui eiusdem petit vindictam: non suã, sed totius multitudinis causam agit: procurando commune bonum, cui tanto magis tenetur succurrere. quanto ipsum præstat, excedit, & est quid diuinius, & amicabilius, quocumque bono priuato, & particulari.

Ad secundum argumentum satis patet solutio, ex ijs, quæ dicta sunt in calce prædictæ tertiæ conclusionis. Quo supposito dico, quod dari potest casus, in quo non satis sit delinquentem denunciare, propter ibi assignatas rationes, sed necessum sit eundem accusare: in quo nullum est, aut esse potest periculum subeundæ pœnæ talionis, quamuis accusator in probatione deficiat: nam vt rectè dicit D.Th.2.2.
42 q.68.art. 4. ad 1. qui bona † fide aliquem accusat, licet ex malitia testium in probatione deficiat, non tenetur ad talionis pœnam. Qua propter cum iudex repererit accusationem non ortum habuisse ex malitia, sed ex ignorantia, vel ex iusto errore: non potest accusatori pęnam talionis imponere, imo debet ipsum ab accusatione absoluere, vt dicemus amplius, in art. 8. & constat ex c. si quem pęnituerit 2.q.3.

At tertium respondetur, quod infames, & excommunicati, & alij de quibus in dicta 2. causæ q. 7. per totam habetur, non repelluntur ab accusatione in bonum ipsorum, quin verò in malum, atque in pœnam arceantur ab illo præstando munere, quod aliàs esset opus, atque officium virtutis, vt latius in sequenti articulo dicemus.

Ad quartum respondetur similiter, quod subditi non prohibentur suos prælatos accusare, nec clerici laicos, aut laici clericos: propterea quod id ipsum pro loco, & tempore facere, & cum suis debitis circunstantijs, non sit opus, & officium virtutis: sed propter alias rationes & causas, de quibus dicemus statim in sequenti articulo. Ad aliud verò quod dicitur de amicorum fide, cui per accusationem videtur derogari: dico quod amici colendi, & diligendi sunt vsque ad aras, & quousq; non fiat pręiudicium bono communi: at vbi hoc interuenit, præferendum semper est eorumdem amicitiæ nec propterea infringitur fides, etiamsi expressa promissio seruandi secreti præcesserit, dummodo arcanum cognitum non fuerit in confessione.

Ad quintum, & vltimum respondetur, quod non omnia peccata censentur esse in damnum, & detrimentum Reipublicæ, ad hunc sensum vt sint necessariò denuncianda vel accusanda: aut tanquam talia inquirenda, sed solummodo illa, quæ habent pro immediato, & proximo obiecto bonum commune, quod per ipsa expugnatur, & conturbatur: reliqua verò etsi ex illis Reipublicæ, & communi bono aliquod emergat damnum (vt prætendit argumentum) non reputantur nisi peccata priuata, cum aduersus priuatum bonum tantummodo immediatè committantur, nam secundum veram Philosophiam, ex obiecto immediato actuum, desumuntur ipsorum species. Videantur hac de re Doctores supra citati.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm sint aliqui, qui iure repellantur ab accusatione?

PRO hoc articulo notare oportet ex Ant.Gom. tom. 3.variar. c.1.n.3.& ex Iulio Claro, lib.5. sent.§.fi.q.14.n.1.Paz.to. 1 parte 5.c. 3.n.1.Fari.1.p.q.12.n.8. & idem 1.p. to.1.li 1.tit.2.q.12. à nu.1.cum seqq. & alijs: quod licet † communiter, & 43
regulariter loquendo quilibet qui nõ est à iure prohibitus possit accusare: nam vt dicit Speculator in tit. de accusat.§.1.in primis verbis, hoc est edictum prohibitorium, seu potius permisso-

missorium, pro eo quod generaliter permissum est omnibus accusare, qui à iure expressè non reperiuntur prohibiti: iuxta textum in l. qui accusare, ff. de accusat. quam ponunt pro generali regula DD. communiter: nihilominus quam plures sunt casus, & causæ, propter quas multę personæ ab accusando repelluntur: quidam † pro
44 pter dignitatem, vt clericus & miles: alij propter defectum concernentem statum personæ: vt filius familias, & seruus, alij etiam propter defectum ætatis, vt pupillus & minor: aut propter imbecillitatem sexus, vt mulier: aut propter indignitatem personæ: vt criminosus, infamis, damnatus, excommunicatus & huiusmodi: aut propter defectum fidei, quia scilicet lex de eis non plenè se confidit, vt inimicus, & pauper. Aliquando etiam repellitur, quis ab accusando propter reuerentiam ad quam obligatur versus eum, quem accusare intendit, vt si seruus, libertus, aut vassallus dominos suos velint accusare, aut laicus clericum: & quandoque propter amorem, ad quem quispiam obligatur: vt maritus versus vxorem, & è contra: & frater versus fratrem: de quibus omnibus agendum erit infra, in particularibus conclusionibus. Aduertit tamen supradictus Iulius Clarus loco vbi supra quod quamuis quæ dicta sunt verum habeant loquendo de iure communi: stando tamen in praxi rarò, aut nunquam in tribunalibus eiusmodi quæstiones occurrunt: quia iuxta ipsum (id quod & in omnibus curijs obseruari dicit) ex generali consuetudine hodie per inquisitionem, siue ex officio in omnibus casibus procedi potest, etiamsi nemo sit, qui accuset: & iudices nunquam reijciunt querelam illis exhibitam, siue porrectam ab aliquo, propter aliquam ex supradictis causis, ex quo ipsi etiam sine partis querela ex officio procedere possunt, & quæcumq; querela viam aperit Iudici assumendi informationes, & inquirendi super quocunque delicto, etiamsi sit porrecta ab eo, qui de iure accusare non potest: id quod dicit quotidie obseruari in communi praxi. Quamuis tamen id ita sit aduertit quod in illis locis, vbi ius obseruatur commune, supradictæ quęstiones, & difficultates valde erunt vtiles, & similiter in illis, in quibus iudices non possunt super omnibus delictis ex officio procedere, possent autem procedere ad querelam, siue instantiam partis, quæ succedit loco accusatoris, vt latè tradit ipse Iulius Clarus loco vbi su. q. 10. verbo, scias autem.

Secũdo præmitto † ex eodem Ant. 45 Gom. Iulio Claro loco vbi supra, q. 14. n. 2. quod omnes illi, qui regulariter prohibiti reperiuntur à iure accusare, indistinctè nihilominus admittuntur ad id ipsum, si suam vel suorum prosequantur iniuriam, iuxta l. ij tamen omnes ff. de accusat. quæ est communis Doctorum Doctrina (vt ipse dicit) ibidem, in id aliquos allegando DD. quod presuponendum tradit pro absoluto in hac materia. Sed appellatione † suorum, qui veniant, 46 dicit non esse à iure determinatum, & quod DD. variè hac de re loquuntur, prout etiam tradit Anto. Gom. de delictis loco vbi su. n. 33. vbi refert quatuor opiniones. Tandem concludens quod vera & communis opinio est: quod ille accusando dicitur prosequi suorum iniuriam, qui non cogeretur contra eum, cuius iniuriam prosequitur inuitus testimonium dicere, quod est satis benè dictum. Sed prædictus Iulius Clarus id magis specificãdo ait, quod in hoc proposito appellatione suorum intelligendi veniunt parentes, & descendentes omnes: Patroni & Patronæ, & eorum liberi: frater, soror, vxor, socer, socrus, gener, nurus, vitricus, nouerca, & priuignus, quod tenere dicit Abb. in cap. de cætero, de test. nu. 7. cuius opinionem communem

nem esse dicit Felinus, in c. cum dilectus de accusa. n. 9. relatus à Maranta in suo specul f. 84. n. 62. atq; ab alijs, quod & prædictus Iulius Clarus esse dicit tenendum, & quam maximè notandum.

Quibus sic præmissis, vt præ manibus habeatur, sciríque facilè possit, circa accusare prohibitos, quid tenendum, atq; dicendum sit stando in iure communi, sequentes libuit adducere conclusiones, quibus perspicuum fiet, quænam personæ repellantur ab accusatione.

Prima Conclusio.

47 STando in communi iure, infideles † omnes, Iudæi, atque Pagani, ab accusatione repelluntur: similiter, & omnes Hæretici, Apostatæ, atque in fide suspecti. Hæc concl. est certa, & manifesta, omniumq; DD. communis, constatq; ex multis iuribus cum suis glossis: sed primo, ex ca. Pagani, & c. si Hæreticus 2. q. 7. Idem habetur in c. non potest eadem causa, & q. & in cap. suspectos 3. q. 5. Qua de re videnda est specialiter glossa, in c. Pagani: vbi ad hoc propositum habentur plura, eaque notatu dignissima. Dicuntur autem in hoc proposito hæretici, in contumacia damnati, vt tradit Cæsar de Grassis, dec. 186. num. 2.

Secunda Conclusio.

48 STando in iure communi † etiam ab accusatione repelluntur omnes criminosi, & voco criminosos eos, qui antequam accusent graue aliquod delictum commiserunt. Hæc conclusio est etiam communis, & habetur expressa, in c. accusatio, c. si qui sunt c quærendum. & c. præsumunt. 2. q. 7. Facit, & c. criminationes, eadem causa & q. & c. suspectos, c. constituimus 3. q. 5. & c. etiam 1. & c. cum dilectus de accusat. quæ quidem omnia iura potissima ratione intelligenda sunt de accusatione clericorum. Qua de re videnda est glossa in d. c. si qui sunt 2. q. 7. & glossa etiam in d. c. 1. de accusat. & ibidem Panorm. & Felin. & Iulius Clarus, lib. 5. senten. § fi. q. 14. n. 9. verbo, dixi quoque: vbi hac de re loquens inquit, quod multis modis potest contingere, quod criminosi ab accusando repellantur, pro quo facit sequentem distinctionem, † nam aut 49
loquimur de criminoso nondum diffamato, neq; accusato: aut de iam diffamato, & nondum accusato: aut de accusato, & nondum condemnato, neque absoluto: aut de iam absoluto, aut de iam damnato. In primo casu quando scilicet fit sermo de criminoso nondum diffamato, neque accusato, dicit esse distinguendum inter forum Ecclesiasticum, & sæculare: nam in foro Ecclesiastico eiusmodi criminosus regulariter loquendo ab accusando repellitur, nisi suam, vel suorum prosequatur iniuriam, quod de iure Canonico tenetur pro certo: vt tradit Cardin. Alex. in c. prohibentur 2. q. 1. verbo: nota quod regulariter. Quin verò dicit prædictus Iulius Clarus quod de iure Canonico non modo criminosus (quod nomen criminum multitudinem designat) sed etiã simpliciter quicumque cõstitutus in mortali peccato, de quo non egit pœnitentiam, ab accusatione repellitur, vt traddunt DD. communiter, in d. c. 1. de accusat. Quid autem intersit inter criminosum, & peccatorem, perspicuum esse dicit cunctis. Sed postea hoc quod aliàs erat de iure Canonico sublimitat, dicens quod si peccatores omnes ad accusandum non admitterentur, nullus fortè in mundo reperiretur, qui posset accusare, qua propter hoc intelligendum est cum sale, & illi dumtaxat ab accusatione sunt repellendi, qui in id suspicionem possunt ingerere de aliqua fraude. Stando autem

tem

tem in iure Ciuili inquit Iulius Clarus prædictus, quod propter crimen nullus ab accusatione repellitur: nisi sit tale quod ex eo factus sit infamis, de quibus dicetur inferius. Hæc quo ad primum casum positum à Iulio Claro.

50 Loquendo verò de secundo † casu, nempe quando sit sermo de criminoso nondum accusato, sed tamẽ de crimine iã diffamato, inquit quod si crimen est tale, ex quo criminoso non resultet infamia: non est de eiusmodi diffamatione curandum. Si verò ex tali diffamatione effectus est infamis: videndum est (inquit) generaliter, nunquid infamis possit accusare? Circa quod distinguẽdum esse dicit, inter infamiã iuris, & infamiã facti: nã infamis infamia iuris prorsus ab accusatione repellitur, tã de iure Ciuili quam de iure Canonico. per cap infamem 6. q. 1. Facit & c. alieni 2. q. 7. & c. accusatores, c. constituimus, c. similiter 3. q. 5. & l. q accusare, ff. de accusationib. quæ est communis opinio. Infamis autem infamia facti, de iure Canonico ab accusatione repellitur; sed tamen de iure Ciuili admittitur, vt etiam tenent omnes communiter. Quis autem dicatur infamis infamia iuris, quis verò infamia facti, tradit Iulius Clarus. libr. 2. §. infamis.

51 Stando in tertio † casu, de criminoso infamato, & iam accusato, sed nondum condemnato, neque absoluto: inquit Iulius Clarus, distinguendum esse, nam aut nomen ipsius nõdum receptum est inter reos, & tunc accusare potest de maiori crimine, nec dum quemcumque extraneum, verum etiam suum accusatorem: de pari verò, siue minori crimine neminem potest accusare, nisi suam, vel suorum prosequatur iniuriam: quam etiam esse dicit opinionem communem plures in id allegãdo Doctores. Si verò nomen accusati inter reos receptũ est, de maiori crimine potest alium quam accusatorem suum accusare: quod dicit tenere omnes Doctores cõmuniter; quin verò, & ipsummet accusatorem suũ de maiori crimine reaccusare, si suã prosequatur iniuriam: & hoc etiam dato casu quod ille, qui primo loco accusauit, pariter & ipse suam prosequatur iniuriam: adhuc enim accusatus accusatorẽ suum reaccusare poterit: & super vtraq. accusatione pariter (inquit) procedendũ est, quidquid dicat glossa, in l is qui reus. C. de accusationibus, verbo, accusare, contra quam dicit tenere omnes Doctores communiter. Sed si secunda accusatio esset de minori crimine, siue æquali, tunc (inquit) licet naturalis causarum expostularet ordo, quod prius super prima, deinde super secunda accusatione cognosceretur, nihilominus gratia minuendarum litium poterit super vtraque simul cognosci: de quo ponit exemplum aliquos in id allegando Doctores, licèt paulò inferius videatur semetipsum limitare: videatur ibi, nam non licet per tempus omnia simul dicere, vt non ordo quem sequimur confundatur. Quando autem criminaliter accusatus, accusatorem suum ciuiliter possit reconuenire, tradit prędictus Iulius Clarus, lib. 5. supra citato, quæst. 2. verbo aut quæris, & quęst. 14. num. 13. vbi etiam dicit latissimè quando non ẽ accusati receptum inter reos dicatur, de quo etiã videatur ibi, vsque ad num. 41. Sed vera resolutio est, quod si reus est præsens, dicitur eius nomen inter reos receptum per litis contestationem: si verò absens & proceditur contra eum absentem per consuetas citationes; dicitur receptus in primo termino contumaciæ: nam contumax habetur pro præsente, quin verò & pro confesso. Quod si allegauerit aliquas exceptiones dilatorias, siue

ue declinatorias, dicetur nomen eius
inter reos receptum, cum primum
iudex pronunciauerit non eas habe-
re locum, & esse se legitimum iudi-
cem, quod nota bene, & procedamus ad alia.

52 Stando autem † in quarto casu ex
additis à Iulio Claro, nempè quan-
do fit sermo de accusato, sed tamē de
crimine absoluto, inquit quod cessat
in eo omnis difficultas, nam eiusmo-
di proculdubio post absolutionem,
poterit ipsummet suum accusatorem
accusare, quod tenere dicit omnes
DD. communiter, sed licèt dicat,
quod de iure Canonico quoad ipsū
accusatorem non ita est sine dubio,
quin verò circa hoc aliqua est opi-
nionum diuersitas.

Stando tamen in quinto casu,
quando scilicet fit Sermo de crimi-
noso iam condemnato, tunc (inquit
supradictus Iulius Clarus) distinguē-
dum est, nam si condemnatio est ta-
lis, propter quam condemnatus non
amittit famam, nec ciuitatem, nec li-
bertatem: in tali casu accusatorem
suum pariter poterit accusare, vt te-
nent omnes DD. communiter. Si ve-
rò propter condemnationem amisit
famam, non tamen ciuitatem, nec li-
bertatem, in eo casu dicit, quod est
diuersitas opinionum inter DD.: nā
aliqui dicunt, quod potest accusato-
rem suum accusare (etiam si non suā
prosequatur iniuriam) extraneum
autem non potest, nisi suam iniuriā
prosequatur. Alij verò indistinctè
53 tenent, quod criminosus † damnatus
per sententiam de crimine publico
neminem potest accusare, quam sen-
tentiam sibi magis placere dicit; ex
quo talis efficitur infamis, vt tradit
infra quæst. 72. vers. damnatus pu-
blicè; ex quo proinde meritò venit
ab accusatione repellendus. Quod
54 tamen † postea sublimitat, dicendo
esse verum, nisi in casu quo suam, vel
suorum prosequatur iniuriam: in eo
enim (inquit) neque iste venit ab ac-
cusatione repellendus. Post quæ su-
pradicta omnia addit, quod supradi-
cta assertio habet verum etiam in cri-
minibus exceptis: nam eiusmodi in-
famis ex damnatione publici iudi-
cij, nec etiam in illis admittitur ad
accusandum, vt tenet glossa in l. qui
iudicio publico, ff. de accusationi-
bus, verbo morte tādem, & ait, quod
est communis opinio (vt dicit Bero-
ius cap. 1. de accusationibus, num.
43.) concludendo dicit Iulius Cla-
rus ad superiora redeundo, quod aut
supradictus criminosus per talē con-
demnationem amisit ciuitatem, vel
libertatem, & tunc inquit non pote-
rit de nouo accusare, poterit tamen
accusationem semel cæptam prose-
qui: non solum aduersus suum ac-
cusatorem, verum etiam aduersus
extraneum, quod obseruari dicit in
communi praxi: aliquos in id alle-
gando Authores, videatur ibi, & no-
tentur hæc omnia, quia quam ma-
xima sunt animaduersione digna, in
quibus per tempus non amplius licet
immorari, neque prædictorum om-
nium (vt voluissemus) exempla par-
ticularia afferre.

Tertia Conclusio.

STando † etiam in iure commu- 55
ni, infames omnes prohibiti sūt
accusare. Hæc conclusio iam a-
liqualiter constat ex supradictis in
præcedenti, agendo de criminosis in
secundo casu, prosequendo distin-
ctionem adductam à Iulio Claro, vt
non ipsius intercideretur ordo; Sed
oportet hoc ipsum nunc magis elu-
cidare, atque expressius explicare,
cum res sit tanti momenti, & fre-
quentissima in praxi. Et quidē quod
infames stando in iure communi, ab
accusatione repellantur, præter iura
superius allata loco citato, tradit id
etiam expresse Diuus Thomas 2. 2.
quæst.

quæſt.68.artic.1.in ſolut.ad 3.vbi in fauorem huius, & præcedentis concluſionis inquit: non eſſe inconueniens dicere, quod aliquis per peccatum impotens, atque ineptus reddatur, ad præſtandum ea, quæ alij facere tenentur, nam etiam hac ratione impotens redditur homo ad promerendam ęternam vitam, & ad ſuſcipienda Eccleſiaſtica Sacramenta. Nec propterea dici poteſt, quod ex ſuo delicto reportet commodum: nam hominem deficere ab his, quæ præſtare tenetur non eſt commodū, ſed pęna potius, eaque grauiſſima, haud enim negari poteſt vllo modo, quod accuſare pro loco, & tempore, & quando conuenit, opus eſt virtutis, & quod omnes virtutis actus sūt quædam hominum perfectiones. Ex quo proinde ſequitur, quod qui propter culpam aliquam ab accuſatione repelluntur, non id fit in ipſorū bonum, aut commodum; ſed in pęnam potius (nec minimam) ſuorum delictorum, cui etiam reſolutioni fauent quam plurima iura, quæ habentur 2.quæſt.7.per totam; ſed pręſertim c.Clericus cum tribus ſeqq.vbi dum ratio redditur ob quam infames; & criminoſi, Clericos non poſſint, aut debeant accuſare; dicitur quod ab accuſatione repelluntur, quia accuſatio authoritatem in accuſante deſiderat, quam cum illa ſors hominū non habeat, meritò eo munere priuantur.
56 Id quod † eſt intelligendum non ſolum in cauſa priuata, verum etiam & in cauſa publica, quod certè magnam energiam, & ponderationem habet. Aduertit tamen hoc Caietanus, quod quamuis ſupradicti accuſare iure prohibeantur, non
57 tamen (inquit) prohibentur, † quin verò debent, & tenentur in cauſa publica, vt multitudini ſuccurrant, criminoſos & teſtes, & alias circunſtātias iudicibus denunciare, vt & ipſi adimpleant, quod ex officio ſuo facere tenentur. Cuius rationem reddit: nam quod huiuſmodi homines ab accuſatione repellantur, eſt de iure humano poſitiuo, quod vero etiā ipſi (vtcumque infames, & criminoſi) ſuccurrant bono communi, eſt de iure naturali, & diuino: & certum eſt, quod ius † poſitiuum, iuri natu- 58
rali & diuino non poteſt, aut debet præiudicare. Videatur etiam hac de re Magiſter Soto de iuſt. & iure lib. 5.quæſt.5.art.1. In calce huius concluſionis aduertendum eſt (id quod iam ſupra diximus in ſecundo notabili) quod quamuis ſupradicti prohibiti ſint accuſare, † admittun- 59
tur tamen ad ipſum faciendum ſi ſuam, vel ſuorum proſequantur iniuriam, iuxta textum in l. ij tamen omnes. ff. de accuſationibus & l.non prohibentur.l.non ignorant.l. ſi crimen. & l.de crimine C. qui accuſare non poſſunt. & l.2.tit.1. partita 7. vt probè tradit Paz in ſua praxi tom. 1. parte 5.c.3 n.11. vbi & in ſubſequētibus latiſſimè explicat, quinam proſequi poſſint ſuam, vel ſuorum iniuriam, à quibus in præſentiarum enumerandis conſultò abſtineo vt videantur ibidem, quia latiſſima ſunt, neque omnia poſſunt ſimul dici. Videatur etiam Farinacius loco vbi ſupra, vbi dicūtur omnia, quæ ad hoc propoſitum poſſunt deſiderari.

Quarta Concluſio.

STANDO etiam in iure communi, † ab accuſatione repellū- 60
tur inimici, de inimicitia ſuſpecti, de domo inimici prodeuntes, & qui cum inimicis familiariter cōuerſantur, & inimicorum ſunt conſanguinei. Hæc concluſio quam pluribus etiam iuribus comprobatur. Sed in primis per cap. accuſatores, cum ſequenti. 3. quæſtio.5. vbi ab accuſatione repelluntur inimici. Item & per cap.ſuſpectos, cap. omnes,

nes, eadem causa & quæst. cap. meminimus c. repellantur, cap. cum P. Manconella. cap. cum oporteat de accusationibus. Idemque † est iudi-
61 cium de inimicis reconciliatis, maximè de recenti, per supra dictum cap. accusatores el primo iniuncta glosa, & cap. qui crimen 6. quæst. 1. de suspectis autem habetur id ipsum in cap. accusatoribus, cap. suspectos 3. q. 5. & c. omnes, eadē causa, & quęst. de prodeuntibus verò de domo inimici, & qui cum inimicis cōuersantur (maximè familiariter) habetur in omnibus supradictis iuribus, & in cap. cum oporteat, cap. repellantur, iuxta glosam de Accusationibus, vbi etiam fit sermo de cōsanguineis inimicorum. Qua de re videatur Iulius Clarus, lib. 5. sentent. §. fin. quęst. 14. num. 17. vbi horū omnium rationē reddens, dicit inimicos ab accusatione repelli pro eo quod lex de eis non plenè confidit. Addit etiam hoc non omninò neque absolutè de inimicis omnibus intelligendum esse; sed distinguendum secundum qualitatem inimicitiæ: nam nō ex quolibet odio, aut qualibet ex re est prohibēdus quispiam alium accusare (vt dicunt DD. communiter in cap. Repellantur de Accusationibus,) cum certum sit quod nullus amicus aliū sibi amicum accusat; sed semper accusationem aliqua inimicitia, seu inimicorum offensio soleat præcedere: aliàs enim nullus omnino reperiretur, qui accusare posset.

62 Attamen si inimicitia † esset capitalis, meritò (inquit) eiusmodi inimicus ab accusatione erit repellendus, vt tradunt omnes DD. communiter in c. 1. de Accusationibus; quia talis accusare præsumitur potius ad vindictam priuatam, quam zelo Iustitiæ. Quod dicit esse intelligendū, nisi in casu, quo eiusmodi inimicus propriam suam prosequatur iniuriam; tunc enim nullo modo propterea ab accusatione erit repellendus. Quæ autem dicatur capitalis inimicitia vel non: inquit prędictus Iulius Clarus quod iudicis arbitrio relinquitur, vt tradit idem latius loco supracitato, quęst. 24. verbo item quæro: nos verò ea de re agemus infra quando dicemus de exceptionibus quæ vt plurimum opponi solent testibus.

Quinta Conclusio.

STando etiam † in iure communi, ab accusatione repelluntur calumniatores, conspiratores, & qui falsum testimonium dixerunt & quemlibet odio prosequūtur. Hęc etiam conclusio constat ex multis iuribus. Et quidem quantum ad calumniatores habetur expressa, ex cap. similiter & sequenti 3. quæst. 5. est que in id specialis ratio, quia eiusmodi sunt infames, & infames (vt supra diximus) accusare non possūt, iuxta cap. alieni 2. quęst. 7. & cap. accusatores, cap. constituimus 3. quęst. 5. quātū verò attinet ad conspiratores probatur etiam conclusio, ex ca. cum dilectus filius de accusatione, & ex cap. omnes 3. quęst. 5. vbi id ipsum habetur de ijs, qui quemlibet odio prosequūtur: Pro illis verò qui falsum testimonium dixerunt, facit cap. constituimus iuncta glosa positum in prædicta 3. causa, quæst. 5. vbi plura, eaquè notatu dignissima licebit reperire: sed dicta sufficiant. 63

Sexta Conclusio.

MVltiplici † etiam iure cauetur, nisi in certis casibus, quod Clerici laicos accusare non possint, nec laici Clericos, nec subditi Prælatos, aut serui suos Dominos. Hæc etiā conclusio habetur expressa in l. qui accusare ff. de accusationibus, & in multis alijs iuribus. 64

bus, quæ habentur in Decreto 2. q. 7. per totã & est omniũ DD. cõmunis. Sed ad particularia descendendo, ea de re loquendo dicit Magister Soto de secreto, memb. 2. quæst. 5. conclusione 3. quod prædicta iura intelligenda sunt tantum quoad forum exterius, & accusationem propriè dictam: nam de interiori loquendo, quamuis supradicti omnes ab accusatione repellantur, non tamen repelluntur, aut exempti sunt ab obligatione denunciandi, maximè in causa publica, cui (vt dictum est) iure naturæ tenẽtur succurrere, neq; .n. (inquit) ius positiuũ debet aut potest iuri naturali prçiudicare. Qua ratione tradit hanc generalem regulam, quod vt plurimũ ijs, qui-
65 bus † iure prohibita est accusatio, nõ est prohibita denunciatio. Nam seruus, qui dominum suum accusare non potest, denunciare illum potest, & eadem ratione subditus Prælatũ suum. Ad quod propositum facit id quod dicit etiam Diu. Thom. 2. 2. quæst. 68. artic. 1. ad 2. nempè quod subditi solummodo prohibentur iure Prælatos suos accusare ex odio siue rancore: nam si id ipsum ex charitate fieret, licitè (inquit) facerent. Id quod & extendendum videtur ad seruos, respectu suorum dominorum, & ad quoscumque inferiores, respectu suorum superiorum: non enim (inquit) prohibentur isti accusare in pçnã (vt alij criminosi) sed solummodo propter honestatẽ, & decentiam. Habet namque accusatio odij nescio quid, & rancoris redolet saporem: vnde & dedecus videtur quod subditi Prælatos, & superiores suos, & serui dominos accusent, quos potius deberent diligere & amare. At verò in casu quo ipsorum accusatio procedat, nõ ex odio, aut rancore, sed ex charitate: & serui dominos, & subditi Prelatos, & quicumque inferiores accusare possunt suos superiores, si aliàs ad id reperiantur idonei: hoc est si non sint infames, aut excommunicati (de quibus infra dicemus) neque hoc est illis naturali, aut diuino iure prohibitum, sed tantummodo (vt dictum) est ne id fiat ex odio siue ex rancore. Quantum vero attinet ad id quod dictum est de Clericis & laicis, rationi etiam multũ fuit conforme, quod nec Clerici laicos, nec laici Clericos, siue Religiosos accusent: oportet
† enim accusatorem, & accusatum eiusdem esse fori, cum accusator ad pœnam talionis se ipsum teneatur offerre, nisi probationem præstiterit: quæ quidem pœna à Clericorum iudicibus in laicos non probantes, neque econuerso, infligi minimè posset. Sed patitur hçc regula exceptionem, 66
† nempe quando clericus prosequitur suam vel Ecclesiç suæ causã, tunc enim (vt tenet Specul. in tit. de Reo circa finẽ) solita facta protestatione, Clerici bene possunt laicos accusare. Qua de re videatur glossa in c. quod verò 2. quæstio. 7. & de his, multisque alijs ad hoc propositum pertinentibus, videatur Paz in sua praxi, tom. 1. part. 5. cap. 5. nu. 20. cum sequẽtibus) vbi plura dicit; eaquè notatu dignissima. In calce huius conclusionis libuit aduertere ex Panormitano, in cap. cum P. de accusato, 67
quod laici † Clericos accusare pro 68 hibentur, quia præsumuntur id ex odio facere, iuxta cap. laicos, & c. laici 2. quæst. 7. & quia Clericos potius deberent reuereri, quam accusare; si quidem sunt ipsorum Patres, iuxta cap. oues, & c. Sacerdotes, eadẽ causa, & quęst. Sed fallit † hæc regula in 69 casu, quo laicus prosequi vellet etiã suam, vel suorum iniuriam, iuxta ca. de cetero de testibus, quod multum est notandum.

Septima Conclusio.

70 CLerici † non naturali aut diuino iure, sed humano & positiuo tantum, prohibentur etiã in causa sanguinis laicos accusare. Prima huius conclusionis pars, nempe quod non sit id Clericis naturali, aut diuino iure prohibitum probatur: Nam naturali iure eadem est Clericis cum laicis conditio, neque ad aliquid amplius tenentur ipsi, quã teneantur alij seculares, nempe ad hoc quod neminem propria auctoritate occidant, aut quod suarum iniuriarum non ex odio, aut rancore vindictam petant. Non tamen naturali, aut diuino iure interdictum est eis, homines sibi noxios, & infestos accusare via iuridica, & eadem via velle suas iniurias vindicare, & depellere, etiam si sit causa sanguinis. Nã causam sanguinis agere quandò & vbi oportet, actus est virtutis iustitiæ, & certum est, quod actus virtutum nullo iure naturæ sunt, aut esse possunt Clericis, aut laicis prohibiti. Sed quod neque id sit diuino iure prohibitum ipsis, ex eo probatur. Nam nullus est in sacra pagina expressus locus, vbi huius prohibitionis mentio habeatur. Restat igitur quod id sit tantum prohibitum iure humano positiuo; sed quidem diuino iuri nimis conformi. Qua de re extant in iure multa capitula, cap. his à quibus. cap. sententiã 23. q. 8. cap. Clericis, ne Clerici vel Monachi secularibus negocijs se immisceant, & cap. Præsbyter de homicidio: vbi ponitur irregularitatis pœna contra Clericos, qui causam agũt sanguinis. Fuit autem hæc prohibitio diuino iuri nimis conformis, vt probat D. Thom. 2. 2. quęst. 64. artic. 4. tùm propter imitationem mansuetudinis Christi, tùm etiam propter mitissimum nouæ legis misterium, Sacerdotibus ipsis commissum. Cũ hoc tamẽ stat, quod licitum est Clericis † de iure positiuo (etiã in causa 71 sanguinis) quempiam criminaliter accusare: adhibita moderatione præscripta, in cap. Prælatis de homicidio volunt. lib. 6. vbi permittitur eisdem denunciare, siue accusare in causa sanguinis, dummodo protestentur prius non se id facere quò aliqui occidantur, sed ad hoc dumtaxat, vt eorum crimina coerceantur, & emendentur, seu ipsi in pristinum suum statum restituãtur. Ex quibus infertur posse, imò quandòque & teneri Clericos ad accusandum, in casibus, quib. alij Christiani accusare tenentur, facta prius solita protestatione. Qua de re videatur Soto vbi supra, & de secreto membro secundo q. 5. concl. 3. & Iulius Clarus lib. 5. sententiarum. §. fin. quęst. 14. num. 3. verbo, dixi in primis, & Farinacius loco vbi supra num. 12. vbi plura satis notatu digna licebit adinuenire.

Octaua Conclusio.

EXcommunicati † omnes iure 72 communi prohibiti sunt accusare, & etiam milites: isti propter personarum suarum qualitatẽ illi verò propter indignitatem. Probatur hæc conclusio quantum ad excommunicatos, per cap. in sancta 2 q. 7. & c. nullus 3. quæst. 4. & cap. illi, qui cum sequenti 6. quæst. 1. & cap. certum 24. quæst. 3. Qua de re videatur Iulius Clarus loco supracitato num. 16. vbi dicit esse hoc receptissimum, atque constitutissimum, quod excomunicatus † non 73 potest comparere in iudicio, vt latius dicit ipse lib. 2. § Excommunicatus, & quod hæc est communis omnium Doctorum sententia, quæ & verum habet etiam in foro Ciuili; Nam quamuis (inquit) hoc quod est

est excommunicatum non posse comparere in iudicio, introductum fuerit iure Canonico; Seruandum tamen id est strictè, etiam in iure Cæsareo, atque Ciuili; id quod & obseruat communis praxis. Sed quantum ad milites probatur conclusio, per cap. prohibentur 2. quæst. 1. & l. qui accusare. ff de accusationibus. Qua etiam de re videatur supradictus Iulius Clarus loco vbi supra nu. 4. vbi dicit, quod de iure communi loquendo, milites accusare prohibẽtur, nisi in casu, quo suam, aut suorum prosequãtur iniuriam, pro quo adducit text. in l. non prohibentur, & l. qui de crimine. C. de accusat. Cuius prohibitionis rationem reddit, quia (inquit) milites curare debent ea, quæ ad militiam pertinent, & non in criminalibus litibus se immiscere. Sed postea se sublimitat, di-
74 cendo † quod hoc forte habebat locum in militibus antiqui temporis, de quibus dixit in l. 2. §. miles: nam hodie milites indistinctè admittũtur ad accusandum, quod & tenent omnes Doctores communiter. De vtroque prædicto casu videatur Farinac. loco vbi supra num. 14. & 27. cũ sequentibus.

Nona Conclusio.

75 PAuperes etiam stando † in iure communi, prohibiti sunt accusare, & alienigenę, & mulieres, nisi in certis quibusdam casibus. Hęc conclusio quantum ad pauperes, probatur per cap. in primis §. quia ergò, & cap. prohibentur 2. quæst. 1. Cuius prohibitionis ratio reddi potest, quia pauperes propter inopiam facillimè subornari possunt: vndè & de ipsis lex haud plurimum confidit. Qua de re videndus est, etiam supradictus Iulius Clarus loco supracitato n. 19. vbi inquit, quod regulariter loquendo in iure communi stando pauper ab accusando repellitur, ille scilicet, qui habuerit in bonis minus quam quinquaginta aureos, pro quo adducit textum in l. nonnulli, ff. de accusationibus. Ve-
rum est † tamen (inquit) quod si talis 76
pauper fuerit bonæ vitæ, & honestæ fidei, & non suspectus; propter paupertatem non debet ab accusando repelli: vt dicit glossa in dicta l. nonnulli, quam sequuntur omnes DD. communiter, & à qua (inquit) non est recedendum, neque in consulendo, neque in iudicando. Sed quantum attinet ad alienigenas, probatur eadem conclusio, per cap. accusatores, el secondo 3. q. 5. cuius etiam prohibitionis (præter alias) non incongrua etiam ratio reddi potest. Nam oportet accusatorem, & accusatum iudici eidem esse subiectos, vt accusator pęna talionis plectatur si in probatione
defecerit. Quia quidem † ratione alie- 77
nigenarum nomine communiter intelligi possunt quæcunque personæ extraneæ, & quæ cum accusato non sunt eiusdem fori: quod multum est notandum, ac memoriæ commendandum. Quantum verò attinet ad mulieres, probatur tandem cõclusio, per c. prohibentur 2. q. 1. & l. qui accusare, ff. de accus. Qua de re videatur Iulius Clarus loco supracitato nu. 8. vbi in id ipsum tradit textum in l. de crimine, C. qui accusare non
possunt, dicit tamen † quod potest 78
mulier accusare, si suam, aut suorum prosequatur iniuriam, vt habetur in dicta l. de crimine, & maximè homicidam de morte proprij mariti, quæ est communis, & receptissima omnium sententia, cum vxor, & maritus non esse videantur res diuersæ, sed sint duo in carne vna, vt tradit Diuus Paulus ad Ephæsios 5. Videatur de ijs Farinacius vbi supra numero 16. & numero 48. cum sequentibus.

Decima Conclusio.

79 De iure etiam † communi antiquo loquendo, Clerici inferiorum ordinum non admittebantur ad accusationem Clericorum ordinum superiorũ; sed id postea abrogatũ fuit, & iam non tenet. Hæc conclusio, quoad primam partem constat ex cap. Clericus 2. quæstio. 7. quod est Sylvestri Papæ, in Epilogo Concilij Romani, vbi sequentia verba habentur. Clericus aduersus Exorcistam, Exorcista aduersus Acolithum. Acolithus aduersus Subdiaconum, Subdiaconus aduersus Diaconum: Diaconus aduersus Presbyterum: Presbyter aduersus Episcopum, accusationem dare, aut testimonium ferre non valet. Facit & ca. maiorum, cap. sententia, ca. Oues, eadem causa & q. Cui decreto, atque resolutioni aliquo modo, & ratio ipsa fauere videbatur. Nam cum accusator in probatione deficiens (secundum ius) talionis pœnam teneatur subire, iuxta cap. calumniator, & cap. qui non probauerit 2. quæstio. 3. Si Clerici inferiorum ordinum admitterentur ad accusationem Clericorum ordinum superiorum; nullus esset locus talionis pœnæ subeundæ: nam si esset Diaconus, accusaretque Clericum Presbiterum de crimine, quo probato degradandus, vel suspendendus veniret ab executione Presbiteralis ordinis; ipse Diaconus haudquaquam eiusmodi pænam posset subire, cum in minori esset ordine constitutus, & idem dico de alijs. Sed nihilominus, quod huiusmodi iura iam non teneant: sintque abrogata per contrariam consuetudinem, & per plura alia iura contrarium statuentia, aut saltim insinuantia (quæ secunda erat conclusionis pars) tenet expressè glossa supradicti cap. Clericus, & constat, ex cap. præsumunt 2. quæstio. 7. in cuius summario habetur, quod non omnes subditi, sed criminosi tantum prohibentur suos Prælatos accusare: Facit & cap. lator nemesion, eadem causa & quæst. vbi refertur Episcopum à suis Clericis fuisse accusatum: cuius similia iura passim in decreto licebit reperire. Facit & cap. Clericus, cap. laici, cap. Sacerdotes, 2. quæst. 7. & cap. ex parte nostra, de accusationibus. Est ergo circa hoc vera, atque tenenda resolutio: nam non omnes Clerici inferiorum ordinum absolutè, sed illi dumtaxat, qui non sunt, neque esse possunt capaces illius ordinis, cuius charactere est insignitus is, quem accusare criminaliter intendunt, excluduntur, & repelluntur: ad id ipsum faciẽdum, per quam prohibitionem non excluduntur omnes in vniuersum Clerici ordinum inferiorum, ab accusatione Clericorum ordinum superiorum (id enim contra omnem prorsus esset rationem, vt dicit glossa supradicti cap. Clerici) sed dumtaxat ij, qui propter irregularitatem, seu quidpiam aliud simile ad altiora non possunt promoveri: vt bigami, corpore vitiati, & criminosi, propter sua scelera, & delicta à susceptione Sacrorum ordinum suspensi, & priuati: id quod & multum est rationi conforme: Et quod hoc ita sit dicendum constat expressè, ex cap. omnes 6. quæst. 1. vbi Adrianus Papa explicans quinam † Clerici ab accusa- 80 tione sint excludendi, & repellendi; dicit: Quod omnes infames & omnes qui culpis suis exigẽtibus ad Sacerdotium promoueri non possunt. Cuius rationem reddens subdit. Indignum est enim vt illi eos accusent, qui esse non possunt quod ipsi sunt: quoniam sicut maiores à minoribus nõ iudicantur, ita nec criminari possunt.

sunt. Hoc rationi multum est conforme, non verò aliud quod esse dicebatur olim de iure communi. Vndè & speculator in titulo de accusatione. §. tertio videndum, verbo in Clericorum, post alia verba ait. In Clericorum accusatione exclusis varijs opinionibus, dic, q̄ nullus admittitur, nisi sit Clericus, & nisi sit, vel esse possit illius ordinis, cuius est ipse accusatus: qua ratione (inquit) bigami, criminosi, irregulares, infames, & cæteri, qui Sacerdotes fieri nequeunt, illos accusare nō possunt: pro quo allegat cap. primum, secundum & 3. & cap. ipsi Apostoli, & cap. testes 2. quæst. 7. & cap. omnes, cap. qui crimen 6. quæst. 1.

Vndecima Conclusio.

81 STando † etiam in iure communi, impuberes, pupilli, & minores 20. annorum, & filij familias, ab accusatione repelluntur. Hęc concl. constat ex multis iuribus, sed primo ex ca. prohibentur 2. q. 1. & c. inuiti 4. quęst. 3. & ex l. 2. §. pupillus ff. de accusationibus, de qua videndus est Iulius Clarus lib. 5. sentent. §. fin. quęst. 14. num. 6. vbi & limitat eam, nisi in casu, quo suam, vel suorum prosequātur iniuriam. Et in sequenti num. 7. proposita difficultate, & quæstione de maiore 14. annorū, minore autem 25. an admitti debeat ad accusandum: respondet, quod si est minor 20. annorum est repellendus, maior verò admittendus indistinctè etiam si sit minor 25. & etiam si non suam, aut suorum prosequatur iniuriam; quā esse dicit opinionē communem, & probat eā auctoritate multorum Doctorū, quos breuitatis gratia facio missos. Sed postea
82 † in fine se limitādo dicit, quod quāuis prædicta verum habeant de iure communi, consuetudo tamen iam obtinuit, vt omnes minores ad accusandum admittantur, dum modo 14. suæ ętatis annum excesserint.

Decimasecunda Conclusio.

SErui & liberti, † & vasalli in iure communi stando, etiam prohibiti sunt accusare. Hæc conclusio quantum ad seruos, & libertos, probatur per cap. accusatores, el tercero, 3. quęst. 5. iūcta glossa, vbi id ipsum expressè habetur, & ratio prohibitionis est suspicio, quę de ipsis haberi potest propter status sui conditionem. Quantum verò attinet ad vasallos, est inter Doctores controuersia, an possint vel non possint suos dominos criminaliter accusare? De qua videatur Iulius Clarus lib. 5. sentent. § fin. quæst. 14. num. 23. verbo, sed quæro, vbi dicit, quod quamuis circa accusationem criminalem inter Doctores controuersia sit, tamen quod ciuiliter possint eos conuenire. ab omnibus communiter recipitur, & obseruatur in communi praxi. Quę pro isto articulo dicta sufficiant: nam non per tempus licet hisce in rebus amplius immorari. Solummodo † aduerto iterū (id quod Iul. Clar. dixit in fine primi notabilis) quod omnia prædicta intelligenda sunt de iure communi, secus est tamen loquendo de eo, quod propter contrariam consuetudinem iam communiter obseruatur in praxi. 83 84

ARTICVLVS V.

Vtrum fraterna correptio, accusationem debeat praecedere?

85 HAc † de re videantur Soto de secreto, memb 2. quæstio. 5. conclusio 4. & de iustitia, & iure lib. 5. quæst. etiam 5. dub. 3. Et maioris claritatis gratia, vt difficultas magis in suo puncto constituatur, pro parte affirmatiua sic argumentor, & probo quod sic. Nam in Euangelio nulla exceptione facta de denunciatione, siue accusatione, simpliciter, atque absolutè præcipitur, vt denunciationem, quæ fit iudici secreta admonitio præcedat, vt habetur Matt. c. 8. in illis verbis: Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum, &c. Ergo sicuti in denunciatione secreta admonitio, siue correptio debet præcedere: sic etiam & in accusatione. Propter hoc argumentum Durandus in 4. d. 19. q. 4. tenet, quod quamuis in foro exteriori secreta admonitio, siue correptio, non sit necessaria ante accusationē, in foro tamen interiori, & conscientiæ necessariò eamdem debet præcedere, sicut & in denunciatione. Qua de re Diuus Thomas distinctione, eadem quæst. 2. artic. 3. & Syluester, verbo accusatio §. 3. & Caietanus 2. 2. quæstio. 33. artic. 7. multa dicunt, de quibus videri potest Soto locis supracitatis. Quibus breuitatis gratia prætermissis, in tanta opinionum, & varietatē multitudine, quod verius, atque tenendum vi debitur explicabitur per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

QVando aliquis † accusat de re sua propria, nulla requiritur admonitio, aut secreta correptio, neque in foro exteriori, neque in interiori conscientiæ. Huius conclusionis ratio est: nam cum talis accusationis scopus non sit fratrem emendare, sed de illo vindictam publica authoritate sumere, aut petere: vana profectò esset huiusmodi admonitio, cum etiam fratre emendato, posset ille, qui iniuriam est passus, adhuc ius suum persequi, si id debito modo fiat, & cum debitis circumstantiis, vt dictum est supra artic. 3. agendo, an accusatio sit licita, aut non sit licita? 86

Secunda Conclusio.

QVando verò accusatio † non est de re propria, sed de crimine, quod vergit in perniciem publicam, si accusans certissimè sciat, quod per suam admonitionem frater emendabitur, & quod damnum publicum omninò cessabit, necessum est, vt admonitio secreta accusationem sicut & denūciationem præcedat. Hæc conclusio probatur, quia (vt pluries dictum est) ratio ipsa & charitas expostulat, vt Reipublicæ subueniatur, quo minimo dāno proximi fieri poterit: vnde fit, quod si admonendo ego prius proximum, abundè bono cōmuni succurrere possum, contra rationem, & charitatē ipsam certè fit accusando eumdem diffamare cum eius maiori damno: eritq; id ipsum facere & contra iustitiam: nam eiusmodi delinquens (vtcunque pestilens, atque scelestus sit) adhuc habet ius, & possessionem sui honoris, & famæ, quocirca illum tali iure, & honore priuare, cum sine eius læsione malo publico 87

blico possim succurrere, omninò erit non solum contra rationem, verum etiam & contra iustitiam. Pro cuius pleniori intelligentia notandum est discrimen, quod versatur inter pœnas inferni, & pænas huius seculi, quæ inferuntur peccatoribus. Nam
88 inferni † pœnæ per se conferuntur, nullo habito respectu ad emendam, siue correptionem illius, qui eas patitur: At præsentis vitæ pænæ, non per se expetuntur, cum non sit hic vltimum retributionis tempus: sed expetuntur, & conferuntur in quãtum sunt medicinales, & pertinent, vel ad emendam fratris peccantis, vel ad bonum publicum: cuius quies, & conseruatio per peccantium punitionem procuratur: vt ipsarum metu homines contineantur in officio, & mali à peccatis arceantur, & commune bonum non conturbetur. Cum igitur accusatio, qua pœna delinquenti intenditur, atque petitur eius generis sit, eo modo, & tempore facienda est, quo magis conducat ad hunc effectum, & finem consequendum, & excusandum est (si excusari potest) tantum proximi damnum.

Tertia Conclusio.

89 QVando crimen † vergit in perniciem publicam, & accusans non est omninò certus, quod sua proderit admonitio, siue correptio, & maximè si timeatur, quod sit periculum in mora: prætermittenda est, & statim ad accusationem, vel denunciationem iuridicam deueniendum: dummodo (vt sæpissimè dictum est) crimen non sit cognitum per confessionem. Hæc conclusio satis de se est manifesta, sed probatur hac ratione. Nam certum est, quod bonum commune, semper est præferendum bono particulari: cum igitur in tali casu (vt præmittitur) bonum commune periclitetur consulendum potius illi est, quam famæ, aut commodo particularis personæ. In quo casu intelligenda est sententia Diui Augustini, quando dixit: Quod qui veritatem occultat, & qui mendaciũ prodit, vterque reus est: ille, quia prodesse non vult: iste, quia nocere desiderat. Sed apposita est in conclusione illa particula, dummodo crimen non sit cognitum per confessionem: nam quod hac tantum via notũ est, nulla ratione, aut pacto est accusandum, nec denunciandum, quin verò de illo prorsus iudicandum, ac si nullo modo cognitum fuisset.

Quarta Conclusio.

REgulariter loquendo, † vbi imminet Regis exitium, ciuitatis proditio, vel hæreseos crimen (sed maximè in dogmatizantibus) nulla ratione est expectanda correptio, sed statim eiusmodi crimina sunt, vel accusanda, vel denunciãda. Hæc conclusio omnium est Doctorum communis, & de ea videndus est Soto loco supra citato, & Arag. 2.2. quæst. 68. artic. 1. vbi plura dicit, maximè de crimine hæresis, de quo habetur particulare præceptũ. Sed pro omnibus supradictis criminibus generalis est ratio, quia nullus debet de se tantum præsumere, vt credat, quod per semetipsum adeo ingentibus malis posse sufficienter mederi, atque succurrere. Dictum tamen est in conclusione, quod eiusmodi crimina sunt, vel accusanda, vel denuncianda: nam si possunt legitimis testibus comprobari, accusanda sunt, sin verò saltim iudicialiter denuncianda. Quod est intelligendum etiam si sciens talia crimina, de hoc non fuerit per edictum requisitus, & vtcumque ipsa secretò fuerint sibi reuelata: dum tamen non sit in confessione 90

ne (vt dictum est) quod & faciendum esse de iure diuino in peccato hæresis, manifestè colligitur ex eo, quod habetur Deuteron. 13. vbi de seductore, & ad idolatriam persuadēte olim Dominus dixit: Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia siue vxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis vt animam tuā, clam dicens eamus, & seruiamus dijs alienis quos ignoras tu, & patres tui, &c. Nō acquiescas ei, neque audias, neque parcat ei oculus tuus, vt miserearis, & occultes eum, &c. verba quidem sunt notatu dignissima, & summopere ponderāda maximè pro hæresis crimine, quod teste Paulo 2. ad Thimot. 2. vt cancer serpit, vbi & est valde ponderandum aduerbium illud, clam, quo insinuare voluit Dominus, quod vtcūque illa seductio-
91 nis † verba secretò dicantur (excepta semper Sacramentali confessione) non est huiusmodi secretum seruādum, sed statim est illud iudici reuelandum: nam moraliter, & regulariter loquendo non esse potest spes, neque illa certitudo, quæ requiritur, quod nostra secreta admonitione, seu correptione talis delinquēs emēdabitur, maximè si sit hæreticus dogmatizans, qui & propterea statim est iudici denunciandus, neque secretum de hisce rebus contra bonum commune accipiendum est, vt ingenuè docet D. Thom. 2. 2. q. 68. art. 1. in solut. ad 3. neque si accipiatur est vllo pacto seruandum.

92 Ad argumentum † igitur in contrarium adductum respōdeo. Quod illa verba intelligenda sunt ad sensum dictum, & positum in conclusionibus. Sed nota, quod quamuis in capit. qualiter, & quando de accusat. hæc constituatur differentia inter denunciationem & accusationem, quod illam secreta admonitio, hanc verò inscriptio debet præcedere (qd videtur supradictis contraire) re vera nulla est contradictio: nam ibi Pontifex loquitur de foro exteriori: at in foro conscientiæ vtrobique est necessariò facienda admonitio (si credatur profutura, & videatur per ipsam abundè, & sufficienter succurri, & prouideri posse bono communi) vtrobique etiam credo, quod necessaria sit inscriptio, si denunciatio est iudicialis, quæ secundum multos ferè solo nomine differt ab accusatione, vt iam diximus supra agendo de eiusmodi denunciatione.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm sit necessarium accusationem fieri in scriptis?

De hac difficultate, & q. agit D. Tho. 2. 2. q. 68. artic. 2. & Soto de Secreto memb. 2. q. 5. conclus. 4. & de iust. & iure, lib. 5. q. etiam 5. art. 2. & Arragon, Bañez, & Salon de iust. & iure, sup. 2. 2. D. Th. q. 68. art. 2. Ant. Gom. tom. 3. variar. cap. 11. à numero 1. cum seqq. & Iulius Clarus libro 5. sentent. §. fin. quæstio 12. numero 6. cum seqq. Paz in sua praxi tom. 1. par. 5. cap. 3. §. 6. num. 1. & Farin. 3. p. quæst. 16. à num. 1. cum seqq. De quorum omnium resolutione sequentes statuo conclusiones.

Prima Conclusio.

In rebus grauibus † necessā est, vt accusatio semper in scriptis 93 fiat. Hæc conclusio est D. Tho. & expressa dispositio iuris Canonici, atque ciuilis, vt habetur in cap. accusatorum, cap. quisquis cap. crimen 2. quæstio. 8. & in l. sicut. ff. de accusat. Qua ratione credo accusationis libellum, seu aliquid quod ipsius vicem gerat, esse de essentia, & sub-

ſubſtantiæ iudicij, ſiue ordinis iudicarij: nam quamuis hoc non ſit de iure naturali, ſed de poſitiuo: eſt tamen rationi, iuriquè naturali eidem multum conforme. Cuius quidem multiplex: ratio reddi poteſt. Quia cum iudex (vt ſæpe dictum eſt) ſit medius inter accuſatorem, & reum, in id à Principe conſtitutus, ſiue à Republica, vt ipſorum examinet cauſas, viſiſquè omnibus ſententiam poſtmodum proferat: cum etiam hominum memoria adeo ſit labilis & lubrica, vt niſi ſcriptis mandentur, multa ſimul verba diu obſeruare minimè poſſit, ratio ipſa naturalis expoſtulat, vt accuſatio non niſi in ſcriptis fiat, aut ſuſcipiatur, ne ea quæ ſubſtantialia ſunt, vſque ad ſententiam diffinitiuam è memoria excidant, & obliuioni tradantur: quæ enim verbotenus dumtaxat dicuntur, facile è memoria dilabuntur. His etiam accedat alia ratio, quę ſit ſecunda in ordine. Nam in accuſatione adhibēda ſunt capitula & poſitiones, quę Reis fiunt, ſecundū omnes ſuas circūſtantias: ſimiliter & in proceſſu eorūdem exceptiones, & defenſiones, & alia multa quæ (vt de ſe patet) niſi ſcriptis mandarentur memoria teneri minimè poſſent. Nā quò pacto iudici conſtare poſſet (& maximè in tanta negociorum mole ac multitudine) quid cuiuſque accuſatio contineat, quiue à Reo reſponſum fuerit accuſatori: quid in cōtrarium allegatum: vt his hinc indè perſpectis conformiter ad reſultantem culpam, pęna Reo infligeretur taxata à iure, accuſatio ſi non in ſcriptis proponeretur? Malè certè: Hinc vtroque iure, Canonico atque Ciuili cautū (& quidem cordatiſſime, & ad rationem multum cōformiter) vt accuſatio nō niſi in ſcriptis recipiatur, & accuſationis libellus detur in ſcriptis, & proceſſus ipſius caput occuper. Dictum eſt tamen in concluſione, intelligendum hòc eſſe in rebus grauibus: nam † in leuibus nō eſt neceſſum accuſationem in ſcriptis ferri 94
quod habetur expreſsè, in l. leuia. ff. de accuſat. vbi ſtatuitur, quod leuia ſimpliciter, & de plano diſcutiantur: procedaturquè in ipſis abſque ſtrepitu & figura iudicij. Idemquè eſt dicendum quādò crimen eſt notoriū: nam in notorijs, ſicut non eſt neceſſarius accuſator (vt ſupradiximus) ita nec in ipſis opus eſt ſcripto, aut accuſationis libello.

Secunda Concluſio.

Accuſatio † ea forma deſcribenda, & conſtituenda eſt, vt 95
actoris, & rei contineat nomen, & explicet delictū, de quo agitur, cum omnibus ſuis circunſtantijs debet etiā cōtinere accuſatoris ſponſionem proſequēdi cauſam vſque ad finem, ſi oporteat, & quod poſita eſt non animo calumniādi, ſed ſui iuris, vel publici boni tuendi: de quib. omnibus accuſator iuramentum debet præſtare, adiuncto etiā iudicis ipſius nomine, & accuſatoris ſubſcriptione ſe ad talionis pęnā offerētis, ſi in probatione defecerit. Hæc concluſio eſt omnium Doctor. communis, & quę habetur in cōmuni praxi. Sed aduerto, quod illud vltimum de inſcriptione ad pęnā talionis, quamuis non in ipſa accuſatione explicetur (vt inquit Tho. 2. 2. quæſt. 68. art. 4. & cum eo omnes DD. communiter) in eiſdē eſſentia, & natura includitur, quod tenet expreſsè Speculator tit. de accuſationibus lib. 3. §. 1. nu. 17. & D. Antoninus 3. p. Summæ, titulo 9. ca. 8. §. 3. & probat illud per textū in ca. quiſque 2. queſtione 8. De quibus omnibus videndus eſt Paz in ſua praxi to. 1. p. 5. ca. 3. §. 6 à nu. 1. cum ſequentibus. Videatur etiā Iulius Clarus lib.

5. ſen-

5 sentent. §. fin. quæstione. 12. nu. 9.
96 cum sequentibus, vbi dicit † accusationis formam continere debere speciem delicti, & locũ & tempus, quin verò diem, & horam, qua fuisse cõmissum dicitur, iuxta textum in l. libellorum ff. de accusation. & quod si accusatio nõ ipsa cõuincat, erit ipso iure nulla: etiã si pars non opponat: quã esse dicit opinionem communẽ, vt tradunt communiter scribentes in l. edita C. de eden. Cuius rationẽ
97 reddit, † quia si locus, & tempus cõmissi delicti nõ exprimeretur, in certa proculdubio redderetur accusatio, neque reus posset probãdo negatiuam coarctatã, aliquo modo se defendere, & testes, qui contra adducũtur de falso forsan cõuincere: sed de hoc latius dicemus infra, cũ agemus de libelli oblatione, quæstione 20.

Tertia Conclusio.

98 NOn solum † constitutum est iure, vt accusatio nõ nisi in scriptis recipiatur; verum etiam quod non recipiatur absente eo qui accusat. Hæc conclusio habetur expressa in cap. per scripta 2. q. 8. quod est Stephani Papæ, vbi præcipitur, quod non alicuius accusatio per scripta suscipiatur. Cuius decreti sensus non est, quod accusatio nõ sit in scriptis porrigẽda, cõtra ea quę superius sunt dicta: sed quod nõ est admittenda in scriptis, absente eo, qui accusat; quin verò accusator cũ sua accusatione corã iudice simul debet cõparere; quod est valde memoriæ comẽdandũ: & ne ab absentibus accusatio aliqua suscipiatur, quia iustitiæ diluendę afferre posset quam plurimũ nocumentũ. Qua de re videatur Paz loco vbi supra nu. 9. & 10. vbi ex hoc,
99 † probat accusationẽ per procuratorem nõ debere proponi, iuxta textũ in l. penult. §. ad crimen. ff. de publicis iudicijs, & l. tunc conuenit. C. de accusationibus, l. de fide. C. ad l. Cornel. de falsis, & c. veniens de accusat. facit, & textus in ca. in criminalibus 5. quęst. 3. & c. qui accusare 3. quęst. 9. & lex Regia 12. tit. 5. part. 3. & l. 6. tit. 1. p. 7. Videatur ibi, vbi ad hoc propositũ dicit plura, eaque notatu dignissima.

Quarta Conclusio.

QVod Reus † etiam debeat esse 100
præsens, & nullus absens accusetur, licet appareat expressum in iure Canonico in c. accusatorum, & c. per scripta 2. q. 8. & colligatur ex l. absentẽ ff. de pœnis, & l. absentem. C. de accusationibus: nõ tamen id vsque quaque modò obseruatur in praxi, neque adeo certũ est, vt quandoquè nõ liceat cõtra absentẽ accusationẽ iudicibus exhiberi. Hęc conclusio est etiam omniũ Doctorum cõmunis: circa quam, notandũ est, quod quamuis accusatio cõtrà absentem interdũ exhibeatur, & suscipiatur, ipse tamen Reus
† absens nõ est aliquo modo damnã 101
dus, & maximè in causa capitali: quin verò, nec in quacũque alia criminali, antequam vocetur, & præsens audiatur; vt habetur expressè in l. absentem. C. de accusationib. & in multis alijs legibus, & glossis breuitatis causa ommissis. Sed aduerto
quod † absentes rei publico preconio 102
vocati si cõparere noluerint, habentur vt rebelles, & cõtumaces: & sñia in ipsos veluti in contumaces profertur: non tamen postmodũ capti, aut voluntariè iudicibus præsentati: sententia ipsa executioni mandatur, antequam de nouo audiantur. Qua de re videatur Paz in dicta sua praxi, tomo 1. parte 5. capit. 4. per totũ, & Monterroso in sua praxi, vulgo dicta: de Escriuanos:

vbi breuiter, & compendiosè dicuntur, omnia quæ in eiusmodi accusationibus, contra absentes, siue fugientes. debent, & solent obseruari, & qualiter præconio solent ipsi vocari: à quibus in præsentiarum dicendis consulto abstineo, breuitati studens, & quia nō sunt mei propositi, facileque poterunt videri ibidem.

ARTICVLVS VII.

Vtrum sint aliqua quæ iniquam & iniustam reddant accusationem?

103 HANC difficultatem † D. Thom. 2. 2. quæst. 68. artic. 3. sub hac verborum forma proponit: Vtrum accusatio reddatur iniusta, propter calumniam, præuaricationem, & tergiuersationem? Et vt quod quæritur melius percipi possit, quid prædicta tria nomina significent explicare oportet. Et dico breuiter, quod calumniari propriè loquendo, est falsum crimen alicui obijcere. Præuaricari verò, in accusatione aliquid dissimulare, seu accusatorem cum reo collusionem facere, ad effectum, quod reus ipse non puniatur, ipsius partes adiuuando: quod communiter fieri solet falsas probationes adducendo, aut veras dissimulando, ad hoc vt in fraudem boni publici, accusator ipse à Reo superetur & vincatur. Tergiuersatio autem est in vniuersum ab accusatione desistere: significat enim tergiuersari, idem quod causæ, siue accusationi tergauertere. Quo præmisso notabili, propositæ difficultati respōdetur per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

104 CErtissimum est, quod accusatio † quæ aliàs debitis circunstantijs ornata, atque vestita foret iusta; quin verò & actus virtutis iustitię: redditur iniqua, & iniusta per supradicta tria, nempe per calumniam, præuaricationem, & tergiuersationem: & qui in iudicio calumniatur, præuaricatur, seu tergiuersatur: aut accusationi tergauerterit, iniquè agit. Hęc conclusio est D. Thom. loco vbi supra, quin verò est expressa dispositio iuris communis, vt habetur in c. si quem pœnituerit 2. q. 3. & in l. accusatorum, ff. ad Senat. Consultum Turp. vbi dicitur accusationem aliàs iustam, tribus prænominatis vijs, vitiari, & iniquam reddi. Pro quo oportet aduertere, quod † omnia 105
vitia, quæ in accusatione possunt cōcurrere, ad tria prædicta capita reducuntur. Nam in accusatione (quæ ad bonum commune ordinatur) dupliciter peccare contingit: vno modo fauendo reo: alio verò fauendo plus nimio Reipublicæ, in rei damnum & præiudicium: Etenim qui crimen aliquod falsum alicui in iudicio impingit prætextu boni publici, plus nimio fauet Reipublicæ (& hic dicitur calumniator) quod contingit, non solum quando quis alicui falsum crimen imponit; verum etiam & quando reuelat id quod est occultum, & quod probari non potest iure: nam quod idoneis testibus comprobari non potest, falsum in iure reputatur: hoc inquam est calumniari. At verò vice versa, qui vt reo faueat Reipublicæ pręiudicat (quod contingit si precio vel prece corruptus procurat ne reus ipse, qui peccauit puniatur, falsas adducendo probationes, aut veras dissimulando) eiusmodi dicitur præuaricator, siue præuaricari; seu cum reo colludere; quod est idem: Potest etiam quis alio modo reo fauere in præiudicium Reipublicæ, causam semel cœptam sine ratione, & causa totaliter deserendo: & hic dicitur tergiuersari, seu causæ terga vertere: ex quibus planè colligitur id quod superius dictum

est, nempe quod omnia vitia, quæ vt plurimum in accusatione possunt, & solent interuenire, ad tria prædicta capita reducuntur: nempe ad calumniam, præuaricationem & tergiuersationem. Quibus sic breuiter præmissis, inquiramus oportet, an prædicta tria æqualiter sint peccata, vel sit penes illa distinctio aliqua? Cui difficultati: fiet satis per sequentes conclusiones.

Secunda Conclusio.

106 CAlumniari † aliquem in iudicio, licet ex suo genere sit peccatum mortale: vt habetur in c.1.2.2.q.2. & calumniator teneatur ad omne damnum proximo sui causa illatum, vt habetur in c.vltimo de calumniator. si tamen id fiat ex ignorantia, vel animi leuitate, & non ex malitia: aut si materia sit parua: calumnia tantum erit peccatum veniale. Hæc conclusio est communis omnium Doctorum resolutio, de qua videndus est Soto de secreto, memb. 2. q. 5. conclusione etiam 5. & de iust. & iure lib. 5. q. 5. art. 3. & Aragon, Bañez & Salon, de iust. & iure 2.2.q. 68. art. 4. Imo verò dico, quod tanta esse poterit ignorantia, & adeo inuincibilis, & inculpabilis: vt nullum forsan sit peccatum. Nam calumniator in iure non dicitur, nisi qui falsum crimen alicui ex malitia imponit, neque in iure sine malitia calumnia esse potest. Erit ergo calumnia maior, vel minor culpa, quo maior, aut læuior fuerit causa, quæ calumniatorem ad calumniandum, vel accusandum induxit. In foro autem exteriori, si prædicta culpa, & calumnia verè probatur, talionis pęna calumniator plectebatur olim: sed iam hæc pęna recessit ab vsu (vt dicemus infra) punitur tamen nihilominus nunc calumniator, iudicis arbitrio alia pœna læuiori.

Tertia Conclusio.

PRæuaricari † in casu vbi præceptum erat accusare: nempe quando crimen erat contra bonum commune reipublicæ: ex genere suo semper est peccatum mortale: secus est autem in casu, quò causa esset particularis. Hæc conclusio est etiam omnium Doctorum resolutio. De qua videndi sunt supradicti authores locis citatis, neque vlteriori aliqua indiget probatione. Nam certissimum est quod in causa ad bonum commune spectante, & vbi pręceptum est accusare, qui prec, vel precio, vel alio modo cum reo colludit: præuaricator est, & mortaliter peccat. Secus est autem in causa particulari: nam in sua propria causa licitum est cuilibet iuri suo cedere, vel in totum, vel in parte: & ab accusatione desistere, & suas probationes dissimulatione præterire, dum tamẽ ad id non aliqua vtatur falsitate. Hoc itaque est certum, atque indubitatum. 107

Quarta Conclusio.

TErgiuersari, † seu causæ tergauertere, in casu, quo accusator tenebatur in accusatione persistere: vtpote quia causa spectabat ad bonum commune: ex genere suo semper etiam est peccatum mortale. Hæc etiam conclusio est communis Doctorum resolutio. De qua vidẽdus est Soto, & Aragon, Bañez & Salon locis supra citatis. Aduerto tamen quod tribus modis tergiuersatio citra culpam potest accidere. Primò cum quis in propria causa accusauit: tunc enim sicut liberè accusationem inscripsit liberè etiam; & cũ voluerit potest accusationem eandẽ deserere. Secundò potest id ipsum contingere, quando accusauit quis 108

in

in cauſa publica, ſed falsò, aut læuiter: nam ſi falsò certum eſt, quod tenetur in conſcientia ſtatim ab accuſatione deſiſtere, etiamſi in foro exteriori, & cõtentioſo puniatur quinque libris auri, iuxta l.3.ff.de præuaricat. vt tradit Syluester, verbo, accuſatio, quæſt 6. & Angelus eodem verbo, num.8. ſi verò non falsò, ſed læuiter accuſauit, & timet in probatione deficere: poteſt etiam procul dubio cum reo conuenire, & ab accuſatione deſiſtere: & hic eſt proprius caſus ſupradicti c.ſi pœnituerit 2.q.3. Tertiò poteſt quis ab accuſatione deſiſtere auctoritate Principis, qui aliquando propter illuſtrem alicuius perſonæ dignitatem, & Reip. vtilitatem, ſicut potuit ab initio accuſationem repellere: ita & in proceſſu poteſt ipſam abolere: vt habetur expreſsè in capit. præallegato: nam cum accuſatio ad bonum commune ſemper habeat ordinari, ille, qui boni communis curam gerit, (nempe Princeps) cum viderit talis medij ablationem ad finem communis boni magis profuturam, quam eiuſdẽ proſecutionem, id abſque dubio facere poterit: ſemper tamen curando, vt accuſator ipſe liber, atque immunis reddatur. Ex quibus omnibus conſtat, quæ nam culpa ſit in iudicio calumniari, præuaricari, aut tergiuerſari. Videatur Soto de ſecreto memb.2. quæſt. 4. concluſione 3. & lib.5. de iuſt. & iure, quæſt. 5. artic. 5. & Aragon 2.2. quæſt 68. ar. etiam 5.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum iudex pro libito ſiue ex cauſa, accuſationem poſſit reſcindere, & accuſans precio, vel precibus ab accuſatione deſiſtere.

DIFFICVLTAS præſentis articuli, quantum ad primam ipſius partem mouetur à Caiet. 2.2.q.68.ar.3. & pro pleniori eiuſdem intelligentia, & reſolutione, præmittere oportet. Primò, quod intelligi poteſt de iudice inferiori, & de ſuperiori. Et præterea de accuſationibus vitioſis, & defectuoſis, ſiue propter temeritatem, ſiue propter calumniam, & etiam de perfectis, & conuenientibus. Quæ & in duplici eſſe poſſunt differentia: nam quædã ordinantur in bonum commune, aliæ verò in bonum particulare, & ad ſatisfaciendum parti læſæ, quæ aliquam paſſa eſt iniuriam.

Secundò præmitto ex Panormit. & gloſ. in c.1. de colluſionibus: quod accuſatorem ab accuſatione deſiſtere, poteſt contingere multipliciter. Primò ex propria auctoritate, & motu proprio, quia ſcilicet id ita ſibi placet. Secundò ad preces ipſius rei. Et tertiò per tranſactionem, aliquo dato ſibi precio à cauſa ſemel cepta deſiſtendo: (id enim ſignificat tranſigere, vt conſtat ex ca. ſuper eo de tranſactio. quod eſt quaſi à iure tranſire.) Et tandem quartò, & vltimò per abſolutionem, hoc eſt, impetrando à iudice facultatem recedendi, & delicti abſolutionem, & deletionem, & ceſſationẽ ab accuſatione, ex aliqua legitima cauſa, vt puta quia accuſauit ex ira, vel ex errore: quod facere licet, per l.2.C. de abolitio, & ſupradicta omnia poſſunt etiam contingere, in cauſis ciuilibus vel in criminalibus: quæ criminales cauſæ iterum ſubdiuiduntur, in priuatas, & ſpirituales & populares. Quibus ſic præmiſſis, propoſito articulo reſpondetur per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

IVdex etiam inferior, † bene poteſt reſcindere eas accuſationes, 109
quas vitioſas, & defectuoſas eſſe cognouerit: vel propter calumniam, vel propter temeritatem;

non tamen illas, quæ fuerint iustæ, & ordinātur ad satisfaciendum parti læsæ. Probatur conclusio quoad primam partem: nam sicut à principio (si id ipsum cognouisset) potuisset illas non admittere, sic & postquam admissæ sunt potest illas rescindere: neque in hoc cuipiam faciet iniuriā quin verò contrarium faciendo illam irrogaret ipsi iuri, si eiusmodi accusationes prosequeretur postquā eas tales esse viderit. Quoad secundam verò partem probatur eadem conclusio: nam iudex tenetur ex iure ius suū vnicuique reddere secundum legis statuta posita à Principe, cum in id principaliter ab eodem in tali officio fuerit constitutus: quo fit vt accusationes iustas, & quæ particularem alicuius exigunt satisfactionem, necessariò teneatur acceptare, & prosequi, nec illas possit rescindere, aut super eis dispensare, ni forsan in casu dicendo in conclusione sequenti.

Secunda Conclusio.

110 IVdex † etiam inferior, bene potest in aliquo casu accusationes iustas pertinentes ad bonum particulare, quin verò, & ad bonum cōmune refellere, atque rescindere, quando viderit, & certò cognouerit, eiusmodi accusationes perniciosas fore bono communi. Probatur, simul & declaratur conclusio, vt si iudex (verbi gratia) viderit, & certo cognouerit, ex accusatione aliqua alicuius personæ particularis, rempublicam fore perturbandam, & in eadem ingentem aliquam seditionem excitandam, propter personæ accusatæ conditionem, & dignitatem maximam, seu aliquid huiusmodi: dico quod in tali casu potest iudex (etiam inferior) eiusmodi accusationem non admittere, vel semel admissam, & incoatam rescindere; abolere, vel dissimulatione preterire: suspendendo ipsius prosecutionem, si non aliter (vt dixi) prouidere posset bono cōmuni. Sed aduerto, quod quamuis in hoc casu id facere possit vterque iudex, inferior & superior: non tamen æqualiter, sed diuerso modo. Nam iudex † superior (nempe Princeps) pōt absolutè, & de iure eiusmodi accusationes refellere, quoties expedire videbitur bono communi, tanquam ille, qui ex rationabili causa in legibus à se positis dispensare potest: At verò iudex inferior non id potest absolutè, & de iure: sed tātum ex Epicheia, hoc est ex æquitate, & ex quodam altiori iudicio, & iuxta legis interpretationem: nam lex arctatæ potestatis preteremittenda est interdum pro conseruādo bono communi, & vsurpanda alia maiori, quoties bono eidem communi visum fuerit expedire. De qua superiori lege videndus est Arragon 2.2. quæst. 58. artic. 5. vbi ad hoc propositum dicuntur plura eaq; notatu dignissima. 111

Tertia Conclusio.

IVdex superior † (nēpè Princeps) ex causa non solum potest rescindere accusationes ad commune bonum spectantes: verum etiam & illas, quæ spectant ad bonum alicuius particularis personæ, & ad satisfaciendum parti lesæ. Hanc conclusionem tenet expresse Aragon loco supra citato, & quæstion. 68. art. 3. in primo dubio. Cuius & ratio in promptu est: nam cum eiusmodi iudex sit, qui plenè gerit curam boni publici, & ad commune bonum spectet omne bonum, siue malum cuiusuis personæ particularis: inde est quod eius sit muneris, & ad iudicem eundem spectet, disponere, & ordinare non solum communia bona, verum etiam propria, & particularia singulorum, & particularium ciuiū pro vt 112

melius

melius communi bono iudicauerit expedire. Videatur Aragon loco ſupracitato. Sed deueniendo ad ſecundam difficultatem propoſitam in articulo de accuſatore, ſit quarta concluſio.

Quarta Concluſio.

113 AB † accuſatione ciuili, & merè pecuniaria, licitum eſt accuſatori deſiſtere, quoquo pacto id faciat, vel ex proprio motu: quia nempè id ſibi placet, vel ad preces ipſius rei accuſati, ſeu aliorum, & etiam per tranſactionem. Hæc concluſio eſt ſupradicti Aragon loco ſupracitato, quæſt. 68. artic. 3. in ſecundo dubio. Pro qua eſt aduertendum, quod quando per tranſactionem ab accuſatione deſiſtitur, ſi id fiat poſt libellum oblatum, & à fortiori poſt litis conteſtationem: non licèt id ipſum facere ex propria auctoritate, ſed fieri debet ex auctoritate Principis, niſi fortè accuſator ipſe in totum cauſæ, & liti renunciare velit: vt habetur in l. poſtquam liti, ff. de pactis. Sed tamen ſi id fiat ante libellum oblatum, bene poteſt propria auctoritate tranſactio fieri:
114 ſed intelligendum hoc † eſt, excepta famoſa actione, qualis eſt actio furti à qua ſine iudicis auctoritate non licet ab accuſatione recedere, ſeu tranſigere, vt tenet expreſsè Panormit. cap. 1. de colluſionib. & habetur in l. Furti. §. pactus. ff. de ijs qui notantur inf. Idemque eſt dicendum in cauſis quæ non pendent ex libera litigantium voluntate, vt ſunt cauſæ matrimoniales, & ſimiles.

Quinta Concluſio.

115 IN cauſa criminali † ſpirituali proximi, ſiue procedatur per modũ inquiſitionis, ſiue denunciationis, ſiue accuſationis: quamuis licitum ſit diſcedere ad preces accuſati ex rationabili cauſa: non tamen ſine illa, & multo minus per tranſactionem. Hęc concluſio conſtat expreſsè ex capit. qua propter. 2. quæſtion. 7. vbi puniri iubetur, qui ſine rationabili cauſa à denunciatione, ſiue accuſatione diſcedit. Quod etiam per tranſactionem id facere multo minus liceat, perſpicuum eſt: nam omninò contra rationem eſt & contra iuſtitiam, vt quis precium accipiat, ne ſpiritualem cauſam proſequatur in iudicio.

Sexta Concluſio.

IN cauſa populari, † hoc eſt, in cauſa ad commune totius populi bonum ſpectante: nunquam licitum eſt ab accuſatione diſcedere, nec ex beneplacito proprio, neque ad preces accuſati, & multo minus per tranſactionem. Hæc concluſio eſt certa, & manifeſta, conſtatque ſuperque ſatis ex ſupradictis: dum ageremus de denunciatione, & accuſatione. Et adeo certa quod ſi in his tranſactio fiat, nulla eſt, & accuſatus ipſe habetur pro cõfeſſo, vt habetur, in l. transigere, C. de tranſactionib. & in l. in omnibus, ff. de præuarica. 116
Quod eſt intelligendum, † niſi tale ſit crimen quod induceret pęnã ſanguinis. Tunc enim impunè poſſet vnuſquiſque tranſigere, & ſanguinem ſuum qualitercumque redimere. Idemque eſt dicendum ſi induceret pęnam perpetuæ detruſionis, aut pęnam falſi: nam vt dicitur in dicta l. transigere, conuictus de falſo eſt quaſi mortuus, cum ei nulla omninò adhibeatur fides. In omnibus verò alijs cauſis, in quibus eiuſmodi pœnæ non irrogantur, haud quaquam licitum eſt tranſigere, vt conſtat ex capit. ſi quem penituerit, 2. quęſt. 3. Hoc eſt quantum attinet ad ipſum accuſatum tranſigentem, ſeu 117

qui

qui alium precio corrumpit. Nam loquendo de accusatore, qui transigit, certum est, quod qui desistit ab accusatione publici criminis, quod accusare tenebatur, siue id faciat ex beneplacito proprio, siue ad preces accusati, & multo magis si fiat per transactionem, mortaliter peccat, neque id facere vllo modo licet, nisi ex præcepto, & mandato Principis, & rationabili existenti causa, vt dictum est in secunda conclusione.

Septima Conclusio.

118 IN causa † criminali priuata, quæ solum vergit in iniuriam, & præiudicium particularis personæ, stando in iure naturali, bene potest vnusquisque accusator ab accusatione desistere, siuè ex proprio motu, siuè ad preces rei accusati, seu aliorũ, & etiam per transactionem. Hæc conclusio de se patet: nam stando in iure naturæ, licitum est cuilibet suæ iniuriæ facere remissionem, seu ad preces alterius, siue precio sibi dato, seu aliquo quouis modo. Sed tamen notandum est, quod ex dispositione iuris positiui ante inchoatam accusationem, & ante inscriptionem factam ad pœnam talionis, licitum est cuilibet id facere propria auctoritate, vt habetur in l. mulier, & in l. quæsitum, ff. ad Turpilian.: non tamen post inchoatam litem, & positã accusationem, & inscriptionem factam: secundum Panormit. sine iudicis auctoritate: & consensu rei, de quo videndus est Syluester, verbo, accusatio, q. 11.

ARTICVLVS. IX.

Vtrum si accusator in probatione deficiat, teneatur subire pœnam talionis?

DE hac difficultate † videatur D. Thomas 2.2. quæst. 68. ar. 4. & ibidem omnes eiusdẽ expositores. Et ex iurisperitis Ant. Gomez tom. 3. variar. cap. 11. num. 3. & Iulius Clarus lib. 5. sententiarum. §. fin. quæst. 12. nu. 19. Paz in sua praxi tom. 1. p. 5. cap. 3. §. 6. num. 52. Farinac. 1. p. quæst. 16. à num. 1. cum sequent. Et pro tituli intelligentia est notandum, quod talio dicitur à tali, quod & Arist. 5. Ethic. repassium siue repassionem vocat. Stat igitur talionis pęna in hoc, vt quisque tale patiatur, quale contra ius alteri moliebatur. Quo præmisso, quæ circa hãc talionis pęnam sunt dicenda, sequẽtes explicabunt conclusiones. 119

Prima Conclusio.

IVstissimum est, † vt qui per accusationem quempiam induxit in periculum grauis alicuius pęnæ subeundæ, talem patiatur, & ipse. Hæc conclusio determinata est vtro que iure, Canonico, atque Ciuili: & habetur in ca. calumniator 2. quæst. 3. (quod est D. Damasi Papę) vbi dicitur. Quod calumniator, si in probatione deficiat, talionem recipiat. Et in c. qui non probauerit, eadem causa & quæstione, quod est Adriani Papæ, habetur id ipsum. Dicitur enim ibi.: Quod qui non probauerit crimen quod obiecit, pœnam quam ipse intulit patiatur. Idem habetur in cap. quisquis, & c. qui crimen 2. quæst. 8. & in l. mulier, & in l. quæsitum, ff. ad S.C. Turpil. Cuius quidẽ conclusionis ratio in promptu est: nã cum iustitia in ęqualitate consistat; ipsius 120

ipsius certè equalitas exposcit, vt qui per accusationem aliquem in periculum alicuius pœnæ subeundæ induxit, similem & ipse cogatur subire. Cum igitur ad iudicem spectet æqualitatem inter accusatorem, & & accusatum constituere, ad ipsum spectabit subinde, præcipere vt pęna talionis plectatur, qui in alicuius criminis accusatione defecerit. Hæc etiam conclusio est D. Thom. 2. 2. q. 68. artic. 8. de qua videndus est Soto lib. 5. de iustitia & iure, q. 5. art. vltimo. Et est expressa Hostien. in Summa tit. de calumnia. §. quando debet, & Speculatoris, tit. de accusatione. § fin.

Secunda Conclusio.

121 TAlionis pœna, † quamuis non sit expresse de iure naturali, est tamen eidem multum cōformis. Quod non sit de iure naturali exinde patet: nam quamuis naturalis ratio dictet, quod qui de facto aliquem occidit, de facto etiam occidatur, & ipse, non tamen dictat quod de facto occidatur ille, qui quēpiam voluerit occidere, aut id ipsum procurauerit. Simili modo dico, quod quamuis dictet quod qui de falso aliquem accusat, sit etiam aliqua pœna puniendus: non tamen dictat quod sit tali pęnæ subijciendus Reus, qualem ipse alteri intendebat infligere: alias enim deterrerentur plus nimio homines ab accusatione, quod quidem in magnum damnum vergeret & detrimentum boni communis ad quod nos natura ipsa inclinat. Sed quod Talionis pęna sit rationi naturali multū conformis, ex eo probatur: nā de iure naturali est, vt iuxta mensuram peccati sit etiam, & plagarū modus: quod non rectè fieret, nisi illud idē quod quis alteri per iniuriā intulit, aut saltim inferre parabat patiatur & ipse: quod Aristot. le passionem siue contra passum vocat, ex quo proinde nostrum sequitur intentum.

Tertia Conclusio.

TAlionis pęna † non est modò de iure diuino, sed humano iure stabilita. Pro cuius intelligentiā premitto, fuisse aliquos in ea opinione, & sentētia, vt dicerent Talionis pęnam esse etiam nunc de iure diuino: fundati in eo quod habetur Exod. 21. Oculum pro oculo, dentē pro dente, & in eo etiam quod habetur Deuterō. 19. vbi sequentia verba habētur: Cūque diligentissimè perscrutantes inuenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit. Ex his colligunt eiusmodi DD. Talionis pœnam esse etiam nunc de iure diuino: sed re vera falluntur. Nā illa verba sunt veteris legis præcepta, quæ in morte Christi spirauerunt, & cessauerūt: iuxta illud Pauli ad Heb. 7. Vbi agēdo de Christi Dñi sacerdotio dr̄: Quòd translato sacerdotio, necesse fuit vt, & legis translatio fieret. Quod si aliquādo post Christi Domini mortē, hoc Talionis præceptum robur, & vim aliquam habuit obligandi, nō id fuit propter eam quam habuerit ab antiqua lege sed propter legem, & cōstitutionem humanam nouam, quam instituit Beatus Damasus, & instituere eam de nouo poterit, quęcumque etiam alia Respublica. Quod vt notum plenius fiat dico, quod præcepta veteris legis in triplici erant differentia. Quædam enim erant moralia, quædam ceremonialia, alia verò iudicialia. Inter quæ hoc versatur discriminis, quod moralia (quia erant dictamina naturalis rationis) erant etiam de lege naturæ, & semper obligarunt etiam ante legē scriptam, & nunc etiam obligant, 122

& sunt in Euangelio confirmata & roborata. At verò præcepta ceremonialia (quia tantum erant signa quędam nouæ legis, & figura Christi Domini venturi) iam veritate adueniente cessauerunt, & tanquam signa modò falsa, nunc de nouo non possunt institui. At iudicialia præcepta, quamuis vt omnia alia, quãtum ad vim obligandi cessauerint in morte Christi (exceptis ijs, quæ erant de lege naturali) possunt tamen nũc de nouo institui, & iterato præcipi, si ex aliqua iusta causa, id esse æquum, & iustum videatur. Ad propositum ergo de pęna talionis deueniendo dico, quod post mortem Christi non habuit, sed neque habere potuit vim aut robur obligandi à veteri lege, sed si vim, & robur aliquod modo habet, id est ex noua institutione & determinatione Damasi Papæ, & aliorum Summorum Pontificum, de quibus diximus supra, seu etiam iurisconsultorum, de quibus statim dicemus. Sed dices, vnde nam ortum habuit, seu à quo primitus fuit inuenta hæc Talionis pęna? respondeo, & fit quarta conclusio.

Quarta Conclusio.

123 POenam † Talionis (vt refertur) ex Christianis primus B. Damasus Papa instituit. Ita habetur in propria eius Historia, & tradunt id etiam omnes Historici communiter. At verò ex antiquioribus, vt Auctor est Aristot. 5. Ethicorum, capit. 5. ortum illa habuit à Pythagoricis, iuxta illud Radamanti: Si quæ fecit patiatur, & ipse, rectum erit iudicium. Vbi & ipse hoc explicando limitat huiusmodi dictum
124 † dicens: Talionem, siue repassionẽ, non rectè semper fieri secundum æqualitatem nam si (verbi gratia) Princeps plebeium percutiat, nõ rectum erit iudicium, vt ipse similiter repercutiatur: è contra verò si ipsum plebeius percutiat, non est satis vt ipse simili modo percutiatur, sed hoc debet fieri secundum Analogiam, seruata ratione, & personarum proportione. De quo videatur Aragon, secunda secundæ quæstione, 68. articulo quarto, & Soto de iustitia & iure, libro quinto, quæstione quinta, articulo quarto & quinto, cum sequentibus.

Quinta Conclusio.

PRædicta † Talionis pęna iam non est in vsu. Hoc habetur expressè apud Iustinianum Instituta de iniuri. §. pęna, & idem habetur in lege ordo, ff. de publi. iud.: nam quamuis huiusmodi Talionis lex, in 12. Tabulis reperiatur scripta, post modum tamen Principum clementia reuocata est, & desuetudine abrogata. Hac de re videatur etiam supradictus Soto, libro quinto de iustitia, & iure, quæstione quinta, articulo quarto, & Couarruuias libro secundo variarum, capite nono, numero primò, & Iulius Clarus, libro quinto, sententiar. quæstione duodecima, numero decimoquinto, cũ sequentibus, latissimè. Antonius Gomez, & Paz, & Farinacius loco vbi supra, & quæstione decima sexta à numero. 1. cũ sequentibus, & quęstion. 81. num. 3. & Doctor Segura de Aualos in suo Director. Ecclesiastico indic. secunda parte, capite secũdo, numero decimoquarto & deinceps. Nec modo † huiusmodi lex & pęna est in praxi, nisi forsan in aliquo seu aliquibus specialibus casibus quorum est præcipuus, quando testis tulit falsum testimonium contra aliquem in causa capitali, maximè si eius occasione innocens fuerit interfectus: nam talis iubetur occidi in Regnis Castellæ,

125 (margin, beside "PRædicta † Talionis pęna iam")
126 (margin, beside "inceps. Nec modo † huiusmodi")

lege vltima Tauri, de quo dicendum erit amplius in alio nostro Libro de delictorum pœnis, vbi Deo dante agemus de pœnis omnibus in vniuersum correspondentibus delictis.

In calce huius conclusionis libuit aduertere, quod Talionis pœna, visa est semper atrox & acerba, etiam Christo Domino, & vt talem illam retulit Matthæi. 5. non tamen ibi illam tanquam iniquam damnauit, aut vetauit, nec verò confirmauit, aut de nouo indixit (vt quidam pro libito suo volunt) sed tanquam acerbam & duram ipsam dijudicando, de condonandis & remittendis iniurijs saluberrimum, atque prouidentissimum proinde dedit consilium. Consilium inquam dixerim, non præceptum: nam solummodo est præceptum, vt in præparatione animi neminem odio habeamus, & quod iniuriarum vindictam non propria auctoritate, sed publica quæramus: nam si fiat vti par est, & cum debitis circunstantijs, nullum erit peccatum iniuriarum quærere vindictam, vt iam supra diximus in conclusionibus.

Sexta Conclusio.

127 Qvamuis † tota Talionis pœna nunc iam non sit in vsu, pro his, qui proximum suum falsi alicuius criminis accusant: plectuntur tamen eiusmodi acriter iudicis arbitrio, vt ne alij vnquam simili vtantur calumnia. Ad hoc facit textus in capit. super his de accusationib. & textus in l. in priuatis, ff. ad Turpil. De quo in iure tam Canonico, quam Ciuili, habentur plura alia iura à me breuitatis causa omissa: quæ omnia intelligenda sunt si constiterit de malitia: nam qui ex ignorantia inculpabili eum accusat, quem reum esse putat, non tamen ipse habetur in iure vt calumniator, ac proinde nec Talionis pœna, neque alia aliqua punitur, vt etiam supradiximus. In calce huius articuli libuit aduertere, quod vt ne aliquis
† accusando, siue denunciando, & in 128
probatione deficiendo, Talionis pœna, aut alia simili possit puniri, vtile erit vt in accusationis siuè denunciationis libello quod sequenti vtatur cautela, dicendo: Quod de commisso crimine siuè delicto à reo est publica vox & fama: quo facto si hoc probauerit, quamuis non probet delictum ipsum non debebit puniri, vt tradit Bart. in l. cum quidam, §. quod dicitur, el secondo, ff. de acquirenda hæreditat. & in l. 1. C. si seruus vel libertus: quòd est multum notandum, ac memoriæ commendandum. Cuius resolutionis ratio est: nam publica vox & fama, dant iustam causam credendi delictum de quo sunt fuisse commissum: & qui iusta causa permotus accusat, siuè denunciat non debet puniri.

QVÆSTIO XIV.

De modo quo iudices, siuè prælati se habere debent contra reos inquisitos, denunciatos, siue accusatos: in tres articulos diuisa.

SVMMARIVM.

1 *Iudices in puniendis criminibus dupliciter possunt procedere, siue ordinariè siue summariè.*

2 *Iudices sæculares, & Ecclesiastici in sæculo manentes obseruare tenentur expressum iuris ordinem in puniendis criminibus.*

3 *Religiosorum Prælati procedunt summariè, simpliciter, & de plano.*

4 *De essentia, & substantia iudicij præcisè ea tantum sunt, quæ sunt de iure naturali sine quibus iustitia partib. ministrari non potest.*

5 *De integritate, & solemnitate iudicij quenam sint.*

6 *Accusatio, seu aliquid aliud, quod ipsius vicem gerat, adeo est de essentia, & substantia iudicij, vt sine ipsa nullus iudex contra aliquem possit procedere.*

7 *Citatio Reorum est de iure naturali, & de essentia & substantia iudicij. quæ non est aliud quam iuridica quædam vocatio rei ad conspectum iudicis. nu 8.*

9 *Naturalis defensio nulli omnino neque excommunicato denegari debet.*

10 *Reorum confessio post realem citationem, aut verbalem desumenda est, quæ est de iure naturali.*

11 *Reis est exhibenda capitulorum copia, & delicti ex inquisitione, denunciatione, siue accusatione resultantis.*

12 *Tempus est assignandum reis ad se defendendum, quod fuerit visum necessarium præcisè. Iudicis arbitrio nu. 13.*

14 *De iure naturali est quod iuramentum calumniæ & de veritate dicenda ab vtrisque partibus recipiatur.*

15 *Testium publicatio ex causa potest prætermitti.*

16 *Religiosi debent obseruare ea, quæ sunt de iure naturali. in administranda iustitia.*

17 *Testium nomina Religiosi non debent publicare nisi in aliquo grauissimo casu.*

18 *Religiosorum iudicia debent tractari summariè simpliciter, & de plano, sola facti veritate inspecta.*

19 *Prælati Religiosorum in causis leuibus non tenentur seruare substantialem iuris ordinem.*

ARTICVLVS. I.

Vtrùm indices siue prælati, in iudicando teneantur semper obseruare expressum iuris ordinem?

RO huius articuli intelligentia, oportet id, quod etiam diximus sup. q. 5. art. 5. præmittere: quod in puniendis † criminibus, & cunctis causis criminalibus prosequendis, finiendis atque determinandis, dupliciter possunt procedere iudices, siue prælati. Vno modo iure ordinario, nempè seruato expresso iuris ordine: nihil omninò prætermittendo eorum, quæ legibus sunt præscripta: alio verò iure extraordinario, & (vt dicitur) summariè, simpliciter & de plano, sola facti veritate inspecta. Quã quidem ob causam iurisperiti inter aliàs iudicij diuisiones, quæ illud diuidunt in Ecclesiasticum, & sæculare, ciuile & criminale, etiam ipsum diuidunt in ordinarium & extraordinarium, seu vt alij volunt summarium. Et ordinarium iudicium illud esse dicunt, in quo iudices procedunt iuris expresso seruato ordine, nempè præcedentibus expresè accusatorij libelli oblatione, citatione rei, litis cõtestatione, testium publicatione, causæ conclusione, & alijs solemnitatibus de iure requisitis. Extraordinarium verò siuè summarium iudicium iurisperiti vocant illud, in quo proceditur omissis pluribus ex solemnitatibus de iure requisitis, quæ de iudicij essentia & substantia nõ sunt, neque curatur de iudicij apicibus, sed proceditur sũmariè, simpliciter & de plano, sola facti veritate inspecta, & sine strepitu & figura iudicij, de qua iudicandi forma hẽ textus expressus in Clement. Sæpè de verb. signific.

signific. Quo præmisso notabili, quæritur in præsenti articulo, vtrum omnes in vniuersum iudices, atque Prælati, obseruare semper teneantur in iudicando expressum iuris ordinem? Cui difficultati præmissa distinctione de iudicibus secularibus, & Ecclesiasticis in sæculo manentibus, & de Religiosorum iudicibus, siue Prælatis non in sæculo existentibus: breuiter fiet satis per duas sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

2 OMnes iudices † seculares, & etiam Ecclesiastici in sæculo manentes, quales sunt Archiepiscopi, & Episcopi, & ipsorum Vicarij, vulgò dicti Prouisores, & quicumque alij in Ecclesia temporalem, siue spiritualem iurisdictionẽ exercent, regulariter loquendo, & nisi in certis quibusdam casibus, strictè obseruare tenentur expressum iuris ordinem. Hæc conclusio est adeo certa, & manifesta, vt nulla prorsus indigeat probatione: cum sit omnium iurisperitorum communis sententia, & habeatur expressa in quam pluribus legibus iuris Ciuilis, & capitulis, siue Decretis iuris Canonici à me breuitatis causa consultò prætermissis: quæ quia cunctis sunt peruia illa in præsentiarum referre non vllo modo visum est necessarium.

Secunda Conclusio.

3 REligiosorum † Prælati, in suis iudicijs, & causis criminalibus prosequendis, finiendis, atque determinandis, non necessariò obseruare tenentur expressum iuris ordinem: sed procedere possunt summariè, simpliciter & de plano: sola facti veritate inspecta, prætermisso omni strepitu, & figura iudicij, ea solum modo obseruando, & faciendo, sine quibus iustitia partibus ministrari non potest, & quæ sunt de iure naturali, atque adeo de essentia, substantia, & intrinseca ratione iudicij, quæ proinde à nullo iudice, absque iustitiæ iniuria possunt prætermitti. Hæc etiam conclusio est certa, & manifesta, omniumque iurisperitorum communis, & in sequentibus articulis explicabitur, & declarabitur amplius, ac propterea pro omniũ pleniori resolutione sequens proponitur articulus, qui erit secundus in ordine.

ARTICVLVS II.

Quænam sint de essentia & substantia iudicij, quæ vero solummodo de solemnitate iuris?

Prima Conclusio.

DE essentia & substantia iudicij præcisè, ea solummodo sunt, quæ sunt de iure naturali, sine quibus iustitia partibus ministrari non potest. Hæc sunt, vt nullus vtcumque Reus damnetur, nec verò in iudicium adducatur sine præcedenti accusatione, seu aliquo alio, quod ipsius vicem gerat. Quod reus accusatus citetur, & audiatur, & quod detur sibi accusationis copia, & etiam delicti ex eadem resultantis. Idemque est iudicium in denunciatione, & inquisitione, quò ipse se tueri, & defendere possit. Et quod ad id ipsum faciendum detur sibi tempus, illud tãtummodo quod præcisè visum fuerit necessarium. Hæc & si quæ alia sunt, de quibus statim in particulari dicemus, sine quibus iudicium peragi non potest, neque iustitia partibus interessentibus ministrari, cum sint de iure naturali, sunt etiam de essentia, & substantia iudicij præcisè. 4

Secunda Conclusio.

5 PRæter † illa, quę sunt de essentia, & substantia iudicij, sunt & alia plura de eiusdem solemnitate, perfectione, & integritate, quæ etiam nisi ex causa, siue priuilegio iudicibus præterire nõ licet. Hęc sunt, quod iudicium tali vel tali loco fiat, & nõ nisi diebus labori dicatis. Quod accusationis, siue denunciationis libellus in scriptis Prælatis seu iudicibus proferatur. Quod Reorũ citatio realis siue verbalis fiat tali, vel tali modo. Litis contestatio ipsa. Quod partibus litigantibus ad respõdendum, seu aliquid probandum, tale vel tale tempus præscribatur. Testium multitudo quod reformetur, & ipsi post publicatas attestationes non recipiantur. Quod admittatur, & admitti interdum debeant, dolosæ quædam protelationes, inanes exceptiones, & aliæ forsan perniciosæ subtilitates; maximè coarctandũ testium numerum, & reprobandũ ipsorum testimonium. Quod rei testiũ iusiurandum videant. Quod testium nomina, & dicta reis patefiant, & quod iudicium nõ fiat nisi tali pompa, & solemnitate. Hęc & his similia quamuis non sint de iure naturali, nec proinde spectent ad essentiam, siue substantiam iudicij, sunt de eiusdem solemnitate, perfectione, & integritate, & à iure, principibus, siue iudicibus superioribus indicta, & præcepta, vt obseruentur ab inferioribus quæ etiã nisi ex causa, siue ex priuilegio eisdem preterire nõ licet. Sed quamuis hæc sic in cõmuni sint dicta, ad maiorem prædictorum claritatem, & distinctionem, de singulis in particulari inquirámus opportet, & dicamus, vndè nam constet, quod aliqua sint, vel non sint de essentia, & substantia iudicij, & aliqua solũmodo spectẽt ad ipsius solemnitatem, perfectionem, siue integritatem, quod fiet per sequententes conclusiones.

Tertia Conclusio.

ACcusatio, † seu aliquid quod ipsius vicem gerat, adeo est de essentia, & substantia iudicij, vt nullus iudex contra aliquem possit vllo modo procedere, necdum eũdem condemnare absq; prçuia accusatione seu aliquo alio quod ipsius vicem gerat. Hæc conclusio est omniũ Doctorum tam Theologorum, quam iuris peritorum communis resolutio, & expressa sentẽtia D. Tho. 2.2 quæst. 67. art. 3. vbi dicit quod iudex absque accusatore, seu aliquo alio quod ipsius vicem gerat, nõ potest quempiam iudicare, multoq; minus illum condemnare. Circa quam conclusionem plura dicere consulto supersedeo, cum dicta sint à me quãplurima supra quæst. 13. art. 1. de accusatione agẽdo. Sed aduerto quod quamuis ibidem in ar 6. dictum fuerit, accusationem proponendam esse in scriptis propter rationes ibidem dictas: id tamen nõ est de essentia, & substantia iudicij præcisè; quin verò ex causa potest prætermitti, & fieri verbotenus, cum tamen postea à notario in scriptis redigatur, iuxta Clement. sepè de verborum significatione §. [illegible] & iudicio illo Salomonis summario, quod habetur, 3. Reg. 3. petitio meretricis nõ fuit oblata inscriptis, sed verbotenus, simplicem quandam facti narrationẽ continens absque vlla prorsus alia iuris solemnitate: sicque hoc tenet communis opinio. Aduerto etiam propositum à me fuisse in conclusione sub disiunctione, quod accusatio est de essentia & substantia iudicij, seu aliquid aliud, quod ipsius vicem gerat ad includendam officialem denunciationem, nec nõ & particularẽ 6

Inqui-

Inquisitionem, quæ præcedenti infamia fit iudicis ex officio, ad includendam etiam semiplenam probationem, & indicia in illis casibus, de quibus diximus supra dicta quæst. 13. art. 2. quod etiam ex se vicem gerũt accusatoris, quod est certissimũ, atque constitutissimum.

Quarta Conclusio.

7 Reorum † citatio etiam est de iure naturali, & de essentia, & substantia iudicij. Hæc etiam conclusio est omnium Doctorum, tam Theologorum, quam iurisperitorum communis. Omnes enim incunctanter asserunt, in omni iudicio esse requisitum vt Reus ad hoc vt compareat verbaliter citetur, aut personaliter capiatur, si delicti qualitas id exposcat, & fuga timeatur. Sicque obseruatur in communi praxi, quod post oblatum accusationis libellum, aut existenti aliquo quod accusationi æquipoleat: & ipsius vicem gerat (vt dictum est) processuum omniũ institutio à citatione ipsa sumat initium, quæ secundum omnes Doctores est totius iudicij seu ordinis iudiciarij fundamentum, caput & principium.
8 Prædicta verò † citatio (vt de se patet) nihil est omninò aliud quam iuridica quædam vocatio rei ad cõspectum iudicis, quã & esse de iure naturali, Deus Optimus Maximus olim insinnauit, cõstatq; id superq; satis ex eo, quod hr Genesis, 1. vbi dicitur, quod postquam peccauit Adam primus noster parens, eundẽ quasi Deus citauit, atq; ad suum cõspectum vocauit, dicens ei: Adam vbi es? Sed præterea, quod citatio prædicta sit de iure naturali habetur expresè, in cap. Deus omnipotens, 2. quæst. 1. & in Clement. Pastoralis. §. cæterũ de re iudicata, vbi dicitur Reorum citationem, ad inchoanda omnia iudicia, cum ipsorũ defensionem respiciat, nullatenus posse aut debere prætermitti: esseque de iure naturali, ad hunc effectum introductam, vt quisque possit se defendere: quæ quidem † naturalis defensio, neque excommunicato debet negari, vt habetur in cap. cum inter de exceptionibus, & in cap. eorũ 10. quæst. 3. nec verò ipsi diabolo (si adesset in iudicio) vt tradit Speculator 3. part. tit. de Inquisitione §. fin. verbo distinguo. Qua de re videatur Victorinus Manso in sua institutione siue pract. crimin. cap. 7. num. 5. Et hac quidem ratione vtroque iure, tam Ciuili, quam Canonico statutum est, vt omissio prædictæ citationis iudicium reddat omninò nullũ: iuxta glossam in l. si accusatoribus, C. de accusatoribus, nihil ob aliud, nisi quia ipsa est de iure naturali, & de essentia, & substãtia iudicij. Quapropter quando aliquo in iure dispõnitur, vt in aliqua causa procedatur, & processus valeat non seruato iuris ordine, sed simpliciter & de plano, sola facti veritate inspecta, iuxta Clement. sępè de verborum significatione: intelligendum id est de alio iudicij ordine accidentali, non aũt de citatione prędicta: aut de aliquo quod sit de essentia, & substantia iudicij: nam quæ sunt de iure naturali, nulla ratione & nulla lege aut dispensatione possunt tolli, aut prætermitti: iuxta supradictam Clement. Pastoralis de re iudicata, & dictam Clement. sæpè. §. citationem. Aduertendum est tamen, quod quamuis (vt præmissum est) citatio sit de iure naturali, & de essentia & substantia iudicij; modus tamen ipsius citationis & citandi forma: non ità, sed introducta est à iure positiuo, quæ proinde à lege, seu Principe variari, & alterari, & mutari põt, nec necesũ est vt seruetur omninò, quin verò ex causa, siue priuilegio, eiusmodi modus, & forma põt prætermitti, vt di-

cunt omnes communiter Doctores iuxta Clementinas supra dictas.

Quinta Conclusio.

10 POst † realem, aut verbalem citationem, quod primũ in omni iudicio faciendum est, & necessariò requisitum quocumque modo procedatur, siue per viam Inquisitionis, siue denũciationis, aut vero accusationis, est propria ipsius rei cõfessio: ad hunc effectũ vt se possit defendere, & pro se respondere. Hæc etiam cõclusio est adeo certa, vt nullus sit qui de ea dubitet, seu dubitare possit. Nam defensionis facultas adeo de iure naturali necessaria est, vt (sicut dictum est supra in præcedenti conclusione) neque excõmunicato, neq; etiam ipsi diabolo sit deneganda. Qua ratione dico, quod iudex non potest a reis iustas defensiones tollere, quin vero potius tenetur pro absentibus easdẽ supplere: quod vt multum iuri naturali conforme disponũt leges. l. si non defendantur ff. de pęnis. l. ampliorem C. de appellatio. l. defensionis facultas. C. de iu-
11 re fisci: Ad quam † etiam reorum defensionem spectat, vt detur sibi capitulorum copia, & delicti ex Inquisitione, denũciatione, siue accusatione resultãtis, in quo conueniunt omnes vnanimiter DD. dicentes id esse etiam de iure naturali. Nam quo pacto rei vllo modo se tueri, aut defendere possent, si nõ daretur ipsis notitia, & copia de re, & causã de qua ab illis est agendũ? Oportet enim arma quibus appetimur prospicere, vt ab eis quoquo modo possimus nos defendere. Ad eãdem etiam reorũ defensionem, essentiam & substãtiam iudicij spectat, vt ad id detur sibi tẽ-
12 pus, † non pro libito quod voluerint, sed tantummodo quod visum fuerit necessarium: in quo etiam conueniũt omnes vnanimiter DD. omnes enim vbique asserunt, quod tempus petens necessario reis debet præstari, ad allegandas suas exceptiones, seu potius defensiones: ne subitò contra ius, atq; imparati causam in iudicio dicere cogantur. Quæ quidem exceptiones, & defensiones necessariò admittẽdę sunt, vt habetur in Clemẽt. sępè de verbor. significat. §. 1. verbo, exceptiones. Vbi postquam dicitur frustratorias esse repellendas, à contrario sẽsu planè colligitur legitimas esse admittendas. Indè etiam est vt concessionem moræ, & interualli necessarij, vt suã causam quisque Reus agere possit; adeo esse dicant Doctores de iure naturali, & de essentia, & substantia iudicij, vt nulli vnquam debeat aut possit denegari. Quantum verò eiusmodi tempus, & interuallum esse debeat, ex causę & negocij qualitate, & cęteris circunstantijs est pensandum. Nam quamuis in causis ciuilibus a iure positiuo id ipsum habeatur stabilitum, de quo videatur Paz in sua praxi. 1. to. p. 1.
cap. 3. §. 7. in causis † tamen crimina- 13
libus, vt plurimum iudicis arbitrio relinquitur. Quod tempus à iure prę ceptum quamuis regulariter loquendo obseruandum sit, non tamen id est adeo precisè de iure naturali, aut de essentia, & substantia iudicij, vt non possit interdum immutari, & variari, & prætermitti illud dumtaxat, quod visum fuerit simpliciter necessarium, iuxta causæ, & negotij
qualitatem. In qua † reorum confes- 14
sione, ac testium examine, quod iuramentum de calumnia, & malitia, seu potius de veritate dicẽda ab vtrisque recipiatur, etiam est de iure naturali, nullaque ratione debet prætermitti, vt habetur in Clement. sæpè de verb. significat. ibi præstationẽ iuramenti de calumnia, vel malitia, siue de veritate dicẽda ne veritas occultetur, per huiusmodi cõmissionẽ non intelligimus excludi: sed hæc de re latius

re latius fiet sermo proprijs in locis, quando agemus de testium examine,& reorum confessione.

Sexta Conclusio.

15 QVod testiū† nomina reis reuelentur, quamuis de iure ciuili, & canonico sit pręscriptum, non tamen id adeo est de iure naturali,& de essentia & substātia iudicij, vt iusta interueniente causa, aut ex priuilegio, non possit pretermitti. Hęc etiam conclusio est certa, quamuis de eius veritate nōnulla sit inter DD. controuersia. Nam Panor. in c. olim & c. qualiter, & quando, el secondo, de accusat. grauissimis rationibus conatur defendere, testium publicationem esse de iure naturali,& de essētia,& substantia iudicij, ipsorumque nomine esse in iudicio (etiam religiosis) necessario reuelanda, atque manifestanda. At verò Hostiensis contrarium omninò tenet, & dicit testium dicta esse quidem religiosis reis manifestanda, non verò nomina, sed silentio obuoluenda: quia hoc (inquit) pertinet ad iuris solemnitatem, quæ non obseruatur, nec haberi debet in praxi apud regulares. Ex quibus duabus opinionibus, quamuis quælibet sua probabilitate non careat: hæc tamen vltima magis placet & arridet: eâq; ob causam in conclusione dixi, prædictam testium publicationem non esse de iure naturali, aut de essentia & substantia iudicis: imo verò iusta exigēte causa, siue ex priuilegio posse prætermitti. Circa hanc testium publicationem multa supersunt dicenda, quę consultò pro tunc pręternittuntur, lectorem remittendo ad particularem tractationem, quę hac de re infra facienda est. Et ob eandem causam pretermitto tractare, de appellationis remedio, & an ita ea expresse sit de iure naturali,& de essentia & substantia iudicij, vt iusta interueniente causa siue ex priuilegio, aliquibus in casibus non possit interdici: quia hac etiam de re facienda est peculiaris quęstio in propria materia de appellatione,& in sequenti Articulo pro religiosis etiam aliquid dicemus.

ARTICVLVS III.

Qualiter procedere debeant Religiosorum Prælati in suis iudicijs, circa reos sibi subditos?

Prima Conclusio.

EA quæ sunt de iure† naturali, aut diuino, & de essentia, & substantia iudicij, sine quibus iustitia partibus ministrari non potest, necessariò obseruanda sunt ab omnibus omnium religiosorū Pręlatis, siue iudicibus, quandocunq; procedunt vt iudices, ad punienda subditorum suorum delicta. Hæc conclusio est apud omnes comperta, & de ea nullus est qui dubitet. Iuxta quam dico, quod omnes religionum omnium prælati (vtcumque procedant vt iudices) siue per viam Inquisitionis, aut denunciationis, siue verò accusationis, citare tenentur reum, vt coram ipsis compareat, & eiusdem desumere confessionem, ipsique exhibere capitulorum copiā, siue delicti ex tali Inquisitione, denunciatione, siue accusatione resultantis, & tempus præbere, quod visū fuerit necessariū ad hoc vt ipse pro se allegare, & respondere possit, ac se defendere, suas adducendo exceptiones, siue defensiones. Quæ omnia satis constat ex dictis in pręcedētibus articulis, nec necessum est vt in his amplius immoremur: post quam (vt de se patet) supradicta omnia sūt de iure naturali,& de essētia,& substantia iudicij,& sine quibus iustitia partibus ministrari non potest. 16

Secun-

Secunda Conclusio.

17 RELigiosis nullatenus † testium nomina sunt publicanda, aut reuelanda, nisi forsan in aliquo grauissimo, & speciali casu, in quo ipsius rei, nisi testium nomina reuelentur, causa periclitaretur. Hæc conclusio est Hostiensis, quam & constantissimè tenet, ac dicit, quod licèt testium dicta religiosis reis sint manifestanda: ipsorum tamen nomina haudquaquam sint sibi reuelanda, sed silentio obuoluenda. Fundamentum huius conclusionis est: nam cum pax, & tranquillitas adeo sit religiosis omnibus necessaria, & ipsorum statui propria: contrarium rationi prorsus videtur, vt testiũ nomina ipsis reuelentur, si quidem ex tali testium publicatione, & cognitione, & vindictam & vltiones expeti, & innumera, & acerbissima odia possent exoriri, & multa perturbationum semina: quæ omnia longè releganda sunt à cunctis domibus religiosis. Sufficit ergo religiosis reis, vt delicti resultantis ex Inquisitione, siue denunciatione, siue accusatione detur sibi notitia, & concedatur capitulorum copia, vel (si libet) quod testimonia ipsa (testium suppresso nomine) referantur: vt vel sic defensionis locus non denegetur: quod (vt dixi) semper est verum, atque tenendum, & obnixè obseruandum, nisi fortè in aliquo grauissimo, & speciali casu, in quo necessarium omninò videretur ad alicuius rei defensionem, vt sibi & attestationem, & ipsorum testium daretur copia. In quo casu concordari possunt Hostiensis, & Panormitanus, in controuersia, quam circa hoc habent, an religiosis reis sint necessariò testium nomina reuelanda.

Tertia Conclusio.

IN Religiosorum iudicijs † non sunt necessariò omnes iuris apices seruandi, sed procedere debent prælati (etiamsi procedant vt iudices) simpliciter & de plano, sola facti veritate inspecta & sine strepitu, & figura iudicij. Hæc etiam conclusio de se patet. Nam præterquam quod ad hoc habent religiosi priuilegiati multa ex Summorum Pontificum benignitate, id iam habetur expressè in cap. qualiter, & quando, de accusa. & in cap. cum olim, eod. tit. vbi Religiosorum omnium prælatis conceditur, seu potius præcipitur, vt in eorum causis prosequendis, finiendis, atque determinandis, non omnes iuris apices prosequantur, cum tale contentionis genus maximè pugnet cum eorum quiete, & religiosa tranquillitate. Vnde dico, quod relegandæ omninò sunt à religiosorum omnium iudicijs omnes calumniæ, protelationes, & inanes exceptiones, aliæque iuris solemnitates, quæ non sunt de essentia & substantia iudicij, de quibus diximus supra in præcedenti articulo. Et quod hoc fit, valde rationi consonum, ac religiosorum conditioni, & statui quam maximè necessarium, exinde patet: nam præterquam quod religiosos (vt inquit Apostolus) non oportet esse litigiosos, contendere, siue litigare: si huiusmodi iuris apices in religiosorum iudicijs omninò obseruandi forent, oporteret quidem religiosos ipsos iurisperitos consulere, atque per sæculum vagari, denarios portare, & plura alia eosdem facere expediret, quibus Religionis candor, & decor maximè macularetur, fædaretur, & turbaretur, & sunt res, quæ multum pugnant cum monasticæ vitæ tranquillitate. Debent nihilominus regulares prælati in suis

ſuis iudicijs, dirigi, & gubernari per leges, ſemotis apicibus, & maximè per Sacros Canones, vt habetur, in c. 1. de cōſtitut. c. ſi Romanorum, diſt. 19. cap ſi quis omnem, 1. quæſtio. 7. quod expreſsè præceptum eſt in Concilio Tridentino, ſeſſ. 25. c. 18. de reformat. nam ab eorum ſubſtātiali obſeruātia nullus Eccleſiaſticus omninò eximitur. An verò appellatio in religioſorum iudicijs habeat, ſeu habere poſſit locum, dicetur infra à nobis quæſ. 29. dum agemus de appellationis materia. Sed pro nunc dico, quod quamuis appellatio non ita expeſsè ſit de iure naturali, & de eſſentia & ſubſtantia iudicij, vt iuſta interueniente cauſa ſiue ex priuilegio, non aliquibus poſſit interdici: eſt tamen ipſa iuri naturali multum cōformis, & nullatenus alicui interdicenda, in caſu quo quis ab inferiore oppreſſus iudice (niſi appellaret) propria ipſius periret, aut periclitaretur iuſtitia hoc eſt certiſſimum: ſed de ijs latius infra.

Quarta Concluſio.

19 IN cauſis leuibus, † & quibus apud intra & Religionum ſtatuta grauiores pœnæ non correſpondent, Religionum Prælati non debent procedere vt iudices, ſed vt patres, neq; tenentur proceſſum efficere, aut obſeruare etiam ſubſtantialem iuris ordinē. Volo dicere, quod ad puniēdum Religioſum quempiā propter violatum ſilentium, & generaliter propter tranſgreſſionem cuiuſcunque obſeruantiæ regularis, non eſſentialis, nō opus habent Prælati accuſatione, denunciatione, ſiue ſpeciali Inquiſitione, nec neceſſariò dandus eſt Religioſis defenſionis locus, nec in his rebus ſeruare tenentur iuris etiam ſubſtantialem ordinem. Huius Concluſionis ratio eſt, quia in his rebus puniendis Prælati non procedunt, aut procedere debent tamquam iudices, ſed tamquā Patres, vt habetur expreſsè in cap. ad noſtram, & in cap. reprehēſibilis de appellatio. & in cap. qualiter & quando, de accuſatio. id quod tenet Speculator, tit. de Inquiſitio. §. vlt. & Panorm. in cap. cum contingat de foro comp. eſtque hoc quam maximè condecens Religioſorum ſtatui. Etenim ſi Prælatus noctu Conuentū perluſtrans, ad hoc vt propter violatum ſilentium, ſeu quippiam ſimile, aliquem Religioſum poſſet punire, opus haberet accuſatore, ſiue denūciatore, ac præmittere deberet ſpecialem Inquiſitionem, teſtes aſſumendo, & neceſſum eſſet ipſum vocare, & audire, & defenſionis facultatem ſibi præbere; totus profectò Monaſticæ vitæ Ordo periret, atque confunderetur: & rarò aut nunquam Religioſorum culpæ emendarentur corrigerentur, ſiue punirentur: oporteretque Prælatos accuſatore, ſiue denunciatore, & teſtibus ſemper eſſe comitatos: quod præterquam quod eſſet ridiculum, haudquaquam reperiretur vnquam qui Prælatus eſſe vellet. Dicendum eſt igitur, quod in his caſibus non neceſſariò eſt obſeruandus etiam eſſentialis iuris ordo, nec Religioſi vllo pacto debent, aut poſſunt ſe defendere, ſed ſimpliciter & animo ſūmiſſo obedire, ac pœnam à ſuis Prælatis impoſitam patiēter ſubire: nam præſumptio ſtat pro ipſis quod nihil per calumniam facient, aut aliquid præter veritatem dicent: neque in hoc (cum culpæ ſint leues, & quibus grauiores pœnæ non correſpondent) aliqua Religioſis eiſdem irrogatur iniuria, cum etiam apud iudices ſeculares eiuſmodi leues culpę iubeantur ſimpliciter & de plano decidi, vt habetur in. l. leuia. ff. de accuſationibus.

QVÆ-

QVÆSTIO XV.

De iudicibus & Prælatis, quantum ad facultatem incarcerandi Reos, in octo Articulos diuisa.

SVMMARIVM.

dat contra sæcularem reos ab Ecclesia extrahentem prius quam visum, & determinatum fuerit, an gaudere ipsi debeant?

39 Qua pœna iudex sæcularis extrahens puniatur remissiuè.

40 Casus, in quibus delinquentes licitè possunt extrahi ab Ecclesia, nempe publicus latro, & nocturnus agrorum depopulator, & alij, quos remissiuè &c. nu. 41. 42.

43 Reus sæcularis carceratus, licitè potest aufugere antequam damnetur stando in foro conscientiæ, dummodo id sine violentia fiat.

44 Religiosi carcerati non possunt etiã sine violentia aufugere, sed ibidem tenentur manere.

45 Reus iustè damnatus à iudice ad exilium, siue pecunias, non potest è carcere aufugere.

46 Auxilium præbens carcerato damnato ad soluendas pecunias alicui, vt aufugiat mortaliter peccat, & tenetur ad debiti solutionem.

47 Reus sæcularis carceratus, licitè potest aufugere antequam damnetur stando in foro conscientiæ, dummodo id sine violentia fiat, vt mortem euadat contra, num. 50. intellige etiam de quolibet tormento & alijs pœnis num. 48. non potest resistere ministris, nu. 49. declara num. 51. 52.

53 Nõ potest imponi lex alicui ad mortem damnato, vt non è carcere aufugiat.

54 Reo ad mortem damnato licitum est, si potest sine violentia vincula, & carcerem disrumpere; dũmodo nullam vim inferat iudici, aut ministris iustitiæ. Sed contra num. 55. Respondetur num. 56.

57 Parentes, & amici non possunt reũ iuuare, vt effugiat à carcere ei ministrando limas, & alia instrumenta.

58 Reus iniustè damnatus, licitè potest aufugere etiam cum resistentia iudicis, & ministrorum iustitiæ.

59 Innocens, si secundum allegata, & probata iustè damnatur, non potest fugere cum resistentia iudicis, & ministrorum iustitiæ.

60 Reus carceratus de iure ciuili fractis carceribus aufugiens, punitur pœna capitis.

61 Reus effugiens è carcere pro confesso habetur & punitur eadem pœna, ac si verè & realiter delictum ipsum probaretur, etiam si fractura non habeat consummatum effectum nu. 62. & quid si reus sit innocens, num. 63. 64. vide resolutionem, num. 65.

ARTICVLVS I.

Quidnam sit carcer, & quotuplex.

Prima Conclusio.

CARCER † est locus quidam in Republica, ad custodiendos, siue excruciandos Reos cõstitutus. 1
Ex hac carceris definitione colligitur, quod duplex est in republica carceris vsus. Quorũ vnus est ad malefactores interim dum eorum causæ tractantur, & deciduntur, retinendos, & conseruandos: alter verò ad eosdem excruciandos, perpetuò vel ad tempus, propter sua scelera, & grauiora crimina, causa prius expedita, atque discussa. Inter quæ † duo 2
carceris genera hoc versatur discriminis, quod primus ad custodiendos, & conseruandos Reos constitutus, quamuis tutus, solidus, firmus ac fortis esse debeat, ne rei ipsi fugiãt, in magnum totius Reipub. damnum, & detrimentum: expers tamen esse debet, ab omni pœna, cum contra iustitiam, quin verò omninò contra rationem sit, vt causa nõdum terminata, & discussa, & Reo necdũ

de

de crimine conuicto, pro præsumpta, siue aliqualiter apparenti culpa, aliqua sibi infligatur pæna. At verò ille carcer, qui pro reis ad tempus, vel in perpetuum mācipandis, in pænam est stabilitus, præterquam quod solidus etiā, firmus, atque securus esse debet, oportet præterea vt simul sit pænosus, & corporis afflictiuus: vt vel sic criminosi ipsi ad eiusmodi pænam damnati; pro criminum, & scelerū suorū ratione, & qualitate, prout iustitia expostulat, debitas luant pęnas. Quod primum carceris genus, destinatum ad custodiam, non ad pænam, interim dum reorum causæ deciduntur, pænosū esse non debeat, sed tutum, solidum, atque securum, & hoc solummodo in eo debeat attendi, nihilquè amplius in illo sit considerandum; habetur expresse in l. 1 C. de cust. reor. Cuius hæc, quæ sequuntur sunt expressa verba: Interea dum causa deciditur, talis sit custodia, vt excruciatio desit, & reus sub firma custodia maneat. Qui quidem textus notatu est dignissimus. Ex quo inferunt quā

3 plurimi DD. quod iudex † Reum nondum damnatum in obscuro, & tenebricoso carcere constituens, & qui eū ibi sine ratione, & causa manicis, & catenis affligit, vel inedia afficit, ita vt pæna intereat (præterq̄ quod mortaliter peccat) si reus ipse de facto moriatur irregularis manebit. Ita tenet Nauar. in cap. statuimus 15. quæst. 3. num. 39. & Couarr. in Clementina si furiosus. 2. par. §. 5. Nam quāuis carceres, catenas, vincula, & manicas opus sit habere, ne criminosi fugiant, & iudicium euadant: vbi tn̄ simile non adest periculū, contra iustitiā, quin vero & cōtra rōnē omninò est; Reos causa nondū examinata, expedita, atque discussa, eiusmodi pęna plecti, mulctari, atq; puniri. Secus est de alio carcere, siue carceris genere ad pęnam constituto, pro his qui ad tempus, vel perpetuò pro suis culpis, & delictis eiusmodi loco destinantur, nam cum ad pęnam irrogetur, & post causam iā determinatam, atque discussam, non contra rationem est, quin verò ad eandem multum conformiter, quod molestum, & pęnosum sit, & pęnā, atque afflictionem eisdem inferat, quò suorum criminum, & delictorum retributionem debitam accipiant. Quod quidem est valde notandum, ac memoriæ commendandum.

Secunda Conclusio.

Carceris † qualitas pro reis nōdum damnatis, iuxta communem Doctorum sententiam, iudicis arbitrio relinquitur, qui habito respectu ad delictorum, & personarum qualitatem, potest, vt sibi placuerit carcerem reis arctiorem, siue laxiorem constituere. Debet namque iudex attentè pensare, & considerare delictorum qualitatem, & personarum distinctionem, vt probat textus in l. 1. C. de cust. reorum, & in l. fin. C. de accusatio. an scilicet reus nobilis sit an plebeius? Senes, an iuuenis? sanus, vel infirmus? timeaturne fuga, an non timeatur? & cōformiter ad omnia ista debet procedere, & potest quandoque Reum sub fideiussoribus relaxare, tùm vel maximè quando pæna pro delicto imponenda fuerit pecuniaria, non autem si fuerit corporalis: tunc enim nullatenus est sub fideiussoribus relaxandus, sed omninò in custodia, & carcere retinendus. De quibus omnibus videatur Paz in sua praxi. 1. tom. parte 5. capit 3. §. 2. per totum, qui est de captura delinquentis, & Antonius Gomez tom. 3. variarum resolut. cap. 9. num. 8. & Doctor Segura de Aualos in suo directorio 2. parte cap. 13. Iulius etiam Clarus libro

bro 5.sententiarum, §.fin.quæst.46. num.6.& 7.Farinacius 1.parte tom. 1.lib.2.quæst.27.num.98.Quibus in locis ad hoc carceris propositum reperire licebit multa, eaque notatu dignissima.

ARTICVLVS II.

Quisnam possit incarcerare, & an Reos carceribus mancipari, sit de iure naturali?

5 ET videtur quod non, quin verò contra rationem, † & naturalem hominis libertatẽ sit, quod carceribus mancipentur. Et potest argumentum sic formari. Homo natura sua liber est, & quem Deus fecit naturaliter liberum: vt enim habetur Ecclesiast. 15. constituit Deus ab initio hominem, & reliquit eum in manu consilij sui: ergo contra omnem rationem, & hominis eiusdem libertatem omninò est, quod vinculis constringatur, & carceribus mancipetur. Quid enim est magis libertati contrarium, quam carcer, vincula, manicæ, & compedes, quibus pedum, & manuum, & quandoque membrorum omnium vsus impeditur? Ex hoc argumento (vt videtur) colligitur, quod carcer naturali aduersetur hominis libertati, quodque Reos carceribus mancipari, haudquaquam sit de iure naturali, quin verò contra omnem prorsus rationem, & naturalem hominis li-
6 bertatem. Sed eo nihilominus non obstante, in contrarium † est veritas, quæ explicabitur per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

7 REos carceribus † mancipari, quamuis expressè non sit de iure naturali, est tamen ipsi & iuri diuino multum conforme.

Hæc cõclusio est expressa Diui Thomæ 2.2.quæst.65.artic.3. de qua videndus est Soto lib.5. de iustitia, & iure, quæst.2.ar.3. & Arragon super eandem 2.2.D.Tho.q.65. art. etiam
3.Et probatur † hac vel vnica ratio- 8
ne. Vt enim supra diximus q.2.artic.2. agentes de potestate sæculari, & laica: naturali quodam iure quælibet Respublica potestatem, & facultatem habet, semetipsam regendi & gubernandi, quæ quidem potestas extenditur, atque protrahitur etiam vsque ad occidendos homines, infligendasque illis alias pœnas, q̃ ad pacẽ & quietem Reipublicæ ipsis visæ fuerint necessariæ: Ergò quælibet Respublica, & qui facultatem habet ab ipsa, eodem quasi naturali iure, potestatem habet Reos cum deliquerint carceribus mancipandi, quò causa discussa, & terminata, eiusmodi pœnæ eisdem infligantur. Consequentia legitima est, & exinde etiam patet. Nam iuxta iuris regulam, & veram Philosophiam, cui concessus est finis; concedi perinde videntur ea omnia, quæ ordinantur ad talem finem, & sine quibus eiusmodi finis minimè consequi posset. Quod & confirmatur præterea; nam (vt dicemus statim) constatque aliqualiter ex supradictis, carcer nihil est omninò aliud, quam quædam ad pęnas & punitionem via, seu (vt rectius loquar) quædam pęnarum ipsarum inchoatio: ergo cui competit naturali iure eiusmodi pęnas infligere, eodem etiam sibi competit Reos cum deliquerint, ad eundem finem carceribus mancipare. Ex quibus plane sequitur, quod ipsorum incarceratio, quamuis expressè non sit de iure naturali, haudquaquam tamen contrariatur illi; quin verò est sibi, ac iuri diuino multum conformis, quod vltimum probat etiam D. Th. ex eo quod habetur Leuit. 24. vbi dicitur propter peccatum blasphe-

miæ, quemdam missum fuisse in carcerem, ex quo constat quod id ipsum in casu facere multum sit conforme diuino iuri.

Secunda Conclusio.

9 REos carceribus † mancipare solummodo competit potestati publicæ, & in id ipsum habenti authoritatem, & facultatem. Hæc etiam conclusio est expressa D. Thomç loco supra citato, & communis omnium Theologorum, & Iurisperitorum resolutio, probatque illam D. Thomas hac ratione. Nam carcer nihil est omninò aliud, quam quædā punitionis via, seu quædā pçnarū ipsarū inchoatio: Ergò Reos carceribus mancipare, haudquaquā spectat nisi ad solam potestatē publicam, & à Republica ipsa potestatem habentem, infligendi maiores pœnas correspondentes maioribus culpis, nempè homines vita priuare, vel aliquo membro mutilare: vel propter minores eosdem leuiori aliqua pæna afficere.
10 Aduertendum †, tamen est, quod in hac conclusione fit Sermo de carcere propriè dicto, & in rigore sumpto, prout est via ad infligendas pænas supradictas authoritate, & potestate publica: vt sic enim certissimum est, quod solus Princeps, & publicam habens authoritatem, & potestatem, quempiā potest incarcerare, nam & ipsi soli possunt eiusmodi pœnas infligere: Secus est tamen de carcere impropriè dicto, seu largo modo sumpto, de quo sequens statuitur conclusio.

Tertia Conclusio.

11 LOquendo † de carcere impropriè, & largo modo sumpto, qui solam detentionem designat, & ad infligendas aliquas minores pænas ordinatur: Patresfamil. & quicumque etiam inferiores Prælati, bene possunt sibi subditos cum deliquerint incarcerare: hoc est in loco aliquo tuto detinere, & præcludere. Hæc conclusio est etiam Diui Tho. vbi supra, & fundatur in eadem ratione quæ adducta est in prçcedenti. Nam cum eiusmodi Patresfamil. & inferiores Prælati, sibi subditis cum delinquunt aliquas minores pænas possint infligere, vt verbera & eis similes, quas latè prosequitur D. Tho. ibidem, certum est, quod & ipsi ad hunc punitionis finem, vti etiam poterunt alio carceris genere, improprio & largo modo sumpto, quod solam detentionem designet, de quo nulli esse potest dubium, cum (sicut præmissum est) sibi subditos aliqualiter possint, licet minus grauiter punire. Qua quidem ratione in multarum Religionum constitutionibus, sed maximè nostri Sacri Franciscani Ordinis, cap. 5. quod est de correctione delinquentium, cautum, atque constitutum est, vt incarceratio, & qui propriè dicitur carcer: ad solos Prælatos Superiores pertineat; ipsi enim soli sunt, qui sibi subditos cum timetur fuga, & negotij qualitas id exposcit, carceribus possunt mācipare. At inferiores Prçlati (quales sunt, Guardiani) non id ipsum possunt facere, quia constituti sunt non tam vt iudices, quam vt Patres: & potestatem videntur habere, non tam Reipublicæ, quam gubernationis cuiusdam çconomicæ domus. Possunt tamen nihilominus eiusmodi Prælati inferiores, si necessitas id exposcerit, sibi subditos cū deliquerint in loco carceris recludere, seu alibi, & vinculis ēt illos cōstringere, vt sic vincti nō effugiāt, & Superioris iudicium publicam authoritatem habentis euadant. Qui modus † carceris (habitus forma retenta) non 12
tam carcer, quam disciplinç domus

apud

apud nostrates nuncupatur, quod & crediderint in cũctis etiam Religionibus obseruari. Hac de re plura habentur in manuali nostro Prælatorum regularium, quæ poterunt videri ibidem. Et de his omnibus videatur Farinacius loco citato, vbi latissimè à num. 1. cum seqq. Solum-
13 modo superest † respondere ad argumentum propositum in initio articuli, & respondetur cum D. Thom. loco vbi supra, quod qui peccando abutitur libertate à Deo sibi tradita, iure optimo meretur eandem amittere, atque illa priuari: quod generaliter reperitur in quolibet criminoso & delinquente, qui per talem libertatis suæ abusum, ius perdit, quod habebat ad vtẽdum eiusmodi libertate: meritòque proinde meretur detineri, & vsu membrorum suorũ impediri, & carceribus mancipari: quod facere nullo modo est contra rationem naturalem, qui verò ad eandem multum conforme.

ARTICVLVS III.

Vtrum iudices, siue prælati, faciles esse debeant ad incarcerãdum & incarceratio fieri possit ante receptam summariam informationem?

Prima Conclusio.

14 IVDICES †, atque Prælati, nullatenus ad incarcerãdum debent esse faciles. Pro huius conclusionis intelligentia simul, & probatione, aduertere oportet: quod incarceratio (vt supradictum est) inter alia hoc habet, quod est quædam
15 † realis citatio reorum ad conspectũ iudicis: diximus enim supra Reorũ citationem esse de iure naturali, & de essentia, & substantia iudicij. Modò autem dicimus, quod eiusmodi citatio est duplex, quędam verbalis, alia verò realis. Verbalis est iuridica Reorum vocatio ad conspectum iudicis, solo verbo facta, eo modo quo iura disponunt, vel aliter: nam licet citatio sit de iure naturali, ipsius tamen modus & citandi forma, non est de iure naturali, aut de essẽtia & substãtia iudicij. Citatio † vero rea- 16
lis est, quæ fit per realẽ captionẽ, & detentionẽ ipsorum Reorũ, & quod hoc sic vel aliter fiat, multo minus est de iure naturali, aut de essentia, & substantia iudicij: sed iudiciũ arbitrio relinquitur, id ipsum, vt faciant quando viderint expedire, nempè quando timetur fuga, & personæ, & negotij qualitas id exposcit. Ex quò fit consequens, quod in casu quo illud non fuerit necessarium, malè faciunt iudices, siue Prælati incarcerando Reos, neque enim in id esse debent faciles, vt dicitur in supradicta conclusione, quæ concors est omnium Doctorum Theologorum, & iurisperitorum resolutio. De qua videndus est Anton. Gomez, tom. 3. variarum cap. 9. & Iulius Clarus lib. 5. §. fin. quæst. 46. num. 2. Symancas de Catholicis institutionibus cap. 16. quod est de custodia Reorum: Doctor Segura de Analos in suo directorio. 2. parte cap. 13. num. 8. Paz in sua praxi, tom. 1. parte 5. cap. 3. §. 2. quod est de captura delinquentis. Farinacius loco vbi supra, quæst. 27. à num. 111. cum sequentibus latissimè. Quibus in locis ad hoc propositum reperire licebit plura, eaque notatu dignissima.

Secunda Conclusio.

IVdices Ecclesiastici †, & Religionum Prælati, multo minus 17
esse debent faciles ad incarcerandum sibi subditos, neque id omninò debẽt facere, nisi quãdo timetur fuga, & delicti qualitas id multum exposcit. De hac conclusione, & ipsius ratione, videndus est Bernard.

Diaz de Lugo in sua pract. crim. & ipsius Commentator Salcedo, ca. 6. num. 7. & cap. 120. cum seqq. vsque 124. quibus in locis de carcere agunt: & dicunt loquendo de clericis, quod non ex leui, sed ex graui causa sunt carceribus mancipandi: sed cum delinquunt sub iuramento, vel fideiussoribus relaxandi, vt vel domum, aut ciuitatem cũ subvibijs pro carcere habeant; id quod & tenet ac latissime tractat supradictus Doctor Seguras de Aualos loco supracitato. Et quod id ipsum potiori iure de Religiosis sit dicendum, hac vel vnica ratione probatur. Nam in Religiosis

18 † vel ipsa sola incarceratio infamiam redolet, & pœna quædam grauissima est: ad quam vt plurimum in Religionibus multæ aliæ correspondent, quæ proinde sine magna causa, cõsideratione, & maturitate nõ debet imponi. Qua de re videndus erit Symancas in dicto capit. 16. vbi dicit propter eamdem rationẽ, idem omni-

19 ninò obseruari † in Sanctæ Inquisitionis iudicio, vbi nunquam sine sufficienti informatione quispiam carceribus mancipatur, pro eo quod in eiusmodi iudicio ipsa, vel sola incarceratio infamiam redolet. Vt igitur omnia vnico verbo concludam. Dico, quod cũ incarceratio sit quędam citatio ad conspectum iudicis, & hoc verbaliter, aut realiter fieri possit, vtendum non est secundo hoc citationis genere, nec Reus personaliter est capiendus, nisi quando timetur fuga, & negotij qualitas id ipsum exposcit, nec in seculari iudicio, neque in Ecclesiastico, & multo minus id fieri debet cum Religiosis, quorum Prælati nullatenus esse debent faciles ad incarcerandum. Sed an incarceratio prædicta, fieri possit, aut debeat, ante summariam informationem, sit sequens cõclusio.

Tertia Conclusio.

Omni † iure constitutissimum est, quod incarceratio non est facienda ante receptam summariam informationem, & post visam culpam ex eadem resultantem. Hæc conclusio habetur expressa, in l. 2. C. de exhibendis Reis, vbi hoc dicunt omnes DD. Iurisperiti communiter: qua de re videndus est Iulius Clarus lib. 5. sententiar. §. fin. quæst. 28. vbi dicit, quod si Reus ante summariam informationem fuerit captus, & in carcerem detrusus, & postea innocẽs repertus: iudex † in sindicatu habebitur, & iuxta iniuriæ qualitatem erit puniendus, quod etiam tenet Bart. in l. 2. C. de ijs qui latrones occultauerunt. num. 3. De quo videndus est Anton. Gomez tit. 3. variar. cap. 9 quod est de captura Reorum, & Bernard. Diaz de Lugo, & ipsius commentator Salzedus in sua pract. crim. cap. 120. vbi traduntur multa à Prælatis, atque iudicibus in eiusmodi summarijs informationibus præ oculis habenda. Videatur etiã hac de re, Paz in sua praxi tom. 1. par. 5 cap. 3. § 2. nu. 2. cum sequentibus, & Doctor Segura de Aualos in suo directorio 2. parte ca. 13. num. 8. & Farinacius loco vbi supra nu. 111. cum sequentibus latissimè. Dico itaque, quod ante incarcerationem facienda est summaria, & secreta quædam informatio, & videnda culpa, quæ ex eadem contra aliquem resultat, & post modũ Reus verbaliter est citandus, aut personaliter capiendus, habito semper respectu ad personæ, negotij, & delicti qualitatem. semperq; debent considerare iudices, id quod dicit Iason in l. si non se obtulerit. ff. de re iudicata nu. 24. nempe † quod captura est in iure irreparabilis, & durior carcer, quam ipsa captiuitas. Ad quod propo-

propositũ quã maximè notanda sũt verba supradicti Bernard. Diaz de Lugo loco vbi supra. n. 1. vbi rationem reddens, ob quam Clerici non ex informatione leui capiendi, aut incarcerandi sunt: inquit quod sola relaxatione à carcere nequeunt per iudicem ad suæ famæ integritatem restitui: nam vt plurimum homines in captura facta, magis capti culpã, quam iudicis leuitatem adesse considerant: in liberatione verò non innocentiam rei, sed iudicis in inquirendo desidiam, aut in admissione precum & interdum munerum facilitatem interuenisse sæpius proclamare audent: quò (inquit) fit vt apud plures idem ferè operetur, quod quis pro crimine aliquos incarceretur, & quod damnetur. Ex quo fit
23 consequens, quam grauis † Clerico ex iniusta captura irrogetur iniuria, quæ tantò est iudicanda grauior, quantò captus maiori est honore insignitus, & crimen quod sibi imponitur grauius, quò maximè clericalis ipse status offenditur. Qui quidem ordo sanctissimus, sicut ab omni crimine debet esse immunis, sic nullius falsi impositione maculatus. Verba sunt ista aurea & mira, & quàm maximè notatu digna.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm minister iustitiæ, qui dicitur Alguacellus, absque expresso mandato iudicis, quempiam possit incarcerare?

Prima Conclusio.

24 COMMVNITER, † & regulariter loquendo, incarceratio fieri nullatenus debet, nisi authoritate publica, & ex expresso mandato iudicis publicã authoritatem habentis, & summaria informatione præmissa. Hæc conclusio iã satis constat ex dictis, nec vlla vlteriori indiget probatione. Sed quid si minister iustitiæ reperiat quempiam in fragrãti delicto, poterit ne sine expresso mandato iudicis eumdem incarcerare; Respondeo & sit secunda conclusio.

Secunda Conclusio.

MInister † iustitiæ, qui quem 25
piam fugientem, aut in fragranti delicto repererit, bene potest eumdem apprehendere, & in carcerem detrudere absque expresso mandato iudicis. Hęc conclusio apud omnes Iurisconsultos est comperta, & communi praxi recepta: quod fit ex tacito consensu iudicis, & publicam authoritatem habentis, pro meliori executione iustitiæ, & ne rei ipsi, aut fugiant & iudicium euadant: quod quidem in magnum vergeret damnum & detrimentum Reipublicæ. Id † quod 26
& quidam DD. paritate rationis extendere volunt ad ministrum iustitiæ (Alguacellum nempè) Clericum in fragranti aliquo delicto reperientem: dicunt enim quod potest ipsum tunc capere, vt illum proprio suo iudici repræsentet. Quod † alij 27
etiam extendunt ad personas ipsas priuatas, & offensas: hoc est, ad illos quorum interest, vt Reus ipse capiatur ne effugiat. Quod † crediderim 28
rim esse verum in eo tantummodo casu, quo captura prædicta præcisè esset necessaria ad propriam ipsorum defensionem, vel bonorum suorum recuperationem: in tali casu bene potest quisque se defendere, aut bona sua recuperare cum suo damno, & periculo, eum detinendo, qui ea sibi vi atque iniustè auferre voluit. Secus † tamen esset, si eiusmodi ca- 29
ptura non esset præcisè necessaria ad propriam defensionem, vel bonorũ suorum recuperationem, sed solum

modo tenderet ad vindictam,& punitionem: tunc enim (vt credo) fieri non posset à persona priuata, & sine authoritate publica: aliàs enim esset iniuriosa, iniusta atque illicita. Qua de re videndus est Antonius Gomez tom. 3. variar. c. 9. nu. 6. & Farinacius 1. tom. par. 1. à nu. 133. cum sequentibus. Multum etiam probabile est, quod quando delictum esset publicum, & quod vergeret in perniciem publicam, si delinquens reperiretur in fragranti delicto, & fugeret: quilibet de populo ipsum posset detinere, capere, & apprehendere, quin verò, & incarcerare, in eum finem vt iudici suo traderet. Cuius quidem ratio est, nam sicuti in prædicto delicto publico, & quod vergit in perniciem publicam, quilibet de populo tenetur Reum accusare, vel ipsum iudicialiter denunciare; ita & eundem fugiẽtem, siue in fragranti delicto repertum, licitè potest capere vt iudici suo tradat, & ad hunc effectum illum incarcerare. Paria enim esse vidẽtur; & ad idem vtrumque tendere propter bonum Reipublicæ Reum accusare, siue denunciare, & propter idem bonum eundem fugientem tenere, ac carceri mancipare. Quæ omnia fieri posse videntur ex præsumpta iudicum voluntate: nam qui eiusmodi Reos fugientes, vel in fragranti delicto repertos capiunt, iudicibus ipsis magnum quidem gratum faciunt.

Tertia Conclusio.

30 Reus † fugiens, & iam in alterius territorio existens, nullatenus à iudice, seu eius officiali ministro potest capi. Hæc conclusio determinata est multiplici iure, & habetur expressa in l. fin. ff. de iurisdict. omn. iud. & addo quod si Reus iam in alieno territorio existẽs de facto fuerit captus: ante omnia est relaxandus, & in pristinum statũ restituendus, quasi propria & naturali libertate spoliatus. Qua de re videatur Paz in praxi to. 1. p. 5. c. 3. §. 3. Sed dices, quid igitur iudex in eo casu debet facere, cum tantopere expediat Reipublicæ, ne delicta maneant impunita? Dico quod quando delinquens ad alterius territorium confugerit, à iudice per requisitoriam debet requiri: super qua re iudices ipsi mutuò se debent iuuare: vt habetur in iure in c. ex parte, el primo, de verbor. signif. Qualiter autem eiusmodi requisitoria debeat, & soleat formari: videatur apud Môterosum in sua praxi, vulgo dicta, de escriuanos, tratado 4. del processo de la Rebeldia. & de modo, quo iudices procedere debeant contra Reos absentes, videatur etiam Paz in sua praxi to. 1. par. 5. ca. 4 per totum, vbi hoc argumentum latissime prosequitur.

Aduerto etiam, † quod si iudex, 31 aut eius officialis minister Reũ fugientem insequatur, & dum adhuc in proprio eius territorio existit, Reus ipse bello, aut armis velit se defendere: in tali casu bene possunt in eumdem agere, illum vulnerare, & opus si fuerit, & necessitas id ipsum exposcat, occidere, quod tenent omnes DD. communiter, & colligunt argumento deducto ex textu in l. Seruus, C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt, vbi habetur, quod seruus † ad Ecclesiam confugiens, 32 inde extrahi potest per dominum, & si resistat, & armis se defendat, dicitur ibi, quod licitè potest occidi: idem ergo a paritate rationis colligunt DD. de Reo iudici, vel eius ministris resistente, dum adhuc in proprio ipsius territorio existit. Qua de re videatur Anto. Gomez tom. 3. variar. cap. 6. num. 9. & Farinacius tom. 1. par. 1. quæstio. 7. à num. 1. cum sequentibus latissimè. Sed dices, quid de reis ad Ecclesiam con-

confugientibus dicendum eſt : huic huic difficultati fiet ſatis in ſequenti articulo.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Rei ad Eccleſiam confugientes, per iudices inde extrahi poſſint?

Huius articuli materia latiſſima eſt, ſed propter breuitatem qua nitor, quæ ad eundem ſpectant reſoluentur breuiter per ſequentes concluſiones.

Prima Concluſio.

33 ECcleſiarũ † immunitas, ob reuerentiam, & honorem locis ſacris, & diuino cultui dicatis, debitum à principibus, & ab Eccleſia conceſſa eſt, & neceſſariò à cunctis iudicibus obſeruanda ſub comminatione diuini iudicij, & excommunicationis maioris pœna ipſo facto incurrenda. Habetur hæc concluſio in l. præſenti, C. de his, qui ad Eccleſiam confug. & in ca. ſicut antiquus, 17. quæſtio. 4. cap. de raptoribus, 36. quæſtio. 1. cap. inter alia, de immun. Eccleſ. & in cap. miror. cap. ſi quis contumax, capit. quiſquis, 17. quæſtio. 4. vbi ponuntur variæ pęnæ pro iudicibus, qui extrahunt vi delinquentes ad Eccleſias confugientes: quæ quidem omnes pęnæ nouiſſimæ confirmatæ ſunt à Concilio Trident. ſeſſio. 25. de reformatio. capit. 20. & idem habetur in l. Regia, 1. tit. 11. part. 1. De qua Eccleſiæ immunitate videndus eſt etiam Couarruu. lib. 2. variar. cap. 20. num. 18. & Anton. Gomez 3. tom. variar. capit. 10. à numero 1. cum ſeqq. & Iulius Clarus lib. 5. ſentent. quæſtio. 30. numero 1. & 2. & Paz in ſua praxi tomo 1. par. 5. cap. 3. §. 3. per totum, vbi latiſſimè agit de delinquentibus ad Eccleſiam confugientibus. Sed ſpecialiter numero 17. dicit duplicem † immunitatem fuiſſe olim Eccleſiæ 34 conceſſam, pro delinquentib. ad eandem confugientibus, quarum prima eſt, vt inde non poſſint extrahi, altera verò, quod licèt inde non fuerint violenter extracti, ſed vel voluntariè exierint, aut ſponte ab Eccleſiæ Pręlatis iudicibus ſecularibus fuerint traditi, propter illud delictum ad mortem non poſſint condemnari, nec ad aliam pęnam corporalem, ſeu corporis afflictiuam, ſed tantummodo erant pecuniariter puniendi, & ad pęnitentiam cogendi, & ad aliam ſatisfactionem faciendam. De quadruplici immunitate dicit idem Paz, quod licet prima ſit omninò à cunctis iudicibus obſeruanda, ſecunda tamen iam non habetur in vſu, neque communiter obſeruatur in praxi. Videatur ibi, & Farinacius loco vbi ſupra quæſtio. 27. à num. 1. cum ſequentibus, vbi reperire licebit plura, eaq; notatu digniſſima, à quibus dicendis conſultò in præſentiarum abſtineo, vt breuitati ſtudeam, & vt non iſte liber plus nimio excreſcat.

Secunda Concluſio.

NOn ſolum † Eccleſiæ conſecratæ, & in quibus continuo Sanctiſſimũ Euchariſtiæ Sacramentum conſeruatur, & diuina celebrantur Miſteria, prædictæ Eccleſiæ immunitate gaudent: verum etiam, & Eccleſiæ nondum conſecratæ, & in quibus diuina officia, & miniſteria nunquam fuerunt celebrata, dummodo auctoritate Superioris fuerint fundatæ. Hæc concluſio habetur expreſſa in cap. Eccleſiæ, de immunit. Eccleſiæ. vbi & eam tenent omnes communiter DD. vt videre eſt apud Couaruu. lib. 2. variarum, cap. 20. num. 4. & apud Iulium Clarum libro 5. ſententiarum, §. 35

fin.queſtio.30.numero 4. Quod & paritate rationis extendunt DD. ad hoſpitalia auctoritate Epiſcopi conſtructa, ædificata, & fundata, & ad heremitas & oratoria, ſimiliter Epiſcopi auctoritate facta, de quibus omnibus videndus eſt Paz vbi ſupra à num.24.vſque 55. vbi latiſſimè enumerat plura alia loca, quæ prædicta Eccleſiæ immunitate debẽt gaudere. Qua etiam de re videatur Antonius Gomez tom.3.variar.cap.10. nu. 11. vbi cordatiſſimè tenet id etiã extendi debere ad Reos ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum confugientes, dum à Clericis aſportatur per viam, quamuis non id expreſſum habeatur in iure, pro quo plures adducit rationes: quod & facit ſimiliter Paz loco vbi ſupra numero 36.

Tertia Concluſio.

36 QVãdo inter iudices († Eccleſiaſticum & ſecularem) orta fuerit controuerſia, & dubitatur, debeat ne Reus ad Eccleſiam confugiens ipſius immunitate gaudere, interim quod cauſa determinatur, atque deciditur (quidquid ſit de conſuetudine) de iure tamen non ſunt ſibi compedes inijciendi, aut vinculis eſt conſtringendus: nam hoc eſt cõtra Eccleſiæ libertatem: & iudex, qui contrarium facit, omni procul dubio peccabit mortaliter. Hęc concluſio apud omnes Iuris Conſultos & Theologos receptiſſima eſt, ſatiſque colligitur, ex l præſenti, C.de ijs, qui ad Eccleſ.confug.& ex cap.definiuit 17.q.4.& de ea videnda eſt lex 2.tit.11.par. 1. debet tamen Eccleſia cuſtodiri, donec à iudicibus determinetur, an delinquens Eccleſiæ immunitate debeat gaudere. Cuius im-
37 munitatis† cauſa de iure, ab vtroque iudice (Eccleſiaſtico nempè & ſeculari) decidenda, & determinãda eſt, vt multis tradit Paz loco vbi ſupra num.3.8 & 9.vſque 14 vbi latiſſimè dicit quid hac in re faciendum eſt, & tractat omnia ea, quæ circa prædicti articuli determinationem à iudicibus debent obſeruari. Qua de re de nouo extat conſtitutio S. D. N. Gregor. XIIII. qui de hoc peculiarẽ legẽ ſtatuit vbi ad hoc propoſitum dicuntur plura, eaque notatu digniſſima, ſed non vti par erat communiter obſeruantur in praxi. Sed contra iudices † ſeculares de facto Reos ab Ec- 38
cleſia extrahentes, abſque cauſæ diſcuſſione, & prius quam viſum, & determinatum fuerit an gaudere ipſi debeant Eccleſię immunitate: procedere debent iudices Eccleſiaſtici per cenſuras, ſecundum Panorm. in cap.inter alia, de Eccleſ.immun. numero 26. poſt Bartolum, in dicta l. præſenti, C.de ijs, qui ad Eccleſ.confug per textum in capit. miror, 17. quæſt. 4. Qua de re videatur ſumma Angeli de Clauaſio, verbo, immunitas, verſ. quæro, & Syluester eodem verbo, immunitas 3.quæſtio.7. Nec talis extractio iuſtificari vllo modo poteſt ex ſubſequenti cognitione: nam Eccleſia ſpoliata ante omnia reſtituenda eſt, iuxta textum in capit. conquerente, & cap.item cum quis, de reſtitu. ſpoliat. vt reſoluit ſupràdictus Paz loco vbi ſupra num.15.& 16. vbi aduertit, quod non propterea Clerici delinquentem ad Eccleſiã confugientem, vi aut armis poſſunt defendere, ne de facto extrahatur: ſed tantummodo per iudicẽ cenſuris erit id ipſum faciendum, iuxta textum, in cap.1. de officio deleg. & cap fin.de reb.Eccl. non alienandis, c dilectus, de pęnis, & c. ex parte, el primo, de verb.ſignifica Et qua pœna † iudex ſecularis veniat puniendus, tanquam immunitatis Eccleſiaſticæ violator, ſi delinquentem inuitum ab Eccleſia extraxerit, abſque cauſę diſcuſſione, vel ea pendente, 39
multis

multis tradit suprad. Paz loco vbi sup. nu. 16. quæ ibi possunt videri, & ea de re videatur etiam Concil. Trident. sess. 25. de reform. cap. 20.

Quarta Conclusio.

40 QVamuis generalis † sit regula, quod delinquens ad Ecclesiam confugiens, extrahi inde non debet violenter, aliqui tamen sunt casus à prædicta generali regula excepti. Hæc conclusio quoad prioré partem, probatur, per cap. inter alia de immun. Eccle. & cap. penult. & fin eodé tit. lib. 6. cap. sicut antiquitus, cap. Reum, cap. mitor, cum alijs 17. quæst. 4. & per l. 2. tit. 11. part. 1. & l. 2. & 3. tit. 2. lib. 1. Recop. Qua de re videndus est Panorm. in dicto cap. inter alia, notab. 3. & Anton. Gomez tom. 3. varia. ca. 10. num. 1. & Couarru. lib. 2. variar. cap. 20. nu. 6. & Iulius Clarus lib. 5. sentent. §. fin quæstio. 30. num. 1. & Farinacius vbi supra quæst. 28. à nu. 1. cum sequentibus. Sed quoad secundam partem probatur etiam per dictum cap. inter alia de immunita. Eccles. vbi à prędicta generali regula excipiuntur duo casus, in quibus ad Ecclesiam confugiens licitè
41 inde poterit extrahi: nempè quandò † quispiam fuerit publicus latro, aut nocturnus agrorum depopulator: & quamuis (vt communiter dicitur) exceptio in lege facta regulam firmet in contrarium, iuxta textũ, in l. hęreditarium, §. sed neque. ff. de fundo instructo. & cap. 1. de cõfessis; Multi tamen præter supradictos duos reperiuntur casus, in quibus delinquentes ad Ecclesias confugientes licitè inde possunt extrahi. De quibus videatur Paz in sua praxi loco supra citato à numero 64. vsque 179. vbi. 55. enumerat casus, in quibus iuxta diuersorum Doctorum opinionem, delinquentes ad Ecclesiam, confugientes indè possunt extrahi, quamuis præcipui, & principales sint duo pręnominati, in d. cap. inter alia, de immun. Ecclesiarum, de publicis lattronibus, & nocturnis agrorum depopulatoribus: de quibus supradictus Paz, prædicto num. 64. cum sequentibus vsque 42
ad 70. speciales affert rationes. Quos omnes supradictos † casus, & quæ circa ipsos dicuntur à Doctoribus, facilè licèt recensere possem, consulto id ipsum missum facio, cum non sit in votis aliorum membranas transcribere, & tantopere studeam breuitati: sat sit prædicta retulisse, & supradictum Paz loco præallegato citasse, vt videatur ibidem, vbi reperire licebit exactissimè tractata omnia, quæ ad hoc propositum possunt desiderari, Videatur etiam ea de re summa Angelica, & Syluester, verbo Ecclesiæ immunitas, & Nauarr. in man. cap. 25. nu. 17. cum sequentibus, & specialiter, an Clerici delinquentes ab Ecclesia possint extrahi: videatur Bernardus Diaz de Lugo, & Salzedo ipsius commentator in sua pract. crim. Canon. cap. 123. & Farinacius loco vbi supra quæst. 28. à num. 1. cum seqq. ibi.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm liceat Reo incarcerato è carcere effugere, & in id ipsum armis se defendere?

DIFFICVLTAS præsentis articuli intelligi potest, de Reo seculari incarcerato antequam damnetur, & de eo iam per sentẽtiam condemnato. Item & intelligi potest stando in foro conscientiæ, aut loquendo de foro exteriori. Præterea intelligi potest difficultas præsentis articuli, loquendo de pæna, ad quam Reus damnatus tenetur iudici cooperari, vt est pæna

pecuniaria, exiliū, vel quid, simile: & de pœna ad quam subeundam non tenetur cooperare eidē, vt est mors, flagella, tortura, mutilatio, & eiusmodi: quibus omnibus difficultatibus breuiter fiet satis per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

43 LOQVENDO † de Reo sęculari incarcerato antequam dānetur, & in foro conscientiæ: omnibus perspicuum est, quod non tenetur in carcere manere, quin verò licitè potest aufugere, dummodo id sine violentia aliqua faciat. Hæc cōclusio est omnium Doctorum communis, & eam tenet expresse Magister Soto, lib. 5. de iust. & iure quęst. 6. artic. 4. & Arag. 2. 2. q. 69. art. 4 & fundatur in naturali hominis libertate, & vehemēti inclinatione, quam ad eandem conseruandam, & defendendā habet: qua de re videatur prędictus Soto, & Arrag. locis citatis.

Aduertendum est tamen, quod quamuis prędicta cōclusio vera sit, & communiter, & generaliter loquendo verum habeat in Reis secularibus, & etiam in Clericis, qui dūmodo id sine violentia faciant: licitè è carceribus possunt aufugere, stando in foro conscientiæ: non tamen verum habet in Religiosis, † qui
44 propria voluntate sua sponte propter Deum sua se libertate priuauerunt, & suas voluntates à se abiecerunt & abdicauerunt. Quod tenet expresse Caietan. 2. 2. quæst. 69. artic. 4. in solut. ad 2. vbi dicit, quod cum Religiosi à suis Prælatis in carceribus detinentur, nullatenus possunt aufugere, sed ibidem debent manere, & in hoc illis obedire, cum neque è domo sine suorum Prælatorum licentia licitè possint exire. Quod etiam tenet Nauarr. in capit. statuimus 14. quæstio. 3. numero 63. & Couar. lib. 1. var. c. 1. num. 14. & Arag. vbi supra.

Secunda Conclusio.

REus iustè † damnatus à iudice ad aliquam pęnam, cui etiam ipse simul cum eodem iudice cooperari tenetur, vt est pena pecuniaria, exilium, & eiusmodi, non potest licitè è carcere aufugere: sed ibi tenetur manere, & eam patienter subire. Hæc conclusio est Caiet. loco supracitato. De cuius doctrina, præmitto, quod pęnæ, ad quas damnari possunt homines in duplici sunt differentia. Aliæ enim sunt, ad quas non aliter potest homo damnari, quam ad hoc vt illas patiēter subeat: non tamen tenetur in eis simul cooperari indici, talis est mors, mutilatio, flagella, & tortura: non enim damnatur, aut damnari potest homo, ad hoc vt ipse se occidat, mutilet, flagellet, aut torqueat: sed solummodo ad hoc, vt eiusmodi pœnam subeat, & patienter sustineat: quod secūdum stilum sylogisticū, & apud Theologos communiter dicitur: damnari ad pati: non verò ad agere (verba sunt expressa Caiet.) nā non damnatur, nec damnari potest, vt in his pęnis subeundis ipse simul cooperetur indici. Aliæ verò sunt pęnæ, in quibus homo non solum damnatur ad pati, & ad hoc vt illas patienter subeat: verumetiam & ad agere: ita quod in his tenetur ipse simul cooperari iudici. Talia sunt exilium, pęna pecuniaria, & huiusmodi: damnatur enim homo ad hoc, vt in locum exilij exeat, & intra tales limites non permaneat: aut quod tantam vel tantam pecuniam soluat. Quo præmisso notabili, dicit predicta conclusio, quod Reus damnatus à iudice ad illas pęnas, in quibus tenetur ipse simul cooperari eidem non potest licitè è carcere effugere:

45

gere: sed tenetur ibidem manere, & eas patienter subire. De alijs pœnis dicetur in conclusione sequenti. Cuius conclusionis ratio est, quia in ijs (vt supponitur) Reus iustè ad damnatus à iudice, ad illud quod ipse potest & tenetur facere: Sicque obligatus est illi obedire, & si contrarium faciat peccabit mortaliter: Nec solum ipse peccabit mortaliter, verum etiā & omnes, qui ei auxilium & fauorem præbuerint, cum ipse licitè non possit aufugere. Et addo, quod si quis
46 existens † in carcere damnatus esset ad soluendas aliquas pecunias alicui, & quispiam auxilium sibi præberet ad hoc vt è carcere fugeret; præter quam quod tam Reus fugiens, quam ille, qui sibi auxilium præbuit mortaliter peccauerunt, tenetur qui eiusmodi auxilium dedit, prædictas pecunias alteri restituere, quod est certissimum, & omni procul dubio, & est expressa sententia Caietani, & Arag. vbi supra.

Tertia Conclusio.

47 REus † in carcere existens, & iustè etiā damnatus ad mortem, flagella, tormenta & similia, in quibus homo non damnatur, sed neque damnari potest, nisi ad pati, nec in illis tenetur simul cooperari iudici, licitè potest è carcere fugere, vt sic mortem, & alias similes pœnas euadat. Hæc conclusio est expressa D. Thomæ 2. 2. quæst. 69. artic 4. in solut. ad 2. Cuius ratio est, quia cum nemo damnatur, sed nec damnari possit, vt sibi ipsi mortem inferat, sed tantum vt illa patiatur, hinc est (inquit D. Thomas) quod non tenetur, sed neque obligari potest, ad hoc vt faciat illud vnde mors ipsa sequatur, quod est manere in loco vnde ad eamdem subeundam deducatur, nempè in ipso carcere.
48 Et quod de morte † dictum est, intelligendum est similiter de tormento, & alijs pęnis, in quibus homo non obligatur, sed neque obligari potest, nisi ad pati. Nam ad easdem damnatus, si pateat aditus, licitè potest è carcere effugere. Quod & confirmatur ex vehementi inclinatione, & propensione, quam habent omnes in vniuersum homines, ad tuendam & conseruandam propriam vitam. Quæ quidem inclinatio adeo vehemens, & naturalis est, vt naturæ iure, qui fugit ne moriatur, vel aliquid simile patiatur, liber esse videatur ab omni culpa. Dicit tamen prædictus D. Thomas loco supra citato, quod quamuis (vt præmittitur) Reus incarceratus, & ad mortem damnatus licitè possit fugam arripere, si pateat sibi aditus: non tamen (inquit) potest
† resistere ministris iustitiæ, seu ipsi 49
iudici, quin patiatur id quod iustum est eundē pati: nam id iam non esset tantum rem suam agere, & mortem procurare euadere: verum etiam & vim iudici ipsi, quin verò & iustitiæ inferre: quod facere nunquam licet.
Sed contra † prædictam conclusionem, vt plenius elucescat, sic argumentor. 50
Nam nemò potest rem suam agere, & propriam vitam tueri, cum damno, & detrimento alterius: sed ex hoc quod damnatus ad mortem à carcere effugiat, graue damnum sequeretur custodibus, contra quos statim lege agetur, pro eo, quod ipse è carcere aufugit: ergò id facere nunquam licet. Huic argumento respondeo, quod secundum doctrinam Aristotelis, & vt de
se patet, ea quæ sunt † per acci- 51
dens, non mutant ea quæ sunt per se, aut variant naturam actus. In proposito autem, quod ex eo, quod Reus damnatus ad mortem effugiat, aliquod inde malum siue detrimentum sequatur custodibus, per accidens est ad ipsam fugam, & pręter intentionem ipsius fugientis, qui

tantum

tantum curat, quæ sua sunt, & illa, quæ iure potest facere: vnde fit vt id non faciat fugam esse illicitam; quin verò Reus licitè potest fugere, & fugiendo nulli facit iniuriam, sed ius suum persequitur, vt mortem euadat, quàm (vt diximus) in carcere expectare non tenetur, sicut neque illam sibi inferre. Quod si exinde custodibus ipsis malum aliquod fuerit subsecutum, ipsi viderint: & nõ Reo fugienti, sed illorum negligẽtiæ imputari debet, pro eo quod munus & officium suum, non exactè vti tenebantur adimpleuerint. Sed contra prædictam solutionem sic replico.
52 Reus † iustè damnatus ad mortem, iustè etiam est damnatus ad cacerẽ, cum iuxta veram Philosophiam, & doctrinam Aristotelis, qui dat formam, dat etiam consequentia ad formam: ergo non potest è carcere fugere, damnatus cũ sit ad mortẽ, & teneatur patiẽter talem pęnam subire, & faciendo contrarium, & fugiẽdo faciat contra obedientiam iudici ipsi debitam. Huic replicæ respondeo. Primò, quod damnatus ad mortem non perinde est damnatus ad carcerem, nec in sententia talis vnquam damnatio continetur, sed solummodo custoditur ad hoc, vt subeat impositam sibi pęnam. Secundò
53 respondeo, quod † non posset quis simul iustè dãnari ad mortẽ, & ad carcerem, quam seruare teneretur, & si talis aliqua lex Reo alicui fuisset posita, tanquam iniusta, & iniqua, & contra naturalem hominis inclinationem, nullam induceret obligationem. Hæc solutio est Magistri Aragon. loco supra citato. Non enim potest iudex iustè priuare hominem naturali beneficio fugiendi, ad euadendam, & euitandam mortem, quo quisque iure naturæ & gentium vti potest. Sed maior difficultas est, an esto si Reus possit è carcere fugere, cum patet fuga, & ostiũ est apertum: possit etiam vincula, & compedes dirumpere, seras infringere, & murum perforare? De qua difficultate sit conclusio.

Quarta Conclusio.

REo in carcere † existẽti, & ad mortem, vel quid simile damnato non solum licitum est fugere, cum ostium est apertum & patet fuga: verũ ẽt potest vincula, & catenas infringere, murũ perforare & reliqua his similia facere: hoc solo excepto quod nullam vim inferat iudici, aut ministris iustitiæ. De hac conclusione, quamuis non ita inter Doctores conueniat (nam multi contrarium tenent: & existimant esse omninò idem vincula, & carcerem dirumpere, ac iudici resistere) Sententia tamen à nobis allata verior videtur, & tenenda, quam tenet Soto lib. 5. de iust. & iure, quæst. 6. artic. 4. & Arag. 2.2. quæst. 69. artic. 4. & omnes Iuniores communiter, qui dicunt hoc licitum esse Reis: & credunt eam esse sentẽtiam D. Thomę, dum generaliter dicit licere ipsis è carcere effugere, non tamen resistere. Et quod in eo nulla iudicibus inferatur iniuria, siue resistentia exinde probant, quia vis, violentia, & resistentia propriè loquendo, non dicitur inferri, nisi rationali creaturæ, nempè homini: non autem vinculis, siue compedibus, hæc enim incapacia sunt cuiuslibet resistentiæ, & violentiæ. Vnde fit, quod vincula, & cõpedes dirumpere non sit resistere: sed fugere: & cum fugere (vt præmissũ est) in dictis casibus licitum sit consequens proinde fit, quod etiam sit licitum Reum se ab illis impedimẽtis eximere, quibus cum commodè non posset fugere. Quod semper est intelligẽdum, si fieri potest citra vim ipsius carceris curam gerentis: nam illi, 54

illi, siue eius ministris vim inferre non licet, nec eosdem ligare, aut os obstruere ne clament.

55 Sed contra † hanc conclusionem, vt plenius elucescat, volo argumentari, & probare quod non sit vera. Nam (vt infra dicemus in articulo vltimo) in iure Ciuili quam plures sunt statutæ leges, quibus carcerum effractoribus imponitur pœna capitis: sed hæc pœna in iure non imponitur, sed neque imponi potest, nisi pro graui & mortali culpa, aliàs eius modi leges essent iniustæ: dicendum est igitur, quod qui Reus carcerem & vincula dirumpit, mortaliter peccat: nec id facere est vllo modo licitum.

56 Ad hoc † argumentum respondeo primò, quod legum illarum conditores, probabilem illam opinionẽ secuti, quod non licet vincula, & carcerem dirumpere, & quod id facere esset peccatum mortale: contra carcerum effractores, grauem illam pęnã sunt comminati, quod tamen cum non ita sit, eiusmodi leges non in omni casu, & euentu debent practicari. Nec mirandum, quod cum ipsi Rerum spiritualium commodi iudices non extiterint, culpam grauem fuerint opinati, vbi nulla forsan, aut minor culpa est. Vel secundò dico, quod prædictarum legum conditores, conformiter ad suam æstimationem, rigorosam illam pœnam statuerunt: fundati in præsumptione, qua suspicati sunt, quod qui carceres, & vincula dirumpit, vim etiam intulit ministris iustitiæ, & in tali vi præsumpta (quam diximus esse illicitã) & quod illam inferre nunquam licet, fundatæ, & stabilitæ sunt eiusmodi leges: indè tamen non licet inferre, quod qui re vera effractis carceribus, sed sine violentia, & resistentia aufugit, mortaliter peccet. Vt igitur omnia vnico verbo concludam, dico quod ad dijudicandum id, quod in conclusione est dictum, an Reum effractis carceribus fugere licitum sit, aut illicitum, attendendum est ad modum & formam ipsius fugæ, & ad ea, quæ pro illa sunt exhibita. Nam si effractionis actus reducatur ad pugnam, illicitus est, cum iudicibus, & ipsorum ministris nullam vim inferre liceat. Si verò non reducatur ad pugnam, sed tantum ordinetur ad fugam, licitus est: nam fugere non est pugnare, aut resistere, sed solum se eximere, & liberum se quempiam expedire, ad hoc vt mortem euadat, quod (vt dictum est) facere licitum est cuilibet.

Sed dices vlterius. Contra: nam qui ædes vicini sui rumpit, vim illi inferre dicitur: ergò & qui rumpit claustra carceris vt fugiat, vim etiã infert iustitiæ. Respondeo negando consequentiam, & paritatem rationis: nam in primo casu non habet quispiam ius contra voluntatem suã ingrediendi domum sui vicini: At verò in nostro casu, Reus quò mortem euadat ius habet ad exeundum è carcere propter rationes superius dictas, & sic est dispar ratio.

Sed dices vlterius. Qui carcerem, & vincula dirumpit, tenetur ad restitutionem de damno dato, nihil ob aliud nisi quia fecit contra iustitiam: ergò negari non potest, quod id faciendo mortaliter peccet.

Huic replicæ respondeo, & solutio est Magistri Aragon loco supra citato, quod Reus in tali casu, carcerem & vincula dirumpens, tenetur ad solutionem damni illati, non quidem ratione iniustæ acceptionis: sed ratione rei acceptę, volo dicere, quod tantummodo erit obligatus ad soluendum damnum, quod resultauit ex vinculorum, siue carceris effractione, non tamen peccabit quia aufugit, nam in eo vsus est iure suo. Et quamuis fecerit contra iustitiam commutatiuam, damnificando carcerem, non tamen contra vindicatiuam,

tam, fugiendo è carcere, in casu quo licitum fuit sibi fugere: quod est verum, etiam si ob suam causam alij etiam rei effugiant è carcere, nam non ad ipsum spectat alios custodire, seu de alijs curare. Hæc supradictus Aragon. Addit tamen quod quamuis hoc licitum sit Reis, dummodo fiat sine resistentia, & violen-
57 tia: parentes † tamen, siue amici in id ipsum non possunt eosdem iuuare, & limas & alia instrumenta ad fugam necessaria illis ministrare: quod etiã tenet Soto vbi supra, & est communis opinio fundata in magna ratione, nam id facere vergeret in magnũ damnum, & detrimentum totius Reipublicæ, cui potius quam particulari cuipiam tenentur succurrere. Neque est eadem ratio de Reis, & ipsorum parentibus, siue amicis, nam Rei in tali casu fugiendo (vt dictum est) vtuntur iure suo: illi autem nullum habent ius ad iuuandos eos in damnum, & nocumentum Reipublicæ.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Reus iniuste à iudice ad mortem damnatus, licitè possit fugere, cum violentia, & resistentia ipsius iudicis, & ministrorum iustitia?

SVpposito quod dictum est in præcedenti articulo, quod Reus iustè ad mortem damnatus licitè potest fugere, etiam effractis carceribus; quamuis non sibi liceat iudici, aut ministris iustitiæ vim aliquam inferre, aut ab illis vi, & armis se defendere, id enim esset contra Doctrinam Diui Pauli ad Rom. 13. asserentis, quod qui potestati resistunt, Dei ordinationi resistunt, sibique damnationem acquirunt: insurgit in præsentiarum difficultas de Reo iniustè à iudice damnato: an in tali casu possit fugere, si de tali iniustitia sibi constiterit, vi & armis se defendendo, & cum resistentia ipsius iudicis, & aliorum ministrorum iustitiæ? Pro cuius resolutione sit prima conclusio.

Prima Conclusio.

SI Reo iniustè ad mortem † damnato, de tali iniustitia verè constitisset, licitè procul dubio posset aufugere, etiam cum resistentia iudicis, & aliorum ministrorum iustitiæ, cum tamen eiusmodi resistentia fieret sine magno, & graui scandalo, & non ex ea in Republica grauis foret subsecutura perturbatio. 58
Hæc conclusio est expressa D. Thomæ 2.2. quæst. 69. artic. 4. quam & probat assimilando iniquum iudicium, violentiæ latronum. Ad quod propositum adducit illud Ezechielis cap. 22. vbi iniquos iudices latronibus comparat. Ex qua auctoritate sic colligo argumentum. A violentia latronum licitum est cuilibet aufugere, & quoquo modo possit vi, & armis se defendere; sed iniquum iudicium est simile violentiæ latronũ: ergo à tali iudicio licitum est reo aufugere, & quoquomodo possit vi, & armis se defendere, etiam cum resistentia iudicis, & aliorum ministrorũ iustitiæ, modò id fiat sine magno, & graui scandalo. Confirmatur hæc conclusio ratione: quam ad hoc propositum adducit Magister Soto lib. 5. de iust. & iure, quæst. 6. art. 4. & ea est: nam iniqua sententia nullam inducit subdito obligationem, & obedientiam, quin vero in ea ferenda iã iudex non vtitur potestate publica, priuata sua, & crescit ipsius culpa inde, quia iustitiæ prætextu iniustitiã, & violentiam infert: ergo in tali casu non tenetur reus subditus illi parere: imò potest quoquomodo possit ab illo se, etiam armis, & cum resistentia defendere. Sed maior est difficul-

ficultas de eo, qui re vera est innocens,& sm̃ allegata,& probata probatur noxius, & vt talis ad mortem damnatur,an iste talis resistendo iudici, seu eius ministris, ab ipsis possit se defendere? de hac difficultate non est par omnium Doctorum cõsensus. Soto vbi supra varius est. Sed vera solutio explicabitur conclusione sequenti.

Secunda Conclusio.

59 VTcumq; quispiam † sit innocens, si secundum allegata,& probata probatur fuerit noxius,& vt talis damnatus ad mortẽ, nullo modo potest cum iudicis resistentia fugere. Hanc conclusionem tenet Arag. 2.2.q.69 artic.4.quæ & probatur rõne: nam cũ iste talis secundum allegata & probata iustè sit damnatus ad mortem, & iudex ius habeat illum interficiendi: reus resistendo vi, & armis iustè posset ab illo se defendere, iam daretur bellũ ex vtraq; parte iustum, quod seclusa ignorãtia inuincibili est omninò impossibile. Dico igitur quod poterit ille talis reus effractis carceribus, & quoquomodo possit, sed sine violentia aufugere: violentiam tamen cum iustè sit ad mortem damnatus, inferre nunquã sibi licet. Videatur Aragon vbi supra.

ARTICVLVS VIII.

De pœnis quas in foro exteriori incurrunt rei è carceribus fugientes, & carcerum effractores?

Prima Conclusio.

60 DE iure antiquo ciuili, † qui reus incarceratus fractis carceribus fugit, punitur pœna capitis. Hãc conclusionem tenet Doctor Paz in sua praxi tom. 1. part. 5. cap. 5. §. 2. de captura delinquentis, nu. 7. Et probat eã ex l. 1. ff. de effractoribus,& ex l. milites agrum. §. cũ tamen. ff. de re militari. Et dicit eam esse Bartoli tractatu de carceribus colu. 3. de quo etiam videndus est Iulius Clarus quæst. 21. num. 25, & q. 68. num. 8. Sed tamen Ant. Gomez tom. 3. variarum, c. 9. num. 11. dicit huiusmodi pęnã esse arbitrariam, & Simancas de Catholicis institutionib. cap. 16. num. 12. id ipsum tenet, & dicit iam vsu,& consuetudine esse introductum, non obstante quod iure quidquam aliud habeatur, vt reus è carcere fugiens post modum captus, si sit nobilis,& honestæ conditionis, durè pęna arbitrio puniatur si autem sit conditionis vilioris, fustibus pro fuga cædatur, & de causa ex integro agatur. Solum est difficultas, vtrum verum sit id quod cõmuniter dicitur, quod reus fugiens è carcere habetur pro confesso.

Secunda Conclusio.

REus Effugiens † è carcere, pro confesso habetur, & punitur eadem pęna, ac si verè, & realiter delictũ ipsum probaretur. Hãc conclusionem tenet Antoninus Gomez vbi supra, & probat eam, ex l. penult. ff. de custodia reorum cum glossa ibidem, verbo puniendi,& dicit eam esse Bartoli, & ferè omnium Doctorum communem. Est postquã enumerat quã plures Doctores huic sententiæ adhęrentes, paulò inferius dicit eamdem sententiam posse extẽdi vt procedat,& locũ habeat, etiam † si fuga,& fractura carceris nõ habeat consummatum effectum: quod probat per textum in dicta, l. penult. ff. de cust. reorũ, & plures DD. quos allegat ibidem. Dicit etiam posse extendi hanc conclusionem, vt procedat,& locum habeat, † etiamsi talis aufugiens si innocens,& postea velit pro-

probare contrarium eius, quod sibi obiectum est. Nā licet (inquit) alias ficte confessus, innocentiam suā possit comprobare, iuxta l. finalem. §. fin. ff. de bonis eor. qui ante sententiā mortem sibi consciuerint: in proposito tamen casu, reus fugiens non potest probare contrarium, sed dato quod sit innocens, puniri debet eadem pęna delicti: quod probat ex dicta l. penulti. ibi: & quamuis innocentes ex eo crimine inueniantur, & ex alia lege partitę l. 5. tit. 29. p. 7. Sed
64 tamen † ipse Anton. Gomez paulò inferius se limitat, & corrigit, & quātum ad hoc vltimum videtur sibi quod illa lex sit nimis rigida, cum in criminalibus semper iura requirant veram, liquidam, & certam probationem, & (vt dicitur) luce meridiana clariorem, priusquā cuipiam imponatur corporalis pęna, vt hr in l. absentem. ff. de pœnis, & in l. singuli ff. de accusatio. Cum igitur etiam in casu, quo quis verè fuisset confessus delictum, si re vera esset innocens, innocentiam suam & allegare & cōprobare posset, & probando contrarium, & de sua innocentia constando puniri non posset pęna delicti, rigidum (inquit) profecto videtur, & cōtra rationem, quod reo fugienti (etiamsi pro confesso habeatur) cum tamen sit innocens, si suam innocentiam allegare, & probare velit, non admittatur, sed puniatur pęna ordinaria delicti. Dicendum † est igitur
65 quod reus aufugiens (etiam effractis carceribus) non est puniendus pęna ordinaria delicti, sed pęna arbitraria aut aliqua alia si à iure est constituta pro tali delicto effractionis carceris, magis vel minus, prout maior vel minor fuerit culpa, & hoc etiam si talis super principali delicto fuerit repertus innocens. Videatur hac de re Iulius Clarus libr. 5. §. fin. quæst. 21. num. 25. & Paz 1. tom. part. 5. cap. 3. §. 2. de captura delinquentis, nu. 9. & Farinac. vbi supra quæst. 29. à numero cum seqq.

QVÆSTIO XVI.

De testibus quantum attinet ad ipsorum testimonium, & obligationem qua tenentur ferendi ipsum: in sex Articulos diuisa.

In qua & duabus sequentibus quæstionibus, proprijs Articulis extructis, exactissimè absoluetur tota materia de testibus & attestationibus, de qua in iure habetur specialis titulus in decretalibus.

SVMMARIVM.

1 *Compelli an quis possit ad testificandum & ferendum testimonium? quod non possit proba ur, & num. 2. sed contraria est verior. vt nu. 3. & seq. Respondetur argum. nu. 7. & num. 13.*

3 *Interrogatus de crimine quod sit, siue commisit tenetur veritatem confiteri, & contrarium faciens peccat mortaliter, secus si neque vocatus, neque interrogatus taceat quæ necessaria sunt proximo num. 4.*

5 *Qui non interrogatur iuridice, & seruato iuris ordine, non tenetur respondere, aut veritatem dicere iudici. Dummodo crimen non vergat in perniciem publicam, siue in præiudicium tertij num. 6.*

7 *Quando quis legitime interrogatur à iudice super aliqua re, quam sub secreto recepit, non facit contra fidelitatem si super ea testimoniū reddat.*

8 *Nec potest quis secreto, aut etiam medio iuramento constringi ad tacendum id, quod est contra Rempublicam, & quod ipse alias reuelare tenetur. Secus est quando quis reuelaret ea quæ reuelare*

non

47 Te-

47 *Testimonium quando fuerit necessarium non ad liberandum, sed ad condemnandum reum, etiam legitimè accusatum non tenetur quis sponte se offert ad ferendum testimonium. declara numero 48.*

49 *Testes qui in casu, quo testificari tenentur se abscondunt, occultant, aut falsò excusant mortaliter peccant, & de iure puniuntur. & qua pœna remissiuè nu. 50.*

51 *Testis, qui vt verum testimonium dicat mercedem aliquam recipit mortaliter peccat cum obligatione restituendi, & in iure habetur suspectus, & à testimonio reijcitur. declara nu. 52.*

53 *Testis, qui cum iuramento, aut sine ipso in iudicio affirmat, quod sit esse falsum, aut dubitat esse verum, aut tacet verum in præiudicium partis peccat cum obligatione restituendi omne damnum parti læsæ.*

54 *Testis falsidius Reo, Iudici, & innocenti obnoxius est.*

55 *Debet dictum suum reuocare, & quando.*

56 *Falsum dicens ex negligentia, vel inconsideratè mortaliter peccat.*

57 *Testis quando dictum falsum possit retractare. Et quid debeat facere quando contra innocentem testificatus fuit. num. 58.*

59 *Nemo tenetur quempiam à morte liberare cum propria vita periculo, & hoc intelligitur quando vterque est innocens, & quando innocens est morte punitus. numero 60.*

61 *Qui non iurauit falsum, & fuit causa, vt alia faciant id ipsum, quomodo se gerere debeat si innocens condemnetur.*

ARTICVLVS I.

Vtrùm possit aliquis compelli ad testificandum, & ferendum testimonium?

T VIDETVR Quod non. † Nam nullus iure compelli potest ad faciendum id, quod est contra aliquam virtutem: virtus enim virtuti nulli repugnat, sed neque repugnare potest, vt dicit omnis cõmuniter Schola Theologorũ, sed stare potest casus, in quo ferre testimonium contrariũ sit virtuti: nempè fidelitati, vt (v. g.) si aliquis sub secreto rem aliquã seruãdã admisit, & cogatur de ea testificari: ergo i tali casu nullus iure poterit cõpelli ad ferendũ testimoniũ. Consequentia videtur legitima, cũ seruare amici secretũ fidelitatis sit officiũ, ipsum autem reuelare, aut propalare, infidelitas, quã maxima, iuxta illud quod habetur. Prouer. 11. qui fidelis est cælat amici commissum: qui aũt reuelat arcana fraudulenter agit: vr ergo, quod nulla ratione iudex, siue prælatus, possit medio iuramento siue in virtute obedientiæ quempiam cõpellere, ad hoc vt de rebus, de quibus ab amico seruandum suscepit secretum testimoniũ ferat, quod procedit tunc vel maximè, quando non solum nudis verbis, verum etiam & sub iuramẽto, se seruaturum tale secretum repromisit. Nã quamuis obedientiæ vinculum magnum sit, vinculum tamẽ iuramenti (quod est Religionis actus) maius certè est & fortius: nec videtur quod sub virtute obedientiæ imponi possit tale præceptum, vt quod secretè habetur, reueletur. Hoc certè argumẽtum est fortissimum. † Secundo ad idem sic argumentor, quia si propter aliquã rationem, & causam, teneretur aliquis 1 2

in

in hisce rebus patere maioribus, & ad ferendum testimonium compelli posset, maximè quia maiores sunt, & quia à suis superioribus interrogatur, quibus mentiri non licet: sed poterit in tali casu (citra mendacium) occultare veritatem, eo modo, quo & fecisse fertur Abraham, vt habetur Genes. 26. quando dixit vxori suæ: Dic quòd soror mea es: super quæ verba inquit Augustinus: Quòd Abraham voluit veritatem cælari, non mendacium dici: ergo & quilibet si interrogetur vt testis, poterit id ipsum facere, nec tenebitur verum dicere.

Prima Conclusio.

3 QVicumque † Legitimè, & secundum ius interrogatur de aliquo crimine, quod scit, seu commisit, tenetur palam veritatem dicere, & confiteri, & contrarium faciens proculdubio peccat mortaliter. Hæc conclusio est D. Tho. 2. 2. q. 70. art. 1. & omnium Theologorum communis, quàm & hac ratione probant. Nam vnusquisque tenetur obedire suis maioribus iusta præcipientibus, vt enim inquit Paulus ad Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas nisi à Deo: quæ autē à Deo sunt, ordinata sunt, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: sed quando iudex, siue prælatus interrogat quempiam in particulari, seu aliquos in communi legitimè, & seruato iuris ordine, iusta eis præcipit: ergo in tali casu subditi semper tenentur eisdem obedire: alias enim daretur bellum ex vtraque parte iustum, quod seclusa ignorantia inuincibili (vt supra diximus) est omnino impossibile. Quādo autem iudex dicatur interrogare legitimè & iuridicè, dicetur infra in quæst. de reis, & D. Tho. in præfato articulo breuiter illud complectitur dicens, quod tunc iudex interrogat iuridicè, & legitimè, quando interrogat de manifestis, vel de eis, quorum præcessit infamia: in quibus certum est quod tā reus, quam testis tenentur veritatem dicere, & eam negando mortaliter peccant, non solū contra charitatē, verumetiam & cōtra iustitiam: ita quod & tenētur ad restitutionem cuiuslibet damni inde subsecuti: quod & eadē rōne dicēdū est, de eo, qui sciens aliquā rē, dolo, vel fraude se subducit ne in testē vocetur à iudice. De hoc ēt dico, quod si eius testimoniū necessariū est proximo, ita vt in eo tota ipsius iustitia consistat, præter quàm quod mortaliter peccat contra charitatem, peccat & facit etiam contra iustitiam, et tenetur ad restitutionem de damnis omnibus inde subsecutis, quia nempè in hoc proximo suo contra iustitiam infert damnum, & quia ferre testimonium in tali casu est actus iustitiæ, & certum est quod iustitia læsa restitutionem postulat. Secus † aūt esset, si neque vocatus neque 4
interrogatus taceat quis ea, quæ necessaria sunt proximo, etiam ad liberandum ipsum ab iniusta morte, seu ab aliqua pœna infamiæ, vel quouis aliquo nocumento: tunc enim quāuis peccet mortaliter & delinquat grauiter, non tñ erit obnoxius restitutioni, quia in eo non facit contra iustitiam, sed tantummodo contra charitatem. Qua de re videatur Soto, lib. 5. de iust. & iure, q. 7. art. 1. & de Secreto memb. 2. q. 7. dub. 3. & Aragon, Bañez, & Salon, super. 2. 2. D. Tho. q. 70. art. 1. vbi ad hoc propositum dicunt plura, atque notatu dignissima.

Secunda Conclusio.

QVandocumque † Iudex, siue prælatus, non interrogat iuridicè, & legitimè, neque seruato iuris ordine (quod fit quando interrogat de occultis absque eo, 5

quod præcedat infamia, vel absque aliquo ex necessarijs ad inquisitionem requisitis, de quibus supradiximus) non tenetur quispiam illis obedire, aut super ea re testimonium ferre. Hæc conclusio est etiam D.Tho. vbi supra. De qua videndus est Soto locis superius citatis, & Aragon, Bañez, & Salon, loco etiam citato. Et probatur ratione: nam vnusquisque tenetur consulere bono, & famæ sui proximi, eius crimina celãdo, quando non iure compellitur ad faciendum contrarium: sed quandiu crimina sunt occulta, & nulla de eis præcessit infamia, nullo iure quispiã compellitur, aut compelli potest à iudice, vt super ea re testimonium ferat: ergo in tali casu, nullus tenetur veritatem dicere, nec illi obe-
6 dire. Sed intelligenda † est hæc conclusio, dummodo crimen non sit ex illis de quibus diximus supra, quæst. 7. art. 7. quod vergunt in perniciem publicam siue in præiudicium tertij: in his enim minor, aut nulla infamia requiritur, ad hoc vt teneatur quispiam ad ferendum super eis testimonium. Quonam pacto, aut modo se gerere debeat testis, quando tyranicè, & iniustè interrogatur, dicemus infra in art. sequenti.

Ad argumenta in principio Articuli adducta respõdeo. Ad primum
7 quod quãdo † quis iuridice compellitur à iudice, vt super aliqua re testimonium ferat: non facit contra virtutem fidelitatis, si huiusmodi testimoniũ reddat. Pro cuius intelligentia notandum est de mente D.Th. 2. 2. quæst. 70. artic. 1. ad 2. quod illa, quæ nobis secretò, committuntur, & quæ obs[er]uare fidelitas est, reuelare autem infidelitas maxima, sunt in dupli[c]i differentia: nam quædam sunt eius conditionis, vt statim cum peruenerint ad alicuius notitiã teneatur ea iudici, siue prælato denunciare, & manifestare, vt potè quia pertinent ad corruptionem spiritualem siuè corporalem Reipublicæ, vel vergunt in graue damnũ alicuius tertiæ personæ, seu aliquid huiusmodi, quod quis propalare tenetur, testificando, denunciando, siue accusando: & contra hoc debitũ nõ potest quis obligari per quodcunque secreti cõmissum, quãuis sit sub iuramento, modo sit extra confessionẽ. Nam qui hoc secretũ † firmeret, 8 frangeret quidẽ fidem quam alteri debet nempè Reipublicæ, vel cuipiã alij iniustè damnũ patienti: & fides secreti aut iuramentum, locum non habet, neq; vim obligandi, contra aliud ius multo grauius, strictius atq; fortius. Alia vero sunt secreta eius generis, quę quis nullo iure reuelare tenetur, super quibus proinde cadere potest obligatio, vt non reuelentur pro eo quod data fide, vel sub iuramento commissa sunt vt secretò teneantur. Hoc supposito, dico cum D.Thom. ad argum. etiam: quod qui † reuelat illud, quod reuelare, non 9 tenetur, cum promiserit verbo, vel iuramento se obseruaturum secreto: peccat mortaliter contra virtutẽ fidelitatis, & committit actum vitij fraudulentiæ, siue infidelitatis, quod est contra ius naturale: attamen qui reuelat ea quę reuelare tenetur. nullũ infidelitatis actum committit, etiam si tradita sibi fuerint sub iuramento: nã ex tali secreti commisso, & ex tali iuramento, nulla nascitur seu nasci potest obligatio, tenendi illam secreto, quia esset contra aliud ius, & contra aliud debitum: & ius iuri præiudicare non debet. Ad propositum ergo, quando iudex iustè, & legitimè interrogat reum, siue testẽ, cum ius habeat ipsum interrogandi, iure etiam tenetur & compellitur ipse reus siue testis, testimonium ferre, & veritatem dicere: neque illud facere erit contra fidelitatem, vel contra iuramentum. Non enim

10 fides † secreti & iuramentum, vim habent obligandi contra ius, aut præiudicium possunt parare iudici, quominus possis cōpellere sibi subditos, ad ferendum, & pręstandum tale testimonium, cum id fuerit necessarium: & secundum ius, & iuris via atque ratione à iure præscripta
11 petitum: excipio † semper (vt dixi) ab hoc secretorum genere, confessionis sigillum, cuius vinculum maius est, quocumque alio obedientiæ. Vnde fit quod illud quod hac sola via scitur, nulla prorsus de causa, & nullo præcepto (etiam si vergat in damnū, & præiudicium totius mundi) reuelare licèt, vt latè prosequitur Soto de Secreto memb. 3. quæst. 4. Sed
12 aduerto, † quod non est aut dici debet confessionis sigillum, nisi quod re vera fuerit in confessione ipsa cognitum, scitum & auditum: nā quod vulgò fictè dicitur, hoc tibi trado sub confessionis sigillo, nihil est omninò amplius, quàm sigillum, siue secretum quoddam naturale, quod quamuis regulariter loquendo obseruandum sit: in casu tamen, quo crimen est huiusmodi, quod reuelare illud tenemur (vt potè quia in perniciem publicam, vel si sit aliud supradictis) si iudex illud interrogat iuridice, propalandum procul dubio est nec illud facere erit contra sacramēti sigillū, cum (vt supponitur) nullum ibi confessionis, seu pęnitentię intercesserit Sacramētum. Vt igitur oīa vnico concludam verbo, dico, quod in his & similibus, quæ homo reuelare tenetur, non est contra virtutem fidelitatis nō obseruare secretum: nā fidelitatis virtus ad hoc, vt talis sit vestiri habet debitis circunstātijs, & quicumque alteri suam fidē de secreto aliquo seruando astrinxit, iure ipso interprete (etiam si nihil dicat) intelligendus est, se id facere secundum ius, atque adeo quādo iure compulsus veritatem reuelat (quod fit quando legitimè interrogatur à iudice) nullum infidelitatis vitium committit. Per quod patet etiā solutio ad confirmationem, & dico, quod in tali casu iuramentum † non 13
obligat, neque enim potest iuramentum contra ius obligare: quòd licèt expressè non explicetur in iuramento, ipso iure interprete, dicendum videtur quod tale iuramentum est factum secundum ius, nec obligare potest, contra aliam obligationem priorem & maiorem: aut præiudicium parare iudici. neque propterea dicendum est, quod præiudicatur virtuti religionis, cuius actus est iuramentum.

Ad secundum respondeo, quod in 14
tali casu non solum esset peccatum mentiri, verum etiam & veritatem occultare, aut cælare per ęquiuocam responsionem: cum (vt supponitur) iudex iure, & legitimè interroget. Nam quamuis tacere veritatem, seu ipsam occultare (vt statim dicemus) in aliquibus casibus non sit peccatū, quin verò licitum: in proposito tamen id facere peccatum erit, pro eo quod est inobedientia, iniustitia, & iniuria, quam maxima quæ fit iudici. Quæ solutio vt plenius elucescat, sit secundus Articulus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm liceat quandoque testi siue reo, cælare: siue occultare veritatem?

Prima Conclusio.

QVANDO Iudex interrogat iustè, & legitimè, non solum est peccatum mentiri, seu veritatem negare, verum etiam ipsam cælare, & occultare. Hęc conclusio incunctanter tenetur ab omnibus, & pro illa facit communis illa sententia D. August. quæ habetur in cap. quisquis 11. quęst. 3. vbi dicit,

quod qui veritatem occultat, & qui mendacium profert, vterque reus est ille, quia prodesse non vult, iste quia nocere desiderat. Est itaque peccatũ mortale: in tali casu cælare, siue occultare veritatem, necdum etit contra charitatem, verum etiam & contra iustitiam, cum (vt supponitur) iudex iustè interroget, & iniustè sibi denegetur obedientia debita. Et prçter iniuriam, quæ occultando veritatem irrogatur iudici, iniuria etiam nec parua irrogatur, ipsi actori, siue accusatori: qui cum iustè petat vindictam, iniustè sibi denegatur quod debetur, & subtrahitur testimoniũ sibi necessarium: ex quo prouenit (aut saltem prouenire potest) quod ipse diffametur, & de calumnia arguatur. Irrogatur præterea in eo iniuria bono communi, cui tale testimonium est etiam necessarium: & denique ipsi Deo (cuius iudicium contemnitur) & cuius ordinationi (iudici siue potestati non obediendo) resistitur. De qua conclusione videatur Soto lib. 5. de iustit. & iure, quæst. 7. artic. 1. & de secreto membro 2. q. 7. dub. 3. & Aragon 2. 2. quæst. 7. art. 1.

15 Aduerto tamen, quod eo † non obstante grauius est peccatum, veritatem positiuè negare, quam ipsam celare: nam celare non dicit positiuè mendacium, sed solum omissionem veritatis dicendæ, quam quis in casu proposito tenebatur dicere: at veritatem positiuè negare, est mẽtiri (quod est amplius: & aggrauatur peccatũ) si negatio veritatis fiat cum iuramento, propter accumulatam circunstantiam periurij.

Secunda Conclusio.

16 TEstes inferendo † testimonio, debent esse cauti, atque prudentes, & promiores & propensiores ad seruandum secretum proximi, quam ad reuelandum ipsum Generale est hoc omnium DD. consilium, & documentum. Iuxta quod dico, quod si iudex solummodo quærat à teste, an sciat aliquid, ille autem tantum audierit, non verò viderit: tunc bene potest respondere, & dicere, nescio: nam quod audiuimus, non planè scimus. Est enim scientia, teste Aristotele 1. poster. cap. 1. Certa, & euidens veritatis cognitio, & Bart. in l. scire leges, ff. de legib. (inquit) quod scientiæ est infallibilis veritatis notitia. Quò fit, † vt qui aliquid scit, pro eo solum, 17
quia illud audiuit, verè & propriè potest respondere, & absolutè dicere, se illud nescire: non enim est scientia, quam ille de tali re habet, sed rumor, siue auditio. Secus autem esset, si quæratur à iudice, an sciat vel audierit: tunc enim proculdubio tenetur etiam dicere, se audiuisse: hac lege, & pacto, quòd audierit à fidedignis, aliàs verò minimè: nam quod à falsis, & maledicis est auditum, non tale est, vt iure adduci possit, aut debeat in iudicium. Hoc est valdè memoriæ commendandum. Et præterea videt quis cum alijs (etiam contestibus) Petrum, seu Paulũ aliquid fecisse, & procedit iudex via inquisitionis, nec factum est ita enorme, vt propterea fieri posset particularis inquisitio: dico quod in hoc casu, si infamia contra aliquem illorum non præcessit, neque indicia, neque factũ est ita enorme, vt propterea fieri posset inquisitio: non tenebitur iudici respondere, & veritatem dicere: quia nec tunc iudex potest iure, & iuridicè eum interrogare. Secus esset si procederetur † via denuntia- 18
tionis iudicialis, seu accusationis: tunc enim etiamsi solus ille viderit, si adducatur in testem, tenetur veritatem dicere, & iudici respondere: cum iuridicè ipse interroget. Sed hoc amplius constabit ex inferius dicendi, quæstio de reis, artic. 8. De

quibus

quibus omnibus videatur Soto, & Aragon locis supra citatis.

Tertia Conclusio.

19 QVandocunque † testis nō legitimè, sed contra ius interrogatur à iudice, super aliqua re, quam ipse scit, & cogitur tyrannicè respondere, tunc licitum est illi veritatem celare, siue occultare: & quod amplius est, bene potest dicere se actum nescire, quōcūque illud sciat: & maximè si sit cognitum in confessione. De hac conclusione, & modo, quo testis in proposito casu interrogatus respondere habet, magna est cōtrouersia inter DD. de qua videndus est Magister Soto de secreto, memb. 3. q. 3. & Aragon 2. 2. q. 7. artic. 1. vbi referuntur varij, atque diuersi dicendi & respondendi modi.
20 Quibus † breuitatis causa omissis, dico, quod testis in tali casu bene potest dicere se nescire (vt dictum est in conclusione) quod est verum, nō solum si illud sciuit ex aliorum relatione, qui & falli, & fallere potuerunt, atque mentiri, verum etiam si illud nouerit, & cognitum sibi fuerit visu, aut aliquo alterius sensus experimento, cum tamen illud sit occultum, & (vt supponitur) præter ius, seu potius contra ius interrogetur à iudice. Et ratio conclusionis in promptu est: nā interrogatus in iudicio de aliqua re, quam ipse nouit, solum interrogatur secundum ius, & de illo, quod iure potest interrogari, & ipse tenetur respondere: & nullus preter ius, & multo minus contra ius, facultatem & potestatem habet quempiam interrogandi: vt enim habetur in l. filius, ff. de constitutionibus, & in cap. faciet, 22. quæstio. 2. id possumus, quod iure possumus: sed inquisitio siue interrogatio iure, fieri non potest, aut debet de occultis, vt habetur expresse in cap. qualiter, & quando, el primo, de accusat. & nos latissimè diximus supra: ergo testis in tali casu si interrogetur de eo, quod est occultum, & quod iudex interrogare non potest, & ipse nō tenetur respondere, potest dicere se nescire, & respondendo se nescire, verum respondet, & veritatē dicit: quia nihil scit de eo, ad quod teneatur respondere, aut iudici dicere. Quamuis enim iudex interrogando, & iuramentum exigendo nihil excipiat, quamuis etiam testis simpliciter respondeat, & iuret se dicturū quidquid scit: adhuc dicendo se nescire, non mentitur: quia ipso iure intelligitur exceptio facta, quod iudex non interrogat, nisi quod iure potest, & testis similiter respondet, quod dicet veritatem in eo quod iure compellitur, seu ad quod potest compelli iure. Neque obstat † quod 21
in tali casu testis non respondet ad mentem iudicis iniquè interrogantis: nam dico quod sufficit vt respondeat ad mentem, quam ipse iudex iure habere deberet, ad hoc vt testis à mēdacio excusetur. Respondit enim testis ad intentionem iuris, cuius potestate in interrogando vtitur ipse iudex. Est igitur intentio testis sic respondentis, nescio (vt scilicet tibi dicam) vel nescio eo modo, vt iure debeam illud tibi dicere. Quod maximè verum habet, quādo aliquid fuerit cognitum in confessione: nā quod hac via, & ratione scitur, omninò nescitur, vt dicatur, seu vt dici vllo modo possit, vel super eo fieri possit interrogatio. Videatur hac de re Soto, & Aragon vbi supra, & Nauarro in suo Manuali, capit. 25. nume. 43.

ARTICVLVS III.

Vtrum quando testis dubitat, iure, nec an iniurias interrogetur, teneatur iudici secretum interroganti obedire?

HÆc difficultas præcipua est in hac materia de testibus, & quāuis de ea multa sint à nobis dicēda infra in quæstione de reis, & ipsorū confessione, libet tamen in præsentiarum quæ ad hoc pertinent propositum breuiter dicere, vt de facili, & veluti in compendio memoria teneantur. Et vt certa ab incertis separemus, sit prima conclusio.

Prima Conclusio.

CErtissimū est in iure, quod nullus testis, siue subditus tenetur obedire iudici, siue prælato interroganti id quod secretum est, & contra ius, seu non seruato iuris ordine. Hæc conclusio manifestissima est: nam cum præceptum seruandi secretum sit naturale atque diuinū, nullum iudicis, siue prælati præceptum (quod humanum est) potest sibi præiudicare, aut obligare contra ipsum: vt enim supra diximus, nulla lex est obligatoria, nisi quatenus deriuatur à lege diuina, quæ est prima omnium agendorum regula, à qua proinde omnes leges humanæ debēt dirigi, & moueri, sicut & à primo mouibili, mouentur naturalia mobilia cuncta. Cum igitur iudex, siue prælatus, præcipiendo vt reueletur sibi secretum contra ius, seu non seruato iuris ordine, non moueatur à le
23 ge naturali † & diuina quæ contrarium omninò præcipit: & eius præceptum quantum ad hoc non deriuetur ab ipsa: manifestè profectò sequitur, quod non est obligatorium, nec vllus subditus in hoc tenetur illi obedire. Vnde Augustinus glossans illa verba Diui Pauli ad Rom. 13. Qui potestati resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt inquit, si quod iusserit potestas quod non licet, hic sanè contemne potestatem: timendo potestatem maiorem. Et confirmatur cōclusio: nā videtur quasi cōtradictionis implicatio, quod iudex (vt suppono) iniustè, & contra ius præcipiat reuelare secretum, & quod subditus teneatur illi obedire: sicut & à contrario implicat, quod non teneatur subditus obedire iudici iusta præcipienti: daretur enim bellum ex vtraque parte iustum, quod omninò est impossibile seclusa ignorantia inuincibili. Vnde dico, quod in hoc casu præceptum iudicis, siue prælati, non magis obligat, ac si esset præceptum prolatū à non suo iudice: non enim talis iudex respectu secretorū est iudex, sed Deus, vt dicitur in cap. erubescant, dist. 32. Quo præcepto † quādo 24
prælatis, siue iudicibus præcipitur secreta non requirere, facultas proinde tribuitur, atque præstatur ipsis subditis, vt possint contra ius præcipientibus non parere, aut obedire. Concludendo ergo, quandocumque subdito de iniustitia iudicis, siue prælati constiterit, vtpotè quia interrogat vbi nulla præcessit infamia, indicia, aut semiplena probatio, & denique interrogare non potest: non tenetur illi obedire, etiamsi sub iuramēto constringatur, aut præcepto obedientiæ, addatur excommunicationis sententia: nam talis excommunicatio ipso iure est nulla, & ferri non potest, neque in foro conscientiæ aliquid obligat. Non enim potest ferri excōmunicatio, nisi vbi est peccatum mortale. Cum igitur subditus in hoc casu non sit alicuius peccati reus, pro eo quod nō obedit prælato, certum est, quod nullatenus excommunicari potest. Hac de re videatur Soto lib. 5. de iust. q. 70. art. 1. & de secreto mēb. 3. q. 1. & Aragon. 2. 2. q. 70. art. 1.

Secun-

Secunda Conclusio.

25 QVando † Iudex, siue prælatus per obedientiam, aut medio iuraměto interrogat aliquod secretum, & est dubium iure ne, an iniuria interroget, non semper tenetur subditus illi respondere, obedire, aut veritatem dicere, sed declinare debet in ea partem vbi minus est periculi. De hac conclusione videatur specialiter Soto de secreto memb. 3. q. 2. vbi plura dicit ad hoc propositū notatu dignissima. Pro cuius conclusionis intelligentia notanda est diffe-
26 rentia, quæ versatur † inter dubium & scrupulum. Nam dubius dicitur ille esse, qui neutri parti contradictionis assentitur, sed ita habet suspěsum animum, vt in neutram partem se inclinet: vt v. g. dubius sum modo ego, vtrum astra cœli sint paria, vel impariat. At verò scrupulus est formido vnius partis contradictionis, quę ēt stare potest simul cum opinione alterius partis, vt v. g. habeo ego opinionē de aliquo contractu quod sit licitus formido tamen, seu habeo aliquem scrupulum de parte contraria: illa formido dicitur scrupulus, qui & esse potest maior, vel minor, de quo pro nunc non curo. Hoc supposito, conclusio intelligenda est, nō de scrupulo: sed de vero dubio, quod verè habetur, & adest probabilis causa dubitandi: & de eo dico, quod quando prælatus, siue iudex per obedientiam, seu medio iuramento requirit à subdito aliquod secretum, & dubitat subditus, & subest illi probabilis causa dubitandi, iustè ne, an iniustè interrogetur: inclinare debet in eam partem, vbi minus est pericu-
27 li. Atque ita si iudex inquirit † aduersus hominem homicidam, furē, siue reum alicuius priuati criminis, quod non vergit in perniciem publicam, & dubius est testis siue subditus, & pro vtraque parte probabiles habet causas dubitandi, iure ne interrogetur: si adest infamia vel indicia, aut nō in tali casu testis hoc modo dubitans non tenetur testimonium ferre aduersus hominē illum, imò cælare tenetur eius crimē, quamuis sit eiusdem conscius: si quidem in non obediendo minus est periculi, & maius periculum est, quod homo occidatur injustè & contra ius quam quod in tali casu prælato non obediatur. Hæc doctrina est, valde memoriæ commendanda, cum sit quasi generalis regula in materia de ignorantia, & vera explicatio eius quod communiter dicitur, quod in rebus dubijs tutior pars est eligěda. Quod est intelligendum † ad sensum supradictum: vbicumq; res ita fuerit sub du- 28
bio quod neutra pars sit tutior, eligēda est ea, in qua minus est periculi. Ad quod rectè ponderandum, æstimanda res est, ac si vtrumq; procederet ex certa sciētia. V. g. quæro ego, si ex certa sciētia procederetur, quod nam esset maius, hominem occidere, an prelato non obedire? Certum est quod hominem occidere. Illud ergo est eligendum, vbi minus est periculi, nempe prælato non obedire. Sed aduerto quod in hac re, & in materia morali, nō censetur illa pars minus dubia, quā plures rationes comprobant, aut plures DD. confirmāt, sed illa potius quæ minus habet periculi: nam minus periculum habetur pro maiori ratione, licèt in casu quo vtraque pars æquè esset periculosa, illa veniret eligenda, quam probabiliores rationes confirmant, & in quā plures DD. concurrunt. Hæc oportet multum adnotare, & aduertere. Et confirmatur conclusio: nam
iura † semper fauent reo sicut possessori, & in iure habetur, quod vnusquisque præsumitur bonus, quousque probetur contrarium: cum igitur reus in proposito casu ius habet suæ vitæ, famæ, & bonorum tem- 29

poralium, neque iure probetur, aut præsumatur quod sit malus, quandiu non adest infamia, vel indicia, quæ faciunt præsumptionem iuris, & dubium etiam sit an iudex ius habeat procedendi contra reum, & an testes in tali casu teneantur veritatem dicere, in re adeo dubia eligendum est id, in quo minus est periculi, quod est prælato non obedire, quandoquidem si vtrumque ex scientia certa procederet, longè maius peccatum esset hominem occidere, quam iudici, siue prælato non obedire.

30 Sed dices contra † nam regula est compertissima apud Theologos, & vtroque iure recepta, quod contra conscientiam non licet facere: ita enim peccat qui rem accipit suam existimando esse alienam, ac si de facto accepisset rem alienam: sed in proposito casu qui non obedit prælato (præsertim existimando iustum esse suum præceptum, & quod tenetur ei obedire) facit contra conscientiam: ergo mortaliter peccat: ac proinde doctrina à nobis adducta est falsa & nulla. Respondeo, quod du-

31 plex † est conscientia: quædam enim est speculatiua, alia verò practica. Speculatiua est quæ pertinet ad intellectum speculatiuum, qui nihil ordinat ad opus Practica verò, quæ pertinet ad intellectum practicum, qui dictat de actionibus humanis, & ipsas dirigit. V.g. habeo ego pacificam possessionem alicuius rei, quã bona fide acquisiui, sed postea incipio dubitare, an talis res sit mea, nec ne? nihilominus quia sum in eius actuali possessione, certus sum, quod non teneor illam restituere, quousq; mihi iuridice constet eam non esse meam. Ecce duplex scientia, quædam speculatiua, qua dubito an res sit mea: alia verò practica, qua certò credo quod siue res mea sit, siue nõ, non tamen teneor illam restituere quoad mihi constet iuridicè: in hoc casu non restituendo facio quidem contra conscientiam, quam habeo speculatiuam, non tamen contra cõscientiam practicam. Ita ergo in proposito dico, quod qui in dicto casu non obediret iudici, siue prælato, faceret quidem contra conscientiam, quam haberet speculatiuam, tenendo opinionem illam, non tamen contra conscientiam practicam: nam hæc (vt dixi) dictat inclinandum esse in eam partẽ, vbi minus est periculi.

Tertia Conclusio.

32 SI Crimina, de quibus † sit inquisitio sunt eius conditionis, quod vergunt in perniciem publicam, vt hæresis, crimen læsæ Maiestatis, proditio Ciuitatis, & alia eius generis, tunc vice versa dico, quod in re dubia potius est dicendũ testimonium, quam celandum secretum. De hac conclusione videatur Soto, & Aragon vbi supra. Et explicatur conclusio. Examinant (v.g.) Inquisitores hæreticæ prauitatis aliquem testem aduersus quemdam hæreticum, & dubitat testis & probabiles habet causas dubitandi, iniustè ne, an iniuria interrogetur, dico quod in tali casu parendum est ipsis inquisitoribus, & testimonium illis est ferendum in periculum hæretici, etiamsi rationes pro vtraque parte sint probabiles, & forsan pro alia parte probabiliores. Cuius conclusionis ratio est: eadem cum illa, quam in præcedenti conclusione adduximus: quia nempe † in re dubia 33 illa pars est eligenda, vbi minus est periculi: & quidem minus periculi est, quod priuata persona forsan iniustè occidatur, quam quod tota Respublica graue aliquod damnum patiatur. Quod & eadem rõne probatur qua supra: quia si vtrumq; ex certa scientia procedat, grauius certè hoc quã illud esset: ergo est eligendũ, & potius testimoniũ ferendũ, quam secretum

cretum seruandum. Sed dices con-
34 tra: † nam (vt nos supra diximus) in re dubia quisque præsumitur bonus, quousque sibi iure probetur cōtrarium: ergo quandiu iura non sunt certa, & manifesta: non est ius inquisitoribus inquirendi aduersus hominem illum. Respondeo, quod vbi agitur de bono publico, & communi, non requiruntur tot merita ad inquirendum, & faciēdum processum contra aliquem particularem, ac cū crimen est priuatum & particulare: sunt enim membra postponenda capiti, atque in re dubia potius est ius declinare in periculum alicuius mēbri, & alicuius personæ particularis, quam in periculum capitis, & totius boni publici. Et quod dictum est de hæresis crimine, dicendum etiam de crimine lęsæ Maiestatis, & similibus vergentibus in perniciem publicam, quod est multum notandum, ac memoriç commendandum. Et sit regu-
35 la generalis pro materia de testibus, quod † quando non subest iusta, atque legitima causa dubitandi. iustène, an iniuria interroget prælatus, siue iudex, semper, & simpliciter parēdum est illis, & pręsumendum de ipsorum iustitia, maximè vbi ex tali testimonio nullum imminet periculum. Vnde nec necessum est, quod prælati, siue iudices, manifestent testibus, vel subditis adductis in testes, quo iure eos interrogent, ad hoc vt ipsi teneantur obedire: vergeret enim in graue damnum totius gubernationis, & Reipublicæ. Nec ea-
36 dem est † ratio de testibus, atque de reis, de quibus dicemus infra, quod debet illis constare de iustitia iudicum, & debere sibi manifestari processus acta, vt sibi constet, quo iure teneantur respondere, & veritatem dicere: & ratio differentiæ est: nam rei in illo cāsu sunt in actuali possessione sui honoris, & magis de sua iustitia, quam de iustitia aliorum debent præsumere: non sic autem in proposito de testibus, imò præsumēdum est pro iudicibus, quia testes in eo, quod interrogantur nullo priuātur iure. Notetur hoc valde. Verum est tamen, quod si aliqua adest iusta causa dubitandi, & periculum graue immineret tertiæ personæ, si testis, siue subditus dubitaret de iustitia iudicis, & de recto suo procedendi modo, tunc non faceret contra obedientiam iudici, siue prælato debitam, si ab ipsis sui præcepti rationem exigeret, & humiliter rationes sibi proponens, quas habet dubitandi, ius quæreret ab illis, quod habent ad interrogandum ipsos. Hac de re videatur Soto vbi supra, vbi plura ad hoc propositum dicit notatu dignissima.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm in causis criminalibus testes cogi possint ad ferendum testimonium, non solum contra extraneos, verum etiam & contra sibi consanguineos?

Circa Difficultatem præsentis Articuli, quantum ad forū conscientiæ attinet, iam à nobis est supra dictum in articulo 1. agendo de obligatione, qua cuncti tenentur ferendi testimonium, quando iuridicè, & legitimè interrogantur à iudice, siue prælato. Quin verò etiamsi non vocentur, neque interrogentur: quando id ipsum fuerit necessarium ad liberandum proximum ab iniusta morte, seu aliquo graui damno. Nunc superest agamus de foro exteriori, & inquiramus an in causis criminalibus, testes ad testificādum cogi possint, non solum contra extraneos, verum etiam & contra sibi consanguineos? Neque inutile quidem erit quæstionem hanc in mediū proposuisse, cum adeo compertū sit quantū id facere omnes abhorreāt, timen-

timentes exinde (nec quidem immerito) capitales interdum incurrere inimicitias, & pati multa mala, damna & detrimenta, non solum in bonis suis temporalibus, verumetiam forsam in proprijs suis corporibus, atque personis. Qua propter vt liquidum fiat quid in hac re dicēdum sit, pro propositi articuli resolutione, sequentes statuo conclosiones.

Prima Conclusio.

37 CERTISSIMVM † est, quod quilibet testis, aliàs habilis & idoneus, compelli potest à iudice, siue prælato suo, ad ferendum testimonium (nec dum in causis ciuilibus) verumetiam in criminalibus quotiescunque ad rectam gubernationem, & iustitiæ executionē fuerit ipsum necessarium. Hæc conclusio habetur expressa in l.1.ff.de testib. & in l.inuiti la 2.C eod.tit. & l.si quando, C.de testib & in ca.1. & toto tit. de testib.cogend. Qua de re videatur Iulius Clarus, lib.5.§ fin.q.24. num. 21.versic.successiuè videamus, nunquid possit iudex cogere testes ad ferendum testimonium in causis criminalibus, & Antonius Gomez 3. tom.variar.de probat.delict.cap.22. nu.24. videatur etiam Foller. in sua practica criminali fol. 12'. num.34. & Paz 1.par.to.1.in 8.temp. nu. 17. & Farin.de testibus, quæst.78.à nu. 1. cum sequentibus latissimè, vbi & probat supradictam conclusionem quampluribus rationibus, sed maximè, quia ferre testimonium quotiescunque ad rectam gubernationem, & iustitię executionem fuerit necessarium ad bonum spectat commune, & conseruationem totius Reipublicæ: qua quidem ratione testium munus in iure publicum nuncupatur, atque necessarium, vt tradit Gl. in rubr.de testib.cogend. verbo, occultēt, item Gl.in c.super eo, eodem ti.verb.timore, vers. testes inuiti cogendi sunt, & Glo. in l.si quando.C. de testib. Facit & lex 3.ff.eo.tit. & l.si quis munus, ff de muner. & honoribus, vbi habetur, quod ad munus publicum, etiam quis inuitus cogendus est. Quod quidem intelligēdum est, necdum in causis ciuilibus, aut criminalibus ciuiliter intentatis, verum etiam & in purè criminalibus, tam de iure canonico, quam ciuili (quidquid dicāt sine causa & ratione alij) cum ad bonum spectet Reipubl. & totius communitatis, vt delicta non maneant impunita, & vt prouincia malis & facinorosis hominibus expurgetur, & ne mali vt boni ęstimētur: contra ca.quemquam, 14.q. 2. dicente etiam ac præcipiente olim domino Moisi, Exodi 22. maleficos vt non sineret viuere. Sicque vsu omnium curiarum receptum est, vt testes & veritatis cuiuslibet conscij, in causis & negotijs, quibus illud ius permittit, siue ciuilibus, siue criminalibus, ad testificandum cogantur, siue cogi possint: verum licèt sit, quod in iure nonnulli reperiuntur excepti & priuilegiati, vt testificare minimè cogantur, per cap. si testes 4.q.3.§.l.Iulia. verbo inuiti, de quibus dicemus statim. Et procedit supradicta † conclusio, tunc vel maximè, qñ testes gratia, odio vel timore 38
se subtrahunt, vt testificare excusētur: in eo.n.casu peculiariter cogēdi sunt, & de eis specialiter loquitur supradictum cap.1. & c. super eo, de testibus cogend. & c. cæterum in fine eodem tit.ibi, si ipsum constiterit odio, vel gratia, vel timore: vbi vidēda est Glossa, verbo timore. Et dicitur, quod idipsum semper pręsumit, quando quispiam vocatus ad testificandum non comparet, quod etiam dicunt Abbas, & Felinus ibidem, quamuis verū sit, quod huiusmodi præsumptio elidatur interdum, & aliquas patiatur exceptiones, atque limi-

limitationes, tunc, scilicet quando se subtrahens esset aliqua persona religiosa quæ iurare renuit, aut qualificata quæ testificari non potest cogi. Alias enim de eo, qui vt non testificetur se subtrahit, semper præsumitur malum, cum celare & occultare veritatem malum sit, & peccatum quidem mortale, iuxta cap. quisquis 11. quæst. 3. & glossam in capit. 1. de testibus, cogend. verb. occultent.

39 Cogendi etiam sunt † testes ad testificandum, etiam si sint personæ priuilegiatæ, quotiescumq; veritas aliter, quã per ipsos haberi minimè potest, & tunc vel maximè, quando fuerit rescitum quod ipsi se iactent veritatem scire, aut aliquod fuerit indicium quod subtrahuntur, vt nõ illam dicant, à parte contra, quam fuerint producti, vel ab aliquo alio ipsius nomine. Quod dicunt specialiter Innocentius, in dict. cap. 1. de testib. cogend. versicul. idem si subtrahantur, num. 5. Hostiens. ibidem, num. 7. ante fin. & Abb. in cap. super eo eodem titul. num. 2. versic. & idẽ dixit Innocentius. Videatur hac de re Farinac. vbi sup. vbi ad idem propositum circa prædictam conclusionem plures adducit ampliationes, ac postea limitationes & sublimitationes, quas breuitatis causa facio missas, à num. 1. vsque 35. Et in sequenti num. 36. cum seqq. tradit latissimè qualiter supradicti testes ad testificandum sint cogendi, si sunt clerici, vel etiam laici (& causa agatur coram Ecclesiastico iudice) per censuras Ecclesiasticas, iuxta textum in cap. cæterum in fine de testib. cogẽd. ibi Ecclesiastica districtione compellas, quod dicunt ibidem omnes communiter DD. sed præcipuè Abbas, & Felin. & Glossa, cap. super eo, eod. tit. verbo timore. Faciunt & ad idem plura alia iura, quæ habentur eod. titul. præsertim, cap. peruenit, cap. cum contra, cap. dilectorum, quibus omnibus in locis dicitur, testes per Ecclesiasticas censuras ad testificandum cogendos esse, omni appellatione remota. Si autem causa agatur coram sæculari iudice, & testes sint sæculares, cogendi sunt mulcta, siue pęna pęcuniaria sibi indicta, aut captis pignoribus, vel per exilij comminationem, siuè incarcerationem, alioue modo, de quibus videatur supradictus Farinac loco vbi sup. vsque ad nume. 44. in sequẽtibus tractat de personis priuilegiatis, vt non testificari cogantur, de quibus sit secunda conclusio.

Secunda Conclusio.

MVltæ † sunt personæ priuilegiatæ, & qui testificari nõ cogi possunt. Hęc etiam cõclusio est certa & manifesta, & eiusmodi personæ enumerantur in leg. lege. Iulia. & in l. inuiti, la prima, & la secunda, ff de testib quæ quidem leges Canonizatæ sunt per c. si testes 4. q. 3. §. lege Iulia. §. item inuiti, & §. inuiti, de quibus & congrua eorũ interpretatione atq; declaratione, videatur Farinac. loco citato à num. 44. vsque 114. Vt tamen de ipsorum aliquib. peculiaris habeatur notitia, dico q. si testes sint de ascendẽtibus, vel descendentibus, seuẽ collateralibus vsq; ad quartũ gradũ exclusiue, aut si sint maritus, vxor, socer: vel nurus, in causis criminalibus cogi non possunt, ad ferendum testimonium contra taliter sibi coniunctos, per l. 4. ff. de testib. & l. parentes, C. eod. tit. vbi hoc ipsum tenent omnes DD. communiter, & idem habetur in lege Regia. 11. titul. 16. part. 3. & l. vlt. tit. 13. part. 7. & si de facto compellantur, & deponant contra reos, ipsorum depositio non erit valida, pro vt tenet Antonius Gom. tom. 3. varia. de prob. delict. cap. 12. nn. 14. A qua generali regula Simancas de 40

cat.

cat.inst.titul.64.num:46 cum seqq.
41 dicit excipiendum † esse hæresis crimen, idque meritò propter ipsius grauitatem, & propter illud quod habetur Deuteronom. 13. de solicitante ad eiusmodi peccatum, in illis verbis. Si tibi voluerit persuadere frater tuus,&c. Vsque non miseraris ei, neque occultes eum. Quæ verba habentur in cap.si audieris,23. questio.5. ex quibus colligit Simanc. & bene, in eiusmodi hæresis crimine, propinquos, & parentes cogi posse, & cogendos esse ad testificandum contra reos, vtcunque sibi coniunctos,& eorum testimonium dicit eò esse firmius, atque fortius,quò à suspicione odij, & mendacij abest longius. Nam qua ratione(inquit) sua propria confessio sponte facta, vnicuique plurimum nocet: cum è cõtrario testimonium cuiuslibet in rē suam nullius sit ponderis: ita eadem prorsus ratione, propinquorum, & consanguineorum testimonium,aduersus propinquos plurimum valet: cum è conuerso latum in ipsorum fauorem, parum vel nullum habeat pondus: non enim(ait) præsumitur, aut de aliquo præsumi potest, quod aduersus carnem suam falsum testimonium dicat: cum iuxta Apostoli Pauli præscriptum, nemo carnem suam odio habeat, sed eam foueat, & dirigat. Ad quod propositum allegat,cap.literas de præsumpt. quod in hac materia est aptissimum, quia ibidem id ipsum expresse dicitur,vide ibi Abbatem,& Glos.in c.vltimo de testib.lib.6.

42 Aduertendum † tamen est, quod licèt regulariter loquendo omnes supradicti cogendi non sint ad ferendum testimonium contra sibi consanguineos, affines, & cognatos modo prædicto: ipsi tamen & omnes priuilegiati in idipsum cogi, atque compelli possunt, quotiescunque aliter quam per ipsos veritas haberi non potest, per cap. peruenit el secondo de testib. cogend. vbi id tenent omnes vnanimiter DD. qua de re videatur specialiter Nauarr. in Manu.cap.25.num.48.49.& 50.vbi dicit, quod iura statuentia, vt aliqui ad testificandum non admittantur, quia sunt inhabiles, alij vt non cogantur,quia sunt honorati,aut coniuncti, aut propter aliquam rationem, intelligenda sunt, quando alij non desunt, iuxta Glossam in capit. quamquam 14.quæst.2.& glo.in ca. statuendum 2. quæst.6. quod etiam multorum DD.authoritatibus comprobatur. Videatur etiam Iul.Clar. lib.5.§.fin.quæstio.num. 22. versic. scies tamen, vbi dicit id ipsum esse verum, non solum in ciuilibus, verum etiam in criminalibus: consulit tamen iudicibus, vt quantum fieri possit abstineant ab examinandis testibus, qui iure ad testificandum compelli non possunt,nisi vbi occurreret casus, in quo veritas aliter haberi non posset, & delictum esset val de atrox, & in eo casu non etiam id faciant inconsulto Principe, quod etiam dicit Farinac. loco vbi supra à num. 17. vsque 202. vbi & enumerat plures alios casus, in quibus testes testificari cogi possunt, propter maximam eorum atrocitatem, seu aliquas alias speciales rationes, etiãsi iure iurando se astrinxerint ad non testificandum, siue detegendum scelera, & crimina, de quibus fuerint interrogati: videantur ibidem. Et hæc pro isto articulo breuiter dixisse suffi- ciat.

AR-

ARTICVLVS V.

Vtrùm testis non vocatus, teneatur ad testificandum, quando eius testimonium fuerit necessarium ad liberandum proximum ab iniusta morte, seu aliquo alio graui damno, & ad condemnandum reum legitimè accusatum, quando accucusatori imminet periculum deficiendi in probatione?

Prima Conclusio.

43 QVANDO † Alicuius testis testimonium necessariū fuerit ad liberandum proximū ab iniusta morte, vel aliqua alia pæna infamiæ, & quouis nocumento graui, quilibet etiam non requisitus, aut à iudice compulsus, tenetur testimonium ferre, & veritatem, quam scit dicere, & contrarium faciēs peccat mortaliter. Hæc conclusio est expressa D Tho. 2. 2. q. 70. a. 1. quam probat Primò ex multiplici Sacræ Scripturæ auctoritate, sed maximè ex illo, quod habetur Psal. 71. eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris libertate. Prouerb. etiam c. 2. omnibus in vniuersum consulitur (quin verò præcipitur) vt eruant eos, qui ducuntur ad mortem. Probat præterea D. Tho. suam conclusionē, authoritate D. Pauli ad Rom. 1. vbi verba faciendo de quibusdam peccatoribus & facinorosis (inquit) quod digni sunt morte, non solum qui ea crimina faciunt: verum etiam & qui consentiunt facientibus. Quę verba explicando glossa ibi dicit, quod consentire est tacere, cum possit redarguere idemq; est indicium in nostro casu, de eo, qui potest testificari, & non facit. Ex quo proinde loco colligit prædictus D. Thom. quod peccat mortaliter, qui testificādo potest aliquod damnum, & malū proximi impedire, & non facit. Est & ad eandē conclusionem cōprobādam peculiaris alia ratio: nam vnusquisq; tenetur ex charitate cum potest proximi sui malū cauere & impedire, eo modo quo & eleemosinā extremè indigent, seu grauem aliquam necessitatem facienti præstare: ergò sicuti qui in tali casu illā nō præstat mortaliter peccat: ita qui testimonium non fert cum potest, in casu quo proximo suo illud fuerit necessarium. Ex quibus planè colligitur, quod non solum quando testis à iudice fuerit requisitus iudicè tenetur veritatem dicere: verum etiam & quādocumque ipse sciuerit quod suo testimonio poterit aliquod proximi sui malum vitare & impedire, tunc enim etiam non rogatus ab illo, seu ab alio, nec à iudice requisitus, tenetur se sponte ad testificandum offerre, & veritatem, quam scit dicere, ei qui possit prodesse, & non obesse, vt vel sic proximum suum à tali damno, & malo, eripiat & liberet. Hoc itaque est certissimum, & constitutissimum, de quo videatur Soto libro quinto de iustitia, & iure, quæstione septima articulo primo, & de secreto membro 2. quæstion. 7. dub. 3. & Nauarro in manual. cap. 25. numer. 41. in fine & numer. 47. & latius in capit. inter verba 11. quæstion. 3. numer. 702. & 703. & 704. Hispano sermone conscripto. Solummodo stat differentia in hoc, quod † qui à iudice 44
est requisitus iuridicè, si testimoniū nō conferat, seu veritatē non dicat, pecccabit mortaliter, non solùm cōtra charitatem, verùm etiam contra iustitiam: at in secundo casu, quando quis non est requisitus iuridicè, peccabit quidem contra charitatem, non autem contra iustitiam. Vnde etiam fit, quod in primo casu ille talis erit obnoxius restitutioni damni cuiuslibet exinde

subse-

subsecuti, in secundo tamen casu, nō tenebitur ad alicuius rei restitutionem, sed tantum peccabit mortaliter: quod multum est notandum, & memoriæ commendandum. Aduertendum † est insuper, quod ad hoc quod aliquis testis (etiam non rogatus nec requisitus) ferre teneatur testimonium, non est necessum quod proximi sui necessitas sit extrema, sicuti requiritur in eleemosina (de mentequorumdam) sat enim est, quod necessitas sit grauis, & fama proximi periclitatur, & possit quis sine graui suo damno succurrere illi: tenetur quidem id facere, quod si non faciat, peccabit mortaliter, quod tenet supradictus Magister Soto de secreto, membro secundo prædicta quæstione septima, conclusione tertia dubio, 5. Sed posita est in prædi-
46 cta † conclusione illa conditio & limitatio, dummodo id sine graui suo damno facere possit: etenim si damnum graue, & magnum est, & quis certò credat aut timeat, quod ex eiusmodi suo testimonio aliquod sibi graue imminebit vitæ periculum, vel quod à parte aduersa aliqua sibi exceptio opponetur, ex qua illi grandis infamia resultabit: tunc quidem non tenebitur eiusmodi testimoniū ferre, cum Dei iugum suaue sit, neque de ipsius lege præsumatur, aut præsumi possit, quod velit nos cum tanto damno & periculo, ad ferendum testimonium in commodum proximi obligare, quod etiam multum est notandum, ac memoriæ cōmendandum. De quo videatur Nauarro in Manuali loco vbi supra num. 50.

Secunda Conclusio.

47 QVādo Testimonium † fuerit necessarium, non quidē ad liberandum reum, sed ad condemnādum ipsum, etiam legitimè accusatum, quamuis accusatori immineat periculum deficiendi in probatione, nisi crimen sit ex ijs (quę vergunt in perniciem publicam) nullus tenetur sua sponte in testem se offerre, nisi fuerit à iudice legitimè, & secundum ordinem iuris requisitus, & ad id compulsus. Hæc etiam conclusio est Diui Thomæ 2. 2. q. 70. art. 1. quam & probat hac ratione. Nam ad ferendum testimonium in tali casu, non tenetur lege iustitiæ (vt supponitur) cum non id fiat præcipiatur à iudice: nec verò tenetur lege charitatis, si quidē ex eo, quod tale peccatum occultetur, nullum vel priuatum, vel publicum emergit damnum: ergo in tali casu nullus tenetur sponte se offerre ad ferendum testimonium. Sed dices † quod ex eo imminet periculum accusatori, deficiendi in probatione. 48
Ad hoc respondet D. Thomas & dicit, quod non est id multum curandum, cum ipse sua sponte in eiusmodi periculum se iniecerit. Quæ Diui Thomæ solutio intelligenda est, & verum habet, in casu, quo accusator nō tenebatur accusare, vt potè si culpa, siuè offensa fuit priuata, tunc enim ipse se spontè in tale periculum iniecit, ac proinde nemo tenetur tūc, non vocatus, seù requisitus illi fauere. At verò quando crimē est publicum, & ex ijs, quæ vergunt in perniciem publicam, de quibus accusandi cunctis imminet præceptum: tunc sicut accusare quisque tenetur, ita & multò melius, in fauorem accusatoris tenetur testimonium ferre: nā quo iure accusator accusare cōstringitur, eodem & constringūtur testes non vocati, aut à iudice compulsi, seu requisiti, testimonium ferre. Quod notandum est valdè, de quo videatur Soto loco vbi supra.

ARTI-

ARTICVLVS VI.

De testibus, vt ne testificentur se absentantibus occultantibus aut falso excusantibus, vel pro testimonio ferendo mercedem recipientibus, aut falsa dicentibus?

Prima Conclusio.

49 TESTES † Qui in casu, quo testificari tenentur se abscondunt, occultant, aut falso excusant, mortaliter peccant, & in iure puniuntur. Hæc conclusio quoad se abscondentes, & occultantes est expressa Nauarri in Manuali, cap. 25. num. 41. vbi & pro eadem citat Sotum de secreto memb. 2. quæst. 7. dub. 3. & se ipsum, in cap. inter verba. 11. quæst. 3. nu. 704. Sed expressius tenet eam Soto lib. 5. de iust. & iure quæst. 7. artic. 1. conclusi. 4. vbi apertè dicit de ijs qui vt testificentur, vocantur à iudice, & se absentant siue occultant, quod mortaliter peccant, non solum contra charitatem, verum etiam & contra iustitiam, & sunt restitutioni obnoxij, damnorum omnium, quæ exinde reo, siue actori subsequuntur. Cuius & aptissimam reddit rationem: nam certū est (inquit) testem à iudice vocatū ad testimonium ferendum, quod in tali casu ipsum reddere actus est iustitiæ, & etiam quod iustitia læsa restitutionem expostulat. Aliud est iudicium de testibus non vocatis, neque requisitis, se absentantibus & occultantibus antequam vocentur; nō quidem malitiosè, sed bona fide, quia id ipsum ad aliqua sua peragenda negotia visum fuerit expedire: de ijs enim conformiter ad ea, quæ dicta sunt 1. & 2. conclusione præcedentis artic. dicendum est; quod si se abscondunt & occultant, in casu, quo testificari tenentur, peccabunt quidem mortaliter, non solū contra charitatem, verum & contra iustitiam: at verò si id ipsum faciūt, in casu quo non testificari tenentur, sed vt non in testes vocentur, tunc peccabunt contra charitatem, sed nō contra iustitiam. Hoc tenent Soto, & Nauarro vbi supra: & secundum aliquos nullum peccatum mortale, sed tantum veniale committent, vt multis probare contendit Salon de iust. & iure, super 2. 2. D. Thom. quæst 70. art. 1. Quænam sit † pœna 50 eiusmodi testium, vt non testificentur, se subtrahentium, tradit latissime Farinacius, de testibus quæstio. 78. à num. 131. cum seqq. vbi reperire licebit multa, eaq; notatu dignissima, quæ dicenda reseruantur, quādo agamus de pœnis omnibus correspondentibus delictis. Quantum verò attinet ad testes falsò se excusantes, vel vt non testificari cogantur dicentes partem aduersam esse sibi inimicam, scientes aut scire debentes suum testimonium ad alterius iustitiam seruandam absolutè esse necessarium, prædicta conclusio est etiam supradicti Nauarri in Manual. loco vbi supra num. 41. vbi expressè dicit eosdem mortaliter peccare, cum obligatione restituendi parti læsæ, omne damnum exinde subsecutum, pro quo citat Angelum in summa verbo testis, & idem (inquit) dicit Panormit. in cap. Inquisitionis, §. tertiæ dubitationis, de accusatio. pro eo quod dicunt & affirmant mendacium in damnum & præiudicium sui proximi. Quod etiā tenet Syluester verbo, testis, quæst. 8. num. 8. in 4. dicto. citans in id cap. nequis, 22. quæstio. 2. & cap. 1. de crimine falsi. quibus in locis habetur nullatenus licitum esse mentiri in damnum, & præiudicium proximi. Et quod exinde obligatio restitutionis emergat, nulli dubium, in casu, quo (prout dictum est) testis te-

stis

ſtis tenetur teſtificari, videatur Nauarro vbi ſupra.

Secunda Concluſio.

51 TEſtis, Qui † vt verum teſtificetur mercedem aliquã recipit, mortaliter etiam peccat, cum obligatione reſtituendij & in iure habetur ſuſpectus, & à teſtimonio reijcitur. Hęc concluſio eſt expreſſa Archidiaconi, quem refert Syluester in ſumma, verbo, teſtis, quæſt.8. num.8 in 5.dicto. Cuius & rationem reddit, quia aliquid pro vero teſtimonio, ſeu veritate dicenda accipere, turpe lucrum eſt, iuxta cap. non ſanè. 14.quæſt.5 eſt etiam id ipſum (inquit) Archidiaconus peccatum mortale, quia eſt expreſſè contra iura id rationabiliter prohibentia ad vitandam veritatis corruptionem, & ait quod accepti reſtitutio facienda eſt danti, ſi per hoc voluit ſibi iuſtitiam miniſtrari, iuxta prædictum, cap. non ſane: ſecus eſt autẽ ſi dediſſet ad corrumpẽdum teſtem: nam in tali caſu eſſet dandum ei, in cuius iniuriam datum eſt, vel pauperibus: videatur Syluester vbi ſupra. Quod etiam tenet Nauarr. in man. capit.27.num.32. cum ſeqq. & cap. 25.num. 45. Et dicit prædictus Syl-
52 ueſter, quod multo† magis eſſet peccatum mortale, teſtem aliquid accipere pro falſitate dicenda, aut veritate tacenda, quamuis ſecundum vtrũque licitum ſit itineris expenſas teſtem à producente accipere, vt dicit Gloſſa in cap. ſtatutum de reſcriptis, lib.6. & mercedem operariam dierũ, quibus ſe in eo occupauit, vnà cum intereſſe damni emergentis, aut lucri ceſſantis, iuxta cap. ſi teſtes. §. vẽturis. 4.quæſt. 3. De pœna teſtis corrupti, & quando id ipſum præſumitur, vide latiſſimè Farinacium de teſtib us, quæſt. 67. à num. 156. cum ſeq q.

Tertia Concluſio.

TEſtis † Qui cum iuramento, 53
aut etiam ſine ipſo, affirmat in iudicio, quod ſcit eſſe falſum, aut dubitat eſſe verum: aut tacet verum in notabile alterius partis præiudicium: mortaliter etiam peccat, cum obligatione reſtituendi omne damnum parti læſę. Hæc concluſio eſt etiam ſupradicti Nauarri in manua. cap. 25. nu.40. pro qua citat illud, quod habetur Prouerb. 12. quod abominatio eſt Domino labia mendacia: qui autem fideliter agũt, placent ei, citat etiam cap 1 de crim. falſi, quod eſt Diui Auguſt. vbi dici- 54
tur, quod falſidicus teſtis † tribus perſonis eſt obnoxius: primum Deo, cuius præſentiam contemnit: deinde iudici, quem mentiendo fallit: poſtremò innocenti, quem falsò teſtimonio lædit. Videatur etiam hac de re D. Thom. 2.2. quæſt. 70. artic. 4. vbi ad hoc propoſitum habẽtur plura, eaq; notatu digniſſima. Circa caſus, in quibus falſum teſtimonium in iudicio prolatum (etiam citra iuramentum) peccatum eſt mortale: & enim (inquit) prædictus Nauarro, licet aliqua ſeſe offerre poſſit occaſio, & cauſa, & aliquis timor iuſtus, qui à non teſtificando hominẽ excuſare valeat, non tamen à teſtificando, ſiue dicendo falſum: nam id facere nunquam licet, vt habetur expreſsè in capit. nequis. 22. quæſt. 2. vbi dicitur, quod etiam pro conſeruanda temporali vita, numquam licet mẽtiri. Dicit tamen ſupradictus Nauarro loco vbi ſupra, quod ad hoc vt quis falſum dicendo, aut verũ tacendo mortaliter peccet, neceſſum eſt vt ſciat illud eſſe tale, etenim ſi mediocri diligentia adhibita, ad reuocandam in memoriam veritatem, erraret affirmando falſum, aut tacẽdo verum (etiã in alterius partis dãnum)

num) non peccabit (inquit) saltem mortaliter, iuxta mentem Diui Thomæ, & Caietani loco supraci tato, quæstion. 70. art. ul. 4. Debet
55 † tamen (ait) cum primum illud nouerit, dictum suum statim reuocare, si eiusmodi reuocationẽ viderit profuturam: proderit autem si statim post attestationem se corrigat iuxta cap. præterea de testib. cogend. atque etiam ex interuallo antequam sententia feratur, saltim ad debilitãdum primum suum dictum, iuxta Innocentium communiter receptum, in dict. c. præterea, nam ad minus desinit esse testis integer, id est omni exceptione maior, iuxta Cardinalem, in capit. veniens. 2. de testib. quin verò interdum secundo testimonio, & non primo credetur, tunc scilicet, quando consideratis circunstantijs personarum, causæ & temporis, videretur iudici non reuocare suum dictum, per aliquam sibi factam subornationem, sed conscientiæ stimulo, iuxta Hostieñ. & Panor. in dict. cap. præterea, argumento etiam legis. 3. ff. de legib. & per cap. si testes. §. testium. & §. sepè. 4. q. 3. Cuius exemplum adducit Panor. in d. c. præterea, vt cũ Episcopus probus, & diues, diceret aliquid in lite alicuius hominis plebeij, & post aliquod tempus elapsum, iuratus diceret se per errorem, seu obliuionem, ita dixisse. Supradicta omnia sunt quam maximè notanda ac memoriæ commendanda. Sed tamen concludendo
56 dicit Nauarro, quod qui per magnã negligentiam, vel ex defectu mediocris saltim considerationis falsum in iudicio dixerit, mortaliter peccabit, cũ obligatione restituendi, vt dictum est, totum damnum: pro quò citat D. Thomam vbi supra, D. Antoninum. 2. part. titul. 1. cap. 19. §. 7. In calce tamẽ huius articuli aduertere libet (id quod & tradit Doctorum rectè hac de re sentientiũ cõmunior opinio, quòd licet quis in iudicio † falsò contra quempiam iurauerit, 57
testimoniumq; falsum dixerit: fueritq; ipsius dictum, causa vera, realis, & efficax, quod ipse ad mortem sit damnatus: iamq; statim moriturus: si certò sibi constet quod eiusdem retractatio nisi sit omninò profutura ad euitandam eiusmodi mortem, stando in foro conscientiæ nemo potest, aut debet eumdem obligare, & compellere ad hoc vt semetipsum retractet, quin † verò in tali casu sat 58
erit vt soluat damna, quæ sibi, suisvè filijs, aut hæredibus ex tali morte prouenerunt, & contrarium facere haudquaquam erit iuri, siuè rationi cõforme: quin verò (vt videtur) crudele nimis. Secus tamẽ erit, si credat quod ipsius retractatio ex aliquo tuto loco facta, profutura erit ad innocentem ab iniusta morte liberandũ: nam tunc tenetur quidem illud facere, quamuis sit cum suæ famæ, & propriæ vitæ periculo, vt tenet, & multis probat Corduba in suo Quæstionario, lib. 1. quæst. 31. artic. 3. & Medina de restitutione, quæst. 3. Soto etiam lib. 5. de iust. & iure. quæstio. 7. art. 4. in solut. ad 3. & Couar. in Regula peccatum. §. 2. p. .. num. 6. & Nauarro in suo manu. cap. 15. num. 17. Cuius quidem ratio est: nam cum prædictus iurauerit falsum, fueritque ipsius testimonium (vt supponitur) causa vera, realis, & efficax, ob quam reus existens innocens moriatur, tenetur quidem pro eiusdem liberatione famam, propriamq; vitam periculo exponere, si sua retractatio (vt prædictum est) profutura credatur, quod ni fecerit proculdubio peccabit mortaliter. Qua ratione † regula illa generalis, 59
quæ dicit quod nemo tenetur quempiam à morte liberare cum proprio vitæ suę periculo, intelligẽda est, atq; intelligi debet, qñ vterq; est innocẽs, quòd non contingit in proposito casu, in

quo multi decepti sunt intelligentes contrarium, & dicentes non teneri eum, qui iurat falsum contra innocentem, vitam suam certo periculo exponere, vt illum liberet. Hoc (in-
60 quam) erit † verum tantummodo, in casu quo eiusmodi innocens est iam morte punitus, aut falsò testificantis retractatio, nihil omnino profutura ad eumdem liberandum speratur: tunc enim, vel non tenetur se retractare (vt dictum est) aut si illud velit facere, sat erit semetipsum retractare per literas sub nomine formatas, & scriptas, existensq; in loco tuto dare illas alicui, qui eas tribuet ministro iustitiæ, cum iuramento firmatas, vt fidem faciant publicã, ad restituendã innocẽtis iam morte damnati famam: & quod restituat ipsi, & suis filijs siue heredibus oẽ dãnũ subsecutum, petendo ab eis veniam humiliter. Quod etiam si nec commodè facere potuerit in vita, putans se contrahere inimicitias cum multis, & consequenter propriam vitam periculo exponere, aut quod si statim restituat, nõ habiturus sit bona, quibus ali & viuere possit, in tali casu sat erit (vt inquit Corduba, & Nauarro locis supracitatis, & cap. 18. num. 44.) vt iam moriturus testamentum clausum faciens, explicet, atque disponat omnia, quę prędicta sunt, quod multum est notandum, ac memoriæ commendandum.

Conformiter ad omnia prædicta
61 addo † & dico, quod qui non iurauit falsum, fuit tamen causa vera, realis & efficax vt alij facerent id ipsum, si sciat, ꝙ ob eorum testimonium innocens ad mortem condemnabitur, & ipsorum retractatio profutura sit ad eumdem liberandum, tenetur quidem procurare pro viribus vt ipsi se retractent, quod si nec velint facere, tenetur (etiam cum periculo vitæ) eosdem manifestare, si profuturum speretur; & in casu, quo ad liberandum innocentem id ipsum nihil omninò profuturum speretur, facere tenetur ea, quæ superius sunt dicta. Quod intelligendum est, in casu, quo fuerit causa vera, realis & efficax, vt alij falsum iurarent (vt dictũ est:) nam si non induxit illos ad iuramentum prædictũ, nec fuit causa vt falso iurarent: solummodo tenetur charitatis lege admonere eos, vt se retractent, quod si noluerint facere, eadem charitatis lege (non verò iustitiæ) tenetur illos iudici manifestare quò innocentem liberet, dummodo id facere possit sine propriæ vitæ periculo: nam charitatis lex nẽminẽ obligat cum tanto periculo. Omnia ista multum sunt notanda, ac memorię commendanda. Et de his omnibus, & pœna falso testificantium, aut inducentium in id ipsum alios, videatur Farinacius, de testib. quæstio. 67. à num. 1. cum seqq. latissimè vsque ad 235.

QVÆSTIO XVII.

De testibus quantum ad eorum sufficientiam, vt plenam faciant probationem in iudicio, in octo Articulos diuisa.

SVMMARIVM.

1 *Testis vnicus in iudicio non facit plenam probationem, quantumuis sit legitimus, & omni exceptione maior. & hoc est de iure diuino, num. 2.*
3 *Dictum vnius est quasi nullius.*
4 *Accusator non fungitur vice testis, nec eis potest fides adhiberi.*
5 *Testimonium duorum affirmatiuum maius est, quam defensio, et testimonium solius vnius rei negãtis.*
6 *Testis vnius in iudicio semiplenè probat, & sufficit ad torturam si depo-*

deponat de facto, & ſit omni exceptione maior.

7 Probatio quid ſit, cuius ſex ſpecies enumerantur, quæ ſit plena, & quæ ſemiplena, nu. 8.

9 Teſtis vnicus cum fama, & alijs adminiculis in occultis an faciat probationem?

10 Duorum, vel trium teſtimonium aliquando fidem nõ facit in iudicio, ſed plurium. quod probatur tribus argumentis. contra num ſequen. Quibus reſpondetur nu. 27.

11 Teſtes duo, vel tres fide digni plenã faciunt probationem in iudicio, quod eſt de iure diuino, & naturali nu. 12.

13 Ad iudicium ſufficit habere eã certitudinem, quæ vt plurimum veritatem continet, & rarò deficit.

14 Teſtimonium duorum teſtium in iudicio eſt præcisè neceſſarium, & quod ſint teſtes aut plures, id fit ad abbundantiam, & complementũ.

15 Teſtimonium affirmantium plus valet quàm rei negantis.

16 Teſtes debent eſſe legitimi, & fide digni hoc eſt omni exceptione maiores, & qui dicantur fide digni, & omni exceptione maiores, nu. 17.

18 Teſtis idoneus, & omni exceptione maior ſupplet fidem teſtis minus idonei.

19 Teſtes de auditu quamuis ſint plures non faciunt plenam probationem, nec in ciuilibus, nec in criminalibus

20 Exemplum exempli in ciuilibus non probat.

21 Teſtis de viſu dicitur, qui poteſt de his teſtificari, quæ ſub ſenſum corporeũ cadũt; exẽplificatur, n. 25.

22 Teſtis de auditu in antiquis fidẽ facit in iudicio in ciuilibus. concurrente fama, & alijs adminiculis, nu. 23. in alijs caſibus faciunt aliqualem præſumptionem, non tamen plenè probant, nu. 24.

26 Teſtimonium de auditu duplex vnũ de ſignificante actionẽ, alterũ de refellẽte actum de auditu ab alio.

28 In aliquibus cauſis requiruntur plus quam duorum, aut trium hominũ teſtimonia. & quare?

29 Leges non ſtatuunt ea, quæ rarò, aut nunquam contingunt, ſed quæ vt plurimum euenire ſolent.

30 Teſtium edictum dicitur prohibitoriũ, aut, vt alij dicũt, permiſſoriũ.

31 Teſtes quamplurimi repelluntur à ferendo teſtimonio in iudicio, non nulli propter culpam, alij verò citrà culpam.

32 Iudicij integritas ex teſtium ratione dependet, & ſic non omnes indiſtinctè ad teſtimonium ferendum ſunt admittendi.

33 Infideles & infames iure repelluntur à ferendo teſtimonio, vt Iudæi, hæretici, & Pagani.

34 Infamia alia iuris, alia facti dicitur, & quinam dicantur infames infamia iuris, nu 35. & qui infamia facti nu. 41.

36 Infamis non debet recipi ad ferendum teſtimonium etiam poſt peractam pœnitentiam. declara num. 40. in ſubſidiũ admittũtur, n. 43.

37 Actus legitimi infamibus ſunt interdicti.

38 Infamis infamia iuris an contra pariter infamatum ſit admittendus ad ferendum teſtimonium?

39 Supplementum non recipit quicquid in ſe nihil eſt.

40 Veritas ſi aliter haberi non poteſt admittuntur teſtes infames, ſed cum tortura.

42 Infamia facti quid ſit, & eſt probanda per teſtes.

44 Pueri impuberes, ac mulieres iure repelluntur à ferendo teſtimonio in iudicio.

Ad teſtificandum in cauſis criminalibus requiritur ætas viginti annorum, num. 45.

Declara num. 46. in doli capace, qui admittitur.

ARTICVLVS I.

Vtrum vnius hominis testimonium plenam faciat probationem in iudicio?

Prima Conclusio.

OMNI † Iure certissimum, atque constitutissimum est, quod vnius testis testimonium, non plenam facit probationem in iudicio. Hæc conclusio est certissima, nec solum humanis legibus, verum etiam & diuino iure stabilita, quod vt constet, ex diuinis testimonijs aliqua libuit loca referre. Et in primis Deuteronom. 17. habetur, quod nemo occidatur vno contra se testimonium dicente. Et capit. 19. dicitur, non stabit testis vnus contra aliquem, quidquid illud peccati, & facinoris fuerit: sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. Numerorum etiam cap. 35. dicitur. Homicida sub testibus punietur: ad vnius testimonium nullus condemnabitur. Id quod & semel, & iterum à Christo Domino in Euangelio reperitur repetitum, Matthæi 18. & Ioann. 8. Id etiam ipsum retulit, atque testificatus est olim Diuus Paulus 2. Corinth. 13. dicens, quod in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum, ex quibus omnibus plane constat, quod prædicta † conclusio est de iure diuino. Quòd autem eadem Summorum Pontificũ authoritatibus, & Cæsarum humanis legibus reperiatur stabilita, probatur ex cap. veniens, el primo, cap. cum a nobis, de testib. & facit ad idem, c. licet vniuersis, & cap. licet ex quadam eod. tit. quibus omnibus in locis dicitur, vt nulla causa vnius testis testimonio, quantumuis legitimo termine-

1 (margin, beside first line of article) 2 (margin, beside "constat, quod prædicta † conclusio")

minetur. Quod etiam tenet Abbas in ca. bonæ memoriæ, el primero de electione. & in prędicto, cap. licet, cap. cum à nobis de testib. & omnes Doctores communiter, qui & dicere assolent, quod ad faciendam pro-
3 bationem, dictum vnius, † est quasi nullius. Videatur hac de re Speculator. titul. de teste. §. 1. num. 7. Couar. in practi. quæstio. capit. 33. num. 3. versic. ijs accedit, Antonius Gomez, tom. 3. de probat. delictor. cap. 12. num. 25. & 26. Iulius Clarus lib. 5. § fin. quæst. 66. num. 3. & Farinac. de testibus quæst. 63. à num. 1. cum sequentibus latissimè. In iure autem ciuili plures etiam ad id sunt constitutæ leges, quas referre breuitatis causa facio missas, quia sunt peruiæ, & plures ponuntur exceptiones, quibus iurisperiti peritissime probare solent, vnius testis dicto haudquaquam adhibendam esse fidem, & contrarium facere omnes periculosissimum, atquè iniquissimum semper existimant, pro eo quod testis vnus, de facili potest peruerti, & corrumpi. Quod adeò esse verum, certum, atque tenendum credebant antiqui olim, vt quamuis apud Romanos ciues magna fuerit Authoritas Catonis, feratur tamen oratorem quemdam coram toto Senatu causam dicētem, & miris, atque eximijs rationibus probare contendentem, vni testi haudquaquam in totum esse fidem adhibendam: dixisse, non id quidem esse faciendum, etiamsi is Cato ipse foret: nam cum vnus tantum esset, non omninò ei erat credēdum. Sed prætereà probatur nostra conclusio ratione, desumpta vt dicitur à priori: nam cum iudicium (vt supradiximus) sit actus trium personarum, scilicet iudicis, actoris & rei, in iudicio contendentium, ex quibus actor siue accusator, causam & controuersiam infert, reus autem sustinet, atq; defendit: & iudex medius inter vtrumq; cōstitutus, sit qui causam dijudicat: & i[u]s suum vnicuiq; tribuit, aut saltem debet tribuere, non profectò est cur magis ipse credat, & maiorem fidem adhibeat actori, siue accusatori asserenti, & vnum pro se testem adducenti: quā reo ipsi neganti: quin verò (vt videtur) contrarium omninò facere deberet, cum reus ipse sit in actuali possessione sui honoris, cui proinde omnia iure semper fauent. Hæc certa ratio efficacissima est.

Sed dices, quod in id sufficit vnū testem adduxisse, ad hoc vt quod ab actore contra reum obijcitur, stabiliatur & comprobetur. Respondeo & dico, quod non ita se res habet, neq; in id sufficit vnus tantum testis: nam actor, siue † accusator in tali 4
iudicio, non fungitur, aut fungi potest vice testis: quò fit vt vnus testis ab eo adductus, & affirmans, contra vnum reum negantem, & se defendentem, facere haudquaquam perfectam possit probationem. Prępònderat enim testimonium ipsius rei negantis (vtpotè qui est in actuali possessione sui honoris) cuius proinde melior est conditio, & cui omnia iura semper fauent. Non itaq; accusator & vnus testis, in proposito casu considerandi sunt, ac si essent duo: nam accusator in tali iudicio, nō habet, sed neq; habere potest vicem testis. Quæ doctrina est Magistralis, deducta ex Magistro Arragon de iustitia & iure sup. 2. 2. D. Thom. quæst. 70. artic. 2. in explicatione articuli, de quò videatur etiam Magister Soto li. 5. de iustitia & iure quęstio. 7. artic. 2. Ex quibus omnibus constat, quod vnius testis testimoniū non sufficit, sed nec sufficere potest, ad faciendam plenam fidem in iudicio, sed ad minus esse debent duo, quorum testimonium † affirmatiuū, 5
maius sit, & magis ponderis habeat, quam defensio, & testimoniū solius

vnius rei negãtis. Quod multum est notandum, ac memoriæ cõmendandum. Videatur hac de re Farinacius vbi supra, vbi ad hoc propositum de vnius hominis testimonio plura dicit, eaque notatu dignissima.

Secunda Conclusio.

6 QVamuis dictum † vnius testis, plenam non faciat probationem in iudicio, facit tamen semiplenam, & sufficit ad præstãdum tormentum reo, si testis deponat de facto, & sit legitimus, & omni exceptione maior. Hæc conclusio est cõmunis omnium Doctorum resolutio, & eam tenet expresse Barto. in l. Maritus, ff. de quæstionibus. Pro cuius intelligentia præmittere libet, quod de mente omnium Iurisconsultorũ, sed præcipuè Felini, & Decij in Rubricam de probatio. Probatio † nihil
7 est omnino aliud, quam alicuius rei dubiæ, per debita argumenta ostensio declaratio, cuius etiam multiplices constituunt species, sed tamẽ omnes ad sex reducuntur, siue reduci possunt. Quarum est prima, quæ fit per testes omni exceptione maiores. Secunda per priuilegia, aut indubitata instrumenta. Tertia, quæ fit per iuramentum parti delatum. Quarta per confessionem in iudicio factam. Quinta per euidentiam facti. Sexta autem & vltima per coniecturas, siue præsumptiones. De quibus diuersis probationis speciebus, nihil oportet aut libet in præsentiarum dicere, cum tantum agamus de ea, quæ in criminalibus caussis fit per testes: hæc enim est, quæ ad præsens nostrũ atti-
8 net propositum. Et est † duplex, quædam plena: alia vero semiplena. Plena est, quæ fit per duos, aut plures testes idoneos, atque legitimos, seu (quod dicitur) omni exceptione maiores. Semiplena verò est, quæ fit per testimonium vnius dumtaxat testis, omni ẽt exceptione maioris, seu nulla exceptione repellibilis, vt dicit gl. in l. etiam Maritus, ff. de probationib. De qua in proposito dicit nostra cõclusio, quod quamuis per ipsum non plenè probetur delictum, probatur tamen semiplenè, & sufficit ad præstandum tormentum reo, si testis deponat de facto, & sit legitimus, omnique exceptione maior. Quantum attinet ad tormentum, in propria ipsius quæstione de eo agimus amplius, & supra q. 7. a. 5. agentes de inquisitione particulari, diximus, quod prædicta semiplena probatio, & vnius testis testimonium, quamuis nõ sufficiat, nec ius tribuat indici inquirendi contra reum (nisi in casu quò crimen est enorme, & publicum, patrator autem occultus) tribuit tamen ius & facultatem ipsi, interrogãdi tam reum quam testes, quando proceditur accusationis via, seu iudicialis denunciationis. Non desunt, qui dicant, quod in criminibus † occultis, & quæ occultè, atque 9
in secreto fieri solent, huiusmodi semiplena probatio (quæ est vnius testis) cum fama & alijs adminiculis plenam facit probationem, per leg. 1. § fin. de verbor. obligat, quæ sententia tribuitur Hostiensi, sed de hoc plura dicemus infra. De prædicto articulo videantur etiam Soto, & Arragon locis supracitatis.

ARTICVLVS II.

Vtrum duorum, vel trium testimonium sufficiat, vt plenam, atque perfectam probationem faciat in iudicio?

VIDETVR quod nõ. † Primò 10
quam in iure statutum est, vt in certis quibusdam caussis, siue casibus, & contra certas, & determinatas personas duorum, vel trium testimonium nõ sufficiat, sed plures

plures requirantur. In testamentis enim apertis videmus ex dispositione iuris positiui, quod quinque requirũtur testes, in occultis verò septem, vt constat ex institut. de testamentis. §. fin. & l. hæc consultissima. C. eod. tit. In Codicillis etiã requiruntur quinque testes, per l. fin. C. de Codicill. In donatione causa mortis, ad hoc, vt ipsa sit valida, quinque similiter testes sunt necessariò requisiti, per l. fin. C. eod. titul. Præterea ex dispositione eiusdem iuris positiui, ad condemnationem personarum quarumdam, plures, quã duo, & tres, quin verò q̃ quinq; & septem testes sunt requisiti. Habetur enim in cap. præsul. 2. quæst. 4. quod Episcopus Cardinalis non damnetur nisi 72. testibus. Cardinalis presbiter damnari etiam non potest, nisi in 63. Diaconus vero in 24. Subdiaconus autem & alij inferiores clerici in 7.: ergo duorum vel trium testium testimonium, non est sufficiẽs vt plenam atque perfectam probationem faciat in iudicio. Secundò sic argumentor ad idem: nam si duorum aut trium testimonium sufficiens esset in iudicio, eo vel maximè quia plurium affirmatio semper esset firma, ab eaque nunquam contingeret veritatẽ abesse: sed nõ id ita est, quin verò legimus, 3. Reg. 21. q̃d Naboth. pluriũ testimonio condẽnatus est, sed falsò: & Susannam similiter, vt habetur Daniel. 13. & Christus ipse Dominus legitur in Euangelio, quod damnatus sit à duobus falsis testibus: ergo duorum, aut trium testificatio, nõ est adeo firma, vt standum semper sit ipsi, cum ab ea quandoque cõtingat veritatem abesse. Tertio ad idem sic argumentor, & probo quod qua ratione sufficiunt duo aut tres testes, eadem etiã & sufficere quando debet vnus. Habetur enim in l. omnium. C. de testam. quod vnius eximiæ authoritatis viri testimonium (qualis est Imperator) sufficiens iudicatur ad cuiuslibet rei faciendam probationem, eò vel maximè quia testimonij qualitas, & firmitas, ex personæ testificantis dignitate æstimatur, & consideratur, adeò vt iuxta commune prouerbium, vnus quandoque testis sufficiat pro mille: ergo vel dicendum est, quod duorum, aut trium testimonium non est sufficiens in iudicio, vel dicendum, quod etiam quandoque sufficiet vnius eximiæ authoritatis viri, vt plenam atque perfectam probationem faciat in iudicio. Hæc sunt quæ pro hac parte possunt adduci. Sed illis non obstantibus in contrarium est veritas, quæ explicabitur per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

CErtissimum † Est, quod duorum, vel trium fide dignorum testimonium, plenam facit probationem in iudicio. Hæc conclusio est certa, & manifesta: atque determinata omni iure, naturali s. diuino, & humano. Et vt ab humano exordiamur, hr̃ expressa in omnibus iuribus, atque canonibus, quibus in præcedenti articulo dictum est, vnius hominis testimonium haud quaquam plenam, atque perfectam probationem facere in iudicio: ibidem enim etiam dicitur, quod in ore duorum, vel trium stabit omne verbum. Sed præterea habetur id ipsum, in capit. quod verò, 2. quæst 5. & capit. in omni negocio, de testibus. Facit & capit. cum esset, & capit. relatum de testam. & l. vbi numerus, ff. eod. titul. Quod autem diuino iure idem habeatur stabilitum, probatur ex Deuteron. cap. 17. & 19. & lib. numerorũ c. 35. vbi expressè dicitur, quod vnius hominis testimonium, haudquaquam est sufficiens in iudicio, sed quod in ore duo-

duorum vel trium testium stabit omne verbum. Solummodo restat probandum, hoc esse etiam de iure
12 † naturali, aut saltem eidem multum conforme. Et probatur ratione Diui Thomæ 2.2.quæst.70 artic.2 vbi hac de re agendo dicit, quod cum in humanis actibus, haberi non possit demonstratiua probatio, qualis reperitur in scientijs, nec maior certitudo, quam illa, quæ habetur ex multorum hominum fide digno testimonio: rationi est consonum nimis, atque conforme, vt quod multi dicunt, pluresque testes affirmant, indubitanter credatur, & apud homines pro certo habeatur: teste enim Aristotile 1. Ethicorum cap. 3. non omnium quærenda est demonstratio, nec similis certitudo in omni materia exquirenda. Sed quod duo, aut tres testes, ad hoc propositum dicantur multi, & quod ab ipsis asseritur existimari habeat integrum, atque perfectum: probat D. Thom. eleganti quadam ratione, similitudine adducta de toto, quod 1. de cœlo, tract.2. dicit Aristot. esse perfectum, & tribus constare. Omnis etiã multitudo (inquit D. Thom.) tribus comprehenditur, principio, scilicet, medio, & fine. Tribus etiam omnis linea & omne corpus concluditur, nẽpe longitudine, latitudine, & profunditate. Sapiens præterea Ecclesiast.4. (inquit) quod funiculus triplex difficile rumpitur. Item in prædicto numero ternario (teste D. August. tract. 36. in Ioannem) secũdum mysterium Sancta Trinitas commendatur, in qua est perpetua veritatis firmitas. Si igitur id ita est, dicendum est (inquit D. Thom.) quod trium nomine multitudo intelligitur, ac rationi esse valde consonum, vt quod trium testimonio asseritur, & commendatur, tanquam certum, firmum atque stabile habeatur. Etenim cum actus humani, de quibus iudicia constituuntur, in rebus caducis, & contingentibus versentur: si huiusmodi certitudo non sufficeret, & expectanda esset alia maior, magisque euidens demonstratio: cũ hæc haberi minimè possit, semper humana iudicia essent incerta, & dubia, nihilque firmum, & stabile in rebus humanis diffiniri posset, aut determinari, quod certè in magnum Reipublicæ totius vergeret damnũ & detrimentum.

Dicendum † igitur est, quod sufficit superque satis est, in iudicio haberi illam certitudinem, quæ vt plurimum veritatem continet, quæ nũquam, aut rarò deficit; & à qua vix contingit veritatem abesse. Hac ergo ratione in iure constitutum, atque determinatum est, vt quod duorum, vel trium testimonio comprobatur, pro vero habeatur, & plenam, atque perfectam in iudicio faciat probationem. 13

Aduertendum tamen est, dictum fuisse à nobis sub disiunctione, quod in ore † duorum, vel trium testium stat omne verbum: vt in illo priori membro, & sub illo verbo, duorum: testium designetur præcisa necessitas, & sufficientia, in posteriori verò, & sub illo verbo trium, testium eorundem denotetur abundantia, & complementum. Debent igitur testes in omni iudicio ad minus esse duo, vt cum actore, accusatore, siue denunciatore faciant tres: aut si cõgruum non videtur, vt actor propter suspicionem præsumptam in testem adducatur, seu pro teste dinumeretur (nam actori in iudicio non adhibetur tanta fides, neque in eius dicto est tanta firmitas) testes debent esse tres, quorum testimonio fiat plena, atque perfecta in omni iudicio comprobatio. Cum quo etiam stat, quod siue testes sint duo, siue tres, plenè, atque perfectè probent contra reum negantem factum. Nam (vt dictum 14

est)

eſt) quod multi dicunt, & à pluribus aſſeritur, comprobatur, & teſtificatur: probabilius, & multò verò ſimilius eſt, quam id, quod ab vno ſolo reo negante dicitur. Ratioq; ipſa naturalis dictat, vt potius ſtetur mul-
15 torum † teſtimonio affirmantium, quam vnius rei negantis dicto, præponderat enim hoc teſtimonium illi, ſicque fertur & inclinatur humanum iudicium, in eam partem, vbi maius eſt teſtificantium pondus. Videatur hac de re ex Theologis Soto lib. 5. de Iuſtitia, & iure quæſt. 7. art. 2. & Bañez, Arragon, & Salon 2. 2. quæſt. 70. articulo etiam 2. ex iuriſperitis autem Antonius Gomez 3. tom. variar. de delictis, cap. 12. num. 9. Iulius Clarus lib. 5. §. fin. quæſtio. 66. num. 3. & Paz 1. par. tom. 1. in 8. temp. numero 5. & Farinacius de teſtibus quæſtio. 63. à num. 231. cum ſeqq. vſque 261.

Secunda Concluſio.

16 AD hoc, vt in ore duorum † vel trium teſtium ſtet omne verbum, & ipſorum teſtimoniũ plenam, atque perfectam probationem faciat in iudicio: neceſſum eſt, quod ipſi ſint legitimi, & fide digni, & quod vulgò dicitur, omni exceptione maiores, alias enim ſi ipſorum aliquis aliqua ſit iuſta exceptione repellibilis, non plenam, atque perfectam faciet probationem in iudicio. Hæc concluſio apud omnes eſt comperta. & de ea plura ſunt dicenda in ſequentibus articulis. Sed pro nunc breuiter dicamus oportet, vt horum aliqualis habeatur noti-
17 tia, quinam ſint † teſtes legitimi, idonei & fide digni, & quod vulgò dicitur omni exceptione maiores? & dico, quod in iure ille teſtis dicitur legitimus, idoneus, fide dignus & omni exceptione maior, qui eſt eius dignitatis, qualitatis, & conditionis. vt ipſius perſona prorſus ſit exempta ab omni mendacij ſuſpicione, vt pote, qui nullam patitur exceptionẽ, earum, de quibus infra in ſequenti articulo ſumus dicturi, quod propter illas teſtes repelli poſſunt à ferendo teſtimonio in iudicio. Habetur hoc expreſſè in l. 3. ff. de teſtibus, & in l. eos. C. eodem titulo. & in c. 1. de teſtib. & c. etiam 1. de conſanguinit. & affinita. & cap. forus, de verb. ſignif. (quod eſt Diui Iſidori lib. 18. æthymologiarum, c. 15. (cuius ſunt, quæ ſequuntur expreſſa verba. Ille (inquit) teſtis æſtimatur legitimus, qui fuerit vita innocens, & integer actu, etenim ſi vita bona defuerit fide carebit: non enim poteſt iuſtitia, cum ſcelerato homine habere commercium. Videatur ſpecialiter hac de re Panormitan. in dicto cap. 1. de teſtibus, & dicto cap. 1. de conſang. & affinitate: vbi dicit eos eſſe habendos, appellandos, atque exiſtimandos teſtes idoneos, legitimos, & fide dignos, omnique exceptione maiores, qui nulla legitima exceptione reijci poſſunt à ferendo teſtimonio. Videatur etiam de hoc Farinacius de teſtib. q. 62. à num. 1. cum ſeqq. vſque 27. vbi ad hoc propoſitum congerit plura, eaque notatu digniſſima. Sed de his omnibus latius ſumus acturi infra. Solummodo aduerto pro nunc (id quod amplius etiam dicturi ſumus infra, & eſt omnium Iuriſconſultorum communis opinio) quod quando in alicuius rei comprobationem duo adducuntur teſtes, ipſorum alter minus idoneus (non tamen omnino inidoneus) alter verò omni exceptione maior: ſi vtriuſque depoſitio eadem ſit, atque inter ſe cõcordent fides † vnius, ſup- 18
plet defectum alterius: & teſtimonium teſtis legitimi, & idonei, authoritatem præbet teſtimonio teſtis minus idonei: vt de mente Iaſonis & Baldi, atque ex multis iuribus probat

probat Paz in sua praxi. 1. p. tomo 2. in 9. tempore, nu. 4. & 5. quod etiam dicit Farinac. in dicta q. 62. à num. 328. vsque 349. Sed de hoc latius infra.

Tertia Conclusio.

19 VTcunque testes sint† legitimi, idonei, & fide digni, omnique exceptione maiores, si non testificentur de ijs, quæ viderint, sed ab alio, siue alijs audierint: quamuis sint plures, non plenam faciunt probationem in iudicio, nec in ciuilibus, neque in criminalibus. Pro huius conclusionis intelligentia, simul & probatione aduertendum est, omni esse iure prohibitum, vt testis de auditu in iudicio recipiatur, vt habetur in l. testium, cum glossa. C. de testib. & in c. tam literis, c. licet ex quadam eodem titulo. vbi hoc ipsum tenent omnes vnanimiter DD. Sed specialiter facit ad hoc propositum dictum Baldi, in l. sancimus. C. de diuer. rescrip. nu. 1. in fine. vbi
20 dicit, quod sicut in ciuilibus† exemplum exempli non probat, ita neque in criminalibus testimonium, quod auditus de auditu refert, & in l. si cui aqua §. idem labeo. nu. 3. ff. de aqua pluuia. arcen. dicitur quod per auditum non percipitur veritas, sed solũ quædam veritatis imago. Qua de re videatur specialiter Speculator, titu. de teste. §. 1. n. 53. vers. testimonium autem de auditu alieno, & Maranta de ordine iudiciorum 6. p. actu 6. n. 9. & actu. 12. nu. 3. & Paz in sua praxi. 1. tomo. 1. p. nu. 9. tempore. nu. 17. & Latissimè Farinacius de testibus q. 69. à n. 1. cum seqq. vsque 102. Iure etiam regio habetur id ipsum stabilitum, in l. 28 tit. 16. par. 3 vbi agẽdo de teste dicitur, quod deponere debet de visu, & ijs quæ in ipsius præsentia facta sunt, & aliquo sensu corporeo percepit, non verò de auditu, iuxta c. testes. 3. q. 9. Ad quod propositum facit quam maximè, illud quod habetur Deuter. 17. dictũ fuisse Moysi olim in veteri lege; Vt auditionem vanam non acciperet: vanam auditionem vocans, eam, quæ solo est de auditu, non de visu. Quin verò & ipse Christus Dñs Ioan. 3. quasi innuere volens quales debeat esse testes dixit: quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, ac si expressius diceret, quod illa, quæ homo non scit aut vidit, testificari non debet. Facit & ad idem, quod dixit sapiens Prouerb. 12. qui quod nouit loquitur, iudex iustitiæ est: qui autem mentitur: testis est fraudulentus. Hac etiam ratione Demosthenes olim Orat. 2. in Stephanum (& habetur apud Quintilian. lib. 5. c. 7.) dixisse fertur, manifestissimæ esse impudentiæ signum, quempiam testificari ea, quibus non adfuit. Quæ quis nouit, & quibus gerendis interfuit (inquit Demosthen.) ea testificari leges iubent: at rem à viuente auditam, testificari, leges non sinunt. Ad quod idem propositum facit, quod etiam Plautus in truculento dixisse fertur: Pluris esse æstimandũ vnum testem oculatum: quam decem auditos. Qui audiunt (inquit), audita dicunt: at qui vident ij sunt, qui planè sciunt, Philo etiam Iudæorum discretissimus, libro de confusione linguarum dicebat: quod in iudicijs, visus certus, potius quam fallax auditus testis est adhibendus. Et in libro de iudice ait: Quod iudex, qui testes oculatos accipit, optimè facit, non autem qui auditos. Sunt enim oculi, qui rebus ipsis intersunt, illasque contrectant: & negocia luce per quam demonstrantur adiuuante, veluti comprehendunt. Aures autem (inquit Philo) minus habent fidei, quam oculi, vt potè quibus non est cum rebus ipsis cõmercium, sed cum sermonibus rerum ipsarum interpretibus, & non semper veritatẽ sectãtibus. Verba sunt expressa Philonis,

ionis, & certè notatu digniſſima. Quo circa in omni bene conſtituta Republica, ſemper lege cautum, atque ſtatutum fuit, vt ne quis in iudicio audita pro teſtimonio dicat: ſed quæ viderit, & quibus inter fuerit: nam auditus iudicium naturaliter fallibile eſt, & de facili decipitur: viſus autē ſemper eſt certus, & ſi quis teſtificetur quod vidit, fallere haud quaquam pōt, modò ipſius teſtimonium cum veritate ſit coniunctum. Ex dictis ſuperque ſatis cōſtat, quod ad hoc vt teſtes fidem faciant in iudicio, & ipſorum teſtimonium integrum, ſolidum, atque firmū habeatur, oculati eſſe debent, ſiue de viſu, non verò de auditu. Etenim ſi ſint de auditu (vtcumque ſint legitimi, idonei & fide digni, omnique exceptione maiores, quamuis etiam ſint plures) haudquaquā plenam faciunt probationem in iudicio, neque in ciuilibus, neque in criminalibus: quin verò neque præſumptionem faciūt, neque ſufficiunt ad torturam, neque ad capturam, præſertim contra hominem bonæ famæ: quod tenet Farinac. vbi ſup. à nu. 9. cum ſeqq. Hac de re ex Theologis videantur Soto lib. 5. de inſtit. & iure q. 7. art. 2. & Bañez, Aragon & Salon ſup. 2. 2. D. Thomę q. 70. art. etiam 2. vbi ad hoc propoſitum reperire licebit plura, eaque notatu digniſſima. Aduertendū

21 tamen eſt, quod ad hoc vt teſtis † dicatur oculatus, ſiue de viſu, ſufficit, ſuperque ſatis eſt, vt teſtificetur de his quæ viſu, ſeu alio corporeo ſenſu percepit. Nam viſus in hoc propoſito (vt dicit Farinac. vbi ſup. nu. 151.) ſumitur pro omnibus alijs exterioribus corporis ſenſibus. Etenim (v.g.) qui contumelioſa aliqua verba dicta ab aliquo contra alium audierit, teſtis proculdubio oculatus eſt dicendus, non de auditu, ſed de viſu: quamuis & verba ipſa auditus ſenſu percepit: idem dico de alijs. Talis igitur teſtimonium (eorum ſcilicet qui vulgò dicuntur oculati ſiue de viſu) eſt quod fidem facit in iudicio, non autem illorum, qui loquuntur de auditu.

In vno tantum caſu dicunt Doctores Iuriſperiti, quod teſtes de auditu

† fidem faciunt in iudicio, & ille eſt, 22
quando teſtificantur de factis antiquis, & agitur in ciuilibus de probanda aliqua re, cuius initij in contrarium hominum non eſt memoria, iuxta Gloſſam in lege ſi arbiter, ff. de probationibus. Ad quem caſum rediguntur plures alij, quos congerit Speculator, titulo de teſte, §. 1. num. 54. De quo videatur Paz in ſua prazi, tomo 1. par. 1. in nono tempore, num. 18. vbi dicit, quod in

hoc caſu, † ſi fama, & alia admini 23
cula ſimul concurrant, cum teſtibus deponentibus de auditu, eiuſmodi teſtes plenam faciunt probationem in iudicio, iuxta dictam Gloſſam, in lege ſi arbiter, ff. de probationibus, & capite cum cauſam, eodem titulo de probationibus, Facit & lex Regia. 29. titulo 16. partit. 3. In alijs ve-

rò caſibus, teſtes † de auditu, quam- 24
uis ſint plures, & aliqualem faciant præſumptionem, ſecundum Archidiac. in cap. hoc videtur 22. quæſtione 5. non tamen plenè probant, quod eſt multum notandum, atque memoriæ commendandum. Videatur hac de re Farinacius, quæſtione 69. de teſtibus à numero, 125. cum ſequentibus latiſſimè, vſque 146. vbi reperire licebit ad hoc propoſitum omnia, quæ poſſunt deſiderari. Et in ſequenti numero 146. & 147. dicit omnia ſuperius dicta intelligenda eſſe in teſtibus de auditu alieno: nempè de illis, qui referunt ea, quæ ab alijs audierunt. Etenim ſi fiat

ſermo de teſtibus † deponentibus 25
de auditu proprio, longè aliud eſt iudicium: pro quo ſupponit, quod teſtes de auditu ſunt in

duplici

dupl.ci differētia:quidam enim sunt de auditu alieno, alij verò de auditu proprio. De qua differentia videndum dicit esse Baldum,in capite licèt ex quadam,de testibus numer. sexto versiculo, nota quod interdum: vbi inquit differre inter se, audio dicere, & audio dici. Si enim audio (verbi grat.)contrahentes dicere, accipio te in meam,& è contra: tunc bene audio illos dicere: sed tamen si audio alios dicere hoc dixisse: tunc non audio illos dicere:sed audio de eis dici: in primo casu auditur esse rei, in secundo verò non auditur esse rei, sed auditur dici: & iste vocatur secundus auditus, seu auditus de auditu. Quod dicit idem Baldus in leg. 2. §. idem Labeo, n. 3. ff. de aqua pluuia

26 arcen. vbi dicit quod duplex est † testimonium de auditu: vnum de auditu significante actionem,vt quādo audio aliquem stipulantem, & promittentem: alterum verò de auditu referente actum, vt quando audio à te,quod dicis te vidisse. Et ait quod prima testificatio est recta, & verò proxima:secunda verò est auditus de auditu,per quam non percipitur veritas sensus,sed solum quædam ratio veritatis. Ad propositum ergo,quando DD.loquuntur de testibus deponentibus de auditu simpliciter, intelligendi sunt de auditu alieno, siue de auditu auditus: non autem de auditu proprio:tunc scilicet quando testis non debet dici de auditu, sed de visu,vt nos etiam supra diximus. Videatur hac de re Glossa in capite hoc videtur,22 quæstione quinta, verbo iudicauit,& Abbas in capite quoties de testibus in fine num.7.

Ex supradictis omnibus,clarè, & manifestè colligitur, quid respondendum sit proposito articulo, quando quæritur vtrum duorum, vel trium testimonium sufficiat, adhoc vt plenam, atque perfectam faciant probationem in iudicio? Dicendum est sufficere quidem eam lege, & pacto, vt prędicti duo,vel tres testes,sint legitimi, idonei & fidedigni, & quod vulgò dicitur omni exceptione maiores,& testificentur,non de ijs,quæ audierint ab alijs:sed de ijs, quæ viderint,seu audierint auditu proprio: nam eiusmodi testes, etiam computantur pro testibus de visu. Vlterius requiritur,quod eiusmodi testes sint contestes, non verò singulares. Sed quia hæc altiorem requirunt indaginem atque disputationem dicēda reseruantur pro alio articulo.

Nunc superest respondeamus† ad 27
argumenta proposita in initio Articuli. Ad 1.dico quod quamuis (vt dictum est) duorum vel trium hominum fide dignorum testimonium, sufficiens sit ad faciendam cuiuslibet rei plenam probationem in iudicio, meritò tamen iure humano ad maiorem abundantiam, rerumque ipsarum complementum, & comprobationem,stabilitum est, vt in certis † quibusdam casibus,& cō- 28
tra certas & particulares personas, plura, & maiora requirantur testimonia: non quia illud duorum, vel trium non sit sufficiens: sed propter aliquas speciales rationes, & causas. Ob hoc etiam in defunctorum testamentis (vt potè qui post mortem voluntates suas exprimere non valent) iure stabilitum est, vt plura quam duorum, vel trium testium requirātur testimonia,& eadem est ratio de alijs, de quibus procedit argumentum. Propter hanc igitur rationem, & causam, in grauioribus etiam causis ordinatum habetur in iure, vt cōtra Primates, Episcopos,& Prelates, plura adhibeantur testimonia,& eorum crimina,& delicta oculatius videantur,& comprobentur. Creuit enim mirum in modum hominum malitia, & mortalium fides, atque iustitia nimis deprauata est; atque corrupta: ipsique positi sunt tanquā

signum

signum ad sagittam, & pro eo quod alios interdum reprehendunt, multorum odium incurrunt, vt habetur, in cap. qualiter & quando el 2. de accusatio. Videatur hac de re D. Tho. 2. 2. q. 70. artic. 2. in solu. ad 3. vbi ad hoc propositũ alias adducit rationes aptissimas. Videtur etiam Farin. de testib. q 63. à num. 1. cum seqq. vsq; 206. vbi in id ipsum dicit etiam plura notatu dignissima.

Ad 2. & 3. simul respondetur, 29 quod leges † non statuunt, aut statuere tenentur, ea quę raro, aut nunquam contingunt: sed quæ vt plurimum euenire solent. Quo fit, vt quãuis aliquando contingat, siue contingere possit; quod duorum, vel trium hominum testimonium sit falsum, vnius autem firmum & verum, quin verò & verissimum: non id ad leges spectat stabilire, sed id quod ratio postulat, & contingit vt plurimum. Expostulabat autem ratio, vt postquam in humanis iudicijs haberi non potest demonstratiua probatio, nec maior certitudo, quam illa quæ est ex multorum hominum testimonio fide digno, vt potius stetur, atque credatur pluribus testibus deponentibus, & affirmantibus contra reum: quam vni tantum reo neganti, & se defendenti prout dictum est in conclusionibus: vnus enim testis facilè peruerti, & corrumpi potest: plures autem quam duos, aut tres expostulare: longum, atque molestum esset nimis, & in quam pluribus casibus impossibile: vt habetur in l. vbi numerus ff. de testib. & c. licet vniuersis eod tit. Ex quibus, superque satis colligitur, quod duo, vel tres testes simul de aliqua re testificantes, sufficiunt ad hoc, vt ipsorum testimonium plenam, atque perfectam faciat probationem in iudicio.

ARTICVLVS III.

Vtrùm sint aliqui testes inhabiles, & qui iure repelluntur à ferendo testimonio in iudicio, ob suam culpam, vel citra illam?

PRO Huius Articuli intelligẽtia, & vt paremus viam ad ea quæ in subsequentibus sunt dicenda de testibus & attestationibus, aduertere oportet testes reperiri posse in multiplici differentia. Quidam .n. iure dicuntur inhabiles, ij nempe, qui legibus prohibentur testificari: alij verò habiles, qui testimonij habent pondus, & quibus in iure testificari est permissum. Quidam dicuntur contestes, alij singulares. Quidam concordes, alij discordes. Quidam veri, alij falsi. Quidam clarè distinctèque deponentes, alij ambiguè & confusè. Et præter istos reperiuntur testes varij, siue vacillantes, & nonnulli de credulitate: multisque alijs modis contingit testes testimonium ferre, de quibus omnibus agẽdum est à nobis in hoc & sequentib. articulis. Sed in isto spicialiter quæritur, an sint aliqui testes inhabiles, & qui iure repellantur à ferendo testimonio, & hoc an sit semper propter suam culpam, an verò fieri etiã potuerit citra illam?

Et vt quod quæritur plenius fiat, † aduertere etiam oportet ex Glossa 30 finali in l. quoniam C. de hæret. & manich. verb. angustietur, quod testium edictum hac ratione vocatur prohibitorum, seu (vt alij volunt per missorum, quia quilibet ad testificãdum admittitur nisi à lege expresse reperiatur prohibitus: iuxta l. 1 in fine, ff. de testib. Ratioque id ipsum ex postulat quia (vt habetur in l. nunquã eis ff. ex quib. caus. & c. ad dissoluẽdũ de despons. impub. hominibus cuncta sunt licita, nisi lege, aut decreto aliquo

aliquo sibi reperiantur prohibita. Non igitur immeritò in præsentiarum quæritur, an aliquis à ferendo testimonio in iudicio repelli possit citra culpam?

Et argumentum formari potest in hunc modum: Nam pena nulli omninò iure videtur fore ponenda, nisi propter culpam: Sed quodquis repellatur à ferendo testimonio pena est, eaque grauissima, & talis vbiq; apud homines dijudicatur: ergo cõtra omnem prorsus rationem est, quin verò & contra legem naturalem, atque diuinam, qđ id ipsum fiat, eo vel maximè cum iure semper quisque præsumatur bonus, quousque per culpam sibi probatur contrarium, vt habetur, in c. dudum de præsumptionibus. Hoc argumentum deseruiat pro ratione dubitandi. Sed eo non obstante, in contrarium est veritas, quæ explicabitur per sequentes conclusiones.

Prima Conclusio.

31 QVam Plurimi † testes in iure reperiuntur inhabiles, & repelluntur à ferendo testimonio in iudicio, nonnulli propter culpam, alij verò citra ipsam. Hæc conclusio est D. Th. 2. 2. q. 70. art. 3. quã & probat authoritate D. Gregorij in registro. lib. 11. c. 57. & refertur in c. in primis, 2. q. 1. vbi habetur, qđ à seruis suis accusatus quidam Episcopus ipsi audiri minimè debuerunt. Probat præterea D. Th. eandem conclusionem eleganti quadã ratione. Pro cuius intelligentia supponẽdum est,
32 quod cum † omnis iudicij integritas ex testium ratione dependeat, ratio ipsa naturalis expostulat, vt ad testimonium ferendum non omnes promiscuè admittantur, quin verò quã maximus circa hoc habeatur personarum delectus, id quod omni iure, canonico, atq; ciuili legibus est stabilitum. Vt enim inquit Cicero in topicis, nõ qualiscũq; persona testimonij habet pondus. Quo præmisso, atque supposito (quod multum est memoriæ commendandum) sic formatur ratio D. Thomæ. Nam cum hominũ testimonia non infallibilem habeant certitudinem, sed tantum probabilẽ, ratio ipsa naturalis expostulat, vt omne illud quod in contrarium probabilitatem aufert, seu auferre potest inefficax reddat testimoniũ: sed hoc contingere potest quandoq; propter culpam testificantis, quandoq; verò sine ipsa: Ergo non omnes absq; delectu, & discrimine admittendi sunt ad testificandum: quin verò repelli aliqui quandoq; possunt propter culpam, alij verò etiam sine ipsa. Consequentia cum maiori est legitima, minor autem probatur: Nam certũ est quod infideles, infames, & omnes qui in crimine aliquo publico sunt constituti, qui proinde neq; accusare possunt: non veri testimonij habent pondus, nec ipsorum dictum pp suã culpam aliquã probabilitatẽ affert, quin verò inefficax est: id quod & dicendum est de alijs, quandoq; etiã absq; culpa (v.g.) vel propter defectũ rationis, vt contingit in pueris, amẽtibus, & mulieribus, vel ex affectu contrario, vt in inimicis, domesticis, & personis valdè coniunctis: aut etiã ex exteriori conditione testificantiũ, vt in pauperibus, seruis, & illis, quibus de facili imperari potest, & credi atque existimari quod induci possint ad ferendum testimonium veritati contrarium. Ex dictis omnibus planè constat, quod ad id ipsum non omnes indistinctè sunt admittendi, quin verò aliqui possunt repelli propter culpam, & quandoq; sine ipsa. Hæc certè ratio D. Thomæ efficacissima est, & planè concludit intentum. Qua quidem ratione omnia iura, & omnes vtriusque Iurisconsulti, ex personarum qualitate semper diju-

dijudicarunt, parum ne aut multum fidei testibus esse tribuendum, & in ipsius considerarunt multa, quæ quã maxima sunt consideratione digna: nempè illorum statum, & cõditionẽ, dignitatem, diuitiam, siue paupertatem, amicitiam, vel inimicitiam, & id generis alia quæ labe facta re possunt, & in efficacia reddere eorũ testimonia. Quæ oĩa vt facilius memoria teneantur, ad quinque capita possunt reduci; nẽpe ad mores, ad naturam, fortunã, animũ, statũ, siue condõnẽ. De quibus oĩbus in particulari dicemus in sequentibus conclusionibus, quibus summa breuitate, atque resolutione perspicuum fiet, quinam iure repellantur, seu repelli possint à ferendo testimonio in iudicio.

Secunda Conclusio.

33 EX Parte morum † duo in testibus considerari possunt, quæ si adsint inefficax redditur ipsorum testimonium, eisque fides non debet adhiberi. Hæc sunt error & malitia. Propter errorem excluduntur iure à ferendo testimonio in iudicio, infideles, Iudæi, hæretici & Pagani, per c. non potest, c. pagani, & ibi glossa verbo accusare. 2. q. 7. c. ipsa pietas. 23. q. 4. c. Iudæi, verbo præsumant de testibus, & ibi Abb. & Felin. & glos. in c. licet vniuersis, verb. conuersationis, eod. tit. de testibus. Glossa ẽt in clement. 1. ver. iuri. eod. tit. Facit. & c. si hæreticus 2. q. 7. & l. quoniam. C. de hæretic. Quibus omnibus in locis infideles prædicti non permittũtur testificari. Propter malitiam verò à testificando ẽt repelluntur infames. per c. testes. 2. q. 7. & c. constituimus. 3. q. 5. c. beatus. cũ seq. 6. q 1. & c. præterea, de testib. cogéd. Facit, & tex. in l. 2. § l. Iulia. ff de testib. text. ẽt in l. infames. ff. de publicis iudicijs. Qua de re videatur Iulius Clarus, lib. 5. §. fin. q. 24. nu. 13. & Farinac. vbi sup. q. 56. à nu. 1 cum. seqq. Pro cuius pleniori intelligentia est notandũ, qđ duplex est infamia, † quædã iuris, alia vero facti. Quinã 34
sint infames infamia iuris, qui nam vero infamia facti, tradit tex. in l. 2. §. vlt. & l qui aũt, & l. athletas, §. ait Prætor, & p tot. tit. ff quibus ex caussis irrogatur infa. & l ea quæ, l. si te, l. decreto, l. fustib. l. nõ damnatos, C. eod. tit. inst. de pena temere litigant.

Sed specialiter † quibus in casib. 35
de iure prędicta incurratur infamia, tradit Conrad. in sua pract. §. 2. de offic. Pretoris, relatus per supradictũ Farinacium loco vbi sup. n. 1. & Iulius Clar. lib. 5. §. fin. q. 72. nu. 1. vbi de mente cuiusdam in Margarita fisci, dicit esse, 61. casus, in quibus iure pariter pœna ignominiosę missionis, seu amissionis, & infamiæ imponitur. Sed melius est vt dicamus requiri sententiam, saltem declaratoriam facti, per quod incurritur ipsa infamia: qua labe qui aspergitur nulla est fide dignus, & ipsius testimoniũ non fidem facit in iudicio. Ad quod quidem propositum facit quam maximè, glossa supradicti, c. quicumq; 6. q. 1. verbo. testimoniũ: vbi dicitur quod infamis † recipi non debet ad 36
ferendũ testimoniũ, ẽt post peractã pœnitentiam, pro quo allegat supradictum c. paruuli. 22. q 5. quod dicit esse verum, & tenendum in testibus, licèt secus esse videatur in accusatore, iuxta c. si quis conuictus 22. q. 5. Et quamuis glossa prædicta ibidem rõnem differentiæ nõ afferat, ob quã accusator post peractam pęnitentiã, ad accusandũ admittatur, testis verò non, quin verò eadẽ peracta reijciatur: nos tñ de ea aliquid dicemus inferius. Quibus & accedit, quia ferre testimoniũ honor est per supradictũ c. forus, de verbor. signif. & dignitas quam maxima, iuxta c. pręceptũ, 32. quæst. 5. ibi generosæ dignitatis testimoniũ: & talis honor siue dignitas iure infamibus interdicitur, per l. 1. C. de infam. lib. 10. & l. famosi, &

l.penult. C. de dignitatib. lib. 12. Id que maximè cum ferre testimoniũ inter actus legitimos computetur, per l.penult. C. de hæreticis, & manich. ibi: omne testimonium: qui actus † legitimi infamibus sunt interdicti, per c. licet ex quadam, de testibus. Quod quidem Feliz. post Glossam in cap. testimonium, de testibus, num. 57. & in cap. licet ex causa, de probationib. num. 7. in tantum credit esse verum, vt dicat infamem
38 † infamia iuris, nec contra pariter infamatum admittendum esse ad ferendum testimonium, licèt contrarium voluerit Glossa in l. 3. §. lege Iulia, verbo palã, ff. de testib. Quod etiam dicemus infra quãdo agemus de teste criminoso, contra pariter criminosum, & de periuro contra similiter periurum. Quibus omnibus addo, quod licèt fides infamis infamia facti, in casu quo admittatur (vt infra dicemus) suppleatur per alium contestem, qui sit habilis, idoneus & fide dignus, non tamen id locum habet in infami prædicta infamia iuris. Nam cum omninò iure repellatur à ferendo testimonio, & ad id in totum sit inhabilis: non potest eius dictum coadiuuari ab alio, aut ipsius suspecta fides suppleri per fidem alterius: cum iuxta iuris communis regulã in l. sed si manente, ff. de præcar. id quod in se † nihil est, supple-
39 mẽtum haud quaquam recipit, quæ est communis Doctorum resolutio, de qua vidẽdus est Farinac. loco vbi sup. q. 56. nu. 48. & 49. vbi it limitando dicit id esse verum, nisi in casu, quo cum depositione testis infamis infamia iuris, adessent alij duo testes legitimi, idonei, & fide digni: nam tunc cũ illi duo plenè probent, iuxta communis iuris regulam vtile per inutile non vitiatur. Secus esset si cũ depositione prædicti testis infamis infamia iuris, adesset vnus tantum testis vtcumque fide dignus.

Aduertẽdum tamen † esti omnia, 40
quæ dicta sunt de non admittendo ad testimonium infamem infamia iuris, vera esse, tenenda & practicanda, nisi in casu quo aliter quam per huiusmodi testes infames, veritas haberi omninò non posset. Nam tunc in subsidium, & propter defectum probationũ bene possunt admitti, vt tradit Bartolus in l. cunctos populos, C. de summa Trinitate, & fide cathol. nu. 12. verb. nisi fortè in subsidium: & Abbas in cap. testimonium de testib. in 6. versic. admittuntur tales infamati, & Fel. ibidem nu. 12. verbo, nisi in subsidium. Qua de re videatur prædictus Iulius Clarus lib. 5. §. final. q. 24. nu. 13 vers item infamis: vbi dicit idem esse dicendũ de infami infamia facti: & quod in tali casu neuter est admittendus, nisi cum tortura: & ipsorum testimonium, quantumuis sint plures non plenè probabunt, nec integræ fidei facient legitimam probationem, sed tãtummodo indicium ad torturam, vbi aliàs alij testes plenè probarent. De quo videatur Farinac. loco vbi supra à numero 50. cum sequẽtibus, vsque 57. vbi hoc, quod diximus de tortura, faciendum esse dicit, non solum quandocumque testes prædicti infames in subsidium admittuntur: & in defectum probationum, vbi veritas aliter omninò haberi non potest: verum etiam generaliter in omni casu, excepto & permisso à iure, vt prædicti testes infames admittãtur, nempe in crimine hæresis, læsæ maiestatis, & similibus: quia neque in his casibus sine tormentis admittuntur, prout tradit Speculator titu. de teste §. 1. num. 28. versic. sed non sine tormentis.

Postquam plura diximus † de in- 41
famibus infamia iuris, iam tempus est, vt aliqua de infamibus infamia facti dicamus. Et dico breuiter, quod infames infamia facti sunt ij, qui

qui non infames per ius, & sic neque numerantur in l. 1 ff de his qui notātur infamia, sed tamen commiserunt aliquod, per quod ipsorum opinio, fama atque existimatio remanet communiter læsa, aut grauata apud bonos, & graues viros, iuxta l. non debent, ff. de dolo, & l. honori, ff. de obsequijs, & Glossa in cap. infames §. porrò verò infamia 3. q. 7. Quam infamiæ facti diffinitionem, tradit Felinus in cap. testimonium, de testi bus num. 12. Iason in l. cunctos populos, C. de summa Trinitate & fide catho
42 lica, num. 44 ver. quædam † est infamia facti, cuius tria ponit exempla, quæ per tempus referre non licet: sat erit dicere quod eiusmodi infamia facti probanda est per testes, vt dicit Farinacius de teste, quæstione 56. numero 23. & latius in titulo de indicijs, & tortura, quæstione 47. à numero 108. cum sequentibus, & 301. cum sequentibus, vbi latissimè tradit qualiter prædicta infamia facti sit probāda, & an probari habeat per testes contestes, an verò sufficiāt, & admittantur singulares, & quo modo debeant deponere, ad hoc vt concludant facti infamiam esse probatam: à quibus omnibus pro nunc consulto supersedeo, vt congruentiori loco dicantur. Solummodo dico resolutiuè de prædicta infamia facti, quod licet ipsa secundum opinionem magis communem, in causis ciuilibus non repellat testem, ni forsan sint ita arduæ vt æquiparentur criminalibus, iuxta decisionem capituli 1. de restitutione spoliator. libr. 6. vel sint de illis, in quibus à lege, vel statuto ordinatum est, vt expediantur per testes omni exceptione maiores: repellet tamen ipsum in criminalibus iuxta glossam, in l. Cassius ff. de senatorib. ver. turpitudinem. & Bart. ibidem, vers. si vero quæras in causa criminali, & in l. cunctos populos, n. 13. C. de summa Trinit. & fide cath. Qua de re videatur Farinac. de testibus. q. 56. à n. 115. vsque 120. vbi se limitādo dicit (vt etiam nos diximus supra agēdo de infamia iuris) non hoc procedere vbi aliter veritas haberi non potest. Nam in subsidiū
† & defectum probationum, infames 43
infamia facti admittuntur, sicut infames infamia iuris: ad testificandum etiam in causis criminalibus, iuxta Bart. & omnes Doctores communiter in supradicta l. cunctos populos, quamuis non sine tortura, vt etiā diximus de mente Iulij Clari, l. 5. §. fin. nu. 13. versi. itē infamis. Et addit prædictus Farin. loco vbi sup. n. 121. cum seqq. quod ad testimoniū sic admissi infames infamia facti in subsidium, non plenam faciunt probationem, sed tantūmodo indicium, & aliquādo præsumptionem. Vnde quamuis sint plures, non sufficiunt nisi ad torturam, vbi alias alij testes legitimi sufficerent ad condemnādum, quod latè tradit Felinus in c. testimonium numero 12. de testibus. Supradicta omnia quam maxima sunt consideratione digna, & multum memoriæ commendanda, nam ad faciendam fidem bona fama nimis necessaria est in testibus, iuxta c. testes 2. q. 7. & c. deniq; de exceptionibus. Vt enim dixit Cicero non qualiscumque persona testimonij habet pondus.

Tertia Conclusio.

Circa Naturam duo etiam in testibus considerari possunt, ob quorum defectum quidam repelluntur à ferendo testimonio in iudicio, & inefficax redditur ipsorum attestatio. Hęc sunt ętas & sexus. Ob ætatis defectum excluduntur à ferendo testimonio pueri, & impuberes. Quod qualiter intelligendum sic multis tradit Farinac. de testib. q. 58. à nu. 1. cum seqq. & dicit quod im
pubes † masculus minor 14. annorū, 44

fœminæ autem minor 12. in causis ciuilibus repelluntur à ferendo testimonio, per l. 3. lege Iulia ff. de testib. qui textus quamuis expresè loquatur de causa criminali, extenditur à Doctoribus ad omnem causam, etiā ciuilem generaliter, cuius rationem esse dicit duplicem. Prima quia cum dictum testis non iurati nihil valeat, per l. solam. l. iurisiurandi, C. de testib. & c. nuper, c. tuis, eod. tit. cum similibus, & impuberes tam masculi, quam fœminæ iurare nō possint, per l. qui iurasse ff. de iureiurando, & l. 4. ff. de in litem iurando: c. 1. 4. q. 3. cap. paruuli, c. pueri 22. q. 4. meritò supra dicti à testimonio ferendo repelluntur, nō solum in causis criminalibus verum etiam in ciuilibus. Secunda ratio est, quia eiusmodi ætas quam plurimum rationem obnubilat, & vt dicitur in l. 1. C. de falsa moneta, & l. cum prætor, §. non autem, ff. de iudicijs, & in l. fin. ff. rem pupilli. l. etiam fin. ff. de iur. & fact. agr. & §. prçterea inst. quibus non est permis. fac. test. vt plurimum nescit quid agat, & cū iudicio careat quidquid videt, aut audit ignorat. Vnde sicut cæcus non iudicat de coloribus, aut de illis testificari potest, sic nec prædicti impuberes de ijs, quæ vidēt, & audiunt. Qua quidem ratione licet puer pubes factus, & maior 14. annis in testamento, & cūctis causis ciuilibus testes esse possit, non tamen qui est in minori ætate constitutus: per l. hac consultissima. §. testes autē C. de testam. vbi id ipsum tenent omnes Doctores cōmuniter. Quod si illi iure statutum est in causis ciuilibus, multò ergo magis, & in criminalibus, quibus agitur de maiori præiudicio, in quibus etiā proinde requirūtur testes magis idonei. Sicq; absque dubio dicendū est, quod in criminalibus causis impubes semper repelluntur à testificādo, etiā contra inquisitū, per textum expressum in d. l. 3. § lege Iulia. ff. de testib. ibi, quive impubes erit; & ibi Glos. verb. reū, ver. impubes. Facit & c. si testes. §. lege Iulia, & Glos ver. in testimoniū 4. q. 5. vbi dicitur, q. ad † testificādū in causis criminalibus requiritur ætas viginti annorū (quod est amplius) per l. in testimoniū, ff. de legib. ibi Aut qui minor viginti annis erit. Sed nō est tanta ætas requisita in ciuilibus, vt dicunt omnes vnanimiter Doctores super prædictā legē, & tradit Speculator titulo de teste, §. 1. n. 36. vers. & hæc in causa ciuili. Quin verò & in criminalibus in eo † qui iā proximus est pubertati minor ętas sufficit, cū à iure iam doli capax præsumatur, per textū in, §. in summa, inst. de oblig. quæ ex delicto nascuntur, & l. excipiuntur, ff. ad Silanian. Vnde ad testificandū tam in ciuilibus, quā in criminalibus, eiusmodi doli capaces admittūtur: possūtq; examinari, si non vt probent, saltim vt prosint ad indagādam veritatem, idque maximè in criminibus atrocibus, vt latissimè probat Iul. Clar. lib. 5. § fin. q 24. n. 17. verbo, vidi quādoq; dubitari, & Farinac. de testib. q. 58 à n. 15. cum seqq. Non defuere, qui dixerint, in criminalibus minorē 25. annorum à testimonio esse repellendum, quod voluit Baldus in l. seruus, C. de testib. ibi, vel in criminali minor, 25. annis, sed contraria sententia est verior, atque tenenda, per textum expressum in l. testimonium ff. de testibus. vbi in criminalibus testificationibus requiritur ætas annorum 20. non vero 25 nec Baldus in contrarium allegatus id ex professo dixit, sed obiter, & ad aliud propositum.

45 46

Supradicta omnia de impuberibus ad testimonium non admittendis, limitanda sunt vt non procedant † in crimine læsæ maiestatis, & similibus, in quibus needum minores 14. annorum, verum etiam omnes indistinctè admittuntur, & needum ad- 47

admittuntur, verum etiam coguntur, & interdum torquentur, per textum expressum in l. de minori in principio, ff. de quæstioni. dummodo ipsorum declaratio fiat cum authoritate suorum tutorum, siue curatorum, per l. claram, C. de authoritate præstanda. quin verò sine ipsa, vt volunt alij dicunt sic communiter obseruari in praxi. Limitanda sunt etiam superius dicta, vt non procedant,† quã
48 do dominus reperitur occisus in domo, & nescitur à quo: tunc enim ad perhibendam veritatem de nece Domini, omnes indistinctè de familia, etiam impuberes admittũtur, id quod & fecisse quam plurimum profuisse dicunt supradicti Iulius Clarus & Farinac. locis supra citatis & quod generaliter in defectum aliorum testium, & probationum, & quotiescumq; veritas aliter haberi non potest, omnes etiam minores 14. annorum admittuntur atque admitti debẽt in criminalibus. Sed an ipsorum dicta ad quęstionem siue torturã sufficiant, tradit Farinac. loco vbi sup. q. 58. à num. 32. cum seqq. à cuius tractatione, & multorum aliorum, quæ ibidem dicuntur, consulto supersedeo, vt breuitati studeam, & vt congruentiori loco, & tempore dicantur infra. Hæc quantum ad ætatem.

Sed quantum attinet ad sexum,
49 propter fœmineum † mulieres iure canonico repelluntur à dicendo testimonio in causis criminalibus (quidquid sit de ciuilibus: per c. mulierem 33 q. 5. Facit & c. forus cum Glossa, verb. fœmina. de verbor. signific. vbi dicitur quod varium, atq; mutabile testimonium semper producit fœmina: neque id mirum cũ ipsarum fœmineus sexus adeo voluntatẽ, emolliat: qua propter ipsas ad ferendũ testimoniũ, in idoneas sẽper iura dijudicarunt. Qua de re videatur etiam Glossa in c. quoniam de testibus, verbo, mulieres. & ibi Abbas n. 2. versu. de iure verò canonico & Felin. n. 1. versu: Secus in causa criminali, quod etiam tradit Speculator titulo de teste §. 1. n. 83. vers. secundum canones autem vbi dicit hanc esse opinionem communem, quamuis non desint,
qui defenderet† voluerint contrariũ, 50
& dicãt nec dum de iure ciuili, verũ etiam de iure canonico, mulieres admittendas esse ad ferendum testimonium, etiam in causis criminalibus. Quod probant siue probare contendunt, per l ex eo ff. de testibus, quam dicunt esse canonizatam per cap. ex eo 15. q. 3. ac proinde penes hoc nullam esse differentiã inter ius canonicum, & ciuile. Qua de re videndus est Felinus, in c. quoniam de testibus, nu. 1. in fine, & Glossa in c. 2. de iudicijs, lib. 6. verbo iure prohibente. vbi tenet expresse, quod de iure canonico mulier esse potest testis, in causa criminali criminaliter intentata, cum non sit magis prohibita in criminali, quam in ciuili: Sed tamen contraria sententia est verior, quam tenet Abbas in cap. quoniam de testibus, & refert illam Iulius Clarus lib. 5. §. fin. q. 24. nu. 2. 3. & 4. & Farinacius de testibus q. 59 à nu. 1. cum sequentibus, nempè quod licèt de iure ciuili in causis criminalibus, mulier ad testificãdum admittatur, de iure tamen canonico non admit-
titur, nisi in casu † quo veritas ali 51
ter haberi non potest, & in criminibus exceptis hæresis, læsæ maiestatis & simoniæ, & in illis casibus, in quibus etiam admittuntur infames: &
nec tunc ad faciẽdam † plenam pro 52
bationem, sed solum aliqualem præsumptionem, vel indiciũ ad torturã: de quibus omnibus videatur supra dictus Farinacius vbi supra, sed maximè nu. 4. vbi de mente Tyraquelli in legibus connubialibus, l. 9. nu. 49. dicit, fœminas, vt plurimum esse mendaces, fallaces, periuras dolosas, atque mutabiles: vnde & ipsarum

testimonium, in criminalibus caussis criminaliter intentatis, quam maximè, admittendum minimè esse, nisi in casibus supra præmemoratis, iuxta c. tanta. cap. per tuas. de simonia: quod etiam tradit Glossa in c. cum P. manconella. de accusat. & idem dicitur, in cap. in summa 2.q.7.c. forus de verbor. significat. in fine. in verbo. non fœmina, versic. tamen in criminibus exceptis. Facit Glossa etiam in cap. mulierem. 33. q. 5. verbo, nec testis. Addit tamen supradictus Farinac. mulieres in testes esse recipiendas ad reorum defensionem, & alicuius innocentiam probandam, quod probat multorum Doctorum authoritatibus, & alia multa dicit, de quibus in præsentiarum per tractare per tempus non licet, quæ proinde consulto facio missa. Videantur ibidem.

Quarta Conclusio.

Circa fortunam duo etiam in testibus cõsiderare possumus, quæ in efficax reddunt ipsorũ testimonium: nempe conditionem seruitutis, & aduersam paupertatem. Qua quidem ratione † serui, domestici & pauperes, iure repelluntur à ferendo testimonio in iudicio. De
53 seruis habetur, in cap. forus de verbor. signification. & in lege quoniã liberi. C. de testibus: & in authent. eodem tit. §. si vero dicatur: & l. pridem, C. de quæstor. & §. sed neque instit. de testam. & l. qui testam. §. seruus, ff. qui test. facere pos. Et de ipsis, & domesticis, in c. si testes. §. testes. 4. q. 3. c. in literis. de testib. c. super prudentia 14. q. 2. & Speculator tit. de teste. §. 1. nu. 1. verbo item quod est seruus: & versi. item excipitur, quod est domesticus, & plura alia in id ipsum adducit iuris canonici testimonia. Sed de iure ciuili statutum habetur id ipsum, in l. etiã. C. de test. & l. 1. §. ad quæstionem, ff. de quæst. idque cauit expressè Iurisconsultus, in l. testes eos. ff. de testib. canonizata per supradictum, c. si testes. §. testes. 4 q. 3. vbi sequentia notabilia verba dixit: testes eos quos accusator de domo sua produxit, interrogari non placuit. Ex quibus omnibus superque satis constat, † seruos 54
atque domesticos iure repelli à ferendo testimonio, tam in ciuilibus, quam in criminalibus, non solum de iure canonico, verum et & de ciuili. De quo videatur Farinac. de testib. q. 55. à nu. 1. cum seqq. & à nu. 166. cum sequentibus: sed præsertim nu. 4. 5. & 6. cum sequentibus, vbi multis tradit quinam sint, seu iure dicantur domestici: & quot sint domesticorum species, & concludendo de mente Baldi in c. in literis, de testib. n. 1. inquit, domesticos dici posse oẽs illos, qui (vt vulgo dicitur) viuunt in eadem domo, ad vnum panem & ad vnum vinum, quod etiam tenet Felinus in d. c. nu. 1. Quod tñ intelligendum est, dummodo cohabitatio prędicta sit continua, & cum aliqua inferioritate, vel superioritate (respectiuè:) nam in tali casu stando in iure tam canonico, quam ciuili, inferior pro suo superiori ferre non põt testimonium, cum ipsius domesticus ex cohabitatione habeatur, & reputetur. Secus aũt esset, si in cohabitatione esset aliquorum simul æqualitas: nam propterea non videretur quispiam à testificatione repellendus: nõ obstante quod ipse dici nõ posset, aut deberet testis omni exceptione maior, propter amicitiam, quæ ex prædicta cohabitatione, & continua conuersatione inducitur. Multa alia dicit adhoc propositum supradictus Farinacius, quæ referre per tempus non licet: de mercenarijs, præcipue conductis ad aliquas particulares operas (qui communiter laboratores vocãtur) an dici debeãt domesti i, & esse possint, vel non possint testes,

in

in fauorem illius, à quo sunt conducti. Et idem quærit de gestoribus, factoribus, institutoribus, & alijs quocumq; nomine nuncupentur: sed cõcludendo asserit (vt dictum est) in iure canonico, & ciuili seruos, atq; domesticos supradictos, ad testificandum minimè esse admittendos, † etiam cum tormentis præstitis ad purgandam ipsorum inhabilitatē (quidquid alij dicant) idq; generaliter esse tenendum, & practicandum, non solum in ciuilibus, verum etiā & multo magis in criminalibus, in quibus (vt notum est) testes requiruntur magis idonei, & probationes (vt dicitur) dēnt esse luce meridiana clariores, & hanc esse dicit opinionem communem omnium Doctorum, qui tractant hac de re generaliter, atque indistinctè loquuntur de omni causa, tam ciuili, quam criminali: & si prædictæ generali regulæ inferius aliquas apponat limitationes, & modificationes, quarum est potissima, vt nō procedat, aut locum habeat, † in casu, quo veritas aliter, quam per supradictos seruos, atque domesticos haberi minimè posset: seu ipsi de re de qua agitur magis essent informati quam extranei: tūc enim (inquit) admittendi sunt, similiter & ad testificandum, de factis, & delictis aliqua in domo de nocte patratis. Nam cū hæc sint difficilis probationis propter nocturni temporis qualitatem: in his serui, atque domestici multo magis sunt admittendi, quam extranei. Circa quod plures refert casus, quos breuitatis causa missos facio, & in his casibus dicit, quod sunt testes integrę fidei, seu vt dicitur omni exceptione maiores, & præferendi alijs non seruis, aut domesticis, quatenus de illis præsumitur, quod maiorem habebunt notitiam, & magis sunt informati. Videatur vbi sup. nu. 50. & 51. cum sequentibus, quamuis postea se limitat, & dicit hoc esse verum solummodo in prædictis casibus: nam communiter, & regulariter loquendo testes aliàs inhabiles si ob aliquam causam recipiantur, non plenam faciunt probationem, nec reputantur integræ fidei, aut omni exceptione maiores, vt dicit Antonius Gomez tomo 3. de delictis c. 12. nu. 23. & Iulius Clarus lib. 5. §. fin. q. 24. nu. 20. verbo item serues.

55

56

57 Non etiam procedit neque † habet locum prędicta generalis regula, de seruis, aut domesticis ad testimonium nō admittendis, in casibus exceptis, vt in crimine hæresis, & læsæ maiestatis, cum similibus, nam in his non solum ad testificandum admittuntur, verum etiam & coguntur cogi, & compelli possunt cum prædicta crimina vt plurimum in secreto, & occulto committi soleant, ac proinde melius per seruos & domesticos, quā per alios probari possint. Nec solum in huiusmodi casibus admittuntur ad inquirendā, indagādā, seu cōprobandam veritatem, verum ēt & in defensionem ipsius rei inquisiti, vt satis constat ex c. literas de præsumptio. vbi quidam frater admissus est ad ferendum testimonium in crimine hæresis, ad purgationem alterius fratris: verum licèt sit quod in huiusmodi casibus semper dictum testis serui, aut domestici pro suo Domino, suspectū habetur, & diminuitur de ipsius fide ob affectionem quam iure præsumitur habere ad ipsum. Hæc quoad seruos & domesticos, in quibus seruitutis conditio annexum habet dominationis timorem, qui planè obstat perfectæ libertati, ac proindè iure habentur suspecti, nisi in supradictis casibus, & cum prædictis conditionibus, & limitationibus repelluntur à ferendo testimonio. Quæ omnia propter † similitudinem rationis extendi possunt & ad familiares: de quibus videatur prędictus Farinacius loco vbi sup. à num. 117. 58

cum sequentibus, vbi ab hac generali regula aliquas affert limitationes, & modificationes, & infra à nu. 181. cum sequentibus latissimè agit, an subditi & vassali esse possint testes, à quorum tractatione consulto supersedeo, quia aliud per tempus non licèt, & à nu. 213. cum seqq. quęrit idē de Colonis. Inquilinis & Emphiteutis, quomodo & in quibus casibus testimonium ferre possunt pro suis dominis, videatur ibidem.

Sed veniamus modò ad pauperes, in quibus (vt videtur) eadem omninò militat ratio: quod etiam ipsi ad testificandum non debeant admitti. Et de iure canonico id ipsum habetur, in c. si testes §. testium fides. 4. q. 3. vbi canonizata reperitur, l. 3. in principio, ff. de testib. ibi. an locuples sit vel egens, qua dicitur aut saltim insinuatur, quod testis pauper non est idoneus, & integer, vel vt alij volunt omni exceptione maior: quin verò ei multū de fide diminuitur. Pro quo etiam facit c. in primis 2. q. 1. verb. sed & de personis: ibi, an ne inopes sint. Quibus iuribus innixus Baldus in ca. si testium de testibus n. 1. vers. si autem nullius est famę dixit, quod non est idoneus testis, qui egestate laborat: pro quo allegat legem qui satisdare, ff. de fideiussorib. l. si creditores. ff. de priuileg. creditor. l. si verò, §. 1. ff. qui satisdare cogantur. Et licèt nonnulli dicant propter solam paupertatem testi non esse de fide minuendum, contrarium tamen multum est verius, iuri ac rationi conformius, & à Doctoribus communiter tenetur, per supradictam, l. 3. in principio ff. de testib. ibi, vt lucri causa quid facile admittat. Per quem textum omnes communiter Doctores dicunt exoriri in teste ex paupertate mendacij & corruptionis praesumptionem, quod tenet glossa in d. l. 3. verb. egens, & Glossa etiam in c. si testes. §. testium fidei. verbo locuples. 4. q. 3. vbi & ad hoc propositum refert dictum Salomonis, Prouerb. 30. Paupertatem ne dederis mihi, ne fortè egestate compulsus furer, aut periurem nomen Dei mei. Licèt enim pauperes quandoque ita vera testificentur, ac Diuites frequentius tamen accidit quod pauperes corrumpantur, quam diuites; ideoque Iurisconsultus dum testi pauperi fidem diminuit, respexit ad id quod communiter accidit, non verò ad id quod rarò. Quod quidam in tantum verum esse credunt, vt dicāt pauperem, nec dum esse testem integrae fidei, idoneum, omnique exceptione maiorem, verum & omninò à testimonio repellendum, & si admittatur quod nihil omninò probet: quod probant per textum in supradicta, l. 3. ff. de testib. & Glossa ibidē, verb. egens. & supradict. c. si testes. §. testium fides, verb. locuples. 4. q. 3. pro qua sua sententia plura etiam adducuntur iura, & rationes. Sed alij contrarium omninò † tenent, & dicunt propter solam paupertatem non esse quempiam à testimonio repellendum, nisi aliàs sua sit persona suspecta, & vilis, quod tenet Abbas, in c. si quis testium, de testib. nu. 8. vers. puto autem testem admittendum, cum quo concordant plures alij Doctores, quos breuitatis causa facio missos, qui etiam in suam sententiam plura adducunt iura, & rationes. De qua controuersia videndus est latissimè Farinacius de testibus, quęst. 57. à num. 4. cum sequentibus. Sed tandem nu 14. concludendo dicit, à suprapofita regula haudquaquam esse recedendum, & pauperem ob solam paupertatem à testificando non repelli, sed tantum ei de fide diminui in causis ciuilibus. Sed quid in causis criminalibus? Ad hāc difficultatem quidam dicunt, quod in causis criminalib. † pauperes non solum nō reputantur à Doctoribus 60

testes

teſtes integræ fidei, idonei, & omni exceptione maiores, verum & tenentur & exiſtimantur vt teſtes omninò inhabiles, & non admittendos eſſe dicunt. Quod probant per legem nonnulli, C. de accuſationibus, vbi propter paupertatem quiſpiam repellitur ab accuſando: multò ergo magis (inquiunt) à teſtificando, cum teſtificatio maioris ſit præiudicij, quam accuſatio: non enim iudex ſententiam profert, ſecundum porrectam accuſationem, ſed ſecundum allegata, & probata, iuxta l. qui accuſare, C. de edendo. In hac tanta contrarietate, & Doctorum differentia, quam maximè mihi placet, & ſatisfacit diſtinctio, quam adducit Iulius Clarus, lib. 5. §. fin. q. 24. num. 11. verſ. quæro etiam, nunquid pauperes admittantur ad teſtificandum in cauſa criminali: vbi reſpondet, multi dicunt quod non, & eam dicunt eſſe opinionem communẽ: tu
62 tñ intellige vt id procedat † in paupere, & perſona turpi ſeu vili; ſecus eſt autem ſi ſit perſona honeſtæ vitæ, bonæ conditionis & famæ, pro quo allegat ſe ipſum ibidem, q. 14. num. 19. vbi idem omninò dixit agendo de accuſatione, allegando in id Gloſſam in l. nonnulli, ff. de accuſationibus, & Beroium in cap. 1. eod. tit. de accuſationibus, num. 54. vbi dicit ab hac opinione non eſſe recedendum, neque in conſulendo, neque in iudicando. Hæc eſt Iulij Clari reſolutio.
63 Sed quiſnam in hoc caſu † dicatur pauper? reſpondet prædictus Iulius Clarus, penes hoc ſtandum eſſe iudicis arbitrio, vt alias dixit. lib. 2. §. pauper. Sed hoc haudquaquam multum placet Farinacio vbi ſupra, nu. 65. cum ſequentibus, & in explicando, & declarãdo ad hoc propoſitum quinam pauperes dicantur, multum inſumit temporis, quod etiam facit in explicando quænam perſonæ ad idem propoſitum dicantur viles, & an dictæ perſonæ pauperes & viles in id ipſum cum tormentis, aut ſine illis admitti debeant: circa quod plures refert Doctorum opiniones, quod cum ipſe facilè etiam poſſem efficere, conſulto ab illis ſuperſedeo, propter breuitatem, cui tantopere ſtudeo, poterunt videri ibidem. Et ego concludendo dico, in his omnibus ſtandum eſſe iudicis arbitrio, vt dicit Iulius Clarus, in ſupradicto libro 5 §. fin. quæſt. 25. numero 8 verſic. ſed quæro nunquid vilis perſona? vbi dicit ſupradicta omnia relinquenda eſſe in iudicis arbitrio, qui iuxta perſonarum qualitatem, & facti, arbitrari poterit; an tales teſtes debeant torqueri, vel non, & in omnem caſum (inquit) eiuſmodi teſtibus non eſſe tantam fidem adhibendam, ac alijs. De quo videatur etiam ſupradictus Farinacius loco vbi ſupra à dicto numero 65. cum ſeqq. latiſſimè, & numero 86. cum ſeqq. vbi plura alia dicit ad propoſitum de probanda teſtis paupertate ab eo, qui illam allegat, ac pro exceptione ponit, quæ cum per tempus referre non licet, videantur etiam ibidem.

Quinta Concluſio.

CIrca animum duo etiam in teſtibus conſiderari poſſunt, ob quorum defectum, ad teſtificandum inidonei plurimi reputantur: hæc ſunt; intellectus, & affectus. Ob defectum intellectus, repelluntur à ferendo teſtimonio in iudicio, † Amentes, & mentecapti, ſimi- 64
liter & furioſi, & qui plenum non habent rationis vſum per c. 1. §. tria, 3. q. 7. Facit & ca. præterea, de teſtib. qua de re videndus eſt Specul. tit. de teſte § 1. n. 32. verſ item quod nõ eſt talis, & nu. 68. verſ. item quod eſt furioſus. Sed ſpecialiter videatur Farin. de teſtib. q. 61. à nu. 1. cum ſeqq. vbi

vbi in id ipsum plures affert rationes & Doctorū auctoritates, ampliando supradictam generalem regulam, & afferēdo postea ei aliquas limitationes, & numer. 19. cum sequent. eandem obiectionem opponi etiam posse dicit contra testem † cæcum, qui
65 regulariter loquendo à testimonio repellitur, pro quo allegat Felinū in ca. præterea de testibus nu. 5. vers. & idem puto dicēdum in cæco, & quãuis contrarium teneat Specul. tit. de teste §. 1. nu. 56. dicens, quod cæcus non repellitur, quin verò ad testificandum debet admitti, cum in specie iure non reperiatur prohibitus: sententia tamen Felini videtur verior, ac rationabilior, & eam tenent omnes Doctores, tam Legistæ, quam Canonistæ communiter, quia (inquiunt) solus auditus in teste ad testimoniū ferendum non sufficit, sed requiritur præsentia, & visus, per c. testes, 3. q. 9. & l testium, C. de testib. & ca. cum causam eod. tit. Vnde cum, quia non vident cęci, videntes, & pręsentes dici non possint, iuxta l. coram Titio, ff. de verb. sig. & l. 1. in fi. ff. de authorita. & consen. tut. & curator. manifestè concluditur, quod supradicti cęci, testes non possint esse. Qua de re videatur prædictus Farinacius, vbi in id ipsum aliquas adducit ampliationes, & limitationes quas ob tēporis breuitatem referre non licet, eamdemque ob causam supersedeo, à tractatione eius, quod quærit vlterius à nu. 5. an muti † & surdi ad te-
66 stimonium ferendum sint admittendi? de quo videatur ibidem à nu. 36. cum seqq. latissimè, vbi ponit in cōtrarium regulam, cuius & rationem reddit exactissimam, & in id ipsum plures adducit rationes atq; DD. auctoritates: primò ampliando & postmodum limitando etiam ipsam, & dicendo qualiter muti & surdi prædicti examinari debeant, in casu quo recipiantur, videantur ibidem: nam & reperire licebit plura notatu dignissima.

Ob defectum affectus, & bonam, aut malam præsumptam voluntatē, excluduntur † à ferendo testimonio: 67
omnes illi, de quibus iure potest pręsumi, quod habeant amorē, siue concupiscentiam, odium aut irā, vt puta amici, seu inimici, parentes, & consanguinei, & quilibet in re propria, de quibus omnibus iure pręsumitur quod prę amore odio, siue inimicitiā non veritatem dicent. De his in cōi habetur in c. si testes. §. testiū fides 4. q. 3. vbi dicitur testes legitimi quales esse debeant, idē habetur in authen. de testibus, §. sācimus, & l testis idoneus, ff. de testibus, l. parentes, & l. eos, C. eo. tit. & Facit c. Romana de testibus, lib. 6. & c. quoties, eo. tit. vbi testes iurare coguntur, quod non priuato odio, amore, siue amicitia, aut aliquo peculiari cōmodo mouētur. Ex quo textu plane colligitur, quod prædicta omnia testibus obstant, illosq; remouent à ferēdo testimonio, aliàs. n. non id ipsum ibidem iurare præciperentur. Quibus concinit id, quod dicit Spec. tit. de teste, §. 1. vbi ait opponi posse testibus, quod amore, odio, amicitia, siue inimicitia, timore, seu aliquo particulari cōmodo depulsi fuerunt, pro quo allegat supradictum cap. quoties, & cap. cum contra, & sequenti, de testib. cogend. cap. si testes, §. testium fides 4. quæst. 3. & supradictam l. eos, C. de testib. Idem omninò tenet Panor. in d. ca. quoties, verb. priuato odio, vbi notat, & ponderat, quod quamuis odium priuatum excludat à ferendo testimonio, non tamen publicum, & vocat publicum, cum quispiam odio habetur, quia peccator: nam peccatores (inquit) licitè odio habemus, iuxta illud Psalmi 118. Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi, & alibi; odisti omnes, qui operantur iniquitatem: pro quo allegat, ca. odio, dist.

dist. 86. quod multum est notādum,
ac memoriæ commendandum. Cum
prædictis omnib. concordat ēt Felin.
in supradicto, c. quoties. vbi & de a-
micitia, & de inimicitia dicit plura,
eaq; notatu dignissima, quæ breuita-
tis causa facio missa, cū possint videri
ibidē. Sed hac de re videatur specia-
liter latissimè Farin. de testib. q. 55.
à nu. 131. cum seq. vbi proposita quę
68 stione, vtrum amici † testimonium
in fauorem sui amici prolatum sit
recipiendum, & qualem de iure fa-
ciat probationem, & fidem, refert
sex doctorum opiniones, quarum est
prima. Quod amicus à testificando
repellitur. Secunda huic contraria,
quod amicus ex sola amicitia non est
repellendus. Tertia quod, & si à te-
stificando non repellatur; ad minus
tamen non est testis integræ fidei,
aut omni exceptione maior, nec se-
miplenam proinde facere probatio-
nem. Quarta opinio est, vt maxima
amicitia testem omninò repellat à
testificando, nō autem leuis. Quinta
est huic cōtraria, & dicit quod quā-
tumuis amicitia sit maxima, non te-
stem repellit à testificando, sed tan-
tum de fide diminuit: quod etiam di
cit etiam si amicitia sit leuis, nam
adhuc de fide diminuitur secundū
amicitiæ qualitatem. Sexta & vlti-
ma opinio dicit, iudicis arbitrio esse
relinquendum, quæ sit amicitia re-
pellens testem, quę vero non: & si-
militer quantum ei de fide sit adhi-
bendum, aut diminuendum. Quo-
69 rum omnium † vera resolutio secū-
dum supradictū Farin. est, q amici-
tia siue sit maxima, siue vero leuis,
nunquam in totū testē repellit à te-
stificando: admissus tamen non est
integræ fidei, seu quod dicitur omni
exceptione maior: quia semper illi
de fide diminuitur, iuxta qualitatem
amicitiæ, arbitrio iudicis considerā-
dā, quod ponit pro generali regula.
Limitat tamen eam, & dicit nō pro-
cedere, qñ nō agitur † de cōmodo, [illegible] 70
[illegible] incōmodo amici, nā tu[illegible]
erit testis integer. Secundo limitat eā
in testibus † instrumentarijs, quia & 71
si amici contrahentium sint, reputā-
tur tamen idonei, & integræ fidei.
Tertio limitat supradictam genera-
lem regulam, quando testimonium
testis amici suppletur, & coadiuua-
tur ex testimonio aliorum contestiū,
nō amicorum. Quartò limitat eam,
quia pariter amici testimonium sup-
pletur ex numero testium, ita [illegible]
alias duo testes amici non plenè pro-
barent, probent si sint tres, aut plu-
res amici: quæ quidem omnia quam
maxima sunt consideratione digna.
Quibus postea aliquas apponit subli
mitationes, quas breuitati studens
facio missas. Quarum est potissima,
quod vbi aliter veritas haberi non
potest, amicus à testificando non re-
pellitur. Et addit quod ad hoc vt
propter amicitiam à testificando
quispiam repellatur, probāda est nō
solum amicitia, verum etiam amici-
tiæ qualitas: & quamuis quis inter-
rogatus respondeat amicum se esse
producentis, sicut & alterius com-
muniter, & etiā si id dicat simplici-
ter: quod non per id erit à testimonio
repellendus: & tandem vltimo con-
cludit, quod si quis scire voluerit, an
& quando † amicitia præsumatur, 72
modo, & per quem ea probanda sit,
consulat Mascardum de probat. lib.
1. concl. 85. per totam, & Ectorem
Emileum, in tractatu de testibus,
versic. testis amicitiam deponens, vel
probans, à nu. 1. cum seqq. vbi tota
hæc materia explicatur generaliter
& particulariter.

His de amicitia sic dictis, deuenia-
mus modo ad inimicitiam, & scia-
mus quando ipsa testem à testimo-
nio repellat? Qua de re videatur
etiam supradictus Farinac. de testib.
q. 53. à nu. 1. cum seqq. sed specialiter
num. 3. vbi constituit generalem re-
gulam

73 gulam, quod inimicus † semper à testimonio ferendo repellitur, vt volunt omnia tam ciuilia, quam canonica iura, pro quo allegat l. 3. de testib. an inimicus sit aduersum quem testimonium fert. & ibi glossa & DD. communiter. & in l. 1. §. praeterea ff. de quęstionib. & §. si verò quis dicat, auth. de testibus, colla. 7. auth. si testis productus. C. de testib. l. si quis testibus. C. eod. tit. & in iure canonico habetur id ipsum, in c. repellantur de accusat. & c. cum P. mancorella, cap. meminimus, c. cum oporteat. eod. tit. Facit & c. accusatores el 1. cum duobus sequentibus 3. q. 5. & c. omnes ead. causa, & quaestione, & tradit illud Bart. in l. filius familias. ff. de donationib nu. 6. & in l. in quaestio. ff. ad l. Iul. dicit id esse

74 intelligendum † etiam in criminibus exceptis, haeresis, laesae maiestatis, & alijs similibus, & delictis, nam in his omnibus inimici non admittuntur in testes, quod probat per c. per tuas de simonia, & idem tenet Speculator tit. de accusationib. §. 1. in fine. estque omnium Doctorum opinio commmunis, quod inimicus repellitur à testimonio ferendo, etiam in casibus vbi alias inhabiles admittuntur. Qua etiam de re specialiter videndus est. Anton. Gom. tom. 3. variar. resol. ca. 12. de probat. delictorum. num. 14. vers. & in tãtum hoc est verum, & Iulius Clarus, lib. 5. §. fin. quaestio. 24. num. 5. vers. item quaero, qui omnes dicunt eam esse opinionem communem. Et addo, quod licet in criminibus exceptis, & causis priuilegiatis, videlicet in delictis & factis occultis, ac difficilis probationis, & vbi alias veritas haberi nõ põt: testes inhabiles admittãtur, iuxta l. cõsensu. C. de repud. & l. non omnes. §. à barbaris, ff. de re mil. cum alijs allegatis à praedicto Anton. Gomez. loco vbi sup. vbi tamen inhabilitas respicit odium, siue inimicitiã testis, repellendum est ipsius, testimonium, etiã in casibus supradictis: nec recipi potest à iudice etiam habẽte amplum, & liberum arbitrium, secundum Bartolum in supradicta l. filiusfam. ff. de probat. n. 6. quod etiam tenet Bal. & Doct. quam plurimi. Quod & in tantum dicunt esse verum, vt nec Princeps † ipse facere possit, vt 75
inimici testimonio sit credendum, cuius ratio est: nam inimici testimonium repelli, necdum esse dicunt de iure gentium, verum etiam & de iure naturali, quod probant per c. suspectos. 3. q. 5. Quibus omnibus addo, quod inhabilitas inimici testis, † nec etiam per torturam potest suppleri, nec inimico est credendum, 76
etiam constituto in mortis articulo, & etiam si deponat statim post sumptum sanctissimum Sacramentum. Quod multorum Doctorum authoritatibus cõprobat supradictus Farinac. loco vbi sup. nu. 11. & in sequẽti, n. 12. cum seqq. dicit inimici testimonium non † solum non probare 77
plenè, verum etiam nec semiplenè: nec indicium, aut praesumptionem aliquam facere, aut sufficere ad inquirendum, nec ad torturam: & in tantum inimicum repellendum fore à ferẽdo testimonio, vt si pars aduersa citata ad videndum examinari testes, illis opponat exceptionem capitalis inimicitiae, & se offerat statim illam probaturus: praedictum examen debet differri, nec testes recipi, nisi prius iudicatum fuerit de inimicitia, quando causa est criminalis. Si verò fuerit ciuilis, vel opponatur de inimicitia non capitali, in eo casu (inquit) examen non differtur, sed testes recipiuntur, & ad finẽ litis reseruatur disputatio, an eiusmodi testes inimici erant recipiendi, & quam fidem debeãt facere: quod tenent omnes DD. communiter, per textum in authe. de testibus. §. si ve-

rò

rò quis dicat odiosum, quod etiam tradit Iulius Clarus loco vbi supra. Et Farinac. etiam loco vbi supra à num. 17. cum seq. dicit supradictam generalem regulam procedere, & obseruandam esse, etiam si inimicitia causata fuerit ex facto, vel culpa illius, contra quem producitur testis: nam adhuc (inquit) inimici testimonium non est recipiendum, nisi ipsa fuerit affectata, & procurata, ad effectum repellendi ipsum testem.
78 Addit etiam inimicum † esse repellendum à testificando, etiam si inimicitia processerit, ortumq; habuerit à causa minus probabili: nam (inquit) ad contrahendam inimicitiam, non attenditur an præcesserit causa iusta, vel iniusta, sed an ex ea quis se ad odium commouerit, iuxta c. non est crudelis, 23. quæst. 5. & inimicitia oritur non solum ex facto honesto, verumetiam, & inhonesto, iuxta l. 1. ff. de ijs quibus vt indigni, & glossam in l. sororem, C. eod. tit. Addit etiam prædictus Farinacius inimicũ repellendum esse à dicendo testimonio, etiam si de inimicitia non appareat, dummodo adsint eiusdem causæ: quod probat authoritate multorum Doctorum: sed præcipuè supradicti Antonij Gom. tom. 3. c. 12. de probatione delictorum num. 14. versic. Et adde valde notabiliter. Et in tantum (inquit) est verum, quod si testis reuera inimicus à testificando non repellatur, examinatus nullam prorsus faciat fidem, etiam si asserat se esse amicum illius, contra quẽ testificatur: qua de re videatur loco vbi sup. à num. 12. cum seqq. vbi dicit supradictam generalem regulam procedere, non solum in inimico verò, verumetiam in præsumpto, & suspecto, atque etiam occulto, nam & is repellendus est à ferendo testimonio: pro quo citat Felinum in supradicto ca quoties, de testibus, id quod & tradit Bar. in l. 1. in fi. ff. de ijs, quibus vt indig. estq; id intelligendum, etiam si post inimicitiam reconciliatio fuerit subsecuta, per c. accusatores el 1. 3. q. 5. & c. qui crimen 6. q. 1. qua de re videatur etiam Iulius Clar. vbi sup. q. 24. nu. 6. vers. sed quid si secuta sit reconciliatio. Multa alia dicit Farinacius ad hoc propositum, quæ per tempus referre non licet: sed præsertim num. 33. cum sequentib. ampliat supradictam generalem regulã vt se extendat non solum ad inimicum, verumetiam & ad inimici consanguineos. Nã vt habetur in l athlete, §. dat remissionem, ff. de suspectis tutorib. consanguineus inimici mei, etiam dicitur inimicus meus: ẽt si consanguinitas proueniat ex linea transuersali, necdum ex linea ascendente, vel descendente, quod etiã tenet Iulius Clarus loco vbi sup. q. 24. nu. 12. versic. Quæro modo, nũquid in causis criminalibus affinis repellatur à ferendo testimonio, & r̃ndet quod sic, dicẽdo omnia superius dicta, & extendendo ipsa vsq; ad quartum affinitatis gradum. Videatur ibidem. Facit & ad hoc, cap. 1. 3. q. 5. vbi consanguinei † accusatoris, & fa 79
miliares, & de domo inimici prodeũtes, ad testimonium ferendum non admittuntur. Facit & ca. accusatores el 2. & ca. accusatoribus el 3. eadem causa & q. & ca. cum oporteat de accusat. quod etiam intelligendum est de quomodolibet suspectis, per c. suspectos, 3. q. 5. & c. testes 2. q. 7. Qualis, & quãta esse debeat eiusmodi inimicitia, quæ testem repellat à testificando, tradit Iulius Clarus loco vbi supra num. 5. verbo item quæro, & videatur Farinacius in prædicta qu. 53. à nu. 36. cum seqq. vsque in finẽ, & q. 54 à num. 1. cum seqq. vbi latissimè agit de coniunctis † per affinitatem, vel sanguinem an & quando 80
à testificando repellantur, seu admittantur, & admissi, quã faciant fidẽ. Et à nu. 84. cũ seq. quærit an frater

pro

pro fratre in teste adductus admittatur, & admissus, quam faciat probationem & fidem, tam in ciuilibus quã in criminalibus. A nu.etiã 145. cum seqq. agit de parentibus pro filijs & è contra, an recipiantur in testes, & recepti quam etiam faciant fidem. Quod similiter quærit à nu. 210. cum seqq. de marito pro vxore, & è contra, an possint testificari, & de ipsorum probatione. Et tandem vltimo quæst.60. à num.1. cum seq. latissimè quærit, & tractat, an quispiam testis esse possit in sua propria causa, in qua habet interesse, vel cõmodum, quæ quidem omnia cũ facilè possem referre, quia longissima sunt, & à meo proposito aliena: breuitatis causa facio missa, videantur ibidem, non enim vacat per tempus in tam breui compendio tot, ac tanta dicere.

Sexta Conclusio.

CIrca statum semper etiam iura considerarunt æmulationem continuam, quæ versatur vt plurimum inter statum laicorum, & clericorum: quam quidem
81 ob causam laici † respectu clericorum, & clerici respectu laicorũ, minus idonei iudicantur ad ferendum testimonium. Loquendo de laicis habetur idipsum in ca.1.2. & 3. 2.q.7. & c.beatus, c.sacerdotes, 6.q.1. c.3. 11.q.1.cap.de cætero, de testib. cap. cum P. manconella, de accusa. Quibus omnibus in locis dicitur laicis non esse licitum clericos accusare, aut contra ipsos testimonium ferre. Et quamuis in aliquibus eorum de testimonio expressa mentio non habeatur, parum refert, nam eadem est vtriusque ratio, & secundum ius cõ-
82 mune † omnes prohibiti clericos accusare, prohibentur etiam, & in causa criminaliter mota contra eosdem testimonium ferre. Quod satis colligitur ex ca.ipsi Apostoli cum glossa, 2.quęst 3 vbi accusatio, testimoniũ, & ordo æquiparantur: ac dicitur, quod pari passu ambulãt, ita vt quicunque non admittitur ad vnũ, nec admitti debeat ad aliud. Quod etiã tenet Glossa in cap. fin de testib. vbi eadem omnino verba expressè habentur. Idem dicit Speculator, li. 3. tit.de accusatione, §.tertio videndũ. verbo, nota, & Panormit. in ca. licet Hely de simonia, verbo, vltimo collige, vbi habentur sequentia notabilia verba. Vltimo collige, quod facilius quandoque admittitur accusator, quam testis: nam in accusatoribus non est tantum præiudicium, atque in testibus, quia crimina non probantur per accusatores, sed per testes, quod est multum notandum, atque memoriæ commendandum. Vt fiat perspicuum, quod qui iure repellitur ab accusatione, multo melius ac potiori ratione repelli debet à testificando, cum condemnatio ex testium depositione sequatur: non verò ex accusatore, siue accusatione tantum per semetipsam considerata. Vnde & de iure ciuili loquendo, cautum non reperitur, quod inimicus non possit accusare, sic autem quod non possit testificari, per auth. si dicatur, C. de testib. quod etiam est multum notandum ac memoriæ commendandum. Supra dicta generali Regula de non admittendis laicis ad testimonium † ferendum 83
contra clericos, extenditur etiam ad clericos primæ tonsuræ, per cap. de cætero de testib. verbo, clericum. & cap. clericos, verbo Psalmistas, dist. 21. quòd tenet Felin. in dict. cap. de cætero afferens in id capit. sicut Sacerdotis 2. quæstio.7. de quo videatur Farinacius de testib.q.61.n.101.

Aduertendum est tamen ea, quæ prædicta sunt de laicis, nempe quod prohibentur iure clericos accusare, & multo magis cõtra eos testificari: intel-

84 intelligenda esse, † nisi in casu quo suam vel suorum prosequātur iniuriam, vt habetur expressè in supradicto, ca. de cætero de testib. vbi dicitur quod nec tunc ad testimoniū, sed ad accusationem tantum possunt admitti. Sed quia hæc maiori indigent explicatione quam maxime aduertere atq; notare oportet, verba Glossa in c. cum P. manconella de accusatio. verbo laicos, vbi de his agendo, sequentia verba habentur. Nota quod laici ad accusationem, vel testimonium clericorum non sūt admittendi: & hoc regulare est, nisi suam vel suorum prosequantur iniuriam, iuxta c. omnibus 4. q. 6. nec tunc ad testimonium, quia in facto suo nemo est idoneus testis, iuxta c. de cætero, de testib. & ca. prohibentur. 2. q 1. & §. item omnibus. 4. q. 3.

85 Quod est † verū, nisi in criminibus exceptis, vt in crimine symoniæ, hæresis, & læsæ maiestatis, iuxta c. tanta de symonia, c. Sacerdotes, & c. oues 2. q. 5. c. sanæ. 15. q 3. l. si quemquā. C. de episcopis & cleric. quia in his casibus, & consimilibus admittuntur laici, si bono zelo, & non odio procedant: quia tunc nec ad accusandum, nec ad testificandum admittuntur: iuxta c. licet Hely & c. per tuas de symonia, & c meminimus, c. cum oporteat, de accus. nam inimici in nullo casu admittuntur: laici autem bonæ famæ in huiusmodi exceptis criminibus admittuntur. Sed si sint malæ famæ, & personæ viles, tunc distinguendum est: nam si clericus super eo crimine sit diffamatus, & malæ opinionis, admittendi sunt: si verò bonæ famæ, & opinionis, non admittuntur: vt satis colligitur, ex c. in primis. ad fin. 2. q. 1. & c. tanta, c. per tuas, de simonia. Quæ omnia intelligenda sunt exceptis cōspiratoribus & inimicis (vt dixi) & etiam, excipitur particeps criminis, per c. veniens, de testibus & testibus vilibus sine corporali tormento credi non debet, per dictum c in primis 2 q. 1. ad fin Sed accusator non torquetur, iuxta c. 3. §. si autem ea res. 4 q. 3. Hæc in supradicta glossa, quæ quam maxima sunt consideratione digna. Ex qua sequentes conclusiones licet colligere. Prima quod laici in accusationem vel testimonium clericorum non sunt admittēdi, nisi suam, vel suorum prosequātur iniuriam, & nec tunc ad testimonium, sed ad accusationem tantum. Secūda quod laici admittuntur ad ferendum testimonium in criminibus exceptis, simoniæ, hæresis, & læsæ maiestatis, & tunc si bono zelo & non ex odio procedant, non verò aliter, sed in his obseruandum est, quod dicit supradicta Glossa. Tertia supradicta omnia intelligenda sunt exceptis conspiratoribus & inimicis & participibus criminis. Quarta quod testes laici si sunt personæ viles, ad testificandū contra clericos sine corporali tormento nō admittuntur, nec credi eis debet, quamuis ipsorum accusator etiam laicus non torqueatur. Hæc ex supradicta glossa.

Sed Panormitanus in c de cętero, de testibus, ad supradictam generalem regulam qua dictum est laicus ad testificandum contra clericos in causa criminali criminaliter mota (nisi in criminibus exceptis) non esse admittēdos, nec sua dicta etiam si plurimi sint plenam facere probationem, regulariter loquendo, aliquod apponit modificationes & limitationes. Et primo dicit, quod licèt id ipsum verum sit, ipsorum tamen † testificationes, quam maximum faciunt indicium ad torturam, & ad hoc, vt si de facto recipiantur, puniri possint clerici ipsi aliqua pęna extraordinaria: quod probat argumento deducto, ex l. capite quinto, cum ibi annotatis per Bart. ff. de adulter. & Glossam ibi. & l. quæro in fine, ff. de 86

ædili-

a dilitio a dicto, quod etiam tradit, in cap. 1. de probationibus, & idem dicit sentire Innocentium, in cap. quoniam eodem titulo. In quo cum Panormitano concordat Felinus, in eodem cap. de cætero de testibus, allegando eumdem Abbatem, & omnia iura ab eo adducta & allegata, & Bartolum, in l. fin. in fine. ff. de in litem iurando, vbi dicit quod quando priuilegiata probatio plenè non probat in ciuilibus, facit indicium ad torturam in criminalibus: cum ergo inquit in ciuilibus laicorum testimonium plenè non probet contra clericum: manifestum est quod saltim facit indicium in criminalibus, ad hoc vt clericus ipsæ torturæ subijciatur, seu aliqua pœna extraordinaria puniatur. Quo intelligendum est, si laici examinati contra clericum sint plures, secus autem esset, si esset tantum vnus, vt benè aduertit & probat Farinac. de testibus, quæstion. 61. num. 111. Secundò limitat Panormitanus prædictus, regulam generalem superius dictam de non admittendis laicis ad testimonium contra clericos: adhoc vt non proce-
87 dat quando † clerici alicuius crimen fuerit notorium: nam in tali casu (inquit) admittendi sunt ad ferendum testimonium supernotorietate: quod probat, per cap. dilectus de pur gatione canonica, & cum eo paucis mutatis consentit omninò Felinus, in dicto cap. de cætero, de testibus, addendo quod in delictis notorijs non requiritur ordo iuris, per cap. ad nostram, el terzo de iure iurando: & adducit se Antonium & Ioannem Andream, in cap. tam literis de testibus, qui dicunt laicos idoneos testes reputari, ad probandam famam, seu potius infamiam contra clericum. Cum quibus omnibus consentit Farinacius loco, vbi supra, num. 118. & 119. limitat. 8. & 9. plures in id allegando Doctores.

Tertiò limitat Panormitan. supradictus, regulam, generalem prædictam, ad hoc vt procedat in casu † quo delictum, de quo clericus accusatur fuerit commissum 88
in loco, quo esset clericorum copia: etenim (inquit) si fuisset commissũ vbi vnus tantum esset clericus, tunc ne delictum maneat impunitum, & clericis detur ansa delinquendi, benè possunt recipi testes sæculares, & laici, cum aliter delictum probari non possit. Non enim (inquit) eiusmodi priuilegium, quod laici non possint testificari contra clericos, concessum fuit illis, quò patentiorem eis præberet aditum crimina & facinora committenda: sed propter honorem suæ dignitatis. Vnde dicendum est, eiusmodi priuilegium abrogatum iam esse per contrariam consuetudinem, aut saltim id ipsum commmissum esse iudiciũ arbitrio, qui habita ratione criminis commissi, & clericorum delinquentium, & laicorum contra eosdem testificantium, siue verò illos accusantium, discernere, æstimare, atq; arbitrari debent, sint ne eiusmodi laici contra clericos in testes, siue accusatores recipiendi, an non; Qua quidem ratione constituit hanc generalem regulam, quod ex causa, atq; in defectum testimoniorum idoneorum admitti possunt testes aliàs inhabiles: quod probat ex c. fin. & cap. veniens, de testibus. Id quod dicit etiã Hisppolytus, in l. Diuus ff. de quæstionib. nempè quod causa reperiundæ veritatis, quandoq; conceditur id quod aliàs non concederetur, & in his discedendum esse à regula iuris communis. De quo videatur etiã Farinacius loco vbi sup. q. 61. n. 107. & 108.

Aliam limitationem ponit prædictus Panormita. ad regulam generalem prædictam de mente Hostiensis vt procedat quando agitur contra clericum

clericum de crimine criminaliter in-
89 tentato, ſecus † enim (inquit) eſſet ſi intétetur ciuiliter per c. 3. de teſtib. etiã ſi agatur ad beneficij priuationem: nam & tunc etiam dicitur agi ciuiliter per dictum c. 3. & c. per tuas de ſimonia. Nam accuſatio propriè ad depoſitionem ab ordine tendit, iuxta, c. qualiter & quando, el 2. de accuſationib. Pro qua limitatione facere quam maximè dicit ſupradictum, c. tam literis, de teſtib. cum quo etiã concordat Felinus, in dicto c. de cætero, eod. tit. adducendo omnia ſupradicta iura, & addendo nouam quandam limitationem ad regulam generalem prædictam, nempe vt non procedat in caſu, quo lai-
90 cus † teſtificetur in fauorem clerici: nam pro ipſo (inquit) bene poſſunt teſtificari: quod probat per Gloſſam in c. clerici, diſt. 81. & quia ratio prohibitionis, quod laici ad ferendum teſtimonium in clericorum cauſis non admittantur, quæ habetur in c. laicos, & c. laici. q. 7. fuit propter ipſorum reuerentiam: hæc autem minimè deperditur quando ipſi in clericorum fauorem teſtificantur, pro quo facit quod notat Gloſſa & Bart. in l. lege Iulia. & l. inuiti ff. de teſtib. & Gloſſa in c. in decima. 18. quæſtio. 2. verbo duorum: vbi dicit, quod clericus, ſiue monachus probare poteſt ſe innocentem etiam per mulieres: multo ergo melius per viros laicos, ſiue ſæculares. Pro qua etiam limitatione facere dicit, c. peruenit. el 2. de teſtib. cogend. Qua etiam de re videatur Farinacius loco & quæſt. vbi ſup. num. 115. & nu. 120. cum ſeqq.

Tandem vltimò limitat Panormitanus regulam generalem prædictam, vt non procedat quando agi-
91 tur per † viam inquiſitionis, ſiue denũciationis, argumento deducto ex c. tã literis, & c. quoniam de teſtib. cuius rationem eſſe dicit, quia in his caſibus non agitur ad pænam naturalem delicti, vt conſtat ex c. qualiter & quando el 2. de accuſat. quam ſẽtentiam tenere dicit Federicum conſil. 23. & idem tenet Felinus in iam pluries citato, c. de cætero, de teſtib. quamuis dicat contrarium ſentire Archidiaconum, in c. quia iuſta. 5. q. 6. Supradicta omnia quam maxima ſunt animaduerſione digna, ad ſciẽdum quando, & in quibus caſibus, laici admittendi ſunt ad ferendum teſtimonium contra clericos, de quibus videatur Iulius Clarus lib. 5. §. fi. q. 24. n. 10. verbo, præterea quęro, & num. 19. verbo ſciendum eſt tamen. & num. 20. verbo item ſcias & Farinac. de teſtib. quæſt. 61. oppoſitione 13. contra teſtem à nn. 98. cum ſeqq. vbi reperire licebit ad hoc propoſitum, plura, eaq; notatu digniſſima. Quæ omnia dicta de clericis, intelligenda etiam ſunt de Monachis, & perſonis quibuſcumq; regularibus: nam penes hoc, & in fauorabilibus cunctis, ſemper ęquiparantur in iure. Hæc quoad primam concluſionis partem.

Sed deueniendo ad ſecũdam, qua
diximus clericos † etiam reſpectu 92
laicorum minus eſſe idoneos teſtes, ad ferendum teſtimonium, habetur id ipſum expreſſe in c. teſtimonium. 11. q. 1. vbi ſequentia verba habentur. Teſtimonium clerici aduerſus laicum nemo recipiat. Quod intelli-
gendum † eſt in cauſa criminali, vt 93
dicit ibi Gloſſa, verbo recipiat, quod tenent ibid. oẽs communiter DD. & Pan. & Fel. in c. de cętero de teſtib. in prin. Aduertendum tamen eſt prohibitum id eſſe iure clericis, non tam propter præſumptam emulationem (hęc enim vt plurimum contingit in laicis, clericorum reſpectu) quam propter irregularitatis periculum, quã clerici accuſando laicos in cauſis criminalibus poſsẽt incurrere: iuxta tex. in c. ſententiã ſanguinis, ne cle-

tij vel Mon. cum similibus, & text.in c. cũ Nuncius de testib. quo
94 fit, vt in causis † tantum ciuilibus de licentia suorum Prælatorum, nec dũ clerici, verum etiam Monachi & religiosi, aduersus facultates quam maximè testes esse possint, præsertim in causa suæ ecclesiæ, vt constat ex prçallegato c.cum nuncius de testib. & ibi glossa verbo repellendi, & ca. Monachi. el 2. 16.q.1. & ibi Glossa verbo pro vtilitate, quæ est communis Doctorum opinio, & resolutio, & id quod communiter obseruatur in praxi. Hac de re vidẽdus est Iulius Clarus lib.quinto, §.fin.quæstio.24. numero 8.& 9. Vbi proposita quæstione an clericus testificari possit in causa criminali? absolutè respondet, quod sic, debent tamen inquit clerici absumere à testificando in causis criminalibus, in quibus ingeratur pœna sanguinis, nam ex tali sua testificatione si contingat sequi mortem, aut membri mutilationem, efficientur proculdubio irregulares, etiam præmissa protestatione quod non intendunt testimonium perhibere, ad hoc vt reus afficiatur pœna sanguinis: cuius contrarium dixit quæstio.14.numero tertio, agendo de accusatione, & quærendo, an clericus possit accusare? dicit quod sic, dummodo ex eo crimine: de quo alium accusare intendit, non ingeratur pœna sanguinis, & quod in eo ẽt casu si accuset præmissa superius dicta protestatione, non efficietur irregularis. Quæ Iulij Clari resolutio, non vsquequaque placet, sic simpliciter, & absolutè dicta Farinacio, quæstio.61. de testibus opposit.12. à numero 57. cum sequentib. quin verò regulam generalem constituit, qua simpliciter, & absolutè dicit, clericum non esse admittendum, nec examinandum in testem contra laicos in causis criminalibus, per supra dictum cap.testimonium cum glossa vndecima quæstio.prima, cum ass. ibidem citatis, etiam cum licentia sui superioris, & hoc non solũ in causis criminalibus, quibus laicus puniendus veniret pœna sanguinis propter rationem adductam à Iulio Claro (nempè propter periculum irregularitatis) verum etiam, & in quibuscũque alijs causis criminalibus, præsertim coram iudice laico, nisi tantum † in casu quo veritas aliter haberi non posset. 95 Sicut enim (inquit) laicus in criminali causa examinari non potest, aut debet contra clericũ, nisi in casibus supra in prima huius conclusionis parte præmemoratis: ita nec clericus contra laicum, vt æqualitas vtrobique seruetur, iuxta cap.nouit, de iudicijs, cum alijs ibidem annotatis per Præposit. & Archidiac. aliosque Doctores, qui supradictam regulam generalem constituunt, eandem ampliando, vt procedat, nedum in clerico in sacris, verum etiam, & in minoribus ordinibus constituto, per ea quæ in simili diximus supra de laico contra clericum examinando. Quod in tantum quidam verum esse volunt, vt dicant quod si forsan clericus contra laicũ fuerit examinatus de facto, non solũ probationem non faciet, verũ etiam nec iudicium: cuius rationem esse dicunt, quia clerici iure repelluntur à limine depositionis, per dictum capit.testimonium.vndecima quæst.1. & vbi testes sic repelluntur, examinati contra iuris prohibitionem nec iudicium faciunt. Quod tenet Baldus, & Salicet.in l.Seruus, C.de testibus, & in l.matris, in fin.ff.de probation. & in capitul.primo, de confessis in principio. Quibus omnibus accedit, quia vt tenet Abbas, in cap. cum nuncius de testibus, numero 3. clerici generaliter loquendo in negocijs sæcularibus omnibus, coram iudice laico testes esse nequeunt, per capitulo quamquam 14. quæstio.2. quod

quod notant ibi omnes communiter Doctores, nec defuere qui dixerint, quod in conficiendis instrumentis laicorum, clerici etiam in testes non sunt recipiendi; per capit. super prudentia, §. potest, 14. quæst. 2. & Glossa ibi, verbo potest, ibi in conficiendis instrumentis sæcularium negotiorum, presbiteri non vocentur ad testimonium: & supradictum cap. quamquam. cum Glossa eadem causa, & quæstione, vbi id ipsum omnino dicitur. Sed Felinus in supradictum cap. cum Nuncius, de testibus num. 3. dicit, quod prædictum capit. super prudentia, intelligendum est potius de honestate, quam de necessitate. Quo nihilominus, non obstante in causis ciuilibus, & quibuscunque contractibus ex generali consuetudine clerici admittuntur in testes, & maxime de licentia suorum superiorum, vbi necessaria illa fuerit, seu aliter vbi non fuerit necessaria: at loquendo de causis criminalibus, standum est in supradictis.

Sed limitanda est supradicta generalis regula, de clericis contra laicos ad testimonium non admittendis, vt non procedat in criminibus † exceptis, vt puta in crimine læsæ maiestatis, & alijs in quibus clerici nisi sint conspiratores, vel capitales inimici, contra laicos admittuntur, sicut & laici contra clericos (vt supra diximus.) Quod quam maximè est rationi consonum, ratione æqualitatis seruandæ: eo tamen excepto casu, quo laico † reo imponenda veniret pęna sanguinis: nam tunc non admittuntur, vt multorum doctorũ authoritatibus probat supradictus Farin. loco vbi sup. à nu. 65. cum seq. Præter quam in casu, quo solum ageretur ad defuncti alicuius damnandam memoriam, in quo casu cum non expectetur amplius pęna sanguinis, sed solummodo bonorum confiscatio, per l. penul. & fin. C. ad l. Iul. maiest. & l. fi. ff. eodem tit. bene possunt admitti: qua de re videatur etiam Farinac. vbi supra quæst. 62. à num. 81 cum seq. Secundo limitanda † est supradicta generalis regula, 98
vt nō procedat in casibus, in quibus veritas aliter haberi non potest, tunc enim in subsidium (etiam in criminalibus) clerici admittantur contra laicos, per textum in supradicto, ca. quamquam 14. quæst. 2. verb. si autem euentu: ibi, nullæ aliæ idoneę sęcularium inueniantur personæ, ne veritas occultetur: & ibi Glossa verbo occultetur; quod etiam tenet Abbas in c. cum nuncius de testib. nu. 3. vers. nisi vbi testes laici non reperiuntur, & Felin. in ca. de cętero eod. tit. nu. 1. vers. fallit 2.

Limitanda est tertio supradicta generalis regula, quandocunque causa criminalis † non criminaliter, sed 99
ciuiliter ageretur: tunc enim nihil est, quod impediat clerici testimoniũ contra laicum: vt latè probat Farin. vbi sup. q. 61. à n. 77. cũ seq. & n. 102. cũ seq. de mente Fel. in c. cętero, de testibus, nu. 2. vers. sed considera. Itē examinari potest clericus contra laicum coram iudice Ecclesiastico, & super Ecclesiastico crimine: vt tenet Abb. & Fel. in ca. de cętero de testib. nu. 1. Item & in ipsius laici fauorem
† & pro eiusdem defensione, & in- 100
nocentia detegenda, vt dicit ibidem Felinus, præsertim vbi non veneric pęna talionis imponenda contra accusatorem: nam tunc neque ad defensionem admittitur, vt dicit Farinacius loco vbi supra, à nu. 70. cum sequentibus. Multas alias limitationes, atq; sublimitationes ad dictam generalem regulam ponit Farinac. supradictus loco vbi supra, dicendo etiam quando, & in quibus casibus clerici cogi possunt ad testificandum etiam contra laicos, & in casu, quo vtrique testificentur, cui ipsorũ magis sit credendum? quæ omnia cum

per tempus referre ad vnguèm non liceat, breuitatis causa facio missa.

Præter supradictos plures alij propter aliquas speciales rationes & causas repelluntur à ferendo testimonio, de quibus quam maxima breuitate, & resolutione fieri poterit, dicetur in sequentibus conclusionibus.

Septima Conclusio.

101 STando etiam in iure communi, repelluntur † à ferendo testimonio, tam in causis ciuilibus, quam in criminalibus, omnes criminosi, vt homicidæ, fures, malefici, & sacrilegi. Hæc conclusio habetur expressa, in cap. super eo de testibus, il primo, & ibi glossa, verbo confessi. Facit & ad idem, cap. constituimus 3. quæstio. 5. vbi sequentia verba habentur. Præcipimus, vt homicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptores, adulteri, incesti, venefici, suspecti, criminosi, domestici, periurij, & qui raptum fecerunt, vel falsum testimonium dixerunt, seu qui ad sortilegos, diuinosque concurrerunt, eisque similes, vt ad accusationem, vel ad testimonium ferendum nullatenus admittantur, quia infames sunt, & iustè repelluntur, quia funesta est ipsorum vox. Facit etiam id ipsum, l. 3. §. lege Iulia, ff de testibus, vbi ferè omnia supradicta, verba expresè habentur, & tradit id ipsum Speculator tit. de teste, §. 1. numero 27. versic. item opponitur, quod est criminosus, & numero 28. versic. item quod est homicida, & Abbas, & Felinus in cap. testimonium, numero primo, de testibus, quam quidem generalem regulam quidam ampliant, ad hoc,
102 vt procedat † non solum in eo, qui per sententiam vt criminosus est condemnatus: verum etiam in eo, qui per sententiam non fuit condemnatus, quia adhuc à testificando repellitur, si crimen contra eum oppositum probetur. Quod probant per prædictum cap. super eo, il primo de testibus. Vbi hoc idem tenet Glossa, & Abb. & Felin. in principio, & prædictus Felinus etiam in capit. testimonium, de testibus, num. 8. Sed aduerto intelligendum hoc esse de iure canonico, etenim loquendo de iure ciuili, ad hoc vt quispiam propter crimen à testimonio ferendo repellatur: necessum est, vt de crimine eodem sit damnatus, per l. 3. §. lege Iulia, ff. de testibus, quod idem tenet Glossa final. in supradicto capit. super eo, de testibus, quod quidem est verum, nisi crimen sit ex ijs, quæ ipso iure absque vlla sententia inferunt infamiam, vt pugnare cum bestijs, & similibus: in ijs enim etiam de iure ciuili non requiritur condemnatio: quin verò eiusmodi criminosi ante condemnationem à testimonio repelluntur, prout tenet Felinus in cap. testimonium, de testibus, numero 8. & Innocent. in cap. super eo, eodem titulo, numero 2. qua quidem ratione de sodomita (& quidem meritissimè) dicunt Doctores, quod repelli debet à testimonio, etiam non secuta condemnatione, quia ipso facto habetur pro infami, etiam stando in iure ciuili. Qua de re videatur Farinacius de testibus, quæstio. 56. numero 130. Quidam etiam ampliant prædictam generalem regulam, ad hoc vt procedat in eo, qui pro delictis pluries fuit inquisitus, & carceratus, licèt non fuerit confessus, conuictus, aut condemnatus: sed contrarium omninò tenet Glossa in cap. numero 8. quæstio. 4. & in cap. fin. distinctio. 25. quæst. vltima, vbi dicit, quod inquisitio, siue accusatio, non quempiam constituit criminosum, nisi fuerit conuictus,

ctus, confessus vel condemnatus. Quod etiam tradit Follerius in sua practica criminali, verbo item quod venenauit sororem, num. 28. Quæ sententia, & resolutio verior videtur, & iuri, ac rationi conformior, cui etiam adhæret Farinac. loco vbi supra, numer. 132. videatur ibidem.

Non etiam defuere, aut desunt, 103 qui amplient prædictam generalem regulam, † ad hoc quod procedat ex vnico dumtaxat crimine, & per illud quispiam etiam repellatur à ferendo testimonio: quæ quidem ampliatio satis probari videtur, per textum in capit. testimonium de testibus, in principio, vbi dicit reprobari debere testimonium eius, cui opponitur crimine in causa ciuili, siue criminali: nam cum loquatur ibi de crimine in numero singulari (qui numerus verificatur in solo vno) satis probari videtur ampliatio prædicta, maximè cum in supra allegato capite constituimus, 3. quæst. 5. homicidæ, malefici, fures, alijque superius relati, à testimonio repellantur (vt videtur) ex vnico solo actu. Nã & ex vnico solo actu, dicitur quis homicida, maleficus, fur: sed alij Doctores nonvsquequaque probant ampliationem supradictam: dicunt enim criminosos, tunc solummodo iure propter crimen à testimonio esse repellendos, quando in crimine perseuerant, non verò aliter. Quod probant per expressa verba supradicti cap. testimonium de testibus, ibi, si in ipso crimine perseueret. Post quæ additur: Si verò de crimine sit emendatus, & eum non comitetur infamia: non est in causa ciuili, vel etiam cum de crimine ciuiliter agitur (præterquam pro reatu periurij) à testimonio repellendus. Post quæ etiam supradicta verba addit textus, in criminali autem causa, si in alio iudicio instituta contra ipsum accusatione de crimine conuictus extitit, vel cõfessus, vel si nunc per exceptionem exinde conuincatur, aut grauata sit eius opinio, pro eo quod quãdoque fuit tali modo repulsus, quamuis in hoc casu non excluderetur in causa ciuili, potest à testimonio (licet egerit pænitentiam) remoueri. Ex quo prædicto capitulo, quod ad hoc propositum est famosum, notabile, ac valde memoriæ commendandum: concordando Doctores, sequentia mihi esse videntur dicenda. Primo quod iuxta ampliationem prædictam, ex vnico dumtaxat crimine, criminosus quispiam sit dicendus, ac propterea etiam à testimonio † ferendo repellendus, tam in causa ciuili, quam in 104 criminali, hac lege si in crimine ipso perseueret, (prout expresse habetur in textu) hæc tamen perseuerantia nõ requiritur, aut necessum est quod sit actualis, ita vt pluries in eodem delicto delinquat: sed sufficit vt sit virtualis, ita quod in eiusdem reatu perseueret, quia nempe non egit pænitentiam de crimine, & peccato commisso, per quod solum perseuerare dicitur: secus est autem, si pœnitentiam egerit, idque sufficienter constiterit, nam tunc non erit à testimonio repellendus. Quæ interpretatio est Ioannis Andreæ, Hostiensis atque Felini, in dicto capit. testimonium, verbo perseueret, quod multum est notandum ac memoriæ cõmendandum. Secundo dico & colligo ex prædicto capitulo, quod si quispiam de † crimine sit emendatus, & 105 de eo pænitentiam egerit, illumque non comitetur infamia, quamuis in causa ciuili, vel criminali ciuiliter intentata (præterquam pro reatu periurij) à testimonio non sit repellendus in causa tamen criminali, si in alio iudicio accusatione contra

nio dicentium, quod etiam in causa ciuili emendatio non præsumitur, nisi probetur, cum crimen non ita fuerit occultum, quin probari non potuerit in iudicio. Vnde qui probauit crimē, iam intentionem suam habet fundatam, vt repellere possit testem, per cap. super eo, el 1. de testib. & qui se excusare voluerit dicendo se esse emendatum, debet illud probare, iuxta l. secundam, ff. de probatio. cum similib. Ad quod propositum facit, quam maximè doctrina Panormitani dicentis, vbi supra, quod emendatus de crimine non remanet omninò integer, nec restituitur pristinæ præsumptioni naturæ, qua quilibet præsumitur bonus. iuxta communem regulam, capit. fin. de præsumptio. quin verò in casibus arduis semper remanet præsumptio contra ipsum, vt constat ex cap. testimonium, vbi emendatus de crimine; licèt præsumatur idoneus in causa ciuili, non tamen talis præsumitur in criminali. Non inquit præsumitur innocens vita, & integer actu, prout requiritur iuxt. cap. forus de verbor. signific. aliàs adhibita sibi fuisset fides etiam in causa criminali. Et addit Panormitan. prædictus, quod per hoc limitandum est, cap. ferrum distinctio. 50. vbi dicitur, quod post peractam pęnitentiam, non inspici debet in aliquo, quod fuit, iuxt. reg. semel malus, lib. 6. nam iam incipit esse, quod non fuit: & inquit, quod talis adhuc non præsumitur bonus, sed malus, quousque admittatur ad actus legitimos, & publicos, quod esse dicit multum notandum, ac memoriæ commendandum. Post quæ tractat qualiter emendatio pręd:cta sit probanda, & multa dicit, quæ per tempus referre non licet. Ego vero dico, quod probabitur id ipsum per triennalem laudabilem vitam, vt de mēte multorum Doctorum dicit Farinac. vbi supra num. 140. & in seq. tractat quomodo prædicta exceptio sit opponenda testi, & ait, quod non sufficit vt opponatur in genere, sed opponi debet in specie, specificando crimen cum adiectione loci & temporis, iuxt. cap. præsentium, de testibus, libro 6. Videatur prædictus Farinac. & Iulius Clarus, libro 5. §. fin. quæstio. 5:. num. 2. versic. in hoc autem propositum. Cum hoc tamen stat, † quod licèt parte non oppo- 108
nente, aut non probante exceptionem, valeat criminosi testimonium, potest tamen ipse iudex (si voluerit) ex officio suo illum repellere: quia verò secundum multos Doctores illud tenetur facere, cum ad eius munus, & officium spectet curare, ne aliquis iniustè grauetur per l. illicitas, ff. de offic. præsid. & certum est quod pars aduersa nec modicum quidem grauaretur ex productione, & examine testium criminosorum; quod etiam esse dicunt faciendum cum teste infami: de quo videatur prædictus Farinacius vbi supra, nu. 145. & quæst. 62. num. 190. cum sequentibus.

Sed prædicta generalis regula de criminosis ad testimonium non admittendis, limitanda est etiam secundò, † vt non procedat in criminibus 109
exceptis, in quibus etiam criminosi admittuntur, sicut & de infamibus diximus supra. Verum est tamen, quod etiam sic admissi non plenam faciēt probationem, etiamsi sint plures, si nullis alijs adiuuentur adminiculis, vt tenet Abbas in capit. per tuas, nu. 4. de simonia. Qua de re videatur supradictus Farinacius vbi supra quæstio. 56. à numero 148. vsque 155. & quęstio. 62. numero 383. cum sequentibus. Non defuere, † qui dixerint, criminosum genera- 110
liter esse recipiendum contra pariter criminosum, iuxta Glos. in l. 3. §. lege Iulia, verbo, palam, ff. de testib.

sed contrarium est verius, vt dicit Felinus in capit. testimonium, de testibus, num. 37. & idem tenet Speculator, titulo de teste, §. 1. numero 26. quam opinionem Farinac. quęstio. 56. numero 159. dicit esse communem.

Tertio limitanda est supradicta generalis regula, vt non procedat in casibus, in quibus † veritas
121 aliter haberi non possit: in his enim etiam criminosi ad testimonium admittuntur, quemadmodum & infames, & oēs alij testes generaliter inhabiles, & ex vitio suo iure reprobati, vt sint testes. Sed non admittuntur nisi cum tormentis, & nec tunc plenam, aut semiplenam, sed aliqualem tantum facient probationem: qua de re videatur supradictus Farinacius loco vbi supra, à numero 161. cum sequentibus, & Iulius Clarus, libro 5. sentent §. final. quæstio. 24. numero 19. versic. sciendum est tamen.

In calce huius conclusionis libuit
122 aduertere, † quod licèt de iure ciuili ad repellendum aliquem testem tanquam criminosum, non quodlibet crimen sufficiat, sed illud esse debeat graue, & animaduersione dignum, (vt tenent omnes communiter Doctores in capit. testimonio, de testibus) quin verò, & criminosus ipse per sententiam debeat esse damnatus: attamen de iure canonico quodlibet peccatum mortale, quod sit continuatum, & non emendatum (iuxta ea, quæ diximus supra), testem repellit à ferendo testimonio, vt multis probat, & tenet Abbas, in dicto capit. testimonium, numero 3. versic. sed ego credo, & Felin. ibidem, numero 7. versic. & cum istis transeo, quòd & communiter teneri dicit in capit. inquisitionis, de accusatio. numero 11. nam de iure canonico quodlibet peccatum mortale non facta penitentia grauissimum reputatur, postquam æternali et punitur, iuxta §. nunc autem, versic. & quamuis, distinctio. 25. Qua de re videatur Farinac. vbi supra quæstio. 56. numero 166. & latius infra numero 282. in secunda regula, vbi ex professo agit de omnibus existentibus in actuali peccato mortali, & dicit eos esse infames infamia canonica, per capit. illi qui 6. quæstio. 1. in illis verbis, quia infamiæ macula sunt aspersi. Et infra, quia infamia sunt notati, & per cap. infames, eadem causa, & quæstio. in illis verbis: Infames eas personas esse dicimus quæ pro aliqua culpa infamia notantur, idest omnes, qui Christianæ legis normam abijciunt, & statuta Ecclesiastica contemnunt. Quod etiam tenet Speculator, tit. de teste, §. 1. numero 25. & à testimonio esse repellendos, quod Abbas, & Felinus, loco vbi supra, dicunt de iure canonico esse indubitatum data perseuerantia. Cuius quidem rei Doctorum communiter multiplicem reddunt rationem. Primò quia per peccatum mortale excluditur homo à Deo, cui cum sit infidelis non præsumitur de eo, quod hominibus fidelis sit. Secundò, quia perseuerantia in peccato mortali sapit hæresim propter inobedientiam, argument. tex. in c. sciendum 8. quæstio. 1. & capit. si quis presbiter, distinctio. 81. vnde sicut hæreticus à testimonio repellitur, ita (inquiunt) & repelli debet quilibet existens in perseuerantia peccati mortalis. Tertiò, quia cum existens in peccato mortali amittat ciuitatem Dei, & de ciuitate Dei constituatur de ciuitate diaboli, mutetque familiam, quia de familia Dei efficitur de familia diaboli, mutet item statum, quia efficitur seruus peccati: meritò (inquiunt) præsumitur de eo, quod patiatur capitis diminutio-

nem, ac proinde iustè à testimonio repellitur. Quibus & accedit alia, & sit quarta ratio, quia quodlibet † pec- 113
catum mortale (saltim largo modo) potest dici crimen capitale, cum deformet mentem, & animam ipsius hominis, prout tenet Archidiaconus in capite infames, 6. quæstio. 1. quo fit vt sicut capite diminuti, aut capitaliter damnati, à testimonio repelluntur, ita & repelli possint, & debeant existentes in actuali peccato mortali, aut saltim nunquam reputantur testes idonei. Supra dicta omnia dicuntur à Doctoribus, pro existentibus in peccato mortali, & in substantia assumuntur prædicta à Farinacio loco vbi supra, num. 183. vbi citat pro se quam plurimos Doctores, sed præcipuè Iulium Clarum lib. 5. §. fin. q. 24. num. 16. verf. quero nunquid constitutus in peccato mortali, repellatur à testificando in causa criminali, vbi postquam refert aliquorum Doctorum opinionem dicentium simpliciter, quod existens in peccato mortali repellitur à ferendo testimonio: aut saltem illi de fide diminuitur quam quidam dicunt esse communem: ipse verò respondendo dicit: tu vero dic, quod omne peccatum mortale continuum vel frequẽtatum, vt puta concubinatus, vel adulterium, repellit à testimonio. Post quæ addit. Si verò est momentaneum vel transitorium, repellit quidem in foro Ecclesiastico in causis criminalibus, etiam inter
114 laicos, sed non in foro † ciuili, & ita teneri communiter ait Felinus, in cap. inquisitionis de accusatio. post numero 13. Et subdit prædictus Clarus, quod si dicas, quod secundum hoc pauci poterunt in testes admitti, cum nemo sine crimine viuat: responderi potest, quod vbi quis pœnituerit de peccato, poterit admitti, quia amplius non dicitur in crimine constitutus: & in dubio semper præsumendum erit quod pœnituerit, nisi appareat quod in illo perseueret. Et addit, scias tamen quod semel † conuictus de cri- 115
mine præcedente accusatione, repellitur à testificando in causis criminalibus, licèt postea fuerit emendatus, & hæc est communis opinio, cum qua transeo. Hæc prædictus Iulius Clarus loco vbi supra, & citat pro se quam plures Auctores, quod etiam facit Farinacius loco vbi supra, à numero 284. cum sequentibus, adducendo ad hoc propositum nonnulla exempla, & illa explicando, & declarando, & dicendo an sit necessum, quod prædictum peccatum mortale sit notorium, an verò sufficiat quod sit occultum. Sed concludendo dicit de mente Speculatoris, in titulo de teste, §. 1. num. 24. versic. nam in occultis, quod licet in ciuilibus ad repellendum testem à testimonio, necessum sit, vt crimen sit notorium, & quod de illo per sententiam fuerit quispiam condemnatus: attamen in criminalibus, siue sit notorium, & manifestum, siue verò occultum, dummodo descendat ex crimine perpetuam infamiam irrogante (etiamsi peccator egerit pœnitentiam) repellitur à testimonio, si de tali peccato, & crimine sit conuictus, vel confessus: aut etiam eius opinio apud homines sit grauata: & in hoc est standum, quod valde est notandum, ac memoriæ commendandum.

Octa-

Octaua Conclusio.

IN iure communi etiam stando, à testificando repelluntur accusati, periurijs, excommunicati, & carcerati. Hæc conclusio quoad accusatos, probatur primo per textum in cap. fin. de testib. vbi hoc ipsum tenent omnes DD. communiter, per illa verba, quæ ibi dicit Summus Pontifex Gregorius IX. Non debet quis in criminibus (forsan exceptis) ad testificandum admitti, pendente accusatione de crimine cõtra ipsum. Id ipsum habetur, in l. testimonium, ff. de testib. canonizata per c. si testes vers. in testimonium 4. q. 3. vbi dicit Iurisconsultus: accusator citare non debet eum, qui in publico iudicio reus erit. Per quæ supradicta iura Speculator tit. de teste §. 1. numero 82. vers. item quod pendet accusatio, hanc firmat generalem regulã, quod
116 accusatus † accusatione pendente, à testimonio repellitur. De qua videatur Farina. de testib. q. 56. numero 167. & 168. cum sequentibus, vbi ampliat prędictam generalem regulam, ad hoc vt etiam procedat in in-
117 quisito & denunciato, † qui pendente inquisitione, siue denunciatione, à testimonio etiam repelluntur, vt dicit Abb. in supradicto cap. fin. de testib. numero 9. & Felinus ibidem numero 1. quod etiam intelligendum esse dicit, de eo, cui per viam exceptionis crimen obijcitur: nam qui excipit contra testem obijciendo ei aliquod crimen, eundem videtur accusare, per cap. fin. de testib. cogend. Quę prędicta generalis regula limitanda est, primo vt procedat tãtum-
118 modo † in criminalibus, prout expresse loquuntur supradicta iura, etenim in ciuilibus, vel criminalibus ciuiliter intentatis, accusati in testes admittuntur: per dictum cap. fin. de testib. vbi hoc ipsum tenet Abbas & Felinus. Secundo limitanda est, vt non procedat in criminibus exceptis, in quibus etiam accusati ad testimonium admittuntur, per supradictum cap. fin. de testib. in illis verbis, nisi forsan in exceptis: quod similiter tenet Abb. & Felinus Alias ampliationes & limitationes ponit prædictus Farinac. supradictæ generali regulę: nempe vt non procedat in accusato de crimine leui, debet enim crimen propter quod accusatus à testificando repellitur, esse graue, & scandalosum, capitale, & infamatorium. Item vt non procedat † in accusato de fal- 119
so, nam pendente accusatione testis esse poterit, & licèt postea reperiatur culpabilis, adhuc ipsius testimonium non extinguitur, sed tantum de fide diminuitur. Item vt non procedat
† quando quis accusaretur malitiosè 120
per fraudem, quo sic accusatus repellatur à ferendo testimonio: nam non propter id repelli debeat. Et tãdem vltimò, vt non procedat prædicta generalis regula, in causa criminali ad defensam, & in omnibus alijs casibus, quibus supradiximus criminosos admitti posse ad ferendum testimonium. Quę omnia poterunt videri ibidem à n. 174. cum sequentibus, non enim licet per tempus tanta dicere.

Sed quantum attinet ad periuros,
quod † etiam ipsi à ferendo testimo- 121
nio repellantur, nec admitti possint, aut debeant, in causa criminali, neque in ciuili, constat expresse ex capitulo si quis coniunctus, capit. paruulis 22. quæstione 5. cap. quicumque 6. quæstione 1. & cap. ex parte, & ibi glossa verbo de periurio, de testibus, vbi id ipsum tenet Abbas numero 3. & Felinus, numero 4. Facit & cap. sicut nobis, & ibi glos. de test. c. testimonium eodem tit. & ibi Abbas numer 9. & Felinus numero 19. Item glossa in cap per tuas de simonia, verbo, adulterij, & glossa in l.

Lucius

Lucius ff. de ijs qui notantur infamia verbo debeantur, &c. in fine, vbi & omnes Doctores communiter. Qua de re videatur supradictus Farinacius loco vbi supra quæst. 56. à numero 186. cum sequentibus, vbi prædictæ generali regulæ aliquas ponit
122 ampliationes. Prima † vt locum habeat quantumcunque quis de periurio sit emendatus, & de eo pœnitentiam egerit, nam adhuc repellendus est à ferendo testimonio, in causa ciuili & in criminali, per cap. testimonium de testibus & ibi glossa verb. periurij. Quod etiã tenet Abbas ibidem numero 7. & Felinus numero 19. & glossa in cap. quicumque, ver bo testimonium 6. quæstione 1. glossa item in cap. per tuas, el primero verbo adulterij, de simonia, & Felinus ibidem numero 10. & glossa in l. qui cum vno §. ignominia versic. absolutus, ff. de re militari, quam glossam refert, & sequitur Baldus in l. Lucius in fine, ff. de his, qui notantur inf. Secundò amplianda est prædicta
123 regula, † ad hoc vt periurus non solum non faciat probationem, verum etiam nec indicium, nec dum ad torturam, sed nec etiam ad formandam inquisitionem, vel ad capturã: quod multorum Doctorum authoritatibus probat prædictus Farinacius loco vbi sup. nu. 188. & 189. Tertio amplianda est supradicta regula ad hoc
124 vt periurus † non admittatur in testẽ, etiam contra alium periurum: quod etiam multis probat numero 190. Quarto amplianda est ad hoc, vt periurus in vno, seu in parte, fidem non faciat in reliquo, aut in toto: quod probat numero 191. per cap. 3. prima quæstione 9. & Baldum in l. si ex falsis in fine C. de transact. & l. fin. nu. 18. C. de edicto D. Adriani, & Felin. in c. fraternitatis de testibus, & nu. 7. cuius quidem ampliationis ratio est, quia iuramentum super quo fundatur testimonium, est indiuisibile, & ipsum testimonium diuidi non potest, vt pro parte valeat, & pro parte pereat: vt dicit Baldus & Doctores communiter in locis supra citatis. Quintò amplianda est supradicta regula, vt procedat etiam si quis non probetur periurus, circa principale dictum, sed circa accessoria, & extrinseca, adhuc enim in totum eius testimonium reprobatur, vt multis probat prædictus Farinacius loco vbi supra numero 192. Et tandem 6. & vltimo numero 193. ampliat prædictã generalem regulam, adhoc vt periurij † defectus non purgetur etiã per 125
torturam, & torti nec dum probationem faciant, verum etiam neque indicium ad inquisitionem, neque ad capturam: quod multis probat. Post quæ in sequentibus numeris ponit alias ampliationes & postea limitationes, non tanti ponderis ac momenti, quas cũ per tempus referre ad vnguem non liceat, lectorem remitto vt videantur ibidem.

Sed deueniendo ad excommunicatos, † quod ipsi etiam à testimonio 126
sint repellendi, constat ex multis iuribus, & multi Doctorum authoritatibus, ac rationi id ipsum comprobat supradictus Iulius Clarus loco vbi supra quæst. 56. à numero 240. cum re Canonico sunt infames per cap. illi qui 6. quæstione 1. in illis verbis: cum huiusmodi hominibus nec cibum sumere, quia infamia sunt notati. Facit & cap. infames, eadem causa & quæstione: in illis verbis: & omnes anathematizatos, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia pulsos. Qua de re videndus est Felinus in cap. excommunicamus, il primo de Hæreticis. Et quod sint propterea à testimonio repellendi facit tex. in c. veniens, il secondo in fine, de testibus & prædictum cap. excommunicamus, ibi, firmiter statuentes postquam quis taliũ fuerit excommunicatione notatus, & infra, nec ad publica officia, nec ad testimo-

testimonium admittatur. Facit & c. 1.4.quæstione 1.& cap.1.eadem causa quæstione 2. & cap. miramur 24. quæstione 1. & cap. decernimus de sententia excommunicationis in 6.& l.penult.C.de Hæreticis.Quibus omnibus in locis excommunicati ab accusando,& testificando repelluntur. Per quæ supradicta iurat firmat hãc generalem regulam Speculator titulo de teste §.1.numero 31.versiculo. Item quod est excommunicatus, vbi dicit, id ipsum est intelligendum de suspenso:& Panorm.& Felin.in d. c. veniens,de testibus, idemque tenent DD. communiter, in cap. testimonium eodem tit. de testibus. Sed in-
127 telligendum hoc est,† de excommunicato excommunicatione maiori, quæ non solum priuat à participatione sacramentorum, verumetiam & hominem separat à communicatione fidelium per cap. sicut 11. q. 3. & c.si quem, de excommunicatione in 6.Nam excommunicatus excommunicatione minori,non repellitur à testimonio,iuxta glossam in cap. si celebrat,de clerico excommunicato ministrante,verb.iurisdictionis: quia ipsa licèt separet hominem à participatione sacramentorum,non tamen separat à communicatione fidelium: quod etiam tenet glossa in cap. decernimus,de hæreticis lib. 6. verbo, & teficando;in principio: quin verò & eiusmodi excommunicatio debet esse publica, & non occulta, quod multis probat Farinacius loco vbi supra quæst. 56. numero 279. & 280. (quidquid nonnulli in contrarium dicant) verum est tamen quod quamuis sit occulta, si ea nota esset iudici, testem posset à testificando repellere. Sed quidquid de hoc sit, ampliando regulam generalem prædictam, di-
128 cunt quidam procedere etiamsi † excommunicatio prædicta fuerit nulla nam adhuc excommunicatus excõmunicatione,maiori à testimonio repellitur, quousque declarata fuerit eiusmodi nullitas:quod probat Farinac. vbi supra numero 248. per cap. veniens il secondo de testibus, & ibi Abbas in vltimo notabili,numero 5. vbi et allegat. capite cũ contingat de officio delegati, & capite venerabilibus prope finem, de sentent. excommunicat.in 6.& idem dicit tenere Felinum in dicto cap. veniens numero 4.quod limitandum † esse dicit,quãdo excommunicatus prædictus asserens excommunicationem esse nullã facere se ad cautelam absolui: nam tunc sic absolutus proculdubio (inquit) posset testimonium ferre. Videatur ibidem à numero 249. vsque 253. vbi hoc etiam ampliando dicit, quod excommnnicatus examinatus non petita absolutione,potest iterum produci, & absolui, vt validè deponat,quando producens excommunicationem ignorabat: secus autem esset si illam sciebat.Post quæ à numero 254.vsque 260.tractat de tempore,quo prædicta excommunicationis exceptio contra testem pòtest opponi qualiter debeat probari, & corã quo iudice, & multa alia dicit in sequentibus numeris, quæ per tempus non vacat referre, extendendo regulam generalem prædictam de excommunicato, ad non confessum nec communicatum tempore quo ex Ecclesiæ præcepto confiteri & communicari tenebatur, quæ poterunt videri ibidem.Sed vltimo numero 27;.limitat eãdem generalem regulam,vt non procedat † in crimine hæresis,ad cuius probationẽ propter fidei fauorem etiam testes excõmunicati admittuntur per textum expressum, in cap. fidei fauorem de hæreticis,l.6.facit & cap.præsidentes eod. tit. Per quę supradicta iura hoc ipsum voluerunt Abbas in cap. per tuas de simonia in principio. & Felinus in cap.1.de testib.num.22. quod generaliter intelligendum est, etiam in

in omni casu quo testes infames admittuntur ad testificandum, de quo videatur prædictus Farinac. loco vbi supra num. 281.

131 Quantũ verò attinet† ad carceratum, quod is etiam à testimonio debeat repelli, probat prædictus Farinac. loco vbi supra quæst. 56. num. 180. per cap. si testes §. lege Iulia, & ibi glossa verb. in vinculis 4. quæst. 2. & per l. 3. § lege Iulia, & ibi glossa verbo publica, ff de testib. quod etiã, tenere dicit Speculatorem titulo de teste §. 1. vers. Item quod accusatus contra quem: nu. 90. & Anton. Gom. tom. 3. var. cap. 12. de probatione delictorum, num. 18. vbi hanc esse dicit opinionem communem. Sed postea num. 181. cum sequentibus limitat hanc regulam, vt tantum procedat

132 † in carcerato pro crimine quod infamię notam irrogat: secus est autem (inquit) in carcerato pro crimine, quod non infamat: quod probat per omnia supradicta iura. Alias etiam ponit limitationes, qua ibidem poterunt videri: ac tandem dicit, quod licèt carcerati testimonium non admittatur, vt plenam faciat fidem, facit tamen aliqualem probationem, & plures testes carcerati bonum indicium faciunt ad torturam.

Nona Conclusio.

133 QVi aliàs fuit testis † in causa criminali, criminaliter mota contra aliquem, iure etiam repellitur à testimonio ferendo in iudicio contra ipsum potestq; recusari tanquam inimicus, si voluntariè testificatus est, secus autem si coactè. Hęc conclusio probatur expressè per cap. 3. § item in criminali 3. quæst. 3. vbi ad hoc propositum sequentia verba habentur. In criminali autẽ causa testis produci non potest, qui ante in reum testimonium dixerit. Facit & ad hoc capit. meminimus cum glossa verbo testimonium de accusationib. vbi id ipsum omninò dicitur. Et idem dicit Speculator libr. 1. titulo de teste § opponitur autem, verbo, item quod in alia criminali causa contra me testimonium tulit, & dicit quod non debet admitti in illa, quia præsumitur inimicis, iuxta supradictum capit. meminimus, & capit. cum P. de accusatio. pro quo citat. l. producti ff. de testib. & supradictum, capit. 3. §. item in criminali 3. q. 3. Panormit. etiam tenet id ipsum in supradicto cap. cum P. de accusat. verbo nota primò, quod volens testificari contra aliquem in causa criminali præsumitur inimicus, & propter hoc potest ab accusatione, & testimonio ferendo repelli. Ex quo infero, quod ex tali testificatione, siue ex conatu ipsius, oritur inimicitia capitalis, nam alias non repelleretur ab accusatione, vt dixi in capit. repellantur de accusationibus. Hæc supradictus Panormit. & idem dicit in capit. meminimus, glossa fin. nempe quod ex sola testificatione in causa criminali, præsumitur testis inimicus, & tanquam talis potest repelli in alio iudicio. Et addit, quod ad contrahendam inimicitiam, non debet attendi an præcesserit causa iusta, vel iniusta, sed an huiusmodi causa potuerit prouocare animum ad inimicitiam, de quo plura dicit in supradictis capitulis, repellantur, & cum P. de accusatio. Sed addit secundum Hostiensem supradicta omnia procedere, quando testis se obtulit testimonio ferendo sine coactione, & sua sponte venit: secus est autem si fuit requisitus, quia tunc mandato iudicis paruit, & bonum obedientiæ excusat eum ab omni calumnia, & suspicione, iuxta cap. quid culpatur. 23. quæst. 1. & cap.

cap. ad aure. §. 1. de temporibus ordin. & sic non repellitur, vt amplius dicit in supradicto, cap. cum P. de accusationibus, vbi tradit sequentem theoricam, pro hac materia multum menti cõmendãdam: videlicet, quod aut testis inuitus perhibuit testimonium contra aliquem in aliqua causa criminali: & sic non potest repelli vt inimicus in illa causa neque in alia aut ipse sponte venit ad ferendum testimonium, & tunc præsumitur inimicus, argumento, legis quæ omnia, ff. de procuratoribus, & capit. cum in tua, de sponsalibus. Cum supradictis omnibus omninò consentit Felinus, in cap. meminimus, de accusationib. & in cap. cum P. eod. tit. dicendo intelligenda ea esse de teste, qui vltro se obtulit, cui proinde non est adhibenda fides: pro quo citat Barto. in l. post legatum, §. is vero ff. quibus vt indignis, & Speculatorem loco superius citato.

Decima Conclusio.

134 QVi pro testimonio ferendo † tantum, aliquod precium ab actore, siue accusatore recipit, etiam iure repellitur à testificando. Hæc conclusio probatur argumento deducto, ex capit. concussionis 1. quæstione 1. vbi talia facientes puniri mandantur, quod vtique non fieret, nisi esset illicitum, & contra iura, & certum est, quod quidquid fit contra iura, irritum est atque ad nihilum redigendum. Facit & ad idem cap. licèt, de probationib. vbi dicitur, testi, qui propter ferendũ testimonium aliquid recipit, id ipsum opponi posse, non solum ante verum etiam & post sententiam. Quod etiam tradit glossa ibidem, verbo si astringit ad probandum, qđ corrupti falsa dixissent. Facit ad idem cap. 1. & cap. sicut de testib. & cap. si quis testibus §. fin. 4. quæstione 3. & l. etiam §. si quis etiam, C. de testib. quod & tradit Speculator lib. 1. titulo de teste, §. opponitur autem, verbo item opponitur, & Panormitan. in supradicto, capit. 1. de testibus notab. 1. vbi notat, & ponderat, quod non dicitur in dicto capitulo aliquid de prece, sed de precio, vt liquidò constet posse quempiam licitè rogare vt testimonium perhibeat veritatis: attamen etiam pro eadem dicenda, nullo modo aliquid accipere: pro quo citat. cap. quoties de testibus. Etsi quæratur (inquit) quare præces, & non præcium interuenire possunt in testimonio ferendo? Respondet id pro eo esse, quia testis citius corrumpitur precio, quam precibus: pro quo allegat cap. pauper. 11. quæstione 3. vbi dicitur, quod citò iustitia violatur auro. Et addit quod testis, de quo probatur pro testimonio ferendo aliquid recepisse, accusari potest de falso: iuxta legem 1. ff. de Falsis quod etiam tradit & notat Bald. in l. diuus, ff. de regulis iuris, & alio non probatur ex eo solo præsumitur corruptus. Quæ omnia valdè sunt notanda, & quam maximè memoriæ commendanda. Sed postea se modificat dicendo, quod prædicta debent intelligi de precio, siue pecunia recepta pro actu testificandi, qui omninò debet esse gratuitus, iuxta capit. non sanè, 14. quæstione 135
6. nam aliquid recipere † pro expensis factis siue faciendis, in veniendo, stando, & redeundo, licitum est, vt constat ex capit. statutum de rescriptis lib. 6. in fine. Pro quo etiam facit & l. quoniam liberi, C. de testibus. Supradicta omnia etiam tenet, atque confirmat Felinus in dicto capit. primo de testibus vbi dicit quod corruptio per precium inhabilitat testem, etiamsi id fiat, vt

dicat

136 dicat verum. Et addit quod † quamnis verum dicat, non euitat pœnam falsi, positam in l.1.ff.de falsidicis. Pro quo citat Bartolum ibidem, & Baldum in cap.licèt de probatio.vbi dicit quod testis non dicitur subornatus, ex eo quod fuerit rogatus, aut monitus, vt per congrua verba loquatur: bene tamen si munus quodcunque acceperit. Et quantum attinet ad expensarum solutionem dicit prædictus Baldus, quod in causa inquisitionis, in qua non est pars aduersa, expensas eiusmodi satisfacere debet Respublica: de mandato iudicis, pro quo citat legem Nauiculariorum C. de naucul.lib 12. estque id satis iuri ac rationi consonum. Circa supradicta omnia videatur Farinac de testib. quæstio 67. à numero 236. cum sequentibus, vbi ad hoc propositum dicit plura, eaque notatu dignissima.

Vndecima Conclusio.

PRæter præmemoratos in præcedentibus conclusionibus, sunt & plures alij iure reprobati, & exclusi à ferendo testimonio in iudicio, nempè banniti, vsurarij, Meretrices, & lenones, birroarij, spurij, blasphemi, lusores, ebrij, histriones, & busones, apostatæ, decocti, & falliti, proditores, fustigati, prodigi, accusatores, calumniatores, & continui litigatores. Probatur hæc conclusio. Et primò de bannitis,
137 † & ijs, qui ob suam non comparitionem siue contumaciam, damnati sunt de aliquo delicto, vel vt non condemnarentur aufugerunt: nam ij iuxta veriorem, & communiorem Doctorum opinionem reputantur infames infamia iuris, vel ad minus infamia facti, & habentur pro confessis de eiusmodi delictis, siue processum fuerit contra ipsos per viam accusationis, inquisitionis, siue denunciationis: vt multis probat Farinacius de testibus quæstio. 56. à numero 391. cum sequentibus latissimè. Vbi postea prædictæ generali regulæ nonnullas ponit ampliationes atque etiam limitationes, quas cum per tempus referre non liceat, breuitatis gratia facio missas, videantur ibidem, & ea de re videatur etiam Iulius lib.5. sentent.§.fin. quæstio.71.numero sexto, vers.præterea quæro, numquid bannitus pro maleficio in contumaciam possit esse testis. Vbi dicit esse iam consuetudine positum, vt bannitis eisdem concedantur salui conductus, quo venire possint ad testificandum, nec propterea omnino repelluntur, licèt propter bannum, non reputentur tanquam testes integri.

Sed loquendo de vsurarijs † eadem probatur conclusio, quoniam 138
& ipsi iure etiam reputantur infames, perd. improbum, C.ex quibus causis inf. irrog. quod & tenent ibi omnes communiter Doctores, sed præsertim glossa, quæ dicit eos esse infames ipso iure: quam esse opinionem communem tradit Couarru. lib.3. variar.resol.cap.3. num.2.qua etiam de re videatur supradictus Farinac.loco vbi sup. à nu.352. cum sequentibus, & quæst.60.à num.28. cum sequentibus, vbi specialiter tractat, an quempiam esse vsurarium sufficienter probetur per testes asserentes se illi vsuras persoluisse. Videatur etiam Iulius Clarus libro 5. sentent §. vsura. vbi quærit quid sit vsura, quibus committatur modis, & an sit omni iure prohibita, ac tandem dicit omnia alia, quæ ad hoc propositum desiderari possunt.

Sed deueniendo ad meretrices, † & lænones, quod etiam ipsi reputentur infames, iureque repellantur à ferendo testimonio in iudicio,

multis

munus probat supradictus Farinacius loco vbi supra à numero 358. cum sequentibus, adducens in id nonnullas leges, rationes, atque Doctorum authoritates, explicando, ac dicendo quænam mulieres propriè dicantur meretrices, & quibus lenonum competat nomen: addendo iuxta sententiam Vlpiani in l. palam. §. non est ignoscendum, ff. de ritu nuptiarum, quod lenocinium facere, non minus est quam corpore quæstum facere, ac ideo sicut meretrices propter iuris infamiam à testificando repelluntur, ita & repelli debere lenones & lenas, postquam eadem sunt infamia notati, per l. 1. in principio, ibi, qui lænocinium fecerit, & l. athletas, §. ait prætor, ff. de ijs qui notantur infamia: quod verum esse dicit tam in ciuilibus, quam in cri-
140 minalibus. Limitat tamen † prædictam generalem regulam, vt non procedat in criminibus exceptis, in quibus etiam meretrices, & lenones admittuntur ad testificandum, & similiter in ijs, quæ facta sunt in postribulo, in quibus veritas melius, quam per ipsos sciri non posset. Videatur vbi supra vsque ad numerum 369. videatur etiam Iulius Clarus libro 5. §. fin. quæstio. 24. numero 4. versic. item meretrix testis esse non potest in causis criminalibus.

Loquendo autem de Birruarijs,
141 † qui in Italia dicuntur Esbirri, apud nos verò Corchetes, quod etiam ipsi non sint in testes admittendi, probat prædictus Farinacius loco vbi supra à numero 370. cum sequentibus dicendo, quod communiter apud homines reputantur infames, quia eiusmodi exercitio vt plurimum non nisi vilissimi, & omni vitiorum genere aspersi applicantur, vt notum est, & expressè dixit Baldus in l. fin. C. de edicto D. Adri. numero 47. quæstione octaua. Idem dicit etiam Iulius Clarus libro 5. §. fin. quæstione septima, numero tertio, versi. habes igitur in fine. Sed postea Farinac. supradictus à numero 374. vsque 398. prædictæ huic generali regulæ aliquas ponit ampliationes, limitationes & modificationes, adducendo nonnullos casus in quibus Birruarij prædicti admitti interdum possunt in testes, in ijs nempe, quæ ad suum spectant officium: quæ omnia cum per tempus referre non liceat breuitati studendo facio missa, videantur ibidem.

Sed loquendo † de spurijs, idem 142
Farinacius loco vbi supra num. 399. & 404. quæstio. proposita, an spurius à testimonio repellatur, an vero admittatur, & admissus qualem faciat fidem in iudicio? Respondet esse Doctorum opinionem communem secundum Azotum in summa, cap. ex quibus causis irrogatur infamia, vers. sed & infamia, quod spurij sunt infames infamia facti, non verò infamia iuris: qua propter, & si iure à testificando in ciuilibus non repellantur, non sunt tamen testes integræ fidei, & omni exceptione maiores, ac proinde neque admittendi in causis quibus à iure, vel statuto requiruntur similes testes, vti contingit in criminalibus, in quibus testes omni exceptione maiores requiruntur, & à testificando in eis etiam infames infamia facti repelluntur: vt dictum fuit in art. 2. concl. 2. loquendo de infamibus. Post quę à numero 405. cum sequentibus, prædictæ generali regulæ ponit aliquas ampliationes, & limitationes, dicendo prædicta procedere etiam in spurio legitimato, & non solum in spurio incestuoso, seu aliàs nato ex quolibet illicito coitu, verumetiam in naturali; nato scilicet ex soluto & soluta, seu concubina domi retenta: quamuis & ipse non adeo vt præteriti alij

sit

sit illicitus: nam ij etiam, (inquit) sunt infames infamia facti, ac proinde nec testes idonei. Quod limitandum esse dicit in ijs, qui sunt bonæ vitæ, & famæ, nam ex hoc suppletur spurietatis defectus: cum propter personæ bonitatem, & legalitatem interdum recedatur à regulis iuris communis, iuxta glos. in l. Titio fundus, ff. de conditionibus, & demonstrationibus. Etiam id limitandum esse dicit in spurio religioso, nobili & magnæ alicuius conditionis, siue status, nam & ij communiter reputantur testes integri, propter speciales rationes, quas ibi adducit à numero 410. vsque 413. vbi concludendo dicit, spurios prædictos ad testificandum etiam debere admitti, in casibus in quibus veritas aliter haberi non potest, vt in testibus inhabilibus generaliter contingit, per ea quæ dicit infra quęst. 62. numero 50. admissi tamen non integram faciunt fidem.

Loquendo autem de blasphemis Farinacius prædictus loco vbi supra à numero 414. vsque 416. quæstionem proponit, an blasphemator tanquam infamis à testimonio repellatur, debeatque repelli? & omissis varijs dicendi modis, format regulam,
143 quod † blasphematores non solum non sunt testes idonei, & integræ fidei (quidquid nonnulli dicant) verum omninò à testimonio repellendi: quod probat multorum Doctorum authoritatibus, & nonnullis etiam rationibus. Sed primò quia blasphemia est crimen, & peccatum mortale grauissimum, & certum est quod criminosus, & in peccato mortali existens, à testimonio est repellendus, per ea quæ dicta sunt supra conclus. septima. Secundò quia per blasphemiam Deo dicitur quis infidelis, & qui infidelis Deo est, hominibus fidelis esse non potest: ac proinde nec ad testificandum admittendus, maximè in causis grauibus, in quibus testes esse debent omni exceptione maiores: quales sunt criminales, & eis similes. Post quæ à numero 417. vsque 426. prædictæ generali regulæ nonnullas ponit limitationes, & tractat, an ea etiam habeat locum in blasphemia semel, aut bis prolata, an verò tantum in continuo blasphematore. & necessum sit quod ea de re sit condemnatus? Ad quod propositum plura dicit, eaque satis notatu digna, quæ omnia cum per tempus referre non liceat, remitto lectorem, vt videantur ibidem.

Et deueniendo ad lusores † numero 427. & 428. quæstionem proponit, an etiam ipsi à testificando repellantur? & respondet quod loquendo regulariter sic, quod probat aliquorum Doctorum authoritatibus, dicentium quod lusores turpem vitam agunt, & fortunæ ludus multa mala producat, præsertim proprij patrimonij perditionem, faciatque interdum homines venire in desperationem, & prorumpere in multas blasphemias, & Dei, atque Sanctorum periuria, vt dicit textus in authentico, vt alearum vsus, C. de relig. suntque proinde lusores, & aleatores quam maximè legibus exosi, vnde nec mirum est, quod à testificando repellantur, idque præsertim in causis, vbi testes esse debent omni exceptione maiores, in quibus (inquit prædictus Farinacius) lusores sine dubio ad testificandum admitti non debent. Sed postea ponit huic generali regulæ aliquas limitationes, à numero 419. vsque 433. dicendo, quod ad hoc vt quispiam à testimonio repellatur, non sufficit probare quod aliquando luserit: sed requiritur quod sit in ipso consuetudo ludendi. Item & supradicta re- 144

gula procedere debet in lusoribus ludi prohibiti, non verò aliter, nam & de eo loquuntur omnes communiter DD. nec sufficit probare quempiam esse lusorem in genere, sed necessum est probari id ipsum in specie. Et tandem concludendo dicit, lusorem ad testificandum posse admitti, ad probandum factum commissum in ludo, vt puta quod quispiam luserit cum taxillis falsis, aut quid simile, in his enim lusores admittuntur, tum quia magis sunt informati, tum etiam quia in eiusmodi ludis non alij, nisi ipsi solent interuenire.

Veniendo autem ad ebrios num. 434. quæstionem proponit an ebrius à testimonio repellatur? & respondet
145 quod sic: & quod † examinatus nihil probat: quod confirmat multorum Doctorum authoritatibus, qui ea de re rationem reddendo dicunt, quod ebrius nescit quid loquatur, & furiosis, ac ignorantibus æquiparatur, per l. 1. §. furiosus, ff de actionibus, & obligationibus. Qua de re videatur Anton. Gomez tomo 3. variar. resolutio. cap. 12. numero 18. in fine versic. repellitur ebrius, vbi dicit quod ebrius non solum reputatur à mente sua alienus, verum etiam vilis, & infamis. Quod etiam dicit Tiraquel. de pœna temper. causa 6. numero 8. & Mascar. lib 2. de probat. conclus. 579. numero primo, cum sequentibus & libro tertio, conclus. 1358. numero 9. vbi refert plures alios id ipsum dicentes, qua ratione Farinacius prædictus dicit hanc esse communem regulam, quæ sine dubio sustineri potest. Sed postea numero 435. vsque 438. limitat eam vt procedat in eis qui tempore testimonij ebrij sunt, aut saltim in eis, qui soliti sunt inebriari, inter quos computat popinones, quos vulgus vocat tabernarios, eos scilicet qui in tabernis & popinis assiduò versantur. comedendo, bibendo & ludendo. qui (inquit) admittendi non sunt ad testificandum, maximè si probetur aliquando eos fuisse penitus ebrios, ita vt non intelligerent quid agerent aut dicerent: secus est autem in ebrio exhilarato, siue gaudente propter solum vinum, quod probat authoritatem multorum DD. & tandem concludendo dicit quod modica ebrietas testem à testificando non repellit.

Sed deueniendo † ad histriones, 146
& bufones, prædictus Farinac. loco vbi supra à numero 439. vsque 443. quæstionem etiam proponit, an ij qui artis ludicræ causæ in publicam scænam prodeunt, & similes à testificando repellantur? & respondet quod sic, cum à iure infames reputentur, per verba expressa textus, in cap. definimus 4. quæstione prima, ibi, omnes etiam infamiæ maculis aspersi, idest, histriones, vbi ab accusatione repelluntur, & multo magis à ferendo testimonio. Facit & textus in l. secunda, & sequenti. ff. de ijs qui notantur inf. in illis verbis. & omnes propter præmium in scenam prodeuntes. Quam regulam ampliat
etiam † vt procedat in arenarijs, vel 147
bestiarijs, ijs scilicet, qui pecuniæ lucri causa, in arenam descendunt ad pugnandum cum bestijs, iuxta textum in l. ob carmen. §. si ea res. ff. de testibus, & l. 1. §. idem Senatus Consultus, & §. bestias, ff. de postulando & l. 3. §. lege Iulia, ff. de testibus. Nam omnes eiusmodi personæ cum infames in dictis iuribus reputentur: merito à testimonio repelluntur: sicut enim qui qæstus causa propriæ vitæ non parcunt, ita eiusdem quæstus causa eos peieraturos facilè lex Iulia præsumit. Quod etiam tenet Speculator, titulo de teste. §. 1. num. 80. versu, item quod est arenarius. Sed postea prædictus Farinacius limitat

limitat regulam prædictam, vt non procedat in ijs, qui non quæstus, sed virtutis, aut propriæ voluntatis causa, talia exercent: quia testificando non repelluntur, nec verò supradicti in casibus exceptis, & vbi veritas aliter haberi non potest, de quo dicemus infra.

148 Quantum vero † attinet ad Apostatas à sua religione, etiam prędictus Farinacius vbi supra numero 444.& 445.inquirit an esse possint testes, & dicit quod non, & probat illud triplici ratione. Primò quia sunt infames, & cum sacrilegis, quod infamiam æquiparantur: per cap. infames 6. quęstione 1. Secundò quia etiam sunt periurij, cum contrauenerint iuramento, seu potius voto obedientiæ, & religionis, præstito per ipsos in ingressu monasterij, & professione. Ac tandem tertiò, quia sunt ipso facto excommunicati, per capit. 2. ne Clerici vel Monach. libr. 6. per quas rationes omnes communiter Doctores dicunt eos esse à testimonio repellendos. Quod multo magis procedit in Apostatis à fide, per capit. non potest 2. quæstio 2. & capit. alieni erroris cum sequenti 3. quæstione 4. Facit ad id lex ij qui sanctam fidem, C. de Apostatis, & faciunt etiam ad hoc omnia quæ superius diximus de infidelibus, & hæreticis.

149 Sed loquendo † de decoctis, & ijs qui vulgo dicuntur falliti, etiam prędictus Farinacius vbi supra numero 446. cum sequentibus vers. 451. quęstionem proponit, an à testimonio repellantur tanquam infames? & respondent quod sic, quod probat de mente Bartoli, & aliorum in l. 1. C. de summa Trinit. & fid. Cathol. dicit tamen hoc esse intelligendum in causis criminalibus, secus est autem in ciuilibus, ni forsan arduis, & quæ æquiparentur criminalibus. Et addit quod ad hoc vt procedat supradicta regula, necessum est vt vltra falimentum, proprijs suis quispiam cesserit bonis, nam tunc reuera à iure reputatur infamis, & testimonium ferre non potest, nisi ad defensam, aut nisi de proprio facto, & de ijs, quæ ab ipso gesta sunt deponat, videatur Farin. vbi supra.

Loquendo autem de † proditoribus, à numero etiam 452. vsque 455. quærit & tractat, an eiusmodi sint etiam repellendi à ferendo testimonio tanquam infames? & respondet quod sic, secundum Baldum, in ca. licet vniuersis de testib. n. 3. quod etiam probat authoritate aliorum DD. Sed dicit hoc esse intelligendum, † vt procedat in proditoribus Principum, & committentibus crimen læsæ Maiestatis, & extenditur ad ipsorum filios, & ad supplicantes pro eis. Pro quo remittit se ad ea quę dicit in primo lib. tit. de delictis, & pęnis quæst. 18. à numero 73. cum sequentibus. 150 151

Sed deueniendo † ad fustigatos num. 456. etiam inquirit an à testimonio repellantur? & dicit quod sic, idque esse tenendum sine dubio, quia vndique sunt infames, per l. fustibus C. ex quibus causis inf. irrog. quod Mascard. libr. 3. de probationibus, concl. 1356. num. 33. ita ampliat vt dicat, quod si mille annis fustigatus viueret, testis esse non posset. 152

Deueniendo autem † ad prodigos, num. 457. & 458. quærit an etiam à testimonio repellantur? & respondet quod sic, quod probat per glos. & DD. in l. is cui bonis, ff. de testam. & §. omnes inst. de testam. & ibi DD. communiter. Quod etiam tenet Speculator tit. de teste, §. 1. num. 32. verso, item quod est talis, & Mascard. supradicto libr. 3. de probationib. concl. 1358. num. 38. & ratio- 153

tio est, quia prodigus in iure æquiparatur pupillo, qui nec testamentum facere, nec testis esse potest: & præterea quia est infamis de facto (vt dicunt omnes communiter DD.) de quo videatur Farinac. vbi supra, vbi in fine limitat prædictam regulam, vt tantum procedat in eo prodigo, cui bonis fuit interdictum: sic enim inquit loquuntur iura, & DD. supra citati: secus est autem si talis interdictio non fuisset facta: nam tunc prodigus etiam notoriè testis esse potest, cætera omnia facere, ac si non esset prodigus, iuxta glos. in l. is cui. ff. de verborum obligationibus.

154 Sed loquendo de † accusatoribus, quod etiam ipsi iure à testimonio dicendo contra accusatum repellantur: probat Farinac. loco supra citato quæst. 60. à nu. 64. cum sequentibus multis iuribus & rationibus. Sed primò per cap. forus §. in omni negotio. de verb. sign. & satis colligitur ex omnibus capit. quæ habentur 3. quæst. 5. illudque expressè dicit glossa in cap. 1. 4. quæst. 4. Speculator tit. de teste, §. 5. num. 89. versic. item quod idē est accusator & testis. Qua

155 quidem ratione † dicit in hoc grauiter peccare, quosdam officiarios, quos non pudet contra omnem æquitatem, & rationem, ad testimonia ferenda admittere eos, quos prius habuerunt delatores. Et ampliat prædictam generalem regulam ad hoc vt procedat in tantum, vt si quispiam accusator in testem admittatur, eius depositio nihil omninò probat contra accusatum nec vllum prorsus faciet indicium, neque ad torquendum neque ad inquirendum, etiamsi accusator ipse sit princeps, aut quæuis alia nobilissima persona. Quod etiam procedere, dicit in casu, quo sint plures accusatores, atque ex ipsis iudex eligit vnum qui accuset, & quod cæteri fungantur testium munere, quod etiam fieri non potest, iuxta glossam in c. in primis 2. quæst. 1. verbo accusatores, quod est multum notandum, ac memoriæ commendandum. Videatur supradictus Farinacius loco vbi supra, vbi ponit aliquas limitationes, quæ non vsquequaque placent, præsertim illud, quod dicit quod in hæresis causa idem esse possit accusator, & testis, quod non esse credo verum nec id habere locum in accusatore, sed tantum in denunciatore, fraternali, siue etiam in iudiciali, prout supra dixi agendo de denunciatione.

Loquendo verò de calumniatoribus, † supradictus Farinac. in supradicta quæstione 57. num. 459. & 156
460. quærit etiam, an à testimonio repellantur, & respondet quod sic. Quia condemnatus de calumnia dicitur infamis, per l. 3. C. de calumniatoribus, & DD. ibidem, ac ideo tanquam condemnatus actione famosa, à testimonio repellitur, per l. quæsitum in fine ff. de testib. dicit tamen in hoc multum esse tribuendum iudicum arbitrio. Et idem dicit in sequenti num. 461. de continuo litigatore, & litium redemptore, quod etiam à testimonio est repellendus, cum calumniator præsumatur: vt dicunt omnes Doctores communiter, quod probat ex multis, quæ poterūt videri ibidem.

Duodecima Conclusio.

PRæter supradictos omnes, plures † etiam repelluntur in iure à ferendo testimonio, propter indecentiam, mendacijve suspicionem: nempe iudices etiam arbitri, qui simul testes in eadem causa esse non possunt, neque aduocati, procuratores, sollicitatores, & alij similes. Hæc etiam conclusio est Farinacij prædicti diuersis in locis. Sed quantum ad iudices probat

eam

eam in prædicta quæst. 60. à numero 89. cum sequentibus vsq; 154. & primo quia esse videtur absurdum, vt quis in aliqua causa duplici fungatur officio, iudicis, scilicet, & testis argumento textus, in l. quisquis C. de postul. & capit. 1. 4. quæstione 4. Qua rōne iudices ordinarij, siue arbitri, in causa coram eis pendente, testimonium ferre non possunt: quam generalem regulam ad plures casus ampliat, sed postea multis modificationibus limitat Farinacius prædictus, quæ omnia cum per tempus referre non liceat, breuitatis causa facio missa, vt videantur ibidem. Et à numero 155. cum sequentibus probat id ipsum de aduocatis, qui propter affectionem præsumptam, in
158 causa qua † aduocati sunt à testimonio etiam ferendo repelluntur, per textum expressum in cap. si testis, §. testes quos accusator. 4. quæst. 3. & textum in l. fin. ff. de testib. vbi expressè habetur, vt patroni siue aduocati in causa, qua patrocinium præstant, testimonium non ferant. Quam esse dicit communem regulam, ipsamq; pro more suo ampliat ac postea limitat & modificat, à dicto numero 155. vsque 195. & in sequenti numero 196. id ipsum dicit de procuratore, qđ probat per c. insuper. de testib & ibi glossa, & DD. verbo, item non potest quis admitti. Sed postea à dicto numero vsque ad numerum 243. eandē regulam amplificat atque modificat, quod similiter facit à numero 244.
159 vsque 260. agendo de solicitatore, † qui pro domino suo testis etiam esse non potest. Et in sequentibus à numero 261. vsque 271. id ipsum dicit de administratore, & negotiorum gestore, & à numero 272. vsque 315. dicit ipsum de tutore, curatore, testamenti executore, & ad lites actore, & à num. etiam 316. vsque 324. dicit id ipsum de creditore, & debitore, & à numero 325. vsque 334. de venditore, à numero 335. vsque 362. decedente processionario. Et à numero 362. vsque 367. id ipsum dicit de donatore pro suo donatario, & à numero 368. vsque 385. de teste fideiussore, à numero etiam 386. vsque 405. de teste socio, & à numero 406. vsque 449. id ipsum dicit de proxeneta, siue mediatore, à numero etiam 450. vsque 543. id ipsum quærit de vniuersitate, à numero 544. vsque 573. quærit id ipsum de Abbate, siue Prælato, an testis esse possit pro suo monasterio: quæ omnia cum longissima sint breuitati studēdo facio missa, vt videantur ibidem. Quibus in locis (meo quidem videri) reperire licebit omnia, quæ ad idem propositum desiderari possunt.

Ex quibus omnibus facilè † erit 160
colligere, id quod propositum fuerit in initio præsentis Articuli, nempe quod à testimonio ferendo in iudicio quam plurimi repelluntur, alij propter culpam, alij verò citra illam: propter indecentiam, affectionem præsumptam, & mendacij periculi suspicionem. Et etiam ex dictis licebit colligere (id quod iam supra aliqualiter diximus) quod in iure illi testes dicuntur inhabiles, & minus idonei ad ferendum testimonium, quibus obstat aliquid ex omnibus supradictis. Illi verò habiles, idonei, legitimi, seu (vt vulgò dicitur) omni exceptione maiores, qui sunt eius dignitatis, & qualitatis, vt nulla exceptio ex supradictis illis opponi possit: quorum personæ exēptæ prorsus sūt ab omni mendacij suspicione, quia nēpe nec sunt serui, nec pauperes, nō amentes, aut mente capti, non fœminæ, non pueri, non infideles, non infames, non periuri: non amici, non inimici, ac denique nihil in se omninò habent, quod ipsos adducere

possit in mendacij suspicionem. Cæteri verò cum lege reperiantur prohibiti, non esse dicuntur idonei, legitimi, & omni exceptione maiores; cum secundum ius iusta aliqua exceptione possint repelli, iuxta id quod habetur in l. 1. ff. de testibus.

Solummodo restat respondere ad argumentũ propositum in initio articuli, quo probari contendebatur nõ posse quempiã citra culpã repelli à ferendo testimonio in iudicio, & quidem præsuppositis supradictis perfacilis est solutio: nam non semper propter culpam, quin verò sæpissimè citra illam repelluntur homines à testificandi munere: cuius ratio est, quia in testibus iura non tam considerãt culpam aut non culpam, quam eorum idoneitatem & legitimitatem, ad hoc vt suum testimonium verum reputetur: quod tunc fit quando in eis nihil omninò est, ex quo falsi oriri possit suspicio. Cum enim humana iudicia (vt supra diximus) non habeant, sed neque habere possint veritatem, & certitudinem infallibilem, sed tantum probabilem, quæ ex testibus & ipsorum testimonio dependet, inde est vt omne illud, quod aufert, seu auferre potest eiusmodi probabilitatem, testiũ testimonium reddit inefficax. Certum est autem nec negari vllo modo potest, quod in hominibus citra culpam multa possunt concurrere, quin verò de facto concurrunt, quæ prędictam probabilitatem auferant, vt paupertas, & omnia alia quæ supra diximus, quapropter nec immeritò eiusmodi homines à testimonio ferendo in iudicio repelluntur, nec per hoc aliqua ipsis fit iniuria, siue irrogatur pœna, vt argumentum prætendit, nam repellere aliquem à testimonio dicendo in iudicio, non tam pertinet ad pœnam, quam ad falsi testimonij vitandi cautelam: iureque optimo stabiliri potuit, vt aliqui absque culpa ab eo excludantur: & licèt quilibet præsumatur ac præsumi debeat bonus, quousque per culpam sibi probetur contrarium: quando tamen testimonium vergere potest in damnum, & præiudicium tertij, consultissimè adhibetur cautela vt non de facili credatur cuilibet, cum sicut dixit D. Ioannes 1. capitulo quarto, non sit omni spiritui credendum, tum vel maximè quando in testificando inest aliquid, ex quo falsi oriri possit suspicio, siue id reperiatur in eo ob culpam, siue verò citra ipsam, & hæc pro isto articulo dicta sufficiant.

SVMMARIVM.

161 Socius criminis regulariter loquendo repellitur à ferendo testimonio.

Amplia vt nec etiam faciat indicium ad torturam, nec admittatur vt accusator, nec ei creditur alium inculpanti, & se ipsum exculpanti nu. 162.

Et quando inculpans alium sit bonæ famæ nu. 163.

Nec facit indicium etiam contra hominem malæ famæ numero 164.

Et quando in dicto perseuerauerit vsque ad mortem, numero 165.

Limitatur in criminibus exceptis numero 166 in quibus etiam tenetur reus in foro conscientiæ reuelare num. 167.

Et in crimine læsæ maiestatis, num. 168.

Et coniuratione, & conspiratione num. 169. & quæ dicatur coniuratio, & conspiratio ibid.

Et in crimine falsæ monetæ numero 170.

Et

Et

Et inducitur ex decem prædicamentis, & exemplificatur, nu. 246.

247 *Testes singulares dicuntur illis, qui in suis depositionibus simul coniungi non possunt; & illi sunt contestes, qui possunt coniungi.*

248 *Testes vt plenam faciant probationem, debent esse contestes in ciuilibus, & multo magis in crim.*

Etiam si crimen sit hæresis, aut aliud eorum, de quibus constitutum est, vt procedatur, vt in crimine hæresis. nu. 249.

250 *Testes singulares, quamuis sint plures vtcunque fide digni, nunquam tamen factum aliquod plenè probant. Declara, num. 251.*

252 *Testes non solum dicuntur singulares quando discordant in facto, & substantia, verumetiam si discordent in verbis, vbi agitur de formalitate verborum, & n. 266*

Exemplificatur num. 253.

Et declaratur. nu. 254.

255 *Testes singulares dicuntur quando non concordant in loco, & tẽpore.*

Limitatur, nu. 256. 257. 258. 259.

260 *Testes nihil dicẽtes de loco, & tẽpore, sed silẽtes an, & q̃do probent?*

261 *Testes singulares singularitate adminiculatiua, quamuis non probent factum in specie, & in indiuiduo probant illud in genere.*

262 *Tempus, & locus non sunt circunstantia necessaria ad probandam hæresim. & diuersitas testium in alijs quam in substantia non abrogat eorum fidem.*

263 *Testes inter se contrarij minus probant, quam singulares, quin verò tanquam suspecti de falso interdum debent puniri.*

Declara, quod non ambo sint puniẽdi sed tantum ille, cuius testimonium minus probabilitatis habet, nu. 264. & inde nu. 265.

267 *Testium concordia procuranda, quam maximè est, & fieri potest, non tam vt probent, quam vt euitetur falsitas, & contrarietas.*

Dummodo interpretatio, & concordia sit consona, & congrua veritati, nu. 268

269 *Testes si inter se sint cõtrarij quãdo concordari non possunt, plures numero vincunt pauciores regulariter. Limita, quando pauciores essent digniores, nam dignioribus semper magis, quam minus dignis creditur n. 270. Intelligẽdo tamẽ quod dignitas, & nobilitas paucorum numero testium sit notabilis, & non sit magnus excessus in numero testiũ minus dignorũ, n. 271*

Limita ẽt quando testes pauciores verisimiliora deponerent, n. 272.

Et q̃n testes cõtrarij cõcordari nõ possunt magis credendum est deponentibus in fauorem rei, nu. 273.

Ampliatur etiam si testes excludentes delictum essent laici, affirmantes essent clerici, nu. 274.

275 *Testes varij in sua depositione, seu vacillantes nihil probant, neq fidem faciunt in iudicio Et qui dicantur varij contrarij & vacillantes, nu. 276.*

277 *Varietas in testibus debet esse circa substantia negotij. Varius testis circa substantiam negotij nihil probat nu. 278.*

279 *Testis varius in secundo examine quando, & quomodo se possit ad primum sui dictum referre. Et quando puniatur de falso. n. 280. Et quando torquẽdus sit ad eliciẽdam veritatem in quo dicto persistat, num. 281.*

282 *Testes vbi sunt varij in suis depositionibus ad primum non ad secundum dictum debet attendi. Amplia nu. 283. 284.*

285 *Casus in quib. debet attẽdi secũdũ testis dictum potius quã primum.*

286 *Testis dictum secũdũ debilitat primum in tantum vt ex eo non possit deferri iuramentum in supplementum.*

287 Te-

ARTICVLVS IV.

Vtrùm socij criminis, repellendi sint à ferendo testimonio in iudicio?

HAC de re specialem quæstionem proponere libuit pro eo, quod peculiarem continet difficultatem, neque de ea par est omnium DD. iurisconsultorum cōsensus, quin verò quam maximè inter se reperiuntur diuisi. Quidam enim simpliciter, & absolutè dicunt, criminum socios omninò à testimonio esse repellendos, nec de complicibus eos vllo esse modo interrogandos (nisi forsan in aliquibus specialibus casibus) de quibus infra, & con-

contrarium si fiat, & de facto interrogentur in casu, quo interrogari non debent, ipsorum testimonium nullam omninò facere probationē, neq; etiam indicium ad torturam. Alij ex diametro contrarium tenēt, & dicunt eos interrogari quidem posse: ipsorumq; testimonium aliqualem probationem efficere, saltim ad torturam: alij media procedentes via asserunt, eiusmodi complices, socios, siue participes criminum, tunc solummodo in iudicio facere fidē, quando ipsorum testimonium tormentis fuerit confirmatum, non verò aliter: id quod colligunt ex ca. penul. 5. q. 5. Sed alij è contra dicūt, quod etiamsi sponte, & sine tormētis testimonium protulerint, aliqualem in iudicio faciūt probationem, magis vel minus pro criminum, & personarum qualitate, & consideratis alijs circunstantijs, quæ in id cōsiderari possunt & debent, hæc Doctores in communi. Vt verò hac in re & materia satis quotidiana, & practicabili, & à iudicibus non bene intellecta, aut saltim practicata, quid tenēdum & practicandum sit, pro ratione morę breuiter, atque resolutiuè dicamus, sequentes statuo conclusiones.

Prima Conclusio.

161 Communiter, & regulariter † loquendo certissimum est, quod socij criminum iure repelluntur à ferendo testimonio in iudicio, & nec fidem faciunt etiam vt procedi possit ad torturam, contra nominatos siue culpatos esse dictos. Hæc conclusio habetur expressa in l. finali, C. de accusationib. in fine, vbi sequentia habentur verba: Cum veteris iuris auctoritas de se confessos, neque interrogari quidem de aliorum conscientia sinat: nemo de proprio crimine confitentem, super conscientia scrutetur aliena. hoc habetur, in l. repeti, ff. de quæstionib. & in l. quoniam liberi, C. de testib. & in cap. veniens el 1. eod. tit. cap. 1. de confessis, c. nemini, 15. q. 3. iure etiā regio id ipsum habetur, in l. 21 tit. 16. partita 3. Qua de re videatur Ant. Gom. tom. 3. variar. resol. cap. 12. de probatione delictorum num. 14. vers. non verò in alijs, vbi hanc esse dicit opinionem communem, & Iul Clar. lib. 5. §. fin. q. 21. n. 3. vers. debes autem scire quod regulariter delinquens, non potest interrogari de socijs, per text. in l. fin. C. de accusationib. & est communis omnium sententia. Videatur etiam hac de re Mascard. de probat lib. 3. cōcl. 1311. n. 1. & Farinac. tractatu de indicijs, & tortura, q. 43. à n. 1. cum seq. vbi id ipsum tradit pro generali regula: ipsi tamen pro suo more apponendo aliquas ampliationes, & postea limitationes, quas multis iuribus, & Doctorum auctoritatibus confirmat, quæ breuitatis causa facio missa. Sed ratio præcipua propositæ cōclusionis est, quæ adducitur in dict. l. fin. C. de accusationib quia de eiusmodi criminum socijs, iure optimo præsumi potest, quod veniam, aut fauorem à Principe, siue iudice sperantes, vel vt aliquod capiant priuilegium, aut forsan odio, inuidia, siue inimicitia, vel vt alter eodem supplicio pereat, falsò quemlibet accusabunt. Cui & addi potest alia ratio præstantissima, & ea est: nam qui se socium criminis alicuius esse dicit, eo ipso infamis, & criminosus efficitur, meritòque proinde à testimonio est repellendus, iuxta l. 3. §. lege Iulia, ff. de testibus, & capit. præterea, de testibus cogend. & l. infamem, ff. de publicis iudicijs. Sed deueniendo ad regulæ prædictæ ampliationes. Prima, quā tradit Farinac. ad regulam generalem prædictam, à numero 5. cum sequen-

162 quentibus est, quod socius † criminis etiamsi vt testis sit examinatus non probat, nec aliquod facit indicium. Secunda vt nec etiam sit admittendus, si veniat vt accusator, vel denunciator. Tertia vt criminis socio, non solum non credatur, inculpanti, & nominati alium in socium, verum etiam nec ipsum exculpanti: licet de ea re aliqualis sit controuersia, & differentia inter Doctores, sed hoc est verius, & quod communiter tenetur, de quo videatur prædictus Farinacius, à numero decimo, vsque 23. nam hanc quæstionem hic ex professo tractare per tempus non licet, & ipse latissimè vtriusque partis fundamenta proponit. Quarta vt regula prædicta procedat, etiamsi reus
163 † inculpans alium, sit alias vir bonæ famæ, & magnæ existimationis, & dignitatis, etiam clericalis, & sacerdotalis: nam adhuc (inquit) eius dictum contra inculpatum indicium ad torturam non facit: quod probat per Abbatem in cap. 1. notab. 2. de confessis, & alios Doctores, sed maximè Maschard. lib. 2. de probat. concl. 1311. nu. 15. Ampliat quintò regulam prædictam Farinac. ad hoc
164 vt procedat † etiam cōtra hominem malæ famę, nã ēt in hoc casu indiciũ non facit ad torturam (quidquid alij in contrarium dicant) nam & de hoc variæ sunt Doctorum opiniones, nisi sit delictum de criminibus exceptis, seu ex ijs, in quibus iure criminis socius interrogari potest de complicibus, de quibus in sequenti conclusione dicemus infra. Ampliat sexto prædictam regulam, ad hoc vt dictum socij criminis indicium non
165 faciat ad torturam, † etiamsi in eo perseuerauerit vsque ad mortem. Licet enim (inquit) moribundus, seu morti proximus mentiri non præsumatur, aut esse immemor salutis ęternæ, iuxta textum in l. fin. C. ad legem Iul. repetundarum, & cap. sancimus, 1. q. 7. cum tamen etiam morti proximus non præsumatur esse Sanctus Ioannes Baptista, aut Euangelista, nec etiam semper præsumitur dicere verum: quod multis probat prędictus Farinacius à num. 28. vsque ad num. 31. & in sequentibus numeris dicit multa, quæ per tempus referre non licet, semper ampliando regulã generalem prędictam, ad hoc vt procedat in multis alijs casibus, etiamsi dicti socij criminis sint duo: & verificetur etiã in crimine furti famosi, in crimine etiam falsi, in homicidio, in crimine simoniæ, de quibus oĩbus latissime tractat ibidē, videatur vsq; ad num. 55. Sed postea à num. 56. vsque 130. limitat regulam generalē prædictam de non admittendis ad testimoniũ, neque interrogandis criminis socijs, ad hoc vt locum nō habeat in aliquibus casibus, de quibus limitationibus, secunda statuitur conclusio.

Secunda Conclusio.

MVlti sunt casus, in quibus, stando etiam in iure communi, propter aliquas specialitates, & criminum immanitatem, delictorũ socij interrogari possunt, & examinati aliqualem faciunt probationem in iudicio, saltim ad torturam. Hæc conclusio in substantia est supradicti Farinacij loco vbi supra, à nu. 66 cum sequentibus, de qua, & videndus est Antonius Gomez tom. 3. variar. cap. 12. quod est de probatione delicti, num. 16. vers. adde tamen, & Iulius Clarus lib. 5. sententiarum §. fin. quæst. 21. num. 3. vers. dictum socij criminis. Et specificando eiusmodi casus, primo in loco constituit Farinacius prædictus, à iure communiter † exceptos, & illos 166
in quibus idem instituit criminum reos de se confessos, posse etiam interrogari de socijs & complicibus in quibus interrogati, si aliquem nominant

minãt & inculpãt, eiusmodi (inquit) nominatio, saltim indicium facit ad torturam, quod probat multorum Doctorum auctoritatibus, sed maximè prædictorum Antonij Gomez, & Iulij Clari locis citatis. Quæ autẽ dicantur crimina excepta, & in quibus rei de se confessi interrogari possint de socijs & complicibus, inferius dicetur latius & in particulari. Sed pronuuc in communi, & generali dico, ea esse quæ Reipublicæ sunt pestifera, totamque multitudinem ac bonum publicum lędunt, & in his non solum criminis reus interrogari potest de socijs: verum & quicumq; etiam non vocatus, se proferre tenetur in testem, vt prouincia malis hominibus expurgetur: argumẽto textus in l. congruit, ff. de officio pręsid. Qua ratione hac in re cõcors est omnium Doctorum resolutio, quod in
167 eiusmodi casibus reus † etiam interrogatus de socijs & complicibus, in foro conscientię tenetur illos reuelare: & contrarium faciendo peccabũt mortaliter: quod multum oportet aduertere confessores omnes, vt non meritò dicantur impœnitentes absoluere, contra ius diuinum & humanum, per cap. pænitentia dist. 3. ca. negatur 24. q. 2. & cap. peccati venia, de reg iur. lib. 6.

Secundo in loco limitanda venit
168 prædicta † prima conclusio, & generalis regula, vt non procedat in crimine læsæ maiestatis diuinæ: nam in eà reus de se confessus, interrogari quidem potest de socijs, & complicibus, cum in hoc crimine etiam admittatur in testem, per cap. in fidei fauorem de hæret. lib. 6. & cap. literas de præsumptionib. & si aliquem nominãt indicium facit ad torturam prout tenent omnes communiter DD sed præcipue Anton. Gom. & Iul. Clar. superius citati, & Masc. lib. 1. de probationibus, conclu. 476. nu. 7. & lib. 3. conclus. 1311. num. 22. & concl. 857. num. 8. relati per Farinacium loco vbi supra, num. 58. & in sequenti 59. dicit idem esse intelligẽdum de crimine læsæ maiestatis humanæ, per text. expressum, in cap. 1. de confessis, in illis verbis De se confessi super aliorum conscientijs interrogari non debent, crimine læsæ maiestatis excepto, quod tenet ibi Abbas, & omnes communiter Doctores, & facit ad idem cap. neminis 15. quęs. 3. & l. quisquis infame, ff. ad l. Iul. maiest. Videatur hac de re Anton. Gomez vbi supra, & Mascard. lib. 1. de probat. conclus. 158. num. 6. & conclus. 462. n. 2. & conclus. 466. num. 7, & libro 3. conclus. 1311. numero 25.

Tertiò limitanda est supradicta conclusio, ac generalis regula, vt non procedat † in conspiratione, & con- 169
iuratione, in qua coniurationis, & conspirationis socium in testem debere admitti, probat expresse textus cum Glossa in capite final. de testibus cogendis, & capite si quis cum militibus in fine 5. quæst. 1. Et generalis est omnium Doctorum resolutio, quod ad probandam conspirationem contra aliquem, admitti possunt in testes socij, & participes criminis, etiamsi pretium receperint, & non reuelare iurauerint: per textum in dicto capite final. de testibus cogen. & conspiratio, vt de se patet, nomenque ipsum sonat: nihil est omninò aliud, quam coniuratio & conuenticulus multorum ad aliquem actum illicitum, per textum in capite coniurationum, cum quatuor sequentibus, 11. quæstione 1. semperque sumitur in malam partem, quãuis & reperiri possit alia, quæ si respiciat alicuius communitatis bonum, haudquaquam conspirationis, aut coniurationis promereatur nomen, vt supra diximus, agendo de iudiciali denunciatione. Hoc itaque est certissimum atque constitutissimum,

mum, quod coniurationis & conspirationis socij, admittuntur in testes ad eandem probandam: & quod cõspirator repellitur à ferendo testimonio, contra eum in quem conspirauit, per caput conspiratores, 3. quęstione 4. cum alijs allegatis ab Speculatore, titulo de testibus, §. 1. numero 1. Idemque tenet Baldus in capite conuenticula de pace iuramento firmanda, notab. 1. Et limitatio prędicta intelligenda est, non solum de conspiratore, & coniuratione facta contra Principem, verum etiam de qua vis alia, facta contra quamlibet personam priuatam & particularem: videatur Farinac. vbi supra num. 61. & 62.

Quartò limitanda est supradicta
170 conclusio † in crimine falsæ monetę, per leg. 1. C. de falsa moneta: nam cũ claudatur sub læsæ maiestatis crimine, & regulariter non nisi cum pluribus fabricari soleat, de se confessus meritò etiam de complicibus interrogari potest, & in id ipsum torqueri: ipsiusque nominatio contra alium siue alios, indicium facit ad torturam, per textum in dicta l. 1. C. de falsa moneta, in principio, in illis verbis, facti conscius per tormenta illico producturi. Qua de re videatur Anton. Gomez. loco vbi supra, & Iul. Clar. etiam vbi supra, & Farinac. num. 63.

Quinto limitanda est eadem con-
171 clusio, † in latronibus, & grassatoribus viarum, quos posse de consocijs interrogari & torqueri cum crimen tale sit, quod non solet nisi à pluribus committi, probat textus in l. prouinciarum. C. de ferijs, in illis verbis, nec differatur scelcratorum proditio consiliorum, quę per latronum tormenta quærenda est. Facit & textus in leg. Diuus Adrianus, ff. de custodia reor. Per quæ iura tenent omnes communiter Doctores, quod sociorum nominatio, indiciũ facit ad torturam. Qua de re videatur Follerius in sua practica crimina. 1. p. tertiæ partis num. 102. versi. & si confitebuntur & num. 104. vers. item in latrocinio, & Anton. Gomez. & Iulius Clarus loco vbi supra, & Mascard. lib. 3. de probat. conclus. 1311. num. 36. & Farinac. loco vbi supra, num. 64. Et in sequentibus, numero 65. 66. & 67. dicit id ipsum esse intelligendum in crimine assassinij, in quo propter immanitatem potest assassinus de mandatario interrogari, & id ipsum torqueri, & idem fieri potest in sacrilegio, per capitulum in primis 2. quæstio. 1. & ca. qui autem, 17. quæstio. 4. & in maleficis, & matematicis, quod probat multis iuribus, & Doctorum auctoritatibus, à me breuitatis causa omissis. Et in sequẽti nu. 68. cum sequentibus, vsq; nu. 77. id ipsum dicit de criminibus occultis, & difficilis probationis in quibus veritas aliter quam per socios criminis haberi non potest: & quod in ijs casibus cum ob probationis difficultatem testes inhabiles admittantur, leuioraque indicia sufficiant: criminum socij etiam recipiuntur in testes, & ex ipsorum dicto indicium oritur ad torturam contra nominatum, siue nominatos culpatos, per textum in capit. final. de testibus cogendis, cuius esse potest exemplum in coniurationibus, & conspirationibus, & criminibus commissis de nocte, siue in secreto & occulto. Dicit tamen id esse intelligendum, quando ex natura rei & facti, alij testes haberi omninò non potuerunt, quia nec alij interuenerunt: vt non ansa præbeatur iudicibus idem faciendi in quibuscunq; criminibus occultis, & difficilis probationis, si per alios veritas haberi possit. Non defuere qui dicant in eiusmodi criminibus, cum ob probationis difficultatem socij, & complices prædicti admittantur à iure, eosdem testes idoneos,

&

& omni exceptione maiores reputãdos: quod voluit Decius in consilio 342. numero 3. versu, & ista conclusio, quem sequitur Mascard. lib. 3. de probationibus, concl. 1147. num. 37. à qua sententia nec dissentit Anton. Gom. tom. 3. variar. de probat. delictorum cap. 12. num. 18. versic. sed ijs obstantibus, vbi dicit hoc esse generale in omnibus casibus exceptis. Ita quod vnus criminis socius, etiam sine alijs adminiculis, non solum indicium facit ad torturam, verumetiã si plures sint plenè probent, & ad condemnandum sufficiant. Sed hæc sententia, & opinio, haudquaquam placet Farinacio loco vbi supra, numero 75. & dicit cõtrarium omnino esse tenendum, & quod in prædictis delictis occultis, & difficilis probationis, socij criminis quamuis admittantur, non sunt tamen testes omni exceptione maiores, nec plenè probant, aut ad condemnandum sufficiunt, sed tantummodo ad torturam: quin verò addit, quod criminis socius vt ad torturam sufficiat, necessum est, vt adiuuetur alijs adminiculis, pro quo remittit se ad ea, quæ dixit eadem quæst. nu. 26. & quæst. 37. de testibus, nu. 19. & nu. 62. cum sequentibus.

172 Sextò limitanda est supradicta cõclusio, † & generalis regula, vt non procedat in crimine adulterij, quia hoc delictum non committitur principaliter in offensam alicuius, sed ad commodum, & voluptatem delinquentis, vt dicit Baldus in l. repeti, §. 1. ff. de quæstionib. vnde & in eo criminis reus interrogari potest de socijs, cum sit etiam delictum difficilis probationis, & in quo veritas per alios haberi non potest, & eiusdem nominatio indicium facit ad torturam. Qua de re videatur prædictus Farinac. in dicta quæst. 43. à nu. 78. cum sequentibus, vsque 88. vbi pro explicanda hac limitatione, & modificatione, plura dicit, eaque notatu dignissima, nam & non desunt, qui contrarium dicant, & mulierem adulteram tãquam criminis sociam, nullam prorsus fidem facere contra adulterum, nec mulieri asserenti fuisse se ab aliquo carnaliter cognitam esse credendum, eiusue assertionem fidem facere ad torturam: sed contrarium est verius, & pro concordandis eiusmodi opinionibus, plura dicit prædictus Farinacius, quæ pro eo, quod longa sunt, & à meo proposito aliena, breuitati studendo consulto facio missa, videantur ibidem.

Septimò eadem limitanda est conclusio, † & generalis regula, vt non procedat in crimine sodomiæ, in quo omni dubio procul criminis socius de complice interrogari potest, & eiusdem nominatio indicium facit ad torturam, si simul aliqua adminicula concurrant: secus est autem sine illis, prout multis hinc inde habitis latissimè probat Farinac. prædictus in dicta quæst. 43. à num. 89. cum sequentib. vsque 101. vbi concludendo dicit, sodomitati dictum, nunquam indicium facere ad torturam, nisi & illud fuerit etiam in tortura confirmatum, per ea quæ amplius, & generaliter dicit infra in hac eadem quæstion. num. 134. Sed retrocedendo ad num. 102. in eo dicit regulam generalem prædictam limitandam esse, vt non etiam habeat locum in lænocinio, in quo quidem delicto socius interrogari potest de consocijs, & admittitur in testem, indiciumque facit ad torturã: quod probat auctoritate Saliceti in l. quoniam liberi, C. de testibus, numero quinto ibi, vt puta in causa lænocinij, & cum Saliceto conueniunt quamplures alij Doctores, licèt non desint, qui dicant ipsum non fuisse locutum de lænocino, sed de latrocinio, postquam allegat legem Diuus 173

la

la secũda, ff. de custodia reor. & leg. prouinciarum, ff. de ferijs, quæ iura non de lænocinio, sed de latrocinio loquuntur. Sed quidquid de hoc sit, sustinenda est limitatio prædicta, cum negari non possit, quod lænocinium ad minus est delictum difficilis probationis, & quod occultè, & secretè committi solet, ac proinde in eo interrogatio fieri potest de socijs, facitque indicium ad torturam, iuxta ea, quæ dicta sunt supra.

174 Idem dicendum est de † crimine suppositi partus, cum sit etiam difficilis probationis, & in quo veritas per alios quam per socios, & participes criminis sciri non potest. De quo videatur Farinacius prædictus loco vbi supra, numero 103. & 104. Et in sequenti numero 105. dicit, regulam generalem supradictam positam in prima conclusione, procedere in delictis, quę principaliter cõmittuntur in alterius odium, & iniuriam, prout est homicidium, & similia. In his enim (inquit) verum est, quod de se confessus interrogari non potest de socijs, iuxta legem reperi, §. primo, ff. de quæstionibus, & leg. final. C. de accusationibus: secus est autem in delictis, quæ principaliter committuntur, non in odium, & iniuriam alterius, sed in commodum delinquentis: prout est falsare monetam, & latrocinia facere: non enim latro odio habet eum cui furatur, sed eius pecuniam diligit. Ideò (inquit) in his, & similibus delictis, permissum est à iure reos de consocijs interrogare, iuxta legem Diuus, ff. de cust. reor. & leg. prouinciarum, C. de ferijs. Et ratio diuersitatis est, quia in primo casu nunquam deficit, qui delinquentes accusare possit, in secũdo autem sic, ideòque permittitur iudici in eo magis inquirere. Quæ distinctio originaliter sumpta, est Bartoli in leg. reperi. §. primo, ff. de quæstionibus, contra quem insurgit Salicetus in leg. final. C. de accusationibus, num. 6. sed cum non vacet per tempus illos componere: lectorem remitto vt Farinacium consulat loco vbi supra, num. 106. vbi propendere, & inclinari videtur in opinionem Saliceti.

De cuius sentẽtia in numero 107. cum sequentibus, vsque 110. limitat etiam regulam generalem prædictã, vt tantum procedat † in delictis, quę de sui natura cum pluribus non solent committi, secus autẽ in illis quæ ex sua natura cum pluribus committuntur: nam tunc reus de se confessus, interrogari potest de alijs, qui delicti eiusdem socij, & participes fuerunt, quod etiam probat auctoritate multorum Doctorum, sed maximè Follerij in sua practica crimin. 1. par. tertiæ partis, num. 102. vers. & si confitebuntur, & Anton. Gomez tom. 3. variarum de probat. delict. cap. 12. num. 16. ad finem, vers. & regulariter dico, vbi hãc esse dicit opinionem communem, licet nõ ẽt desint qui contrarium dixerint: sed eo nihilominus non obstante à prædicta limitatione dicit non esse recedẽdum, cum sit verissima, & quæ communiter obseruatur in praxi. Et in sequenti numero 111. cum sequentibus, vsq; 117 dicit quod quando agitur ciuiliter, criminum socij non solum admittuntur in testes, verum etiam, & plenam faciunt probationem: quod de mente Saliceti probat multis legibus, & iuribus, ac Doctorum auctoritatibus, licèt non etiam desint qui dicant contrarium, & criminosum seu criminis socium, repellendum esse à testimonio, tam in criminalibus, quam etiam in ciuilibus, per capit. super eo el primo, & ibi glossa. & capit. testimonium de testibus, capite constituimus. 3. quæstione 5. quod etiã tenet Speculator, titulo de teste, §. 1. nu. 24. vers. item opponitur, quod est criminosus. Sed 175

quia

quia de hoc plura diximus in præcedenti articulo, consulto nunc ab his supersedemus, remittendo lectorem ad Farinacium in loco prædicto, vbi dirimit contrarietatem prædictam, dicendo quod criminosus actualis, in criminalibus in testem nunquam admittitur: in ciuilibus autem licèt admittatur, non tamen vt plenam faciat probationem, sed tantum præsumptionem, iuxta glossam in cap. quoniam de testibus, verbo milites, & verbo peregisse, vel si admittuntur ad probationem, id est quando fuerit emendatus, ac de emenda constiterit, iuxta ea quæ dicta sunt supra.

Nonò iuxta aliquos limitanda est, supradicta generalis regula, de
176 socijs criminis † non admittendis in testes, vt procedat quãdo iudex agit per viam accusationis, prout expresse loquitur textus in dicta l. fin. G. de accusatiõ. secus est autem id ipsũ, si faciat per viam inquisitionis, & ex officio: nam in primo casu inquiunt, ꝙ reus interrogari nõ potest de consocijs, in secundo autem sic. Et ratio differeniæ est, quia quãdo iudex procedit per viam accusationis, non potest interrogare, nec torquere reum, accusatore non instante, iuxta glossam in l. quicunque, verb. oportet, C. de seru. fugitiuis, quod etiam tradit Bald. in cap. 1. §. iudices, de pace tenenda, & graue videtur esse nimis quod in accusatorio iudicio plures interponantur personæ: nam & onus imponi non debet, nisi volenti: vnde fit quod in casu accusationis non fit interrogatio de socijs, ne fiat iniuria & grauamen ipsi accusatori: at verò quando iudex procedit per viam inquisitionis, & ex officio, cum tunc ex interrogatione sociorum, nullum inferatur grauamen & onus accusatori (quia non est) totumq; negotiũ pendeat ex iudicis officio, ad quem spectat expurgare ciuitatem malis hominibus, iuxta l. congruit, ff. de offic. præsid. benè (inquiunt) in tali casu interrogatio fieri potest de socijs, cum ad indagandam veritatem id ipsum visum fuerit expedire. Sed nõ desunt qui cõtra eiusmodi limitationem insurgant, & dicant id ipsum fieri nullatenus posse, quia cum hodie ex generali cõsuetudine (vt statim dicemus) in omnibus delictis (etiam nemine accusante) per inquisitionem, atque ex officio possit procedi, sequeretur manifestè proinde, quod etiam in omnibus delictis absque delectu, & discrimine interrogatio fieri posset de socijs: in hac quæstione & controuersia nolo iudicem agere: videatur hac de re Farinac. loco vbi supra, in dicta q. 43. nu. 118. & 119.

Decimò in sequenti nu. 120. prædictam † etiam generalem regulam 177 limitando, dicit eandem non procedere in seruis, quos de consocijs posse interrogari, probat textus in dicta, l. quicunque, §. fin C. de seru. fugitiuis, & in l. fin. C. ad l. Iul. maiest. & l. fin. ff. ad exhibendum, & l. & si certus, l. prius, ff. ad Sillanian. & l. 1. §. si quis vltro, ff. de quæstionibus. per quæ iura Salicetus in l. fin. C. de accusationibus, num. 6. versic. qua propter ego credo, generalem facit regulam quod quando persona inquisita siue accusata seruilis est conditionis, & aliquod graue delictum commisit, de mãdatoribus & socijs interrogari potest. Nam eiusmodi personæ, vt plurimum vt meticulosæ, sine socijs & alterius instigatione, non consueuerunt talia crimina, & delicta attentare, & committere.

Et in seq. numeris 121. 122. idem Farin. limitat vlterius regulã generalem prædictam, de non interrogãdis criminũ socijs, † ad hoc, vt nõ 178 procedat qñ statuto aliquo determinatum habetur contrarium, vt socij

criminis in testes admittantur, & de consocijs interrogari possint: hoc enim statuto aliquo stabiliri posse, indubitatum esse dicit, & quod habetur expresse in ciuitate Mantuæ, vt tradit Menochius de arbitrarijs quæstionibus, lib. 2. casu 474. numero 68. vbi inquit, quod cum omne priuilegium siue statutum, vltra ius commune semper debeat aliquid operari: statutum Mantuanum prædictum intelligendum est, vt interrogatio fieri possit de socijs, etiam in illis casibus, vbi alias fieri non poterat interrogatio, vt aliquid operetur vltra ius commune.

In sequenti etiam numero 123. Farinacius prædictus limitat nostrã
179 primam conclusionem † & regulam generalem prædictam, dicẽdo quod quidquid sit de iure communi, hodie tamen non procedit de consuetudine: nam In omnibus criminibus rei de se confessi, semper interrogantur de consocijs: quod probat multorum Doctorum auctoritatibus. Sed in sequenti numero 124 de sententia Iulij Clari lib. 5. §. finali quæstion. 21. numero 3. versu dictum socij criminis prope finem, non approbat eiusmodi consuetudinem: quin vero dicit in vrbe Romana, & pluribus alijs locis status Ecclesiastici, in quibus versatus est, nunquam se vidisse reos de se confessos, interrogatos fuisse de socijs, nisi in casibus à iure permissis, nec contrariam assertam consuetudinem, sed ius commune semper seruatum vidisse, atq; seruari debet de iure.

In sequenti num. 125. limitat etiã regulam generalem prædictam, di-
180 cendo quod licet dictum † socij criminis contra nominatum ad torturam non sufficiat (vt dicit regula) & conclus. 14. bene tamen sufficit ad inquirendum. Quod in sequenti nu. 126. improbat de mente multorum Doctorum. Sed in sequentibus, vsque ad numerum 130. contrarietatem prædictam concordando, dicit, quod si dictum socij criminis alijs indicijs, siue præsumptionibus sit adminiculatum, indistinctè dicẽdum est, quod facit semper indiciũ ad inquirendum, tam in criminibus exceptis, quam in non exceptis: si verò non est adminiculatum, distinguendam esse dicit de inquisitione: nam si per inquisitionẽ intelligamus assumere aliquas informationes de delicto quod dicitur esse commissũ, indistinctè id ipsum etiam fieri potest, in criminibus exceptis, & in nõ exceptis: si verò per inquisitionem intelligimus transmissionem informationum factarum ad hoc, vt cõpareat, seu vt postea contumax pro delicto damnari possit, & faciendũ contra ipsum processum, hoc haudquaquam licet, nisi in criminibus exceptis, non verò in non exceptis: quod etiam tenet Iulius Clarus, in dicta quæst. 21. num. 5. vers. si vero quæris, per quod concordantur, atque ad pacem rediguntur prædictæ duæ opiniones, quæ aliàs videntur contrariæ, hactenus Farinacius.

Tertia Conclusio.

IN omnibus supradictis casibus, † in quibus socij criminum, ad- 181
mittuntur ad ferendum testimonium contra complices, & sibi consocios, non specialiter sunt interrogandi de certa aliqua persona, sed in genere, atque in communi, nisi contra personam eandem fuerit aliqua specialis præsumptio, fama, aut aliquid aliud, quod in id ipsum sufficiat. Hæc conclusio est desumpta ex doctrina supradicti Farinacij loco vbi supra, quæst. 21. à num 231. cum sequentibus, vbi id ipsum latissimè probat, dicendo, quod contrarium facere non tam est interrogare, quam suggerere, contra textum

in

in l.1.§.qui quæstionem, ff. de quæstionibus, quod etiam tenet Anton. Gomez tom. 3. variarum de probation. delictorum capit. 12. numero 17. ad fin. versic. vnum tamen est, vbi dicit esse hanc opinionem communem, & id ipsum dicit Simancas de Catholic institutio. titulo 65. numero 59. & Menoch. de arbitr. quæstio. libro 2. casu 474. numero 53. & Iulius Clarus loco vbi supra, quæstio. 21. numero 4. versic. retenta igitur conclusione communi ad finem, vbi omnes admonet iudices, vt abstineant se ab hac suggestiua interrogatione, ne proprias animas perdant; & miseros reos & alios indebitè vexent. Et addit quod in tali casu, totus processus, qui deinde fieret contra aliquem, ita suggerendo à iudice nominatum, ipso esset iure nullus, prout in facti contingentia iudicauit Mediolanensis Senatus, & grauiter reprehendit prætorem quẽdam, qui suggerendo contra alium, delinquentem interrogauit. Neque ad hoc, vt reus in particulari interrogari possit de speciali aliqua persona, quælibet sufficit præsumptio, sed ea esse debet legitima, quod multis rationibus probat prædictus Farinacius vbi supra, multa addens, quæ per tempus referre non licet. Qualiter prædictorum reorum confessio desumenda sit, & non nisi medio iuramento, & in tormento confirmanda: videatur ibidem latissimè, & nos etiam hac de re aliquid dicemus infra, in quæstione de tormentis.

ARTICVLVS V.

Vtrùm denunciator Euangelicus repellendus sit à ferendo testimonio in iudicio: An verò fungi etiam possit testis munere?

HAC in re duæ sunt extremæ opiniones. Quidam dicunt eiusmodi denunciatorem Euangelicum, in iudicio fungi non posse testis munere id quod & probare contendunt, hac (vt videtur) efficacissima ratione. Dicunt enim esse contra ipsum ius naturæ: nam contra ius naturæ esse videtur, vt in iudicio † vna eademque persona sit 182
accusator & testis: debent enim accusator & testis personæ esse omninò distinctæ (vt diximus in initio huius libri quæstione prima articulo secundo) & satis colligitur ex cap. forus de verborum significatione, & in cap. nullus 4. quæstion. 4. magis expressè habetur id ipsum: cum igitur denunciator Euangelicus, in processu fraternali accusatoris personam quodammodo induere videatur, meritòque proinde de ipsius fide dubitari possit: contra naturam; & contra rationem profectò esse videtur, vt in processu iudiciali idem ipse personam induat testis: quin verò ipsius dictum (nisi quod dixerit probauerit) pro nullo erit habendum, & ipse semper existimandus vt testis suspectus. Propter hoc argumentum quidam Doctores huic adhærent opinioni, & sententiæ: sed eo nihilominus non obstante, in contrarium statuitur conclusio, quæ est verior, & tenenda.

Conclusio.

183 PRobabilissimum est, quod denunciator † Euangelicus, finito fraternali processu, cum furum incipit iudiciale, fungi potest testis munere. Hęc conclusio est expressa Magistri Soto, de secreto mẽbro 2. quæstio. 4. conclusio. 8. dub. 1. & eandem tenet libro 5. de iustitia, & iure, quæst. 6. art. 2. concl. 4. & Simancas de catholicis institutionibus titulo 64. quod est de testibus, numero 55. & Nauarro in rubrica de iudic. numero 91. in fine, & Bañez secunda secundæ quæst. 33. art. 8. §. dubitatur tertio, vers. pro explicatione huius difficultatis. Sed Arragon eodem in loco, dubio tertio, circa eandem conclusionem dubius est, ac variè loquitur: sed quidquid de hoc sit nostra conclusio esse videtur expresè determinata in capit. in omni, de testibus, vbi Paschalis Papa ad hoc propositum sequentia ponit verba. In omni negotio principalis persona dicens veritatem de re sibi nota, rectissimè habenda est pro teste, cui adhibito vno efficiuntur duo testes, & adhibitis duobus, efficiuntur tres. Quod probat ex eo, quod dixit Christus Dominus, Matthæi 18. Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum, quod si te non audierit, adhibe tecum vnum, vel duos testes, vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum. Item & ex illo, quod dixit Ioannis octauo. Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater: nam in lege vestra scriptum est, quod verum est duorum hominum testimonium. Quæ duo loca ingeniosè satis prosequitur, & explicat Magister Soto loco vbi supra, colligens ex eis, quod denunciator Euangelicus in processu iudiciali, enumerari habet inter testes, vt cum vno efficiantur duo, & adhibitis duobus efficiantur tres. Quæ quidem expositio, quamuis Magistro Arragon conficta, & voluntaria esse videatur, non tam uoluntaria est, vt sibi uidetur, cum sit expresè excepta ex prææallegato capite in omni, de testibus. Qua quidem ratione asseueranter dico, haud quaquam esse contra naturam, siue contra rationem (vt contrarij dicunt) quod in processu iudiciali testis munere fungatur denunciator Euangelicus: quin verò id est, quod † communiter obseruatur in 184
praxi in religionibus apud viros sapientes, & peritos, & maximè in illis delictis, quæ sunt difficilis probationis, & in quibus non adsunt alij testes, quibus comprobari possint. Et Simancas supradictus, conclusionem nostram tanquam compertam habendo, & prædictum caput in omni de testibus, & Sotum locis prædictis allegando, id ipsum practicari dicit in æquissimo, atque rectissimo Sanctæ Inquisitionis iudicio in hæresis crimine, nec immeritò cum hæretici denunciator, non aliquo priuato commodo moueatur, sed sanctissimo zelo sacræ nostræ Religionis, ad publicam Ecclesiæ Catholicæ vtilitatem, & vt hæreticus ipse corrigatur.

Ad argumentum igitur in contrarium adductum, † respondendo dico, quod quamuis qui verè est accusator, & etiam qui denunciat iudicialiter cũ actione, expostulando pęnam, & uindictam rei, non debeant, aut fungi possint testium munere in processu iudiciali (id enim esset omninò contra ius naturale, & positiuum: quin verò & contra omnem prorsus rationem) & meritò ipsorum testimonium haberetur suspectum; non tamen id verum habet in denũciante fraternaliter, & 185

qui

qui non ex odio neque in propria causa, sed in causa communi ex charitate aliquem denunciat: est enim quam maxima differentia: nec rationi videtur esse consonum, vt propter opus charitatis, quod denunciãdo exercetur, repellatur quispiam à ferendo testimonio. Nec inde sequitur quod argumentum prætendit, quod in vno, eodemq; iudicio quispiam sit actor, siue accusator, & testis, contra id quod habetur in capite nullus, 4. quæst. 4. nam processus fraternalis & iudicialis diuersi sunt, atque distincti: vnde qui in processu fraternali fuit denunciator, in iudiciali nulla ratione à ferendo testimonio est repellendus.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm testes inhabiles, & reprobati à iure, in aliquibus casibus sint admittendi, & recipiendi, & interrogati quam faciant fidem in iudicio.

Prima Conclusio.

186 TESTES † inhabiles, & reprobati à iure, admittendi, & recipiendi sunt, in factis, & delictis, quæ sunt difficilis probationis: quale est furtum, adulterium, partus suppositio, simulatio, simonia, fraus, dolus, tractatus, & similia. Hæc conclusio est expressa Farinacij tractatu de testibus q. 92. quã & dicit esse cõmunem & probat multorum Doctorum auctoritatibus, à nu 28. cum sequentibus vsq; 32. Sed de mente Bossij viri, vt ipse (inquit) in criminali materia quam maximę auctoritatis, in titulo de indicijs numero 170. dicit, quod licèt regulariter loquendo in omni casu quo veritas per alios haberi nõ possit, testes inhabiles admittantur, in proposito tamen quando agitur de factis, & delictis occultis, & quæ sunt difficilis probationis, non id ita amplè, & generaliter intelligẽdum est, sed tantum vt procedat quando eiusmodi † facta, & delicta 187
occulta, ita sũt difficilis probationis, quod ex se, & de sui natura, siue ratione loci, in quo cõmissa sunt à communiter accidentibus, alij testes non interuenerint, sed neque interuenire potuerint. Hæc est prima limitatio supradictæ generalis regulæ, quam affert Farinacius. Secunda est, vt neque eadem procedat quando producẽs testes inhabiles, † producere po- 188
tuit alios habiles, & non illos adhibuit: Nam tũc inhabiles non probant, etiamsi factum de sui natura sit difficilis probationis, quod probat multorum Doctorum authoritatibus. Tertia limitatio est, quod licèt testes alias inhabiles admittantur ad probandum delictum principale, quod de sui natura sit difficilis probationis, non tamen admittuntur ad probanda illius adminicula, quæ de sui natura non erant difficilis probationis, sed potuerunt palam fieri: quod etiam probat aliquorum DD. authoritatibus. Et quarto limitat supradictam regulã, vt procedat, quando † de crimine agitur 189
ciuiliter: tunc enim testes inhabiles bene probant crimen quod de sui natura est occultum & difficilis probationis, secus est autem si agatur criminaliter, vt post Bartolum, Aret. & alios, quos allegat in casu furti, tenet supradictus Bossius in titulo de indicijs numero 177. cuius & ratio est, quia in criminalibus testes esse debent omni exceptione maiores: inhabiles autem, & si admittantur in delictis difficilis probationis, non tamen sunt testes integræ fidei, nec omni exceptione maiores, vt latius dicit idem Farinac. in hac eadem quæst. num. 383. cum sequent. ac ideo neq; in isto casu admissi plenè probant.

Secunda Conclusio.

190 TEstes etiam alias † inhabiles, admittuntur ad probationem eorum, quæ de nocte facta, & commissa fuerunt, & probant magis, aut minus, prout facti reddiderint rationem. Hæc etiam conclusio est supradicti Farinac. loco vbi supra à num. 33. vsque 49. & probatur ex eo, quia quæ de nocte sunt facta, & commissa etiam reputantur à iure difficilis probationis, iuxta gloss. in l. si cum exceptione, §. in hac, verbo ignoret, ff. quod metus causa: & ibi omnes communiter DD. sed præcipuè hac de re videndus est Anto. Gomez tom. 3. var. de probat. delictorum cap. 12. num. 21. versic. quæro tamen. Vnde pro hac etiam conclusione faciunt, quæ in præcedenti dicta sunt de factis, & delictis difficilis probationis, & intelligenda est etiam ad sensum, quo in præcedenti est dictum, vt scilicet tunc testes inhabiles admittantur ad probationẽ facti nocturni, quando ex natura rei, aut loci, verisimiliter alij testes inhabiles interuenire non potuerunt. Etenim si interuenire potuerunt, non plus debent admitti ad probationem facti, & delicti nocturni, ac si commissum fuisset de die: verum licèt sit, quod semel admissi aliquid amplius probabunt, quãuis non sint testes integri, & omni exceptione maiores. Aduertendum ẽt est quod ad hoc, vt testes deponentes super facto nocturno aliquid probent, necessum est, vt reddant causam eorum scientiæ, & visus, quia scilicet tunc vel luna bene lucebat, aut lumina erant accensa, noctis obscuritatem tollentia: etenim si simpliciter deponerent de visu, non illius reddita causa, iuxta communem Doctorum doctrinam: necdum factum non probarent, verum & de falso haberentur suspecti: tunc vel maximè, quando deponerent se aliquid vidisse de nocte ex aliquo loco longinquo, & remoto, aut luna non lucente, nec lumine aliquo accenso, nisi forsan dicerent, quod quamuis propter noctis obscuritatem factum non plenè vidissent, audierunt tamen loquentium voces, quas plenè cognouerunt. In hoc casu inquit Farinacius, quod Doctores inter se sunt diuisi, quidam enim dicunt, quod tunc probant, alij verò quod non. Tu verò (inquit) dic in hoc, quam plurimum tribuendum esse iudicis arbitrio, qui & diligenter considerare debet delictum quod dicitur fuisse commissum, tẽpus, & horam, loci distantiam, & an luna lucerat, vel non, & an nox lucida esset, an tenebrosa: item & testis deponentis qualitatem, an sit bonæ, vel malæ famæ: & cognitionem, atque familiaritatem habeat, cum personis, quas se vidisse testatur, ita vt non de facili decipi potuerit, & alia, ex quibus arbitrari poterit, quid & quantum fidei testi deponenti de facto nocturno sit tribuendum, & adhuc his concurrentibus, nec in illo casu (inquit) testis erit integer, aut omni exceptione maior, sicque si fuerit vnus solus (non concurrentibus alijs adminiculis) indicium non facit ad torturam. De ijs omnibus videatur Farinacius, & Antonius Gomez vbi suprà, & Iulius Clarus libro 5. sentent. §. final. quæstio. 21. numero 3. versic. sed quid si testis, & Mascard. libro 2. de probation. conclusio. 1169. numero 9.

Ter-

Tertia Conclusio.

191 ETiam admittuntur † testes inhabiles, in casu quo veritas per alios haberi non potest. Hæc conclusio est etiam supradicti Farinacij loco vbi supra, à numero 50. cum sequẽtibus vsque nu. 80. quam & probat per textum in l. consensu, §. super plagis, C. de repud. & l. non oẽs, §. à barbaris, ff. de re militari, & l. Diuus, ver. sed si aliter veritas, ff. de quæstio. & per cap. veniens, el secondo de testib. & cap. fin. & ibi Abbas præsertim, notabili secundo, de testib. cogend. & glossa in cap. cum dilecti, verbo & si tres, de electione: glossa etiam penultima in c. 2. de testib. cogend. quibus in locis dicitur, quod testes aliàs inhabiles admitti debent vbi veritas aliter haberi non potest, non verò aliter. Probatque id ipsum authoritate multorum DD. sed præcipuè illud tenet Ant. Gom. tom. 3. variar. de probat. delictorum num. 21. versic. quæro tamen, & Iul. Clar. lib. 5. §. fin. quæst. 24. num. 19. versic. sciendum est tamen, & dicit Farinac. quod procedit prædicta conclusio nedum in ciuilibus, verumetiam in criminalibus, licèt non defuere, qui dixerint contrarium: & in criminalibus testes inhabiles non debere admitti, etiam in casu, quo veritas aliter haberi non potest. Sed contrarium est verius, & tenẽdum, prout dicit Farinac. prædictus loco vbi supra à num. 52. cum sequentibus vsque 54. & in sequenti nu. 55. dicit esse dicendum veritatem aliter

192 † haberi non posse, non solum quando delictum, & negotium de sui natura est tale, vt plane videatur difficilis esse probationis ratione temporis, verumetiam & quando ratione loci, vt puta si agatur de delicto cõmisso in Eremo, vel in nemore, in monte, aut alio secreto loco. Nam tunc etiam testes inhabiles ad testificandum admittuntur ob eandem rationem, quia scilicet per alios ratione loci veritas haberi non potest, quod & probat per text. & gloss. in cap. fin. de testib. cogen. & etiam de mente, & sententia multorum Doctorum, sed præsertim Antonij Gomez loco vbi supra: licèt non defuerint, qui contrarium dixerint, sed in hoc standum esse dicit: etiam si aduertat eorum qualitatem prædictã, quod scilicet veritas aliter haberi non possit (cum à iure non præsumatur) allegandam, articulandam, atque probandam esse per producentem testes, quod multorum DD. authoritatibus latissimè probatur: quamuis postea limitet id ipsum in casu, quando esset notorium veritatem aliter haberi non posse. Tunc enim (inquit) talis qualitas non articulanda, aut probanda est, sed sufficit, quod allegetur, cum iuxta vulgarem iuris regulam: notoriũ nulla indigeat probatione. Et si quæratur (inquit) quando verè dicetur esse notorium veritatem aliter haberi non posse? Respondet id remittendum esse iudicis arbitrio, qui inspecta personarum qualitate, negotij, loci, & temporis, id ipsum poterit arbitrari, iuxta tex. in l. si quando, C. vnde vi & l. 3. §. tu magis scire poteris, ff. de testib. & addit, posse etiam iudicem ex officio, & à se ipso, de eiusmodi qualitate se informare: quod probat de sententia Mascardi libro 3. de probationib. conclusio. 1403. numero 2. & 4. neque vnquam se vidisse dicit, seruatam fuisse in praxi limitationem supradictam, vt scilicet eiusmodi qualitas, quod veritas aliter haberi non possit, articuletur, & probetur, sed semper positum id fuisse in iudicum arbitrio.

Aduertendum præterea (inquit) est, quod ad hoc vt verè dicatur, dic

193 dici possit veritatem aliter † haberi non posse; non sufficit, quod in facto, de cuius probatione agitur, alij testes actu non interuenerint, sed necessum est, quod de sui natura, aut ratione loci, & temporis tale sit, vt verisimiliter alij testes etiam habitu interuenire non potuerint: prout in criminalibus est coniuratio, conspiratio, hæresis, & alia delicta his similia difficilis probationis: & in ciuilibus sunt gesta in capitulo, & congregatione Canonicorum, in qua non nisi Canonici interuenire solent, iuxta c.3. loco de prob. aut gesta domi, iuxta l. consensu, §. seruus, C. de repud. in his (inquit) casibus testes admittuntur inhabiles; secus est autem in alijs, in quibus & si alij testes actu non interuenerint, habitu tamen interuenire potuerunt, vt est homicidium, aut aliqua violentia alicui facta. Circa quod licèt diuersæ reperiantur Doctorum opiniones, hanc veriorem, atque communiorem esse dicit, supradictus Farinac. loco vbi supra à numero 62. vsque 64. qua de re videatur etiam Anton. Gomez tom.3. variar. resolut. loco & vers. vbi supra, & versic. secus autem, & Foller. in sua pract. crim. lib.2. num.11. & Iulius Clarus lib.5. §. fin. quest.24. nu. 19. vers. sciendum est tamen, & Mascard. lib.3. de probatio. concl.1359. numero 5. quod multum est notandum, ac memoriæ commendãdum.

194 Et perea, quæ dicta sunt, constat superque satis, † quod in casibus, quibus veritas aliter haberi non potest, recipi possunt etiam testes domestici, vt latè probat supradictus Farinacius in dicto hoc tractatu de testibus quæstio. 55. numero 65. item & infames, vt etiam probat, quæstio. 56. numero 56. item & minores, vt etiam dicit quæstio. 58. numero 36. & idem dicit de alijs, de quibus diximus supra. Videatur Farinacius prædictus in hac quæstio. 62. num.65. & proprijs cuiusque locis. Semper tamen intelligendum est quod tunc demum testes inhabiles admittuntur (vt dictum est) quando alij habiles ex natura actus, vel loci, actu, nec habitu interuenire potuerunt, & quando producens non fuit in culpa inhabiles producendi, quod tunc fieret, quando habiles potuit producere, & illos non adhibuit: quod multum etiam est notandum, ac memoriæ commendandum.

In calce huius conclusionis aduerto, quod testes † etiam in supradicto casu admissi (cum alias reuera iure sint inhabiles) non sunt integræ fidei, aut omni exceptione maiores, ac propterea quamuis sint plures, plenam non faciunt probationem, sed tantum qualem qualem, siue indicium ad torturam, vt latissimè probat supradictus. Farinac. vbi supra numero 73. cum sequentibus, licèt non desint, qui contrarium dixerint, sed ipse reprobata eorum opinione, in hoc asserit esse standum, quia & est verius, & quod magis communiter tenetur à Doctoribus. 195

Quarta Conclusio.

Testes alias inhabiles, & à iure reprobati, † admittuntur etiam atque admitti debent, in criminibus exceptis, prout est crimen hæresis, læsæ Maiestatis, latrocinij, simoniæ, & alijs, de quibus dictum est supra. Hæc conclusio est etiam supradicti Farinacij in dicta q.62. de testib. quam probat multis iuribus, & DD. authoritatibus à numero 81. cum sequentibus. Et eam tenet expresse Iul. Clar. lib.5. §. fin. quæstio. 24. num. 49. vers. sciendum est tamen, & Mascard. lib.2. de probatio. conclusio. 1359. Et de crimine 196

Hæresis particulariter loquendo, extat textus expressus in capit. in fidei fauorem de hæret. lib. 6. vbi id ipsum tenent omnes DD. communiter, & in cap. accusatus, § licet eod. titulo. De crimine verò læsæ maiestatis tradit etiam illud expresse Abbas, in capit. 1. de confessis nu. 6. vers. fallit in crimine læsæ Maiestatis. Et in cap. fin. de testibus num. 2. & 4. & capit. licet Heli de simonia, num. 10. vers. Nota quod in crimine. Facit & l. quisquis in fine C. ad l. Iul. Maiestat. & capit. memini 15. quæst. 3. De latrocinio verò habetur id ipsum, in l. prouinciarum C. de ferijs, & l. diuus, ff. de custod. reorum: vbi hoc tenent omnes DD. communiter. De simonia autem habetur id ipsum in capit. 1. de testib. in 6. estque omnium DD. sententia communis: sicque ad probanda eiusmodi crimina admittuntur non solum viri aliàs in-
197 habiles, † verumetiam, & fœminæ, quæ etiam iure sunt inhabiles, & omnes alij supradicti in articulo 3. vbi latissimè egimus de testibus inhabilibus. Est tamen aduertendum, quod quamuis in dictis criminibus (prout dictum est) testes aliàs inhabiles admittantur, non tamen admit-
198 tuntur ad hoc vt plenam † faciant probationem, ad pœnam ordinariam imponendam reo: etiamsi sint plures, cum ea esse debeat per testes omni exceptione maiores: sed admittuntur ad hoc, vt qualem qualem faciant probationem, vt loquendo generaliter de testibus inhabilibus, dicit Farinacius prædictus in hac quæst. 62. numero 383. cum sequentib. & sic admittentur tantum vel ad torquendum reum, vel ad pœnam aliam extraordinariam eidem inflingendam, iuxta casuum varias circunstantias, & alia adminicula si concurrant, qua de re videatur Farinac. vbi supra, & Simancas de Cathol. instit. numero 9. vers. cæterum, & Mascard. libr. 2. de probatio. conclus. 855. numero 8.

Quinta Conclusio.

Etiam admittuntur testes † in- 199
habiles ad rei defensionem, & ipsius innocentiam detegendam. Hæc conclusio est etiam supradicti Farinacij in supradicta q. 62. de testib. à numero 90. cum sequentibus vsque 98. quam & probat authoritate multorum DD. sed præcipuè asserit tenere id ipsum Antonium Gomez tom. 3. variar. de probat. delict. capit. 12. vbi dicit hanc esse opinionem magis æquam, atque communem, licèt dubiam eam esse credat Iulius Clarus libr. 5. §. fin. quæstion. 24. numero 20. versic. item scias. Cuius sunt sequentia verba. Item scias, quod omnes isti, quos supra diximus à testificando repelli in causis criminalibus, possunt nihilominus, & debent admitti si producantur ad defensam, & ad probandam innocentiam ipsius rei. Quod sensit Speculator tit. de inquisitione §. 1. numero 22. & est opinio communis, vt attestatur Ant. Gomez, capit. 12. delictorum numero 23. quod tamen tu intellige, non vt omninò plenè probent, † sed 200
vt deinde inspecta facti, & personarum qualitate, iudicis ipsius relinquatur arbitrio quanta sit eis fides adhibenda. Hæc Iulius Clarus. A qua Iulij Clari sententia prædictus Farinac. (mihi vt videtur) haud quaquam dissentit, quamuis contrarium aliqualiter appareat: nam quamuis in principio absolutè dicat, inhabiles esse ad testimonium admittendos ad rei defensionem, & ipsius innocentiam detegendam, postea tamen à numero 91. cum sequentibus se limitando dicit, quod quando reus habet contra se aliquos testes examinatos, & pro-

probantes delictum, velitque illos reprobare: ad hoc testes (inquit) inhabiles non admittuntur, etiam si agatur de innocentia rei. Nam vt ipse etiam dixit alio in loco in hac quæst. numero 23. & nos infra dicemus: testes reprobatorij aliorum testium, omni esse debent exceptione maiores. Ad quod propositum similiter dicit, quod quando reus pluribus est indicijs grauatus, ac valdè indiciatus, & si testes inhabiles ad sui defensionem admittantur; illius tamen innocentiam non planè probant. Verum ergo est, quod dixit Iulius Clarus, quod in hoc casu testes inhabiles non plenè probent, sed relinquendum iudicis arbitrio quanta sit eis fides adhibenda, vel dicendum, quod testes inhabiles tantummodo faciunt indicium ad inualidandam probationem contrariam, non quidem vt reus absoluatur, sed ad hoc vt mitius puniatur, sicque Farinacius, & Iulius Clarus non sunt contrarij, sed quam maximè concordantur.

Post hæc Farinacius prædictus in dicta quæst. 62. à numero 99. vsque 109. agit de testibus inhabilibus admittendis, vel non admittendis in causis matrimonialibus, & à numero 110. vsque numerū 131. id ipsum quærit, de eisdem admittendis in instrumentis & testamentis, & in casu, quo à partibus fuerint vocati, & rogati vt testificentur in aliquo actu, quod latissimè prosequitur à numero 132. vsque 173. sed quia hæc magis pertinent ad causas ciuiles, quam ad criminales, de quibus tantummodo nobis in præsentiarum est sermo consulto facio missa, & me conuerto ad agendum de testibus inhabilibus admittendis, vel non admittendis, ex partium expresso, aut tacito consensu, & per non oppositionem: an ij iudicis officio sint repellendi? de quo sit sexta cōclusio.

Sexta Conclusio.

TEstes etiam inhabiles † admittuntur, & recipiuntur, quando citata pars ad videndum eos produci, & examinari, nihil contra ipsos opponit: nā tunc parte nō opponente, & per iudicē admissi, ex tacito eiusdem consensu probant. Hæc etiam conclusio est supradicti Farinacij, loco vbi supra à numero 275. cum sequentibus vsque 191. vbi & probat eam authoritate multorum Doctorum, ipsamque ampliando dicit, quod per hanc regulam testes aliàs inhabiles, qui parte hoc illis opponente nihil probarent, in multis casibus benè probant. Et ponit exemplum in testibus affinibus, & consanguineis, de quibus dixit supra quæstione 55. numero 5. cum sequentibus, & in parentibus pro filijs, & è contra, de quo etiam egit ibidem numero 189. vers. Item tacitus. Item in vxore pro marito, & è contra, de quo egit ibidem num. 223. & in fratre pro fratre, de quo ibidem num. 121. Item in teste domestico, de quo agit q. 55. nu. 104. & in teste inimico, de quo agit q. 53. nu. 68. Itē in teste amico, de quo agit quæst 55. num. 148. Item in teste criminoso, de quo quæst 56. num. 141. ac tandem in teste Iudæo contra Christianum, de quo agit. q. 55. nu. 225. cum sequentibus. In quibus omnibus casibus testes inhabiles prædicti, qui aliàs regulariter ad probandum non admittuntur, & admissi tamen probant, parte citata non cōtradicente, multoq; magis si in id expresse consentiant, quia tūc nihil est quod impediat postquam partes de quarum præiudicio agitur id ipsum volunt, quod probant multorū DD. authoritatibus: addit tamen quod in 201

isto

202 isto † casu iudicis arbitrio relinquitur quanta sit fides testibus adhibenda. Et prædictam conclusionem limitando dicit, quod tunc tantum testes inhabiles, & parte citata contra illos nihil opponente probant, quando eadem pars fuerit actu præsens: tunc enim non opponendo tacitè cõsentire videtur, & approbare testium personas: secus autem esset si fuisset absens, nam ex absentia præsumitur ignorantia, & qui ignorat non consentit, nec absens in non opponendo testes approbare videtur. Et addit quod testes semel probati per partis non oppositionem, si iterum contra eandem partem producantur, poterit illos reprobare, & contra eos se opponere, etiamsi in prima productione id ipsum non fecerit: quod probat authoritate Speculatoris titulo de teste, §. sæpè num. 8. & multorum aliorum DD. Multas alias limitationes ac sublimitationes ponit Farinac. prędictus prędictæ conclusioni, ac generali regulæ, quas per tempus referre haudquaquam licet: videantur ibidem. Et tandem concludendo dicit, quod etsi pars citata ad videndum productionem testiũ, omninò nihil opposuerit illis, potest tamen iudex ex officio suo testium cognoscens inhabilitatem illos repellere: quod probat per textum in l. quos prohibet, ff. de postulando, vbi id ipsum tenet Bart. & omnes communiter DD. Qua de re videatur Anton. Gomez tom. 3. variar. de probat. delictorum, cap. 12. numero 22. & Iulius Clar. lib. 5. § fin. q. 24. nume. 23. vers. vidi etiam plerumque, cuius sententiam in sequenti conclusione statim referam.

Septima Conclusio.

TEstes alias inhabiles † examinati, cum examinari non debuerunt, & si plenam non faciant probationem, faciunt tamen qualem qualem pręsumptionem, & parte non opponente indicium sufficiens ad torturam. Hæc conclusio est etiam supradicti Farinacij, quæstione supradicta 62. quam & probat à numero 261. cum sequentibus vsque 295. latissimè authoritate multorum DD. sed præsertim Felini in cap. cum dilecti, de accusat. num. 8. & Mascard. lib. 2. de probat. cõclus. 682. num. 4. & conclus. 1359. nu. 10. vbi refert plures alios DD. id ipsum tenentes. Et quod testes inhabiles, examinati cum alias examinari non debuissent, præsumptionem faciant, tenet expresse glossa in cap. 1. de testib. lib. 6. verbo ad testimonium in principio; & Bart. in l. admonendi ff. de iure iurando num. 37. Non defuere † qui dicant, quod testis examinatus, & admissus in casu, quo admitti, & examinari non debuit, indicium non faciat ad torturam: sed contrarium est verius, vt dicit supradictus Farinac. vbi supra num. 266. qua de re videatur Iul. Clar. lib. 5. §. fin. supradicta quæst. 24. nu. 23. vers. vidi etiam plerumque dubitari, cuius sunt quæ sequuntur verba. Vidi etiam plerumque dubitari, nunquid testis qui non debuit examinari in causa criminali, si tamen fuit de facto examinatus faciat indicium ad torturam, & relata quorundam opinione, subdit, ego verò breuiter dico, † quod aut testis prorsus à lege repellitur, & non facit indicium, nisi ad inquirendum, id est ad assumendas informationes super delicto specialiter contra aliquem, vel ad capturam, vbi ita iudici videatur, nam ad hos effectus quælibet 204

bet suspicio sufficit, vt dixi supra q. 20. vers. ad inquirendum, & infra q. 28. in principio, ad transmittendam verò inquisitionem, seu citationem, neque ad torturam non facit indicium. Aut verò testis non omnino à lege repellitur, sed illi de fide diminuitur, & tunc si fuerit examinatus parte nihil opponente, facit indicium ad torturam, parte verò opponente non facit sufficiens indiciũ. Cum cuius sententia consentit etiã Farinac. vbi supra, quamuis nimis intricatè, & confusè loquatur, videatur ibidem.

Octaua Conclusio.

206 TEstium † habilitas, vel inhabilitas in criminalibus, & quantum attinet ad effectum probationis, vt fides fiat ipsorum dictis, attendenda est non ad tempus actus commissi, sed iuramenti, & suæ depositionis. Secus est autem in ciuilibus, quãdo testes requiruntur, non ad probationem, sed ad solemnitatem, & substantiam alicuius actus. Hæc etiam conclusio est supradicti Farinac. loco vbi sup. q. 62. à num. 296. vsque 309. prout ex ipsius verbis potui colligere, quamuis & ipse confusè nimis, atque intricatè loquatur: & per eam ad pacem atque concordiam possunt reduci Baldi & Iasonis opiniones, quæ hac in re esse videbantr contrariæ. Et quod habilitas seu inhabilitas testium, ad hoc vt illis præstetur, vel non præstetur fides in criminalibus, & quantum attinet ad effectum probationis, consideranda sit non penes tempus actus commissi, sed suæ depositionis, probatur p text. in l. 3. §. duæ, ff. de carbon. edicto. & l. quoniam liberi, ff. de testib. & l. 3. §. lege Iulia, ff. eod. tit. probatque id ipsum Farinac. auctoritate multorum DD. Et aduertendum est, quod non sufficit testes esse habiles tempore iuramenti: quin verò necessum est vt sint etiã habiles tempore depositionis, prout tenet Abbas & Anton. de Butrio in cap. testimonium, de testib. & Bart. in l. 1. C. de testam. num. 1. Cui consequens est, quod excipiens † & vo- 207 lens probare inhabilitatem testium debet illam probare, non quidem in genere pro quocunque tempore, sed in specie pro tempore iuramenti & depositionis, videatur Farinac. vbi supra, num. 309.

Nona Conclusio.

TEstium inhabilitas † & defe- 208 ctus, suppletur regulariter loquendo, ex magno ipsorum numero. Hæc conclusio est supradicti Farin. loco vbi sup. à num. 309. vsque 327. & probat eam per glos. in l. testium fides, verbo numerus, ff. de testib. & auctoritate multorũ DD. sed præsertim Mascar. lib. 3. de probationibus concl. 1359. num. 14. vbi dicit hanc esse opinionem à Doctoribus communiter deceptam, de qua nemo est, qui dubitare possit. Et specificando prædictam generalem regulam Farinac. dicit eam habere locum in teste affine, & consanguineo pro quo remittit se ad ea, quæ dixit quæst. 54. num. 68. Item in teste fratre, vt dixit ibidem num. 129. item in teste domestico, vt dixit quæst. 55. num. 110. item in teste colono, vt dixit ibidem num. 127. item in teste amico, vt dixit quæst. 56. num. 247. item in teste incarcerato, vt dixit ibidem num. 182. item in teste paupere vt dixit quæst. 57. num. 96. item in teste proxeneta, vt dixit q. 60. num. 424. & 438. item in teste de vniuersitate, de quo dixit ibidem nu. 540. cum sequentibus.

Sed postea limitat generalem regulam prædictam, vt procedat † in 209 ciuilibus, secus autem in criminalibus:

bus: in quibus testium numerus non supplet eorum defectum, & inhabilitatem quoad condemnandum, bene tamen quoad torquendum: & etiam dicit quod in causis ciuilibus arduis, & grauibus, testium numerus non supplet eorum defectum, & inhabilitatẽ, quod probat auctoritate Iason. in authent. si verò contigerit, num. 6. C. de iudicijs, & Felini in cap. licet el. 2. de testibus, & aliorum DD. Et postea eandem regulam li-
210 mitando dicit, non ipsam † procedere in causis matrimonialibus, quando agitur de matrimonio dirimendo, ni forsan quando vltra testes concurrunt etiam aliæ præsumptiones, quia tunc (inquit) duplex supplementum magis operaretur, quamuis & circa hoc non desint qui dicant contrarium, & quod etiam in causa matrimoniali testium numerus eorum suppleat defectum, quod dicit tenuisse Rotam. Post hæc nonnullas aliàs ponit dictus Farinac. limitationes prædictæ generali regulæ, inter quas præcipua est, vt tunc tantummodo
211 † testium inhabilitas suppleatur per numerum, quando inhabilitas ipsa solum diminuit fidem testis: secus est autem si in totum ipsum à testimonio repellat: quia (inquit) quod nihil est supplementum non recipit, iuxta l. sed si manente, ff. de precarijs & ex pluribus imperfectis in sua specie, non potest vnum perfectum resultare, iuxt. l. 1. C. qui mun. tute. quod etiam tenet Baiard. in additio. ad Iul. Clar. quæst. 24. num. 128. ad
212 fin. Circa numerũ testium † quantus esse debeat, ad hoc vt per ipsum suppleatur ipsorum inhabilitas & defectus: variæ sunt sententiæ & opiniones inter Iurisperitos DD. Quidam enim dicunt, quod duo testes nõ omni exceptione maiores, loco vnius testis idonei habentur: iuxta quam sententiam ad hoc vt testes inhabiles tantum probent quantum duo, plures esse debent quam tres, & sic ad minus quatuor. Alij vero dicunt sufficere in totum quod testes sint tres, & quod licet ipsi sint inhabiles, probabunt tantum quantum duo habiles. Sed hac in re Farinac. prædictus cõcludendo dicit, id totum esse remittendum iudicis arbitrio, qui iuxta inhabilitatem testium bene, & prudenter dijudicabit, quanta sit illis fides tribuenda.

Decima Conclusio.

TEstis etiam † inhabilitas, & defectus, suppletur ex magna alterius contestis fide, & habilitate, atque ex alijs adminiculis. 213
Hæc conclusio est etiam supradicti Farinac. in dicta quæst. 62. à nu. 328. vsque 349. iuxta quam dicit, quod si in aliqua causa essent duo testes examinati, quorum vnus esset inhabilis, alter verò plusquam habilis, fieret inter ipsos compensatio, & vnius inhabilitas, & defectus, suppletur ex magna fide, & inhabilitate alterius, quod dicit tenere omnes DD communiter per l. si quis ex argentarijs, §. cogetur, vers. quid enim, ff. de edendo. Qua de re videatur etiam Anto. Gom. to. 3. var. de probatione delict. capit. 12. nu. 21. vers. item adde. & Masc. lib. 3. de probat. concl. 1359.
n. 13. quã generalẽ † regulã ampliãdo prædictus Farinac. dicit eam habere locum in multis casibus specialibus, in teste affine, & consanguineo iuxta ea, quæ dixit, quæst. 54. nu. 69. in teste fratre, vt dixit ibid. nu. 129. in teste domestico, vt dixit quæst. 55. nu. 109. in teste colono, vt dixit ibid. nu. 226. in teste amico, vt dixit ibid. num. 246. in teste infami, vt dixit q. 56. num. 48. & 113. in teste criminoso, vt dixit ibidem, num. 163. in teste Iudæo, vt dixit ibidem, num. 223. in teste paupere, vt dixit quæst. 54. nu. 95. in teste aduocato, vt dixit quæst. 214

6 num.193. cum sequentib. in teste sollicitatore, vt dixit ibidem nu. 156. in teste proxeneta, vt dixit ibidem, 424. & 438. in teste de vniuersitate, vt dixit ibidem, nume. 540. in quibus omnibus casibus inquit, quod testis inhabilis depositio, suppletur ex fide alterius testis magnæ fidei prout latius constat ex omnibus supradictis locis ad quæ se remittit. Et dicit prædictam generalem regulam procedere, non solum quando inhabilitas vnius testis inhabilis, suppletur ex fide plurium aliorum testium habilium, & fide dignorum (quo casu inquit rem esse indubitatam, quod inducitur plena probatio) verum etiam quando prædicta inhabilitas suppletur tantum ex fide vnius testis multum fide digni, quod dicit tenere omnes DD communiter. Et eandem regulam ampliando dicit, quod vnius testis inhabilitas suppletur ex habilitate alterius, non solum quando inhabilitas consistit circa personam, verum etiam quando consistit circa dicta: nam etiam in hoc casu dictum vnius testis non plenè concludentis, supplementum recipit ex dictis aliorum concludentium, secundum opinionem communem: qua ratione dicunt nonnulli, quod dictum testis non deponentis de loco, & tempore suppletur ex dicto alterius, qui de loco, & tempore deponit. Sed hoc debet intelligi quando tempus, aut locus non est de substantia rei, de qua agitur, etenim si esset de substantia rei, de qua agitur, tunc non sufficeret vnum testem deponere de tempore, alio de tempore non concordante. Sed de hoc latius dicemus infra, quando agemus de testium singularitate. Post hæc num. 335. Farinacius prædictus ampliat regulam generalem prædictam ad hoc vt testis defectus, & inhabilitas, suppleatur non solum ex magna fide, & habilitate contestis, sed ex alijs adminiculis, coniecturis, præsumptionibus & verisimilitudinibus: testes enim (inquit) inhabiles, si deponant verisimilia benè probãt, pro quo remittit se ad ea, quæ dicit in hac eadem quæst. 62. num. 14. Nam præsumptiones, † coniecturas 215
& adminicula supplere testium inhabilitatem, esse dicit opinionem communem, pro qua quamplurimos affert DD. de quo videatur etiam Mascard. libr. 2. de probat. concl. 944. num. 14. & concl. 1359. num. 11. Sed limitando † regulam prædictam Fa 216
rinac. vbi supra, num. 341 dicit eam non procedere (vt etiam in præcedenti conclusione diximus) quando inhabilitas testis non solum de fide illi diminuit, verum etiam omninò illum à testimonio repellit: tunc enim ipsius depositio non suppletur ex habilitate, & magna fide contestis neque etiam ex adminiculis, per ea, quæ superius sunt dicta. Secundo limitat † eam dicendo, quod ad hoc 217
vt testis inhabilitas suppleatur ex dicto alterius, requiritur vt testis supplens, non solum non sit inhabilis (absurdum enim esset quod qui suppletione indigeret alterius defectum suppleret) verum etiam quod sit præstantissimæ fidei, & omni exceptione maior, nec sufficit ipsum esse ordinariæ fidei. Et tertiò limitat eandem in causis † criminalibus, in quibus; 218
& depositio testis inhabilis suppleatur ex magna fide contestis quoad torquendum, non tamen suppletur quoad condemnandum: quod probat auctoritate multorum Doctorum, & tandem quarto, & vltimò limitat prædictam generalem regulã & dicit eam non habere locũ, † quã- 219
do pro forma à statuto requiruntur duo testes idonei, integri, & omni exceptione maiores: nam tunc vnius fides non supplet inhabilitatem alterius, quod probat

per

per Felinum, & Bald. in cap. tertio loco in fine, de probatio.

Vndecima Conclusio.

220 TEstium inhabilitatis exceptio, † quamuis in principio opponatur, non impedit ipsorum examen, sed vsque in finem litis reseruatur. Hæc conclusio est etiam supradicti Farinacij in dicta quæst. 62. à num. 330. cum sequentibus, vsque 366. quam & probat per Bar. in authentica si dicatur, C. de testibus, num. 3. in secundo notabili, & glossam in cap. ex parte, de testibus, verbo infames, vbi hoc ipsum tenet Felinus num. 13. vers. si autem non esset casus. Qua de re videatur Mascard. lib. 2. de probatio. concl. 694. num. 1. vbi in id ipsum plures alios refert Doctores: & sic iudex statim quod per partem inhabilitatis exceptio opponitur contra testes, si legitima sit, debet illam admittere, si verò dubium sit de ea, debet dicere quod illam admittit, si & in quantum locus sit de iure: non tamen per hoc testis eiusdem examen impeditur, sed exceptionis disputatio reseruatur vsque ad finem litis. Quam genera-

221 lem regulam † ampliando Farinacius prædictus, dicit illam procedere tunc vel maximè, quando inhabilitatis exceptio opposita contra testem habet contra se iuris præsumptionem, vt puta si opponens diceret, illum esse seruum, testis verò diceret se esse liberum & ingenuum: nam cum pro ingenuitate, & libertate præsumatur, eiusmodi exceptio vsq; in finem litis reseruatur, iuxta textum in authent. si testis, C. de testibus in principio, quod etiam tradit Bald. in cap. ex parte, eodem tit. de testibus, num. 11. in fine, vers. illud scies. Secus autem esset quando cum oppositione facta contra testem, concurreret iuris præsumptio, vt puta si opponeretur illi esse seruum, & ipse fateretur seruum fuisse, sed diceret se libertinum & manumissum: nam in tali casu exceptio impedit examẽ, nisi de manumissionis (quæ à iure non præsumitur) instrumento iudex doceatur, prout probat text. in dicto authent. si testis, vers. si vero libertinum se dixerit. Secundò ampliat

† Farinacius prædictam generalem 222
regulam, vt idem sit in exceptione inimicitiæ non capitalis opposita contra testem: nam hęc non impedit examen regulariter loquendo, vt dicit Felinus in dicto capite ex parte, de testibus, nume. 12. versic. & maximè hoc verum est, quia testem non repellit in totum: sicque eiusmodi exceptio in finem litis reseruatur, vt probat textus in dicta authentica, si dicatur, §. si verò ex lite pecuniaria, C. de testibus. Quod etiam tenet Baldus, in dicto capite ex parte, eodem titulo, numero 10. versic. aut odio. Secus esset si eiusmodi exceptio

† de capitali inimicitia opponeretur, 223
nam hæc cum in totum repellat testem, impediret examen, & prius de illius veritate esset agendum, neque in finem litis reseruandum, vt dicit expressè textus in dicta authentica si testis, vers. si vero dicatur odiosus, & Glossa in dicto capite ex parte, verbo infames, versic. quandoque tamen: quod & tenent omnes Doctores communiter, sed tamen necessum est, vt impediatur examen, quod eiusmodi capitalis inimicitia in continenti probetur. Qua de re videatur Mascardus lib. secundo de probationibus conclus. 694. num. 6. & generaliter hoc dicendum est, quod exceptio contra testem opposita, tunc in finem litis reseruetur, nec ipsius impediat examen, quando nõ in continenti offertur probanda, & ipsius discussio altiorem requirat indaginem: secus est autem si in continenti offeratur probatio. Quod

non

non tenet in teste examinando cum tortura, tunc enim propter torturæ præiudicium quod est irreparabile, exceptio contra ipsum opposita impedit examem, & id ipsum dicendum est de teste excommunicato, propter excommunicationis periculum. De quibus videatur Farinac. prædictus loco vbi supra, numero 360.& 361. Et in sequentibus numeris dictæ generali regulæ nonnullas aliàs apponit limitationes, vt non procedat in criminibus publicis, & manifestis, nec etiam quando periculum est, quod testes reprobatorij non reperientur in fine litis, vt puta quia sunt senes, vel infirmi, vel ab futuri. Et concludendo
224 dicit generaliter positum esse † in iudicis arbitrio, reseruare vel non reseruare exceptiones contra testes oppositas, nec in hoc præiudicium cuipiam facere. Quod probat auctoritate multorum Doctorum, licèt nō desint qui dicant contrarium: & appellari posse ab eo, quod exceptiones testibus oppositæ vsque in finem litis reseruentur.

Duodecima Conclusio.

225 Testes aliàs inhabiles, † etiam admittuntur & aliqua ratione probant, quando sunt personæ valdè honestæ & probatæ vitę, nam propter eorum honestatem nimiam, & probatam vitam, suppletur talis inhabilitas. Hæc conclusio est supradicti Farinacij loco vbi supra, à num. 367. vsque 378. vbi specificādo ipsam ponit exemplum in affinibus, de quibus dixit quæst. 54. num. 48. In fratribus, de quibus dixit eadem quæstione num. 130. in domesticis, de quibus quæst. 55. num. 82. & 127. in spurio, de quo quæst. 56. num. 410. in paupere, de quo quæst. 57. num. 75. cum sequentibus: in aduocato, de quo q. 60. n. 191. in procuratore, de quo ibid. n. 241. in solicitatore, de quo ēt ibi. n. 254. & generaliter dicit id ipsū de alijs personis, quæ sunt valde honestæ, & probatæ vitæ, qui licet aliqua ratione reputentur inhabiles, propter affectionem, vel quoduis aliud ipsorum tamē inhabilitas suppletur propter honestatem nimiam, & probatam vitam.

Post hæc Farinacius prædictus à numero 368. cum sequentibus, ponit alios † casus, in quibus testes etiam inhabiles admittuntur, nempe in criminibus notorijs, in crimine blasphemiæ, in quo (vt ipse dixit tractatu de indicijs, & tortura, quęstione 39. numero 102.) testium repulsa non admittitur, & in illis casibus, in quibus inhabilitas prouenit à iure positiuo, vt puta in periurijs, criminosis, & similibus, qui possunt ad testificandum admitti, si à Papa in id ipsum fuerint dispensati: quod tenēt omnes vnanimiter Doctores, in cap. testes, de testibus, & tandem concludendo dicit, quod non sufficit contra testes excipere, dicendo quod sunt inhabiles in genere, sed opponēda est exceptio in specie, quod & productionis tempore fieri debet, ni forsan inhabilitas ista post productionem in partis notitiam peruenerit: nam tunc fieri poterit postea, dummodo fiat ante testium publicationē iux. cap. præsentium, de testib. 226

Decimatertia Conclusio.

Omnes conclusiones supradictæ, de testibus † inhabilibus admittendis, quando aliàs non deberent admitti, etiam in casibus à iure expressis intelligendæ sunt, vt tunc demum admittantur, & probent, quando deposuerint in tortura, secus autem sine illa. Hæc conclusio est expressa Farinacij dicta quæst. 62. num. 389. quam probat multorum Doctorum auctoritatibus, 227

bus, sed præcipuè Mascar. libr. 1. de probationib. concl. 462. num. 278. & seq. & lib. 3. concl. 1359. n. 19. & dicit eam esse magis communem. Sed in sequenti nu. 380. limitat eam vt pro-
228 cedat, † quando inhabilitas prouenit ex defectu famæ, siue status: nam in hoc casu loquuntur Doctores, qui dicunt testes inhabiles ad testificandū sine tortura non debere admitti. Secus est autem (inquit) si eiusmodi inhabilitas proueniret ex alio respectu nam tunc non est necessaria tortura, ad hoc vt inhabiles admittantur, & probent in casibus aliàs à iure permissis, quod etiam probat auctoritate multorum Doctorum: & in sequenti numero 381. & 382. dicit intelligēdas etiam esse omnes conclusiones supradictas, de testibus inhabilibus admittendis, quando inhabilitas ipsa testium non resultaret, siue proueniret ex pluribus defectibus, etenim si ex pluribus defectibus resultat, non sunt admittendi, etiam in casibus à iure permissis, ne dum ad probationem, sed neq; ad indicium, aut præsumptionem, quia prorsus & omninò repelluntur: quod probat auctoritate multorum Doctorum, & hac speciale ratione, quia sicut plura adminicula ampliant probationem, & supplent testis inhabilitatem: ita & plures defectus illam destruunt, & omninò tollunt ipsorum fidem: per illam generalem regulam, qua dicitur quod idem operatur oppositum in opposito, quod propositum in proposito, vt habetur in l. si vt proponis, C. de nuptijs. Nec audienda (inquit) est quorundam Doctorum sententia, asserentium quod quidquid sit de iure, de cōsuetudine tamen omnes testes vtcunque inhabiles cum tortura admittantur, & ad eādem indicium faciāt, etiamsi mille patiātur defectus, verū licèt sit quod maior tortura est inferenda testibus, qui plures patiuntur defectus, quam alijs, quod tradit Baiard. in additionibus ad Iul. Clar. lib. 5. §. fi. q. 21. n. 128. sed tamen eiusmodi consuetudinem Farinacius prædictus non admittit: quin verò dicit in vrbe nunquam se vidisse à bonis iudicibus deuentum fuisse ad torturam, ex depositione testium, qui plures paterentur defectus, nisi simul cōcurrerent alia, quæ de se sola indicium facerent ad torturam.

Tandem n. 383. cum sequentibus dicit Farinacius prædictus, † quod 229
in casu quo testes inhabiles admittātur, non sunt tamen integræ fidei, & omni exceptione maiores, nec plenam, sed tantummodo qualemqualem facere probationem, quæ qualisqualis probatio resultans ex testibus inhabilibus, (etiam in casibus à iure permissis) non sufficit ad condemnandum reum, sed tantummodo ad ipsum torquendum, si simul concurrant alia, de quibus diximus supra, & amplius dicemus infra in quæstione de tormentis, pro quo citat Masc. libr. 2. de probatio. concl. 857. num. 38. cum sequentibus. Nam licet (inquit) non desint qui dicant, quod testes inhabiles si sint plures quam duo, & verisimilia deponant, in casu alias à iure permisso admissi plene probant (quod tenet Anton. Gomez tom 3. variarum de probat. delict. capit. 12. vers. sed his non obstantibus) non tamen id tenendum est, nec propterea à limitatione prædicta vllo pacto recedendum, cum sit verior sententia, & à DD. magis communiter recepta. Pro quo se refert ad ea, quæ dixit in dicta quæstione 62. num. 32. 35. 73. & 98. & quæst. 54. num. 83. Et agendo de teste fratre ibidem, num. 88. & de teste infami quæst. 56. num. 71. & 112. & de teste criminoso ibidem num. 155. & concludendo dicit quod in omni casu, quo in criminalibus testes inhabiles admittuntur, &

adm illi aliqualem faciunt probationem: intelligendum id est si deponant super principali facto, & delicto, secus est autem si deponant super circumstantijs, & adminiculis, pro quo remittit se ad ea quæ dixit, quæst. 37. in titulo de indicijs, & tortura, num. 18. & 32. quæst. 56. num. 72. cum sequentibus, & quæst. 62. num. 31.

ARTICVLVS VII.

De testibus habilibus, idoneis, integris, atque legitimis, omnique exceptione maioribus: qui nam dicantur: & an eiusmodi qualitates præsumantur à iure, an verò probandæ sint?

POSTQVAM in præcedentibus latissimè egimus de testibus inhabilibus, ostendendo qualiter multi propter culpam, alij verò citra ipsam, iure à testificando repellantur, & in quibus casibus etiam admittantur, & admissi ipsorum testimonium qualiter sit ferendum, & quam faciat fidem: iam tempus præsefert, vt dicamus de testibus habilibus, idoneis, integris, & legitimis, omnique exceptione maioribus, quinam ipsi dicantur, & an eiusmodi qualitates iure præsumantur, an verò articulandæ, & probandæ sint?

Sed priusquam ad id ipsum deueniamus, præmittendum duxi, quod quamuis Glossa in §. item verborum verbo idoneos, instituta de inutili stipulationib. & glossa in cap. 1. de consangui. & affinitate verbo maiores, & multi Doctores ibidem, in ea sint sententia & opinione, quod testis
230 † idoneus, & omni exceptione maior idem omninò sint, nec penes hoc vllam esse constituendam distinctionem aut differentiam: multò tamen verior apparet aliorum sententia dicentium, quod ista qualitas omni exceptione maior, aliquid plus † in se continet, quam idoneus: quod sensit Blancus tract. de in- 231
dicijs ad l. fin. ff. de quæstion. num. 318. vbi dicit qualibet in re tres dari qualitates, positiuam scilicet, comparatiuam & superlatiuam; eo modo quo dicimus, bonus, melior, optimus quod probat per l. vbi autem non apparet, ff de verbor. obligat. & glossam in l. 1. ff. de instit. & l. si seruus §. quod verò, ff. de furtis. Ita in proposito dicit, quod testi idoneo, dari debet magis idoneus, is scilicet qui sit omni exceptione maior, & si per hoc etiã reperiri testis idoneissimus, qui sit optimæ opinionis & qualitatis & testem idoneũ positum in positiua tantum qualitate: minus esse quam testem magis idoneum, seu omni exceptione maiorem, positum in qualitate comparatiua. Qui dicẽdi modus refertur, atque approbatur à Farinacio quæstio. 62. de testibus, num. 3. & 21. vbi dicit eam etiam esse mentem & opinionem Felini in rubrica, de sponsalibus, num. 5. vers. quarto in causa, vbi dicit in causa matrimoniali non sufficere testes alias idoneos, sed debere esse omni exceptione maiores: qd & tenent multi alij Doctores citati ab eodẽ Farinacio, sed præcipuè Mascardus lib. secundo de probationibus, conclus. 1019. num. 15. vbi expressè dicit testem idoneum, plurimum distare à teste omni exceptione maiore. Quo præmisso notabili, vt proposito satisfaciam articulo, sequentes statuo conclusiones.

Prima Conclusio

TEstis habilis † idem omninò est, atque is in iure dicitur, qui testis idoneus, & est ille cui nihil deest ex ijs, quæ ad testificandum de iure requiruntur: nam 232

nam de iure communi loquendo, teſtes inhabiles vel idonei etiam reputantur, & ad teſtimonium ferendum non admittuntur. Hæc concluſio eſt certa & manifeſta, & ſecundum ius, & omnes communiter Doctores, teſtes inhabiles, atque idoneos, & teſtes nullos inducere aut producere paria ſunt, & pro talibus dijudicantur, ac communiter dicitur, quod teſtes eſſe debent habiles & idonei. Qua de re videatur ſpecialiter Abbas in capit. cum I. & A. de iudicijs, num. 19. vbi dicit, quod in iudicio ſi teſtes non ſunt habiles, & idonei, totum negotium perit: nam teſtes eſſe debent bonæ, & probatæ opinionis, quod probat per textum in cap. atteſtationes, de deſponſatione impuberum, ibi per teſtes idoneos. Hic itaque eſt primus gradus in probatione, qui quidem teſtes habiles & idonei, etiam in iure dicuntur integri, ſeu integræ opinionis: quia nempe à iure non repelluntur: aut contra eos aliqua ſiniſtra ſuſpicio vrget: quod extitit cauſa vt à quibuſdam Doctoribus ijdem dicerentur omni exceptione maiores, ſed re vera non ita eſt: nam hic eſt gradus poſitiuus, ſupra quem dari, & conſtitui oportet gradus comparatiuus, & ille eſt, teſtem eſſe omni exceptione maiorem, de quo ſit ſecunda concluſio.

Secunda Concluſio.

233 TEſtis omni exceptione maior
ille reputatur † in iure, &
communiter nuncupatur à
Doctoribus, qui nulla legitima exceptione repelli poteſt. Hæc concluſio eſt expreſſa Gloſſæ in §. item verborum, verbo idoneos inſt. de inutil. ſtipulat. & Gloſſæ in cap. 1. de conſanguin. & affinit. verbo maiores, & ibi Abbas nu. 5. & Præpoſit. nu. 7. & Bald. in l. optimam, nu. 8. C. de contrahend. & commit. ſtipulat. Sicque Doctores communiter dicunt, eum eſſe teſtem omni exceptione maiorem, contra quem nulla mundi exceptio obijci poteſt: & in tantum hoc quidam ampliant, vt dicant intelligendum eſſe, non de exceptione in totum teſtem repellente, verum etiam de fide ei diminuente. Et alij id ipſum extendunt ad exceptionem friuolam, debilem, ac penè nullius momenti. Qua de re videatur Maſcard. lib. 1. de probat. in præfat. concluſ. 6. nu. 69. cum ſequentib. & concluſ. 855. num. 10. & concl. 1019 nu. 5. & lib. 3. concl. 1360. num. 6. Sed
hic dicendi † modus non placet Fa- 234
rinacio, nec verò mihi, cum (vt dicitur) nemo ſine crimine viuat, & nullus ferè in toto mundo ſit, de quo non aliquid dici poſſit, iure vel iniuria: & ſic credo quod ad hoc vt teſtis poſſit dici omni exceptione maior, ſufficit ſuperque ſatis eſt, vt ſit immunis à quatuor: primò à crimine, ſecundò ab infamia, tertiò à ſuſpicione, quartò à manifeſta macula, & qui talis eſt omni iure dicitur teſtis eſſe legitimus, vnde teſtem eſſe legitimum, & omni exceptione maiorem; idem eſt & pro eodem à DD. communiter nuncupatur. Sed ſupra hunc comparatiuum gradum perſiſtendo in dictis in ſupradicto notabili, conſiderare etiam poſſumus alium ſuperlatiuum, de quo ſit tertia concluſio.

Tertia Concluſio.

SVpremus in probatione † gra- 235
dus eſt, quando teſtis necdum
eſt habilis, idoneus, integer, legitimus & omni exceptione maior, verum & concurrunt in eo aliquæ poſitiuæ qualitates optimæ opinionis, quæ ipſius dictum, & teſtimo-

nium qualificant. Hæc conclusio potius explicanda, & declaranda est, quam probanda, & potest constitui exemplum in testimonio Cardinalis, cuius assertioni (etiamsi singularis sit) an plene sit credendum, tractat latissimè Farinac. de testibus quæst.63. à num.55. vsque 78. & in sequentibus à num.79. vsque 206. quærit id ipsum de assertione, & testimonio Principis, & an & in quibus causis (etiamsi sit singularis) ei plene sit credendum. Quibus sic constitutis reliquum est vt explicemus, an eiusmodi qualitates iure præsumantur, an verò sint articulandæ, & probandæ, quod fiet per sequentes conclusiones.

Quarta Conclusio.

236 QVando in teste † non requiritur alia qualitas, quam habilitatis idoneitatis, siue integritatis, non illa articulanda aut probanda est, sed iure præsumitur, quousque per opponentem probetur contrarium. Hęc conclusio est expressa Felini in cap. cum Ioannes Eremita, de testibus, nu.40. De qua videatur Farinacius in dicta quæst.62. nu.15. vbi probat eam multorum Doctorum auctoritatibus, nec desunt qui dicant, quod ea sit præsumptio naturæ.

Quinta Conclusio.

QVando in teste expostulatur
237 qualitas, † vt sit legitimus & omni exceptione maior, per producentem est articulanda & probanda. Hæc conclusio est supradicti Farinacij, num.12. 13. & 14. quamuis non desint qui dicant contrarium, & quod prædicta qualitas iure præsumatur, vnde per producentem neque est articulanda, nec probanda. Id dicunt illi Doctores qui credunt qualitatem idoneitatis in teste, & eundem existere omni exceptione maiorem, idem omninò esse: sed contrarium est verius, atque tenendum.

Sexta Conclusio.

QVando in teste † requiritur 238
qualitas in superlatiuo gradu, videlicet vt sit optimæ opinionis, eiusmodi qualitas multo minus iure præsumitur, & per consequens per producentem est articulanda & probanda. Hæc etiam conclusio est supradicti Farinacij loco vbi supra, à num.6. cum sequentibus, cuius est expressus casus in l. scripturas, C. qui pot. in pigno. hab. Quę supradicta conclusio magis verum habet, quando lex, siue statutum requireret integritatem in teste per geminata verba, dicendo quod sit bonæ, aut optimæ, & probatæ opinionis, ex postulando qualitates positiuas, & non satis indicando, vt careat aliqua exceptione in contrarium: in hoc certe casu nulli dubium est, quod per huiusmodi geminationem producentis sit articulanda & probanda. Qua de re videatur Mascard. libro 3. de probat. conclus. 1248. numero 16.

Septima Conclusio.

COmmuniter, & regulariter
† loquendo, in omni causa, & 239
negotio, non solum requiruntur testes habiles & idonei, verum etiam & omni exceptione maiores. Hæc conclusio est supradicti Farinacij loco vbi supra, à numero 20. cum sequentibus, vbi & probat eam auctoritate multorum Doctorum, quorum quidam dicunt, quod in omni causa, & negotio testes esse debent tales, contra quos nihil omninò opponi possit: alij

quod

quod esse debent sine vlla prorsus macula, & suspicione: alij quod habere debent scientiam differentiam, sensum & discretionem. Et Speculator titulo de officio omnium iudicum, §. postremò, vers. sexto quærendum est, inquit, quod debent esse tales, quibus lux veritatis & sacra fides assistat, inculpati & legales. Per quæ omnia satis apparet, quod communiter, & regulariter loquendo, testes in omni causa, & negotio, non solum debent esse idonei, verum etiam & omni exceptione maiores: quod amplius procedit secundum opinionem illorum, quos supra retulimus, & aiunt idem omninò esse testem idoneum, & omni exceptione maiorem. Sed in opinione aliorum, qui tenent testem omni exceptione maiorem, amplioris esse fidei, quam testem idoneum, dicendum videtur, quod su-
240 prædicta conclusio vera licèt † sit in criminalibus, non tamen in ciuilibus, nam in his sufficit quod testes sint habiles, & idonei: de quo videantur Doctores, in l. sciant cuncti, C. de probationibus. Sed de criminalibus loquendo, supradicta conclusio ab omnibus incunctanter tenetur sed specialiter videatur Baldus, in lege fin. C. de probationibus, num. 5. vers. quædam est probatio maior, quod vel maximè procedit quando ageretur de reprobandis testibus iam examinatis: in eo enim casu testes aliorum reprobatorij, non solum esse debent habiles, & idonei, verum etiam multum legitimi, & omni exceptione maiores, argumento textus in capit. 1. & ibi glossa, verbo Stephanus Papa, de exceptionibus, quod etiam tenet Speculator titulo de testibus reprobatorijs in principio, à num. 3. maximè si testes reprobandi omni essent exceptione maiores, tunc enim illos reprobantes, ad minus esse debent paris qualitatis, per regulam generalem l. nihil tam naturale, ff. de regul. iur. quasi enim absurdum videretur, vt quispiam grauaretur aliquid probare per testes omni exceptione maiores, & quod pars aduersa posset se defendere, & illos reprobare, per testes non integræ fidei, & probatæ opinionis, contra textum in cap. in iudicijs, de regul. iur. lib. 6. quod amplius procedet, quando ageretur de reprobando, non solum dicta testium iam examinatorum, verum etiam & ipsorum personas: nam hac in re reprobatio personarum testium difficilius admittitur, quia persona est nobilior, quam dictum, & quia vix potest dari ratio diuersitatis, inter vnam probationem, & alteram. De quo videatur Speculator tit. de testibus reprobat. in principio, & Abbas in cap. licet delicti, de testib. num. 1. & Felin. ibidem.

ARTICVLVS VIII.

De testibus contestibus, & singularibus, alijsq; quouis alio modo testificantibus, quam fidem, & probationem faciant in iudicio?

PRO huius articuli intelligentia, vt ne in æquiuoco laborare videamur, operæ pretium est, vt dicamus prius, quinam sint testes contestes, qui verò singulares: idemque suo proprio loco dicemus postmodum, de alijs quouis alio modo testificantibus, vt congruenter sic ad interrogata respondere valeamus. Sed quia iuxta doctrinæ ab Aristotele traditum ordinem, in omni scientia, & disciplina à simplicioribus est incipiendum, dicemus prius de testibus singularibus, nam & exinde facile qui nam dicendi sint con-

testes constabit; cum iuxta eundem Aristotelem contrariorum eadem sit disciplinas.

241 Dico igitur quod † testis singularis, idē omninò est ac testis vnus: nā iuxta Baldum consil. 406. num. 1. singularitas idem pollet, ac vnitas: sicque testem aliquem esse singularem, idem omninò est, atque eundem esse vnum solum: quod etiam tradit Glossa in capit.tam literis, de testibus in principio, verbo soli, vbi agendo de testibus, verbum soli, exponit id est singulares. Cuius singularitatis DD. Iurisperiti, sed præcipuè Baldus in capit. licet causam de probationibus num. 11. tri-
242 plicem tradunt speciem, † aliam enim esse dicunt obstatiuam, aliam diuersificatiuam, aliam verò adminiculatiuam: quod est dicere, quod testium singularitas, aliquando reperitur cum contrarietate, aliquando cum diuersitate, quandoque verò cum connexitate. Obstatiua singularitas dicitur illa, quæ in actu iterabili, non tamen iterato, testium in se contrarietatem continet, vt & contigit in testibus Susannæ, de quibus habetur Can. 13. & facit ad idem Glossa in cap. nihilominus, 3. quæst. 9. arguebatur enim tunc Susanna de vnico tantum adulterij crimine à se commisso, quia senes illi testes non dicebant pluries eandem in adulterio vidisse, sed tantum vnica vice: & quia variauerunt in loco, quia scilicet vnus dixit vidisse illam sub schino, alter verò sub prino: falsitas discooperta est, ac visa manifestè cōtrarietas, ob quam meritò sunt damnati. In hoc igitur casu, & prædicta obstatiua singularitate, quando scilicet testes sibi inuicem sunt contrarij, inquit Bal. quod alter alterius fidem eneruat, atq; extenuat, vt neuter aliquid probet. Quod verum esse dicit, non solum quando vnus affirmat alter verò negat: verum etiam quando de eodem facto, an hæc contraria siue repugnantia quæritur: nā par (inquit) contrarietas, siue contrarietatis ratio vtrobique militat, & cum ipsorum testimonia inter se contrarientur, & alter alterius testimonium destruat, non solum plenam non faciunt probationem in iudicio, verum etiam nec semiplenam.

Alia est singularitas diuersificatiua, † & est illa, in qua testes depo- 243
nentes de diuersis actibus, diuersitatem inducunt in re, & in effectu, & in substantia. In quo quidem casu, quamuis testes inter se inuicem non sint contrarij, quia tamen sunt prorsus diuersi perinde est ac si vnus tantum rem aliquam testificaretur. Etenim si primus hac de re, siue de hoc facto, alter verò de alio longè diuerso deponit: quamuis ipsi plurimi sint non factum, aut gestum plene probant, aut magis quam si vnus tantum de illo testimonium reddidisset. Nam quamuis ipsi non sibi inuicem abrogent fidem (cum vt supponitur non sint contrarij) quia tamen sunt diuersi, & in eodem facto non concordant, nec sunt contestes: non magis mille probant, quam vnus solus, si quidem singuli de singularibus actibus testificantur, qui est proprius casus supradicti capit. nihilominus, 3. q. 9. in illis verbis: quos temporum diuersitas simul interfuisse, vbi videnda est gloss. ver. simul, & supradictus Bal. in l iurisiurādi, C. de testib.

Tandem est † alia singularitas ad- 244
miniculatiua, & dicitur illa, quæ oritur ex testibus in quibus nulla reperitur repugnantia, aut contrarietas: & præter hoc licet per diuersa media, seu per diuersas coniecturas, aut præpositiones loquantur: vna tamen alteri patrocinatur, & illam coadiuuat, & omnes ad eundem finem tendunt, quam proinde singularitatem DD. antiqui cumulatiuam vocare

con-

consueuerunt. In quo quidem casu quamuis testes sint singulares, quia tamen non sunt contrarij, & testificantur de rebus inter se inuicem connexis, & ad eundem finem ordinatis (quidquid sit de causis ciuilibus) in criminalibus tamen licèt non faciant plenam probationem, faciunt tamen semiplenam. Plenè non probant: nam adhoc (vt statim dicemus) testes singulares haud quaquam sufficiunt, sed necessariò requiritur, quod ipsi sint contestes, ita quod de vno simul, & eodem actu deponant, atque testificentur, quod multum est notandum ac memoriæ commendandum.

245 Secundò pro maiori † dicendorum intelligentia præmitto, etiam ex supradicto Baldo in l. testium, C. de testibus num. 14. versic. potest etiam ista inspectio, quod testium singularitas inducitur per quatuor causas, nempe per causam efficientem, per formalem, materialem, atque finalem. Ratione causæ efficientis, vt quando testis vnus dicit quod Petrus fecit hoc, alter verò quod Ioannes fecit illud. Ratione causæ formalis, vt quando testis vnus dicit agrum venditum fuisse cum domo, alter verò sine illa. Ratione causæ materialis, vt quando testis vnus dicit venditum fuisse agrum, alter verò non agrum, sed domum. Ratione causæ finalis, vt quando vnus dicit celebratum fuisse contractum, do vt des, alter verò, do vt facias. Ex his omnibus causis dicit Bald. induci testium, nec dum singularitatem, verum & contrarietatem: quem in hoc omnes fere sequuntur Doctores. Alij dicunt singularitatem prædictam, induci posse ratione personæ, & ratione causæ, vel ratione rei, temporis, siue loci, aut etiam ratione circunstantiarum: quod etiam est verum, & à Doctoribus approbatur cōmuniter, hincque prodijsse aiunt, commune illud axioma, quod testes concordare debent, in circunstantijs contentis in hoc versu: res, persona, locus, gradus hæc sint consona tempus: & quod aliter sunt singulares, & non probant. Sed quamuis prædicta omnia sint benedicta ad comprehendenda, tamen simul hæc omnia melius est, vt cum eodem Baldo loco supradicto dicamus, quod testium singularitas † inducitur, seu 246
induci potest ex decem prædicamentis, quæ sunt substantia, quantitas, qualitas, relatio, agere, pati, habere, vbi, quando, & situs. De quibus omnibus libet breuiter adducere exempla. In prædicamento substantiæ inducitur testium singularitas, quando testis vnus deponit de Petro, alter verò de Paulo: vel testis vnus dicit, Petrum percussisse Paulum cum ferro, alter verò cum lapide In prædicamento quantitatis, testes dicuntur singulares, quando vnus deponit de decem, alter verò de quinque. In quo quidem casu licèt quoad decem sint singulares, quoad quinq. tamen sunt concordes, siue cōtestes, iuxta l. diem proferre, §. si plures, ff. de arbitris. In prædicamento qualitatis testes sunt etiam singulares, vt si vnus deponat de vino albo, alter de vino rubeo, vel si vnus dicit furem de nocte fuisse comprehensum, alter verò de die, iuxta l. furem, ff. ad l. Cornel. de sicarijs, vel si alter purè, alter sub conditione aliqua de re testificetur. In prædicamento relationis singularitas reperitur, quando testis vnus dicit quod Pater alicuius fecit hoc, aut illud, alter verò quod non pater id fecit, sed ipse filius: quamuis non mihi multum quadret huiusmodi exemplum, quia in eo logicè loquendo, parum aut nihil de relatione inuenitur. In prædicamento agere, reperitur singularitas,

quando testis vnus dicit quod quispiam fecit tale, alter verò quod non illud fecit, sed voluit facere. In prædicamento pati, vt quando vnus testis dicit quod Petrus insultatus est à Paulo, alter verò quod non ita; sed ipsi insimul impetum inter se fecerunt, aut quod Petrus percussit Paulum cum ense, alter verò cum baculo. In prædicamento habere, etiam singularitas reperitur, quando vnus testis dicit, quod Petrus habebat talem rem, alter verò quod non habebat illam, nisi Paulus. In prædicamento vbi, etiam singularitas reperitur, quando à testibus diuersus assignatur locus alicuius commissi delicti, vt & supra diximus contigisse in testibus Susannæ. In prædicamento quando, singularitas reperitur, quando testes de diuersis temporibus testificantur, ac tandem vltimo in prædicamento situs, quando testis vnus dicit rem aliquam esse sitam in iurisdictione (verbi gratia) Salmantina, alter verò in iurisdictione Zamorensi. Supradicta omnia in substantia extracta sunt ex prædicto Baldo loco supra citato, in l. testium, C. de testibus, num. 14. & l. de quibus, ff. de legibus, num. 37. & l. data opera, C. qui accusare non possunt, num. 33. cum sequenti. De quibus videatur Farinac. de testibus, quæst. 64. à num. 1. cum sequentibus, vsque nu. 25. Et in sequenti num. 26. cum sequentibus ex dictis aliquas elicit conclusiones, pro agnoscenda testium singularitate. Et primo de mente supradicti Baldi in l. de quibus, ff. de legib. num. 37. dicit quod
247 testes † singulares dicuntur illi, qui in suis depositionibus simul coniungi non possunt. Et è contra illi non sunt singulares, sed contestes, quorum depositiones, licèt aliqua ratione diuersæ, possunt tamen simul cõiungi ad vnum quid commune probandum. Secundò dicit de mente Abbatis in cap. bonæ memoriæ il primo de electione, quod illi testes dicuntur singulares, qui diuersimodè deponunt, non respectu sensus recipiendi, id super quo deponunt, sed respectu subiecti, vel obiecti, de quo deponunt. Et tandem tertio de mente aliorum D. ctorum dicit, quod propriè loquendo ille testis dicitur singularis, qui in sua depositione contestem non habet. Vnde quando quis deponit de eo, quod ipse solus, & vnicus scit, alius autem nescit, vel si scit non eodem modo de illo deponit: tunc bene & propriè dicitur testis singularis. Hoc (inquit Farinacius) tenet Peña in suo directorio inquisitorum, parte 3. commento 121. colum. 2. versic. testis verò singularis, & Mascard. lib. 2. de probat. concl. 856. numero 102. quod explicando, & declarando dicit, quod non propterea testes dicuntur singulares, quia seipsos in contestes minimè allegent, dum tamen sint in sua depositione concordes. Quod dicit tenere Felinum, & alios quamplures Doctores, etiamsi vnus testis dicat quod nullus alius erat præsens, aut quod non recordatur de præsentia aliorum. Ex quibus superque satis constat, quinam dicatur testes singulares, qui verò contestes, atque concordes, ij nempe, qui ex suis dictis inferunt identitatem.

Quibus sic præmissis proposito articulo respondetur per sequentes conclusiones.

Pri-

Prima Conclusio.

TEstes vtcunque sint habiles, idonei, legitimi, & fide digni, & quod dicitur, omni exceptione maiores, & testificētur de ijs,
248 quæ viderint, nisi sint contestes, † & de vna eademque re siue facto simul testificentur & deponant, non plenam faciunt probationem in iudicio, in ciuilibus, neque in criminalibus, multoque minus in criminalibus. Hæc conclusio communis est omnium Doctorum resolutio, & habetur expressa in l. ob carmen, §. final. & l. qui falsa, ff. de testibus. Facit & ad hoc ca. licet causam de probationibus. & cap. tam literis, cap. licet vniuersis, de testibus: quibus in locis omnes communiter vtriusque Iurisperiti expresse dicunt, quod testes singulares, siue discordes, nullũ factum plenè probant: nam ad plenam, integram, atque perfectã cuius libet rei comprobationem, necessũ, est, vt saltim duo testes sint concordes, & contestes, hoc est quod de vna, & eadem re, siue facto simul testificentur, quod planè constat ex omnibus supradictis iuribus. Quæ
249 supradicta conclusio, † verum habet etiamsi crimen sit hęresis, aut peccatum nefandum, seu aliud eorum, de quibus legibus constitutum est, vt in ijs procedatur sicut in crimine hæresis. Nam hæc etiam crimina probari debent per testes contestes, aliàs enim etiamsi mille sint, plenam non facient probationem. Qua de re videatur Simancas de cathol. instit. titulo 64. quod est de testibus, à numero 61. cum sequentibus, vbi num. 64. agendo de hæresis crimine, dicit, quod si testes sint singulares, & diuersi: quamuis testificentur de rebus inter se connexis, & ad eundem finẽ ordinatis, licèt faciant plusquam semiplenam probationem, in causis tamen criminalibus præsertim, non adhuc illis plena fides est habenda: pro quo citat Baldum in cap. licet causam, de probation. & Felinum in ca. licet ex quadam, de testib. & Decium consil. 650. quod plenius constabit ex dicendis in sequenti conclusione.

Secunda Conclusio.

TEstes singulares, † quamuis sint plures, & vtcunq; fide 250
dignì, non tamen factum aliquod plenè probant, nec ad eiusdem probationem faciendam coniunguntur. Hæc conclusio satis colligitur ex supradicta, & de ea specialiter videndus est Farinac. loco supra citato, à num. 33. cum sequentibus latissimè, vbi & probat eam quã pluribus iuribus, per capitulum causam, de probationibus, verb. singularis, capit. bonæ, el primo de electione, capit. cum dilectus, de accusationibus, ca. nihilominus, 3. q. 3. simul & DD. auctoritatibus, sed specialiter sequentibus rationibus. Primo quia (vt dictum fuit supra in primo notabili) singularitas idem omninò est quod vnitas sed testis vnicus (vt tenet communiter omnium DD. opinio & satis constat ex dictis in art. 1.) in nullo casu plenè probat: ergo nec testis singularis. Hęc ratio deducta est ex Bald. in l. iuris iurandi, de testib. n. 4. vers. deinde notat rationem, cui accedit & alia, quia vbi est singularitas in testibus, ibi dicitur esse varietas, & contrarietas: sed testes varij, & contrarij nihil probant: ergo nec testes singulares. Præterea in id ipsum esse potest alia ratio deducta ex sup. dicto Bald. loco supra citato, & est, quia ex testium singularitate semper præsumitur falsitas, & dolus: sed testes falsi, & dolosi nihil probant, ergo nec testes singulares. Hanc conclusionem Do-

Doctores Iurisperiti ita ampliant, vt etiam dicant, quod si testes sunt singulares, non plus probant mille, quam vnus: quin vero & quidam aiunt, quod quò plures testes sunt singulares, eo minus probant; meliusq; esse examinanti & producenti vnum habere bonum testem, quam
251 plures singulares. Sed hoc † verum non habet nisi in testium singularitate obstatiua in qua verũ est quod mille testes singulares minus probant, quam vnus, idq; propter repugnantiam, & contrarietatem inter ipsos existentem, quæ falsitatem arguit, & insinuat: secus est autem in singularitate diuersificatiua: in qua multi Doctores dicunt, testes numero plures, saltim probare tantum quantum vnus. Multoque minus id locum habet in singularitate adminiculatiua, seu (vt alij volũt) cumulatiua, in qua (vt supradiximus) plures testes inuicem se adiuuantes, & ad eundem finem tendentes, quãuis non plenè probent, faciunt tamen plusquam semiplenam probationem: in tantũq; est verum id quod in conclusione est dictum, nempe quod testes singulares non plenam faciũt probationem: vt dicant Doctores communiter, id ipsum procedere nedum in quacunque causa ciuili; multoque magis criminali, quæ decidenda, atque determinãda sit iuxta iuris ordinem præscriptum: verũ etiam in causa quæ decidenda atque determinanda sit ex bono, & æquo; & secundum merum ius gentium; nam quod vni testi, ac proinde nec testibus singularibus credatur, est de iure diuino, semperque testium singularitas nocet, cum ex ore ipsius Dei habeatur stabilitum, vt nullus damnetur, vno dumtaxat contra se testimonium dicente, sed quod in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum, iuxta illud, quod habetur Deuteronom. 17. & 19. & Matthæi 18. & refertur in cap. in omni negotio de testibus. Qua ratione dicunt, quod testes singulares nõ plenè probant, etiam in fauore cause piæ, nec etiam in fauorem matrimonij, neque ad probandum miracula: nam si vnus deponat de vno miraculo alter de alio, minimè probant, vt dicit Archidiacon. in capit. nec mirum, 26. quæstione 5. & Felinus in cap. licet ex quadam, de testibus in fine, vers. & ideo si vnus testis. Qua de re videatur Mascard. lib. 2. de probat concl. 1060. nu. 13. vbi in id ipsum plures alios Doctores refert. Videatur etiam hac de re Farinac. vbi supra, dicta quæst. 64. à num. 33. cum sequẽtibus, vsque 66.

Tertia Conclusio.

TEstes dicuntur † singulares, 252
nõ solum quando discordant in facto, & in substantia, verũ etiam si discordent in verbis, in casu quo respicere oportet ad formalitatem verborum: sicque discordantes etiam non plenè probant, quamuis conueniant in sensu. Hæc cõclusio est supradicti Farinacij loco vbi supra, à num. 67. cum sequentibus, vsque 71. quam & probat auctoritate multorum DD. sed præcipuè Antonij de Butrio, in cap. nihil obstat, de verborum signific. in principio vers. quod tamen intellige, & Felini in cap. licèt ex quadam de testibus nu. 4. vers. & vnum fortius dicit Diuus Antoninus: & dicit Farin. quod in eo casu nec probant plenè, nec semiplenè. Qua de re videndus est etiam Mascard. lib. 2. de probatio. conclus. 850. num. 19. & lib. 3. conclus. 1361. num. 9. & conclus. 1368. num. 7. vbi hanc esse dicit opinionem communem. Sed limitant hanc regulam Farinac. prædictus, ad hoc ut tantum procedat, quando formalia uerba fuerint à producente capitulata, & cum-

articulata: tunc enim diſcordia in
illis ſingularitatem inducit, fidemq;
tollit teſtibus: ſecus eſt autem, ſi
verba non fuiſſent capitulata, & ar-
ticulata, ſed teſtes in eiſdem referen-
dis ex ſe ipſis in ſua depoſitione fuiſ-
ſent diſcordes. Et ſit exemplum † in
253 hæreſis crimine: nam ſi accuſetur
quiſpiam quod dixit huiuſmodi pro
poſitionem hæreticam (v. g.) Deus
non eſt homo factus, aut non potuit
fieri homo: idque capituletur, &
articuletur, tunc neceſſum eſt vt te-
ſtes concordent in formalitate ver-
borum, & dicant qualiter fuerint
prolata huiuſmodi verba: at verò ſi
non id articuletur, ſed tantum quod
in hac materia quandam dixit pro-
poſitionem hæreticam, tunc non ne-
ceſſum eſt; quod teſtes concordent
in formalitate verborum, ſed ſat eſt,
quod concordent in facto & in ſub-
ſtantia hæreſis prolatæ. Nec † etiam
254 neceſſum eſt, vt concordent teſtes in
formalibus verbis, quando agitur
de dicto, ſiue facto antiquo plurium
annorũ, in quo veroſimile eſt, quod
potuerunt obliuiſci: quin verò tunc
concordantia in verborum forma a-
liquam falſi ſuſpicionem poſſet in-
ducere, iuxta l. 3. ff. de teſtibus, in il-
lis verbis: Verum vnum eundemq;
ſermonem premeditatum attulerũt.
Pro quibus omnibus facit quã ma-
ximè ſupradictum cap. nihil obſtat,
de verborum ſignific. quod eſt Diui
Auguſtini ſuper Matth. in cuius sũ-
mario dicitur, quod non vitiatur fa-
ctum vario modo narratum: vbi
idem in ſubſtantia concluditur, &
infra, habetur nihil obſtat narrandi
diuerſitas, vbi eadem dicuntur: Fa-
cit ad hoc auctoritas D. Thom. 2. 2.
q. 70. art. 2. ad ſecundum, vbi de his
agẽdo dicit, quod diſcordia teſtium
in aliquibus principalibus circun-
ſtantijs, quæ variant ſubſtantiam fa-
cti aufert efficaciam teſtimonij; non
tamen illa, quæ non pertinet ad ſub-
ſtantiam facti; quia homines non
conſueuerunt circa talia multum ſo- 87
licitari, vnde facilè è memoria labun
tur. Et addit de mente, & ſententia
Diui Chryſoſtomi ſuper Matth. ho-
mil. 1. agendo de concordia Euan-
geliſtarum, quod diſcordia in tali-
bus rebus, facit credibilius teſtimo-
nium, quia (inquit) ſi in omnib. con-
cordarent, etiam in minimis, vide-
rentur ex condicto eundem præme-
ditatum ſermonem protuliſſe. Et
concludendo dicit, quod hoc pru-
dentiæ iudicis relinquitur diſcernen
dum. Idem omninò dicit Soto de
iuſtitia, & iure lib. 5. q. 7. art. 2. in ſo-
lut. ad primum.

Quarta Concluſio.

ETiam dicuntur † teſtes ſingu- 255
lares, quando diſcordant in lo-
co, aut tempore, ſeu (vt ſu-
pra diximus) in prædicamento vbi;
vel in prædicamento quando: &
ſic ſi vnus teſtis dicat aliquid fuiſ-
ſe factum in vno loco, alter vero in
alio, vel vnus dicat aliquid fuiſſe fa-
ctum de die, alter verò de nocte: e-
iuſmodi teſtes reputantur ſingulares,
& nihil probant, iuxta Gloſſam ma-
giſtralem & communiter receptam,
in l. ob carmen, §. fin. ff. de teſtibus:
Facit & capit. nihilominus, 3. quæſt.
9. in illis verbis: Neque eorum vo-
ces tanquam plurium admittuntur,
quos temporum diuerſitas ſimul in-
terfuiſſe prohibuit. Qua de re videa-
tur Farinacius vbi ſupra, à num. 72.
cum ſequentibus, vſque 84. vbi pro
hoc quampluires adducit DD. ſed
maximè Maſcard. lib. 3. de probatiõ.
concluſ. 847. num. 10. Sed dicit limi- 256
tandum † hoc eſſe in caſu, quo vnus
teſtis deponit de aliquo certo actu,
adiecto certo & determinato die, lo-
co & tempore: alius verò deponit
de eodem actu, ſed non de die, loco,
& tempore; quia non recordatur:
nam

nam tunc (inquit) nō propterea præsummerentur singulares, sed conte-
257 stes. Idemque † est dicendum quando locus, & tempus non sunt de substantia actus, super quo deponunt testes: secus autem esset si essent de substantia actus, ad quod propositum plura dicit supradictus Farinac. eaque notatu dignissima, quę breuitati consulendo facio missa, videantur ibidem, & in sequenti num. 85. cum sequentib. vsque 91. dicit præ-
258 dicta locum habere † & vera esse, quando agitur de probatione alicuius actus non iterabilis, vt puta de homicidio, seu aliquo alio simili: tunc enim certum est, quod diuersitas in loco, & tempore inducit singularitatem, & tollit fidem testibus: secus autem esset, si agitur de aliquo actu iterabili, vt tenent omnes communiter Doctores in supradicta l. ob carmen, §. fin. ff. de testib. & glossa in supradicto capit. nihilominus 3. q. 9. verbo simul, versic. sed si sæpius aliquid potest committi. Idemq; ea-
259 dem † ratione est dicendum de actu continuato, & successiuo: vnde si aliquis testis deponat per vnum foramē se vidisse quempiam adulterium commisisse, & alter dicat per illud foramen id ipsum vidisse, eiusmodi testes non sunt singulares, sed contestes: quod tenet expresse supradicta glossa in cap. nihilominus, 3. q. 9. verbo simul, vers. si tamen aliquem actum continuum, & ibidem etiam Præposit. num. 7. vbi dicit hanc esse sententiam & opinionem communem, & idem dicit Felinus in cap. licet ex quadam de testib. ad fin. vers. addo etiam pro hac doctrina. Qua de re videatur Anto. Gom. to. 3. variar. de probatio. delictorum, ca. 12. num. 12. & Masc. lib. 1. de prob. concl. 59. num. 17. & 18.

Hic solet etiam quæri, quid dicen-
260 dum sit † de testibus nullo modo de loco & tempore deponentibus, an eiusmodi testes fidem faciant in iuditio? De qua quęstione, & difficultate videatur Farin. supradictus loco vbi supra à nu. 92. cum sequentibus, vsque 111 vbi primo dicit, quod testes de tēpore non recordantes multum sunt excusabiles, cum tempus de facili è hominum memoria decedat, Vnde & quamplures Doctores dicunt, eo non obstante eiusmodi testes bene probare, quod tenet Arch. & Præposit. in dicto cap. nihilominus 3. q. 9. quamuis non defuerint alij, qui dicant cōtrarium. Pro quorum concordia, & supradictæ quæstionis resolutione decem ponit conclusiones, quæ omnes ad hoc rediguntur, vt hac in re dicendum sit, quod quando locus, & tempus non sunt de substantia negotij, de cuius probatione agitur: testes non deponentes de loco, & tempore bene probant: in quo sensu procedit opinio Archidiaconi, & Præposit. at quando tempus & locus sunt de substantia actus probandi, sine loco & tempore testes deponentes nihil probant, in quo sensu procedit aliorum opinio. Vnde quando tempus est fundamentum intentionis alicuius, & quando ius est in tempore: tempus debet articulari, & probari per se fundantem in eo, iuxta glossam in c. venerabilibus, de sent. excom. in 6. & Bart. & Doctores communiter in l. non solum, §. sed vt probari, ff. de noui oper nuncia. qua de re videatur Masc. lib. 2. de proba. concl. 994. n. 2. Quod specialiter est verum, quando quod est vno tempore prohibitum, alio verò permissum, iux. tex. in l. matrem, C. de probat & generaliter loquendo hac in re dicēdum est, quod in criminalib. regulariter testes debent deponere de loco, & tempore, & quod si id ipsum non faciant habentur suspecti, & secūdum aliquos facit indiciū ad torturā. Quod fallit si tempus alicuius commissi delicti

fuerit

fuerit antiquum,in quo præſumitur obliuio: ſecus autem ſi fuerit breue, in quo obliuio non præſumitur, neque eſt veroſimilis.In quo caſu ſi teſtes de loco, & tempore interrogentur, & non deponant, nihil omninò probabunt, etiamſi tempus nō ſit de ſubſtantia actus de cuius probatione agitur, etſi ſint plures, & omnes dicant ſe non recordari de loco,& tem pore,meritò habebuntur de falſo ſuſpecti, & ſecundum multos Doctores poterunt torqueri: de quib. omnibus videatur latiſſimè Farinac.loco vbi ſupra,vbi concludendo dicit, quod quando teſtes deponunt de loco,& tempore,non eſt precisè neceſſarium, vt tempus determinent, ſed ſat eſt,quod deponant dubitatiuè,& per verbum videtur. Qua de re videatur Gloſſa & Archid. in dicto c. nihilominus, 3. quæſtio. 9. verbo ſimul, vbi ad hoc propoſitum reperire licebit plura,eaque notatu digniſſima.

Quinta Concluſio.

261 TEſtes †ſingulares ſingularitate adminiculatiua,ſiue cumulatiua, vel tendenti ad eundē finem: iuxta multorum Doctorum opinionem bene probant factum aliquod in genere,quamuis non in ſpecie, ſiue in indiuiduo, non ſolum in ciuilibus, verumetiam in criminalibus. Circa veritatem huius concluſionis magna eſt lis, & controuerſia inter Iuriſperitos Doctores, aſſerentibus quibuſdam per teſtes ſingulares ſingularitate prædicta plenè probari factum, ſiue delictum in genere,quamuis non in ſpecie, ſiue in indiuiduo,idque tam in ciuilibus, quā in criminalibus, & de ciuilibus ponunt exemplum, vt quando agitur de probanda alicuius rei origine, poſſeſſione, præſcriptione, ſeu iuriſdictione aliqua, ſiue conſuetudine, ſeu aliquo toto, quod ex pluribus, atque diuerſis conſtat partibus: in criminalibus autem, vt quando agitur de probando quempiam eſſe vſurarium,adulterum,aut crimē hæreſis, ſiue læſæ maieſtatis commiſiſſe,vel aliquam vilem, & inhoneſtā, aut meretriciam vitam vixiſſe, & ſimilibus: aſſerētibus verò alijs,quod in omnibus prædictis caſibus teſtes ſingulares ſingularitate prædicta, adminiculatiua nempe,ſeu cumulatiua & in eundem finem tendenti: quod minimè probant plene, ſed tantum ſemiplenè, poſtquam nullus actus per ipſos probetur ſimul, neque conteſtent. De qua quæſtione,& controuerſia, ex antiquis videndus eſt Bart.in repetitione legis, de quibus,ff de legibus,num.24.Iaſon in l. admonendi, ff.de iureiurando,num. 256.verſic.nota diligenter, Bald. in cap. licet cauſam, de probatio.num. 11.& ibi Decius num.64.Felinus in cap.licet ex quadam,de teſtibus, nu. 4.quædam adminiculatiua. Ex iunioribus autem Simanc. de cathol. inſtit.tit.64.à num.61. cum ſequentibus, Anton. Gomez tom. 3. variar. de probatione delictorum ca.12.nu. etiam 12. Iul Clar. lib 5.§. fin.q.53. num.18. verſ.dixit etiam, Maſc.li 2. de probat.concl.378.nu. 13. & concl 827.num.10.& lib.3.concl. 1225. nu.16.& ſæpe alibi,& nouiſſimè Farinac.de teſtib. quæſt.64. à nu. 112. cum ſequentibus latiſſimè vſq; 323. vbi hinc inde de hac quæſtione, & difficultate plura dicit, innumeras aſſerendo, Doctorum auctoritates, plures caſus, & eorum plures etiam ampliationes, limitationes, & ſublimitationes,quibus omnibus breuitatis gratia prætermiſſis,vera reſolutio eſt,ſicut prædictum eſt in propoſita concluſione, quod multorum Doctorū eſt probabilis opinio,quod teſtes ſingulares ſingularitate prędicta admi-

adminiculata, seu (vt alij volunt) cumulatiua, & tendenti in eundem finem: tam in ciuilibus, quam in criminalibus, licèt non plenè probent factum, aut delictum in specie seu in indiuiduo, probant tamen illud in genere, qui probandi modus chimericus, atque ridiculus, licet quibusdam videatur, non tamen est ita chimericus, aut ridiculus vt sibi videtur. Qua de re videatur supradictus Simancas loco supracitato, sed specialiter, nu. 75. 76. & 77. nã postquam in præcedentibus dixit, nõ sibi placere prædictum modum probãdi factum aliquod, siue delictum in genere, idque dicentes refutauit & quodammodo irrisit, postea tamen concludendo in supradictis numeris dicit, quod potest probari hæresis alicuius per testes singulares, deponẽtes, & testificantes de eadem hæresis specie, quamuis de diuerso loco, & tempore. Ij enim (inquit) quamuis sint singulares respectu loci & temporis, sunt tamen contestes, & concordantes in probatione hæresis: & locus, & tẽpus non obstant quo minus plenè probẽt, & extraria sunt (vt Iurisperiti loquuntur) nec plurificãt hæresim sæpius dictam, & continuatam, quod probat auctoritate Saliceti in l. testium, C. de testibus, & auctoritate aliorum Doctorum, qui ibi poterunt videri. Præterea (inquit) tẽ-
262 pus, & locus † non sunt circunstãtiæ necessariæ ad probandam hæresim, & diuersitas testium in alijs, quã in substantia non abrogat eorum fidẽ. Et addit, quod perinde est hæreticus, qui varijs locis, & temporibus, eandẽ reperit hæresim: ac fur qui id quod rapuit, & furatus est, varijs tẽporibus, & locis singulis testib. ostendit. Postremò ait absurdum admodum esse, vt seducat quispiam singulos homines totius populi, seorsum suas doceret hæreses, & tamen vniuersorum testimonijs conuinci non posset: quod nemo sanus probabit. In cuius probationem adducit D. Thomam 2. 2. quæst. 70. art. 2. & Bart. in l. eos, ff. de falsis, cuius sententiam communiter dicit esse receptam. Adducit etiam legẽ inficiando, §. infans, ff. de furtis, & ibi Bart. & tandem concludendo dicit, quod cũ testes singulares plures sunt, & fide digni, & ad eundem finem tendunt, si eorum testimonia verisimilia sunt, iudex poterit plenã fidẽ illis adhibere, quod ait esse vsu forensi receptum, & à quam plurimis Doctoribus Iurisperitis traditum, in quod adducit plures Doctorum auctoritates, quæ videri poterunt ibidem. Quid quæso clarius dici potuit, ad prædictam nostram probandam conclusionem? nam quod ipse in re, atque in substantia dicit, hoc & non amplius est quod & nos in nostra cõclusione dicimus, nempe quod per testes singulares singularitate prædicta adminiculatiua, cumulatiua, siue in eundem finem tendenti, quamuis factum, siue delictum non plenè probetur in specie siue in indiuiduo: probatur tamẽ in genere, hoc est, generaliter, quod quispiam tale, vel tale delictũ commiserit, siue hæresis, siue quodcunque aliud: quamuis diuersis loco & tempore. Nam quamuis duo testes simul id ipsum non viderint, sintque singulares respectu loci & temporis: sunt tamen contestes respectu delicti in genere, id est generaliter sumpti, quia (vt dixit prædictus Simãc.) locus, & tempus extraria sunt, nec sunt circunstantiæ necessariæ ad probandã hæresim, siue quodcunque aliud delictum, & diuersitas testium in alijs, quã in substantia non abrogat eorum fidem. Hoc est multum notandum, atque memoriæ commendandum. De quo videatur Farinacius prædictus loco vbi supra, sed specialiter num. 204.

cum

cum sequentibus, & num. 215. etiam cum sequentibus, vbi ad hoc propositum dicit plura, eaque notatu dignissima.

Sexta Conclusio.

263 Testes inter se contrarij,† multo minus quam testes singulares probant; fidemue faciūt in iudicio, quin verò tanquam suspecti de falso, interdum debent puniri. Hæc conclusio iam aliqualiter constat ex supradictis in primo notabili, & etiam in conclusione secunda, vbi diximus omnino nihil probare testes singulares singularitate obstatiua, hoc est, quando sunt inter se inuicem contrarij: libuit tamen præsentem conclusionem adijcere, quia in testium expressa contrarietate, siue contradictione, aliqua reperiuntur peculiari annotatione digna. Et quidem prædicta conclusio est expressa Farinacij de testibus, q. 65 à num. 1. cum sequentib. vbi nu. 2. hanc tradit generalem regulam, quod testes inter se contrarij, sibiq; inuicem contradicentes, omninò nihil probant, quod probat multorum Doctorum auctoritatibus, & esse dicit sententiam communiter receptam, adeò vt contradictorem nullum habeat, & procedere vtcunque testes sint plures, etiam si sint mille, & hoc in criminibus etiam exceptis: & quod vt suspecti de falso possint & debeant puniri, probat etiam multorum DD. auctoritatibus, sed præsertim Aretini consil 71. vbi loquēdo de duobus testib. in eodem actu sibi inuicem contradicentibus, ambos puniendos esse dicit, & ita se habere opinionem communem. Cuius resolutioni fauere uidetur Simanc. de cathol. instit. tit. 64. nu. 62. ubi agendo de testib. qui contrarij sunt, dicit, quod sibi ipsis fidem abrogāt, postquam ipsorum testimonia sunt inter se collidantia, seu sese resistentia & tales (inquit) non modò plenā non faciunt probationem, sed interdum etiam ut falsi sunt puniendi. Sed hæc sententia, & dicendi modus non placet Bosio tit. de tortura testium. n. 35 vers. & ita intellige, & tit. de oppos. cōtra testes, n. 17. in principio: nam quo pacto (inquit) testes inter se contrarij tanquam de falso suspecti punientur, cum planè non cōstet quis eorum verum, aut falsum dixerit? Vnde circa hoc de mente supradicti Farinac. loco vbi supra, n. 7. dicendum est, † quod quando testes 264 sibi inuicem sunt contrarij, aut contradicentes, non ambo puniendi sūt tanquam de falso suspecti, sed tantum ille, cuius testimonium minus probabilitatis habet. Itaq; hac in re videndum est cuius testificatio præponderat alteri: nam quando duo testes contradicunt vni, vel plures paucioribus, tunc non omnes tanquam periurij, & suspecti de falso puniendi sunt, sed ille vnus, aut pauciores, id quod obseruat communis praxis: nā semper in hoc habetur respectus ad numerum testium, potius quam ad ipsorum dignitatem: & data testium paritate, licet digniores vincāt minus dignos, quantum ad fidem, & probationem, non tamen quantum ad eorum punitionem: nam tunc non datur locus punitioni, licet tractari possit de veri testimonij inquisitione, & carceratione ad effectū inquirendi quis eorū falsum dixerit, quæ sentētia est supradicti Bosij loco vbi sup & Iul. Clar. lib. 5. §. falsum, n. 11. vers. conuincitur etiam testis de falso, vbi ad hoc propositū reperire licebit plura, eaque notatu dignissima. Intelligenda est † tamen 265 dicta conclusio quantum attinet ad probationem, & punitionem testiū sibi inuicem contrariantium, quando eiusmodi contrarietas reuera fuerit magna & in rebus substantiali-

bus

bus ad articulata, siue probata respicientibus, secus est autem si fuerit parua, aut modica, non respiciens ad negotij substantia, nec ad qualitates, & circunstantias substătiales, sed ad accessorias, remotas, & extrinsecas: nam tunc eiusmodi contrarietas, aut varietas nō prædictis testib. fidē tollit, nec propterea tanquā de falso suspectus aliquis ipsorū erit puniēdus: multoque minus quando discordantia fuerit tantum in verbis, dummodo concordent in negotij substantia, ni forsan in aliquo casu, quo necessa-
266 riò respicere † oportet ad formalitatem verborum (de quo diximus supra in concl. 3.) quin verò nimia cōcordantia in verbis inducere posset falsi suspicionem, vt ibidem diximus quia præsumi possunt testes subornati, quando deponunt per vnum, & eundem præmeditatum sermonem, iuxta l. 3. §. 1. ff. de testibus, nisi aliàs testes ipsi deponentes essent bonæ famæ, de quibus falsi nihil, aut subornationis posset præsumi, quod totum iudicis arbitrio relinquitur, vt videat an eiusmodi testes probēt, vel non probent, aut tāquam de falso suspecti sint puniēdi, vel non puniendi.

Septima Conclusio.

267 TEstium concordia † in suis depositionibus, quātum fieri poterit procuranda est, ad effectum, vt euitetur falsitas, & contrarietas, non autem ad effectum, vt probent. Hęc etiam conclusio est supradicti Farinacij dicta quæst. 65. de testibus à num. 37. cum sequentibus, vsque 75. vbi hanc constituit generalem regulam, quam probat per ca. cū tu, de testib. & ibi Glossa & omnes Doctores communiter, ipsamque ampliando dicit, testes contrarios esse modis omnibus concordandos, etiam per multiplicationem actuum, & præsumendo pluralitatē factorum, atque interdum per impropriationem verborum depositionis ipsorum, etiamsi faciendum sit cum aliqua difficultate, & maximè procuranda est eiusmodi concordia per distinctionē temporum, iuxta illud quod communiter dicitur, distingue tempora, & concordabis iura. Multaque alia ad hoc propositū dicit, quę breuitatis gratia facio missa. Et in sequenti num. 76. prædictā generalem regulam limitando dicit, quod licet testium concordia quam plurimum procuranda sit, ad hoc vt euitetur falsitas: non tamē ad hoc vt probent, licèt, & circa hæc variæ atque diuersæ sint Doctorum opiniones, asserentibus quibusdam limitationem prędictam habere verum de iure ciuili, secus autem de iure canonico: nam secundum ius canonicum concordia in testibus procurāda est, etiam ad effectum vt probent, & etiam de iure ciuili apponunt eidem quam plures sublimitationes, varios adducendo casus, in quibus etiam de iure ciuili testium concordia procuranda est, etiam ad effectum vt probent, & non solum ad hoc vt euitetur falsitas, quæ omnes videri possunt apud prædictum Farinacium vbi supra, à dicto num. 76. vsq; 89. Et in sequenti num. 90. vsque 106. ad supradictam generalem regulam aliquas etiam apponit limitationes, vt scilicet testium contrariorum concordia modis omnibus procuranda sit, & ipsorum verba † interpretanda, hac lege, vt interpretatio sit probabilis, congrua & veritati consona, alias testes non solum non sunt concordandi, verum tanquam falsi reputandi, id quod fieri debet quam maximè, quando testium contrarietas est clara, & manifesta; quod multorum Doctorum probat auctoritatibus, his etiam limitationibus aliquas adducēdo sublimitationes, quę omnia, quia nimis prolixa sūt, & parum 268

rum

rũ vtilia, siue necessaria (vt videtur) breuitati consulendo facio missa. Et in sequenti q. 66. à num. 317. vsque 370. eadem fere dicit, de concordando vnico teste sibi vario, & contrario, saltim ad euitãdum falsum, quãuis non vt probet.

Octaua Conclusio.

269 TEstibus † contrarijs inter se existentibus, in casu quo ad concordiam reduci non possunt, & si reducantur non tamen plenum producunt probationis effectum, plures numero vincũt pauciores. Hæc conclusio est expressa Farinacij in dicta quæst. 65. de testibus, à num. 107. cum sequentibus, vsque 113. vbi hoc tradit pro generali regula, probatque illud per cap. in nostra de testibus, verb. mandamus, & ibi glossa, verb. aduersa, vers. si vnus testis contradicit pluribus, vbi hoc idem tenent omnes Doctores communiter. Sed præcipuè Antonius de Butrio in summario notab. 1. n. 2. 3. & 6. & Aret. Abbas, & Felinus etiam in summario, & Facit ad idem, cap. licet causam de probationib. verb. ex præmissis, ibi, per testes numero plures, quibus potius lux veritatis assistet. Probat etiam Farinac. hanc regulam auctoritate multorũ Doctorum, & concludendo dicit eã esse non solum iure probatam, verumetiam & communiter à Doctoribus receptam. Sed postea num. 214. cum sequentibus, vsque 127. li-
270 mitat eam, dicendo † non habere locum in casu, quo testes, numero pauciores essent digniores: nam dignioribus semper magis, quam minus dignis creditur, etiamsi contrarij sint numero plures: per textum, in l. ob carmen, §. fin. ff. de testibus, in illis verbis. Non enim ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testimoniorum fidem, & testimonia quibus lux veritatis assistit, vbi hoc idem tenet Bart. & omnes DD. communiter. Facit & ad idem supradictum cap. in nostra, de testib. vbi id ipsum dicũt omnes Doctores supracitati, & cap. licet causam de probationib. vbi id ipsum dicunt supradicti Doctores. Est tamen prædicta limitatio † intelligenda hac lege, quod 271
nobilitas testium pauciorum numero sit notabilis, non enim omnis testium parua dignitas præualere debet. Est etiam necessum, vt non sit magnus excessus in numero testium minus dignorum: etenim si excessus sit magnus, dignitas non superabit excessum. Dicitur autem excessus magnus si fuerit duplum, secundum Doctores communiter, vel melius dici potest, iudicis arbitrio id ipsum esse remittendum.

Secundo à nu. 124. cum sequentibus, vsque 231. limitat prædictam generalem regulam, † quando testes 272
numero pauciores, verisimiliora deponerent: nam etiam in hoc casu paucioribus numero testibus magis est credendum, iuxta textum in prædicta l. ob carmen, §. final. ff. de testibus, in illis verbis: Licet in impari numero, vbi id ipsum tenent omnes communiter Doctores, illud extendentes ad testes, quorum depositiones alijs coniecturis, & præsumptionibus magis fuerint adminiculatæ, etiamsi in dignitate sint minus digni. Et in tantum hoc dicũt esse verum, & testibus verisimiliora deponentibus magis esse credendum (licet pauciores sint numero, quod alij non verisimilia) seu potius impossibilia deponentes, nullo modo probent, aut illis credendum sit: quin verò habendi sunt tanquam de falso suspecti. Multa ad hoc propositum dicit Farinacius prædictus, plures addendo ampliationes, & limitationes quas per tempus

referre non licet, videantur, ibidem.

Tertiò limitat dictam generalem
273 † regulam in supradicto etiam casu, quando testes inter se sunt contrarij, & concordari non possunt, tunc magis est credendum testibus deponentibus in fauorem rei, quam deponentibus ad fauorem actoris, dataque testium hinc inde contradicentium paritate, reus non est condemnandus, sed absoluendus. Hæc etiam regula est supradicti Farinacij loco vbi supra, à num. 152. cum sequentibus, vsq. 164. & probat eam per Glossam in supradicto capitulo in nostra, de testibus, verb. aduersa, vers. si verò testes ex vtraque parte sint omninò pares, & verb. præferenda, vbi idem omninò tenent Anton. de Butrio, Abbas & Felinus. Facit & ad idem Glossa in cap. cum tu, eodem titulo, verb. benignè, vers. item est argumentum, quod in dubijs pro reo iudicari consueuit. Probat etiam hanc regulam auctoritate multorum Doctorum, & dicit dubitari non posse eam esse communiter receptam, & procedere necdum in ciuilibus, verum etiam in criminalibus, & etiamsi testes deponentes ad defensionem rei sint negatiui, & excludendo delictũ negent: nam adhuc illis magis creditur, quam contrarijs affirmantibus in fauorem actoris, siue accusatoris, quod probat auctoritate multorum Doctorum, sed præcipuè per Baldũ in l. data opera, nu. 44. C. de ijs qui accusare non possunt, & Glossam in c. clerici, dist. 81. Item dicit procede-
274 re † prædictam regulam, etiamsi testes negantes, & excludentes delictũ sint laici, affirmantes verò clerici, quod probat per Aretin. & Abbat. in supradicto cap. in nostra, de testibus, multaque alia dicit ad hoc propositum, quæ per tempus referre nõ licet. Qua quidem ratione in summa, atque in compendio contentus ero dicere, quod in supradicto casu de testibus sibi inuicem contradicentibus, qui concordari non possũt, credendum magis est testibus magis informatis, & plenius totum factum narrantibus, quã alijs non tantũ informatis, aut non ita plenè factum narrantibus. Item credẽdum est magis testibus deponentibus cum ratione & redditione causę, quam alijs deponentibus sine ipsa. Item cæteris paribus magis est credendum testibus senioribus, & antiquioribus, quam iunioribus, & magis clericis quam laicis, magis masculis, quam fœminis, notarijs magis quam non notarijs, peritis magis, quam imperitis, deponentibus pro causa fauorabili, quam deponentibus contra: item credendum magis est testibus mortuis, quam viuis, distinguentibus magis, quam non distinguentibus, & generaliter loquendo, magis testibus affirmantibus, quam negantibus. Quæ omnia probat Farinac. prædictus, multis iuribus, ac Doctorum auctoritatibus, à supradicto num. 164. vsq. 244. multas adducendo ampliationes, limitationes: atque sublimitationes, & post hæc à num. 245. vsq. 285. ad idem propositum alia specialia dicit, quæ videri poterunt ibidem.

Nona Conclusio.

TEstes in sua depositione † varij, contrarij, siue vacillantes, nihil probant, neque fidem faciunt in iudicio. Hæc 275
conclusio communis est omnium Doctorum resolutio, & satis constat ex capit. licet causam, de probationibus, in illis verbis: Cum alij sibimet in serie sui testimonij contradicant, & iterum quia ipsi sibi inuicem euidentissimè contradicunt, vbi videnda est Glossa, verbo contradicant, adducens in id ipsum alia

iura

iura concordantia. De qua conclusione videndus est Couarruuias, libro secundo variarum, cap. 13. numero octauo, & Iulius Clarus, libro 5. §. final. quæstione 53. numero 15. versic. quartus est casus, & Mascard. libro 3. de probationibus, conclu. 1361. numero 2. & 3. vbi in eiusdem comprobationem plures alios refert Doctores, & nunc nouissimè eandem tenet Farinac. de testibus, quæstio. 66. à numero 1. cum sequentibus, vsque 38. vbi multis tradit quinam dicantur testes varij, contrarij, & vacillantes. Et præ-
276 termissis multis † ea de re Doctorum sententijs, licèt nonnulli dicant testes varios, atque contrarios idem omninò esse, aut parum vel nihil inter se differre: melius est vt dicamus inter eos inueniri essentialem, atque intrinsecam differentiam, ita vt contrarij sibi inuicem dicantur testes, qui dicta contraria deponunt ijs, quæ primo dixerant, varij verò, qui non quidem directè contraria deponunt, sed eadem indirectè tamen, seu diuerso, & vario modo. Vacillantes autem, qui illa dicunt vacillando, timendo, titubando, & dubitando: sed quidquid de hoc sit, vera est conclusio quod tam isti, quam illi non probant, aut fidem faciunt in iudicio: licèt non desint qui dicant, quod testes vacillantes, non in totum repelluntur, sed tantummodo eis de fide diminuitur: quæ quidem contrarietas conciliari potest dicendo, quod conclusio procedit de testibus vacillantibus, qui timendo, & dubitando varia deponunt: ij enim propter suæ depositionis varietatem, atque incertitudinem, in totum repelluntur, multoque magis si variant, aut vacillant circa principalem substantiam negotij: aliorum autem sententia verum habeat, in testibus qui non varia, aut diuersa deponunt, nec vacillant circa principalem substantiam negotij, sed circa eiusdem circunstantias, & id quod dicunt esse titubando, timendo, & dubitando. Et pro maiori firmitate supra positæ conclusionis, dico in-
telligendam † eam esse, non de qua- 277
cunque varietate, aut contrarietate, sed de illa, quæ fuerit magna, & in rebus essentialibus & substantialibus, vel circa locum, & tempus actus, de cuius probatione agitur, non verò in accidentalibus circunstantijs, & qualitatibus accessorijs: nam testes sic deponentes non dicuntur varij, & contrarij, nec repelluntur, quin verò probant & fidem faciunt in iudicio, si in facto, & negotio principali sint concordes, prout tenet expressè Bartol. in l. eos, ff. de falsis, num. 5. versic. & intellige, vbi hoc idem tenet omnes communiter Doctores. Aduertendum
est tamen, quod testis † varius, aut 278
contrarius in aliqua essentiali & substantiali negotij parte, in totum reputatur varius, atque contrarius, & nihil omninò probat, aut fidem facit in iudicio, prout multis probat Aretin. in ca. in nostra, de testibus, num. 5. cum sequentibus. Cuius rationem reddit, quia contradictio, siue varietas in eodem testimonium, notoriũ arguit calumniam, & falsitatẽ in teste, quod idem tenet omninò Abbas in d. c. in nostra, nu. 9. Idem dicemus infra de teste in parte existente falso, quod in totum talis esse reputatur: ad quod propositum multa dicit Farinac. vbi supra, quæ videri poterunt ibidem. Addendo quod varietas, & contrarietas in rebus non substantialibus, licèt non in totum tollat fidem testis, multum tamen diminuit de fide illius: quod probat multorũ Doctorum auctoritatibus, nisi aliũde expressè cõstet id ipsum non processisse ex malitia, sed per errorem aut per ignorantiam, obliuionemve, quod iudicis arbitrio diiudican-

dura relinquitur, & percipi id ipsum poterit, ex personæ testificantis qualitate, bonitate, siue simplicitate.

In sequenti numero 39. cum sequentibus vsque 55. dicit Farinacius

279 prædictus, quod † ad effectum euitandi, & fugiendi varietatem, siue contrarietatem (si aliàs testis fuit examinatus) in secundo examine poterit se ad primum referre, prout consulit Abbas, & Felinus, in capit. cum in tua, de testibus, vel dicere, legatis mihi primum meum examẽ, & postea respondebo: quod iudex debet facere, etiamsi non sit publicatum, secundum Bartolum in dicta l. eos, ff. de falsis, numero 7. & si iudex noluerit illi legere suum primũ examen, poterit protestari, quod quandocunque constiterit, quod ipse in primo examine quidpiam aliud dixerit, ex tunc corrigit secundum suum dictum, & refert se ad primũ tanquam verius, quia tunc melius recordabatur de facto. Quo facto, & præuia prædicta protestatione, etiamsi testis varia, atque contraria deponat, excusabitur à pęna, & attendi debet ad primum ipsius dictum, prout latius dicemus statim. Non desunt qui dicant, iudicẽ nullo pacto debere admittere eiusmodi responsionem relatiuam ad primum examen, sed contrarium est verius, & quod communiter à Doctorum tenetur, nisi aliàs testis esset persona de falsitate suspecta, cui proinde propter aliquam rationem, & causam concedendum non esset, vt se remitteret ad primum examen, ad indagandam, & experiendam forsan contradictionem aliquam. Hanc ob causam Simanc. de cathol. institut. titul 64. numero 24. dicit quod in hæresis crimine non permittitur testibus, vt se remittant ad primum suum dictum. De quo plura dicit Farinacius prędictus, quæ per tempus referre non licet, videantur ibidem. Et in sequenti 56. cum sequent. vsq; 97. prosequẽdo materiam testis varii, siue contrarij, statuit † regulã 280

eundem esse puniendum de falso, per tex. in l. qui falso, & ibi Gl. verb. puniuntur, ff. de testib. quod ẽt probat multis alijs iuribus, & DD auctoritatib. sed præcipuè Couar. lib. 2. variar. resol. c. 3. nu. 3 & Iulij Clari li. 5. §. falsum, nu. 8. vers. testis, qui falsum testimoniũ. Dicitq; id ipsum procedere, non solũ in teste vario & sibi contrario, verumetiam in vacillante, nã & de vacillante, vt videtur loquuntur Doctores: sed intelligendum, i. iuxta id, quod diximus supra de teste, qui vacillando deponeret varia, & diuersa, non verò de eo, qui tantummodo deponeret timẽdo, & titubando. Intelligẽdum id ẽt est ad modum, quo dictum est supra de teste variante sibique contradicente, in essentialibus & substantialibus, non vero in circũstantijs & qualitatibus accidentalibus. Et in sequenti numero 98. cum sequentibus, vsque 123. tradit etiam regulam qua dicit, † quod eiusmodi 281

testis varius, aut sibi contrarius, siue vacillans, potest à iudice torqueri, ad videndum in quo dicto persistat, quod probat per Baldum in l. Presbyteri, C de Episcopis, & Clericis, numero secundo, pluresque alios Doctores asserentes hanc esse opinionem communem, sed præsertim per Antonius Gomez tomo tertio variarum titulo de tortura reorum, numero 29. & Iulium Clarum libro quinto, §. final. quæstione 25. numero quarto, versic. item testis varius, vbi id ipsum dicit, & quod eiusmodi in suis depositionibus non faciunt fidem contra reum, nisi suum dictum confirment in tortura, quam esse ait communem praxim: pro qua citat alios Doctores, & se ipsum in quæstione 53. numero 15. verbo quartus casus. Dicitque

id

id habere locum non solum in lai-
cis, verumetiam in clericis, quod et
tradit Farinacius vbi supra, numero
101. & 102. addendo, quod clericus
varius in sua depositione potest tor-
queri, etiamsi contra eum aliqua in-
famia non præcedat. Nam (inquit)
id quod communiter dicitur à Do-
ctoribus, clericum non posse torque-
ri, nisi aliqua precedenti infamia, in-
telligendum est, de eodem tanquam
reo super aliquo delicto, secus est au
tem de eodem torquendo tanquam
teste. Multa alia ad hoc propositum
dicit Farinacius prædictus, quæ per
tempus non licet referre, videantur
ibidem.

Decima Conclusio.

282 SI testes fuerint † varij, aut con-
trarij in vno examine, ab eo
quod in alio dixerunt, ad pri-
mum ipsorum dictum, non vero ad
secundum est attendendum. Hæc
conclusio est omnium Doctorum
communis, seu verò communior,
vt inquit Farinacius in dicta quæ-
stio. 66. de testibus, num. 124. cum
sequentib. vbi tradit eam pro gene-
rali regula, quam & probat multo-
rum auctoritatibus, sed præcipuè
Couarrunias libro 2. variar. cap. 13.
num. 8. vers. cæterum si testes, & Iu-
lij Clari, libro 5. §. fi. q. 53. num. 10.
vers. prædicta autem, vbi dicit eam
esse opinionem communem, licèt
non defuerint, qui dicant contrariũ:
& quod in eiusmodi casu neutri di-
cto sit credendum: quod probant
per textum in l. qui falso aut varie, ff.
de testibus. Sed contrarium est ve-
rius, atque tenendum, & in eo persi
stit Farinac. ampliando in sequenti
bus numeris prædictam generalem
regulam, ad hoc vt procedat non so
lum quando pars contra quam ite-
rum producitur testis, opponit se il-
lius secundo examini, dicendo non
debere illum examinari, propter pe-
riculum periurij si contraria dixe-
rit, iuxta tex. in c. literas, de præsum-
ptionib. verumetiam si pars nihil
testi tale opponat, nam adhuc atten-
di debet ad primum ipsius dictum,
non verò ad secundum. Nam iuxta
doctrinam Alciati de præsumpt. 2.
reg. præsumpt. 29. num. 6. penes hoc
nulla facienda est distinctio, & DD.
indistinctè, & nihil curando an pars
se opposuerit secundo examini, vel
non, vnanimiter dicunt, quod atten-
di debet ad primum testis dictum,
non verò ad secundum. Etiam (in-
quit) procedit † prædicta generalis 283
regula, & attendi debet ad primum
testis narrantis dictum, non verò ad
secundum, quando secundum ema-
nauit post publicationem processus:
nam tunc testis varians à primo exa
mine, subornatus præsumitur; vt te-
stes Bosius in titulo de opposit. con-
tra test. nu. 1. ad finem. Multoq; ma
gis procedit prædicta † generalis re- 284
gula, in casu quo testis secundo non
debuerit examinari: nam tunc con-
trarietas secundi examinis, nullo
modo nocere debet parti, cui iam est
quasi ius quæsitum per primum exa
men, vt dicit idem Bosius loco supra
citato, numero octauo. Alias amplia
tiones adducit Farinacius ad regu-
lam generalem prædictam, & plures
refert casus, in quibus teste existente
contrario in secundo examine, at-
tendi debet ad primum suum di-
ctum, non verò ad secundum. Sed
postea limitat ipsam alios adducen-
do casus, in quibus attendi debet ad
secundum, & non ad primum: quo-
rum est primus, quando secundum
† dictum emanasset animo corri- 285
gendi primum. Secundus quando
primum dictum emanauit calore
iracundiæ: tunc enim iam sedato a-
nimo attendi debet ad secundum,
& non ad primum prolatum. Ter-
tio quando iudici apertè constauit

de falsitate dicti primi. Quartus, quando primum dictum sine iuramento, secundum autem cum iuramento fuit prolatum: tunc enim attenditur ad dictum iuratum, non autem ad non iuratum. Quintus quando primum dictum prolatum fuerit à teste, sine redditione rationis, vel cum ratione non concludente, & sufficiente, secūdum verò cum ratione concludente & sufficiente. Sextus quando secundum dictum testis est magis verosimile, quā primum, & aliquibus coniecturis presumptionibus adminiculatum. Septimus quando testis in plenario iudicio, dicit cōtrarium eius, quod dixerat in summario: nam licet in isto casu Doctores sint varij atq; diuersi, in determinando, cui potius sit standum: & quidam dixerint attendendum esse ad primum, alij verò ad secundum: verior tamen & communior resolutio est, quod ad secūdum. Alij volunt quod nec ad primū, nec ad secundum, quoad ferendam sententiam, & plenum faciendum iudicium. Octauus quando testis in iudicio valido deposuerit contrarium, eius quod prius dixerat in iudicio inualido, in quo casu attenditur ad depositionem secundam validam, non vero ad primam inualidam. Quæ supradicta omnia Farinacius predictus à numero 128. vsque 156. probat atque confirmat multis Doctorum auctoritatibus, & in ipsorum comprobationem adducit præcipuè Bartolum in l. eos, ff. ad legem Cornel. de falsis, num. 4. Abbat. & Felinum, in cap. cum in tua, de test b. & Iulium Clarum libro quinto, §. final. quæstione 53. à numero 11. cum sequentibus, vbi ad hoc propositum supradictos adducit casus, quod etiā facit Couarruuias libro 2. variarum resolutio. capit. 3. num. 7. Nonus & vltimus casus est, si causa fuerit hæresis, nam in ea si testis in secundo examine, dicat contrarium eius, quod dixerant in primo, non ad primum, sed ad secundum debet attendi: per textum expressum in ca. accusatus, §. licet de hæretic. libro 6. quod etiam tenet Felinus in dicto c. cum in tua, de testibus, numero 6. & Couarruu. dicto 2. lib variar. capit. 13. num 9. Sed circa hoc multa cum forent dicenda, quia non est par omnium Doctorum consensus, lectorem remitto vt consulat auctores prædictos, sed præcipuè Simancas hisce in rebus versatissimum, libro suo de cathol. institu. tit. 64. nu. 60. & Farinac. loco vbi supra à numero 157. vsque 161. vbi ad hoc propositum reperire licebit omnia, quæ desiderari possunt. Et in sequentibus numeris, vsque ad 64. aliquas alias adducit limitationes ad prædictām generalem regulam concludendo dicens, quod licèt in proposito casu (regulariter loquendo) attendi debeat ad primum testis dictum, non verò ad secundum: negari tamen † 286 non potest, quod & secundo dicto debilitetur primum, in tantum vt ex eo non possit deferri iuramentum in supplementum: pro quo citat Abbat. & Felinum in dicto ca. cum in tua, de testibus, & Iulium Clarum in dicto libro 5. §. fin. quæstio. 53. numero 3. versic. tertius est casus, vbi hanc esse dicit opinionem communem. De materia huius conclusionis videatur idem Farinacius in eadem quæstion. à numero 193. vsque 226 De teste autem qui positus in tortura est sibi varius, & contrarius ab eo, quod extra torturam deposuit, quid sentiendum sit, & an attendi debeat ad primum, an vero ad secundum ipsius dictum, dicemus infra in propria quæstione de tortura.

Vnde-

Vndecima Conclusio.

287 TEstes in suis † depositionibus varij aut cõtrarij, bene se possunt corrigere in continenti, non autem ex interuallo, nisi forsan in aliquo speciali casu. Hæc conclusio est supradicti Farinacij in dicta quæstio. 66. de testibus: à num. 227. cum sequentibus, quam & probat multorum Doctorum auctoritatibus, sed præcipue Bart. in l. eos, ff. de falsis nu. 2. vers. item oppono, & Glossa Panormitani, & Felini in cap. per tuas, de testibus, verb. audiendum, & in cap. in nostra, eodem titulo, verb. aduersa. De qua etiam videndus est Iul. Clar. lib. 5. §. fin. q. 53. n. 15. vers. quartus est casus. Ex qua cõclusione sequitur, quod testis ante perfectum examen, seu antequam discedat à conspectu iudicis dictum suum poterit corrigere, non solum antequam notarius scribat ipsius responsionem, verum etiam & dicta responsione scripta, dummodo fiat antequã ipse suo examini se subscribat: nam & in eo casu eiusmodi correctio facta dicetur incontinenti, nõ verò ex interuallo. Quod & dicendum crediderim, id ipsum si fiat etiã post peractum examen, & subscriptionem factam, dummodo sit antequam reus cum parte alloquatur, secus autem si cum ea fuerit allocutus: quod tenet Farinacius loco vbi supra, à num. 232. cum sequentibus, addendo non sufficere, quod testis partem non fuerit allocutus, sed requiri quod nec fuerit allocutus aliquam aliam personam, à qua pars de illius depositione potuerit informari, & certificari. In cuius rei cõprobationẽ dicit nõ esse credẽdũ testi assererẽti, nõ se cũ parte, aut cũ alio fuisse allocutum, verum id ipsum esse probandum aliter, quam per dictũ testis se ipsum corrigẽtis, quamuis si testis fuerit persona notæ fidei, & auctoritatis, fides fieri possit ipsius iuramento asserẽtis, quod nec cũ parte nec cum alio ea de re fuerit locutus. Et regulariter loquendo dicit, quod testis, qui post triduum à die suæ depositionis venerit ad se corrigendum, præsumi de eo potest, quod fuerit locutus cum parte, atque ab ea subornatus: in quo quãplurimũ † standum esse dicit iudicũ arbitrio, 288 an testis in continenti, seu ex interuallo dicatur se corrigere. Hęc supra dictus Farin. à dicto nu. 232. vsque 244. Et in sequenti num. 245. cum sequentibus, ponit casus, in quib. testes etiam ex interuallo possunt se corrigere. † Quorum est primus, 289 quando iustam allegauerit causam suæ correctionis, & erroris, dicendo, quod fuere lapsi, aut non bene ea de re informati: in cuius etiam comprobationem aliquam præstiterit informationem: nec enim sufficit id solũ modo dicere, aut allegare (nã & hoc etiam requiritur ad correctionẽ incontinenti factam) sicque ad faciendam ipsam ex interuallo, aliquid amplius requiritur, nempe allegatio, & probatio: alioquin nulla esset differẽtia inter correctionem factam incontinenti, & ex interuallo, quod dicere videtur absurdum. Obliuio etiã iusta esse potest causa, vt testis quandoq; se corrigat ex interuallo secundum Alciat. de præsumpt. regula 2. præsump. 19. num. 2. & 4 dummodo eiusmodi obliuio sit verosimilis; secus autẽ si non fuerit verosimilis, cuius obliuionis ẽt aliqualẽ debet reddere causam, maximẽ si se corrigẽdo dicat aliqua cõtraria: secus aũt si nihil contrarium dicat, sed tantummodo aliquid superaddat, in quo multum relinquitur iudicis arbitrio. Nõ desunt qui dicant, quod testis nobilis potest etiam ex interuallo se corrigere, quando agitur inter viles, & de modica causa, dummodo id fiat ante publi-

publicationem & nō post, & iuret se non cum parte fuisse locutū: de quo videatur prædictus Farinac. loco citato, à num. 247. cum sequentibus. vbi concludēdo, dicit, quod licèt correctio ex interuallo facta, non tollat primum dictum, illum tamen mul-
290 tū debilitat. Et addit quod † publicatis attestationibus testis non potest se corrigere: nam tunc quàm maximè correctio facta dicitur ex interuallo, & præsumitur, quod cum parte fuerit locutus, & forsan ab ea subornatus: quod probat per textum in cap. per tuas, de testib. vbi id ipsū tenent omnes vnanimiter Doctores.

Duodecima Conclusio.

191 TEstes de falso † conuicti, nullo modo probant, aut fidem faciūt in eodem iudicio, neq; in alio: quin verò acriter puniuntur. De testibus falsis quantum attinet ad forum conscientiæ, & ad obligationē, qua tenentur restituendi omne damnum & interesse, iam diximus supra, in q. præcedenti, art. 6. concl. 3. nunc autem tātummodo fit sermo de eisdem, in quantum attinet ad probationis effectum, & dicimus quod nullo modo probant, nec fidē faciunt in eodem iudicio, siue causa, in qua falsum deponunt, verum etiā neq; in alia: quæ est communis DD. omnium resolutio, & probatur per cap. si quis conuictus 12. q. 3. in illis verbis: ij verò qui ei in periurio consensisse probantur ab omni postea testimonio sunt remouendi. Quod etiam tenet Innocent. & omnes cōmuniter DD. in cap. fraternitatis, de hæreticis. Qua de re vidēdus est Iul. Cla. lib. 5. §. fin. q. 62. n. 7. vers. frequentissime autem, in fine, & Farinac. de testib. q 67. n 58. cum seq. vbi dicit, conclusionem prędictam intel-
292 ligendam esse, non solum † de teste condemnato de falso, sed etiam de non condemnato, dummodo alias sit conuictus, vel confessus, quod probat multorum DD. auctoritatibus, sed præcipuè Masc. lib. 1. de probat. concl. 454 n. 12. & lib. 2. concl. 743. num. 9. & 746. numero 5. Post quę à num. 60. cum sequent. vsq; 76. prædictæ generali regulæ quam plures adducit ampliationes, dicendo eandem extendi etiam ad hoc, vt testis falsus non probet ēt contra aliū falsarium, fm Inn in c. 1. de confess. & c. 1. de litis contest. Neque (inquit) testis falsus probat etiā fauore causæ piæ, neq; indicium facit ad torturam, neq; ad inquirendum. Et multæ alia dicit quæ per tempus referre nō licet, addendo quod nec metus testē excusat à falso, & ab illius pœna, quod probat per Bal. in l. data opera, C. qui accusare non pos. n. 57. & in tantum credit testes falsos nihil probare, vt afferat † sententiam la- 293
tam ex falsis testibus esse retractandam. Quod quando verum sit, & aduersus talem sententiam detur in integrum restitutio, tractant DD. in l. D. Adrianus ff. de re iudi. & in c. licet causam de probatio. De pœna autē testis falsi, & detestatione eiusmodi criminis: videndus est prædictus Farinac. in dicta q. 67. de testibus, à n. 1. vsque n. 57. & n. 77. cum seq. prædictę generali regulę aliquas afferendo limitationes seu potius explicationes, atq; declarationes, dicit eandem intelligendam non esse de teste, qui falsò deponit, † non dolo, 294
sed per ignorantiam, seu per errorē: idq; in dubio semper esse pręsumendum, quod probat multorum DD. auctoritatibus, & ponit exemplum in rusticis, & ignorātibus qui & propterea multoties à falso excusantur, & à falsi pœna ordinaria, quamuis non extraordinaria, nam rusticitas (inquit) non in totum excusat à pęna, sed tantum facit vt mitiorē aliqua plectatur, qui falsum dixit.

Multa

Multa alia dicit circa cautelam quæ debet adhiberi ad accuſandum teſtẽ à falſo, vt ne puniatur (quamuis non vt probet) quæ per tẽpus referre non licet, videantur ibidem, vſque ad nu. 110. Et in ſequenti num. 111. tradit etiam pro generali regula quod te-
295 ſtis † ex parte falſus, in totum reputatur falſus, & quod falſus in vno, nihil omninò probat in omnibus, ratione iuramenti, quod eſt indiuiduum: quod probat per Bald. in l. fin. num. 18. C. de edicto D. Adrian. & per Abb. & Felin. in cap. ex literis, de fide inſtrum. & multorum Doctorũ auctoritatibus. Videatur hac de re Iul. Clarus vbi ſupra, num. 8. & 9. Cui etiam generali regulæ Farinac. prædictus quam plures adducit ampliationes, & poſtea limitationes, & ſublimitationes, quas cum per tempus referre non liceat, videantur ibidem à dicto num. 111. vſque 185. Et in num. 186. cum ſequentibus, vſ-
296 que 219. tradit latiſſimè qualiter † teſtis deponens de falſo nulliter ſiue inutiliter, falſi pœna non debeat puniri: quod probat per Bald. in l. 1. num. 4. C. de ſepulchro violato, & plures alios Doctores, quos breuitatis gratia facio miſſos: adducendo etiam huic regulæ aliquas ampliationes, & limitationes, DD. aliqualiter penes hoc diuerſos concordando, vt licèt teſtis, qui depoſuit falſum nulliter, ſiue inutiliter, pœna ordinaria, non ſit puniendus, puniẽdus nihilominus ſit aliqua extraordinaria iudicis arbitrio. Et in ſequenti n. 220. aliam etiam tradit regulam, qua dicit quod teſtis qui tacet, & occultat veritatem, reputatur ac ſi falſum dixiſſet, nec probat: quin verò vt falſus punitur, quod probat per cap. 1. de crimine falſi, & multorum Doctorum auctoritatibus. Et ſequenti num. 221. vſque 235. ſupradictæ etiam regulæ nonnullas apponit ampliationes, & poſtea limitationes, eandem explicãdo, ad quos caſus debet extendi, & in eiſdẽ qualiter debeat intelligi, quibus omnibus dicendis cum tempus non ſuppetat, lectorem remitto, vt eas videat ibidem.

Decimatertia Concluſio.

Teſtis obſcura, † dubia, & incerta depoſitio, nihil omninò probat in iudicio. Hæc concluſio eſt expreſſa Farinac. q. 68. de teſtibus, quam ponit pro generali regula, & probat eam multorum Doctorum auctoritatibus, à n. 1. cum ſe- 297
quentibus. Dicitur autem † obſcura, 298
dubia, & incerta depoſitio, quæ plures, & diuerſos continet intellectus, ſeu pluribus modis intelligi, atque interpretari poteſt: nam teſtis depoſitio debet eſſe clara, & non dubia, ſed certa, & determinata, & concludens, iuxta textum in c. in præſentia, de probatio. vbi hoc tenent omnes vnanimiter Doctores, & in l. non hoc, C. vnde cognat. Qua de re videatur Maſcard. lib. 3. de probationib. concl. 1361. num. 6 vbi in id ipſum plures refert Doctorum auctoritates. Ex qua prædicta concluſione infertur, quod qui teſtis deponit non de re aliqua neceſſaria, ſed poſſibili, ſeu quæ poteſt ſic & aliter ſe habere, ſeu dubitando: nihil omninò probat, iuxta Gloſſam in dicto cap. in præſentia, de probatio. verb. dubium. & Bald. in l. conuenticula, C. de Epiſcopis, & Cleric. num. 1. nã dubitans, & ignorans æquiparantur in iure iuxta communem regulam in l. fin. C. de condict. indeb. & l. fi. §. ſi autem, C. de furtis. Idemque eſt iudicium de teſte deponente per verbum fortè, ſeu forſitan, vt credo, ſi bene memini, vel adiecto verbo, ni fallor, ſeu quidpiam ſimile: nam (vt prædictum eſt) teſtis depoſitio

non

non esse debet obscura, aut dubia, sed clara certa & concludens. Qua de re videatur latissimè prædictus Farinac. à dicto nu. 1. vsque 37. Et in sequenti num. 38. cum sequentibus, vsque 61. prædictæ generali regulæ post multas oppositas ampliationes, nonnullas etiam affert limitationes, quarum est prima, vt sufficiat testis depositio, concludens præsumptiuè, seu ex iuris præsumptione. Se-
299 cunda vt etiam sufficiat † depositio dubia, & equiuoca, in casu quo quomodolibet intellecta probat producentis intentionem. Ad quod propositum nonnullas etiam adducit conclusiones, & primo dicit de mente Bart. & Bald. in l. 2. C. de tempor. appellat. quod testium depositiones ad hoc, vt probent, nō cauillandæ, sed potius coadiuuandę sunt, ni forsan in casu, quo illi essent de falso suspecti: nam tunc ipsorum dicta diligenter perscrutari debent. Secundò dicit quod testium verba dubia, benigniorem in partem sunt interpretāda, iuxta textum in capit. cum tu & ibi glossa verb. benignè, de testib. quod etiam tenet Hostien. & Abbas ibidem, suumque intentum prosequendo plura alia dicit, quæ per tempus referre non licet. Sed postea in sequenti num. 62. cum sequentib. vsque 117. ex prædicta generali regula aliquas elicit illatio-
300 nes. Quarum est prima, vt testis † de credulitate regulariter loquendo nihil etiam probet, neque indicium faciat, aut præsumptionem, nec propriè mereatur nomen testis, iuxta Glossam in l. 2. §. penult. verb. meminerim, ff. de aqua pluuia arcenda, & in l. testium, verb. præsto, C. de testib. Facit & cap. quoties, verb. credere, eodem tit. Qua de re videatur Speculator tit. de teste num. 58. vers. item quod deposuit de credulitate: Marant. in rub. de testiū productio. num. 15. Anton. Gom. tom. 3. variar. de probat. cap. 2. in principio, vers. item addo, & Mascar. lib. 1. de probat. concl. 458. num. 1. cum seq. vbi illud probat, quia qui credit non affirmat: & quia credere & scire non possunt in simul concurrere. Quod amplius dicit lib. 3. concl. 1363. nu. etiam 1. cum seq. Facit & ad hoc quia testes † vt probent, necessum 301
est vt de veritate alicuius facti per aliquem sensum corporeum deponant, aliter nullam fidem faciunt in iudicio, per l. qui testamento, in fine. ff. de testament. & l. solam, l. testium C. de testib. cap. testes, 3. q. 1. cap. relatum, 5 quæst. 2. verbo vnde canonica. Quo fit vt testes de credulitate in nullo casu plene probent, etiamsi magnus sit ipsorum numerus. Multa ad hoc propositum dicit supradictus Farinacius, quæ pro eo quod ad meum minimè faciant, consultò omittuntur, videantur ibidem.

Decimaquarta Conclusio.

Quamuis testes † de auditu alieno non probent, bene tamen 302
probant testes de auditu proprio. Quod testes de auditu alieno non probent, aut fidem faciant in iudicio, in criminalibus, nec verò in ciuilibus, nisi in factis antiquis, vel ad comprobandam aliquorum consanguinitatem, iam superque satis dictum est à nobis supra in hac eadem quæst. 17. artic. 2. concl. 3. & ea de re videndus est latissimè Farinac. quæst. 69 de testibus à num. 1. cum sequentibus latissimè, vsque 145. Nunc verò in præsenti conclusione dicimus, quod licèt supradicti testes de auditu alieno non probent, probant autem testes de auditu proprio, tum in ciuilibus quam in criminalibus: quod ponit pro generali regula, Farinac. prædictus in dicta quæst. 69. num. 146. cum sequentibus vsque num. 163. & à num. 164. vs-

que

que 215. plura in id ipsum adducendo exempla de causis ciuilibus, quæ per tempus referre non licet, nec verò expedit, cum id non sit nostri propositi. Sed loquendo de criminalibus, esse potest nulli dubium, quod

303 testes † deponentes de aliqua re, quã per aliquem proprium sensum corporeum perceperunt, vt puta per proprium auditum, per gustum, per tactum, per odoratum, bene probãt in iudicio, & esse dicunt testes de visu. Nam sensus visus largissimè sumitur, atque interpretatur in iure pro omni sensu. Quo fit vt de clamore aliquo deponentes, & dicentes se illum audiuisse, testes sunt legitimi, neque solum quando deponunt affirmatiuè, verum etiam negatiuè, vt si cum essent præsentes in aliquo loco, dicerent, non se prædictum clamorem audiuisse, nec fieri potuisse, vt si aliquis clamaret, eiusmodi clamor ad ipsorum aures non peruenisset.

304 Idemque est iudicium † de testibus, qui deponerent audiuisse se aliquem publicè de aliquo peccato se gloriantem, iuxta textum in cap. quam sit graue, de excessibus prælat. verum licèt sit quod quamuis eiusmodi testes de auditu proprio, in criminalibus probent confessionem delinquentis, non tamen probant delictum ipsum in se: nam aliud est probare delictum ipsum in se, aliud verò confessionem ipsius confitentis delictum, per quod vt de se patet non inducitur plena probatio ad vindictam, sed tantummodo indicium ad torturam: quod tenet expresse Farinac. loco vbi supra, num. 155. Post quæ in sequentibus numeris, regulæ prædictæ nonnullas affert limitationes, quibus prętermissis (breuitatis gratia) dico esse generaliter

305 verum, quod testes † de auditu proprio semper probant, fidemque faciunt in iudicio, quando sensus auditus, non est improportionatus actui, super quo eiusmodi testes deponunt, quæ est communis omnium Doctorum resolutio: & sic testis qui auditu proprio dicit se audiuisse vocem alicuius personæ, quàm plene cognouit, se conquerentis de aliquo sibi illato vulnere, bene probat: quidquid alij dicant, & esse hoc periculosum, cum sæpè sæpius hominum immutentur voces, sed in hoc plurimum deferendum est iudicis arbitrio. Idem potiori ratione dico de illo, qui ex interiecto pariete, vel retro cortinam, diceret audiuisse se Petrum (v.g.) vulnerasse, seu occidisse Paulum in proximo existentem cubili, affirmãs se percepisse vocem, quam plenè notam habebat, & se risisse sibi illatos ictus: seu dicit ex eodem interiecto pariete, vel retro cortinam, audiuisse quod Ioannes, & Maria se carnaliter cognouerint, & commiscuerint, quia nempe audiuit eorum tergiuersationes, oscula, aliosque actus venereos: haud dubium (inquam) est quod testes in vtroque prædicto casu probent, fidemque faciant in iudicio, id quod cõstat expressè ex cap. præterea, de testibus, vbi dubitatur, an ad probandam carnalem copulam testes deponere debeant de visu, an verò sufficiat quod deponant de proprio auditu: licèt nonnulli Doctores dicant eiusmodi testes non esse omni exceptione maiores, ac propterea quod vnus solus non facit indicium ad torturã, nec duo ad condemandum sufficiãt, nisi simul concurrant alia adminicula, quæ iudicis animum in id ipsum possint mouere: in quo etiam plurimum deferendum est iudicis eiusdem arbitrio. Supradicta omnia, & multa alia dicit Farinac. loco vbi supra, plura in id ipsum adducendo iura, & Doctorum auctoritates, quæ poterunt videri ibidem.

Deci-

Decimaquinta Conclusio.

306 TEstes †deponentes sine ratione, & causa non probant, aut fidem faciunt in iudicio. Hęc conclusio communis est etiam omnium Doctorum resolutio, de qua videndus est supradictus Farinac. quæst. 70. de testibus à num. 1. cum sequentibus vbi eam probat multis iuribus, & Doctorum auctoritatibus, & est in id textus expressus in authent. de testib. §. & licet, ibi, aut etiam causam testimonij forte faciāt manifestam vbi videnda est Glossa verb. causam vers. item nota. Facit ad idem textus in l. solā, C. de testibus, vbi expresśè dicitur solam attestationem nec alijs legitimis adminiculi, causam probatam, nullius esse momenti. Facit ad idem cap. si testes §. sola, & ibi Glossa verbo sola, 4. quæst. 3. & text. in cap. cum causam, de testib. in illis verbis prudenter inquirens de causis, vbi videnda est Glossa, verb. causis. Cuius conclusionis ratio etiam in promptu est: nā iuxta Aristot. & omnes communiter Doctores, scire nihil omninò aliud est, quam rem per causam, aut causas cognoscere: vnde qui rei alicuius causam non reddit, aut illam se nescire dicit neque ipsam dici potest cognoscere. Quo fit vt testis qui rationem non reddit sui dicti, vel si illam reddat, ipsa non est bona non solum non probat in iudicio, verum etiam nec præsumptionem facit, aut indicium ad torturam. Quod tenet expresśè Speculator, tit. de teste, §. 1. num. 61. & Abb. & Felin. in cap. cum causam, de testibus. Qua de re videatur etiam Mascardus lib. 3. de probatio. concl. 1369. num. 54. Debet ergo testis rationem reddere, & causam sui dicti, & sciētiæ, & illa esse debet bona, cōgrua, vera, & si fieri potest manifesta, necessaria, atque concludens: aliàs non probat, aut fidē facit in iudicio. Paria enim sunt rationem non reddere & non reddere illam bonam, sufficientem & concludentem, per textum in supradicto authentico, de testib. §. & licet, ibi, aut etiam causā testimonij forte faciant manifestam, & per supradictam l. solam, C. de testibus, ibi nec alijs legitimis adminiculis causam probatam. Ex quibus planè constat, testes non solum debere reddere causam, verum † & 307
eandem esse probatam, legitimā & concludentem, quod tenent omnes Doctores vnanimiter supradicta explicando, & declarando iura. Quocirca addunt, & dicunt, quod testis depositio sine ratione & causa (in casu quo illam reddere tenetur) non solum est nulla, verum etiam ipso iure nulla. Hoc dicit præsertim Bald. in dicta l. solam, C. de testibus nu. 1. vers. nota quod tale testimonium: fundatus in illis verbis, nullius momenti, quæ quidem verba important annullationem actus ipso iure. Quod verum † licèt sit in cun 308
ctis causis ciuilibus, multo magis in criminalibus, in quibus testis contra reum examinatus nihil omninò probat, nisi suæ depositionis rationem reddat, etiam non interrogatus, neque id solum ad condemnandum ipsum, verum etiam nec ad torquēdum: nam testis depositio sine ratione & causa, non etiam facit indicium ad torturam quod probat Mascard. libr. 1. de probat. in præfat, quæst. 5. num. 123. vbi hanc dicit esse sententiam communem. Idem dicit Iul. Clar. libr. 5. §. fin. quæst. 53. nu. 22. vers. præterea dixi: vnde etiam fit, vt magis credatur & credendū sit testibus cū ratione & causa deponentibus, quam deponentibus sine illa, etiamsi sint numero plures, & etiam in casu, quo de causa & ratione non fuerint interrogati, aut

ti, aut illam alias reddere non teneatur. Quod probat Farinac. prædictus vbi supra, num. 19. multorum Doctorum auctoritatibus, sed præcipuè Mascard. lib. 3. de probationibus, concl. 1366. num. 61. vbi in id ipsum plures auctores refert. Et procedit supradicta conclusio, & generalis regula, multomagis quãdo testis deponit super negatiua, asserendo, quod quispiam non fecit hoc, aut illud: nam in tali casu tenetur expresse, & specialiter rationem reddere sui dicti, etiamsi non sit interrogatus, quod multis probat Farinac. prædictus vbi supra, à num. 23. cum sequentibus. Similiter & testis multo magis tenetur sui dicti rationem reddere, quando deponit super aliqua re æquiuoca, quę pluribus modis potest interpretari & intelligi: item & quando deponit super aliqua bona fama aut infamia alicuius personæ: nam tunc non probat, nisi sui dicti etiam non interrogatus rationem reddat. Idem-
310 que est iudicium † quando testis deponit super aliqua re quam esse dicit notoriam: nam cum eiusmodi cognitio potius sit iuris quam facti, etiam non interrogatus eiusdem tenetur rationem reddere, quare dicat illud sic esse notorium. Quæ supradicta omnia probat prædictus Farinac. multis Doctorum auctoritatibus, à dicto nu. 23. vsque 54. Idemque esse dicit de teste deponẽte super aliqua consuetudine, quæ etiam cum potius sit iuris quam facti, non probatur, nisi de ea testis rationem reddat, etiam nõ interrogatus. Multa alia adducit exempla Farinac. in quibus testes nihil omninò probant, nisi suorum dictorum sufficientem, & concludentem rationem reddant, à dicto num. 54. vsque 90. vbi concludendo specialissimum hoc esse dicit, in proba-
311 tione † hæresis criminis, si impona tur alicui, in quo etiam non interrogati tenentur rationẽ reddere, quod similiter tenet Simanc. li. de cathol. instit. tit. 51. de probat. num. 6. vers. sic etiam in causa hæresis, & Masca. lib. 2. de probat. concl. 855. num. 12. & 13. vbi hoc ampliandũ esse dicit, etiãsi testes sint fide dignissimi, à prę dicto num. 90. vsque 126. Et à num. 127. vsque 206. multis tradit Farinac. prædictus quales esse debeant rationes, & causæ scientiæ ad hoc vt testes probẽt, tam in ciuilibus, quam in criminalibus, sed quia hæc longissima sunt, & à præsenti meo proposito (vt videtur) aliena breuitati studendo consulto facio missa.

Decimasexta Conclusio.

Testes etiam † deponentes extra articulos, de quibus interrogantur, regulariter loquẽdo nihil probant. Hæc conclusio desumpta est ex supradicto Farinac. q. 71. de testibus, a num. 1. cum sequentibus, vbi eam probat per textum expressum in cap. de testibus, eodem titulo, & ibi glossa, verb. non iurati, & multis Doctorum auctoritatibus, & de ea specialiter videndus est Mascard. lib. 3. de probatio. concl. 1365. num. 1. vbi dicit esse hanc sententiam communiter à Doctoribus receptam, & Farinacius prædictus ampliat illam, † vt etiam procedat quãdo testis est inductus ad hoc, vt examinetur super vno articulo, & examinatur super alio ad eundẽ: qđ probat per textum in dicto capit. de testibus, eodem titulo, vbi hoc insinuare videntur omnes communiter Doctores. Sed statim limitat hanc ampliationem, & dicit tantum † procedere, quando testis expresse deposuit super vno articulo, & super illo particulariter iurauit veritatem dicere, tunc enim super alio examinatus nihil probat, quia non

312 (margin, at "Testes etiam †")
313 (margin, at "ampliat illam, †")

non iuratus deposuit: secus est autem si producatur simpliciter, & super tota causa, nam tunc probare nulli esse potest dubium: & ita explicant prædictum cap. de testibus, omnes communiter Doctores. Item
315 limitat secundò ampliationem † prędictam, vt procedat quando id, super quo examinatur, & interrogatur testis, non solum est extra articulum illum, super quo fuit inductus, verum etiam nihil facit ad ipsum, nec pertinet ad contenta in eodem: secus autem esset si esset de illis, seu aliquid faceret, aut pertineret ad causam, vel ad finem inhabilitatem ipsius testis testimonium: vt puta si interrogaretur, an sit amicus producentis, vel inimicus alterius partis: in hoc enim casu bene facta erit interrogatio, probabitque testis, nec dicetur examinatus, vel deposuisse extra articulum, vt tenet expresse Bartol. & Bald. in l. si quis libertatem, ff. de petit. hæredit. per textum ibi, verbo amittitur. Ampliat secundò prædictus Farinac prædictam supra positam regulam, ad hoc vt procedat, quod sicut te-
316 stis † deponens extra articulos nihil probat: ita etiam non interrogatus respondens, habeatur suspectus, & nihil probet: quod probat per Innocentium in capit. inquisitionis, verb. id facere, de accusatio. & Bart. in l. si quis legatum, ff. de falsis, quæst. 2. & in l. 1. §. diuus el 2. ff. de quæst. pro quo etiam citat Mascard. lib. 3. de probatio. concl. 1368. num. 4. Concludendo igitur, hac in re generaliter dicendum est, quod testes deponentes, & examinati extra articulos nihil probant, quando super articulis tantum iurauerint dicere veritatem, per dictum capit. de testibus, in illis verbis, cum super ea tantum iurauerint dicere veritatem: secus
317 est † autem si iurauerint dicere veritatem super articulis & tota causa, nam tunc deponentes etiam extrà articulos bene probant, prout dicit Bart. in l. si duo patroni, §. idem Iulianus, de iureiurando, num. 8. vers. aut iurauit dicere veritatem super tota causa. Sicque iudices adhibere debent cautelam, vt cum à testibus iuramentum recipiunt, eosdē iurare faciant, quod veritatem dicent, non solum super articulis, de quibus fuerint interrogati, verum etiam & super tota causa, aut simpliciter: nam sic iurando deponere poterunt super illa, & omnibus ad eandem quoquomodo pertinentibus, sibique connexis: quin verò & super omnibus necessarijs ad maiorem explicationem, & declarationem eorum, de quibus interrogantur. De quo videatur Farinac. prædictus in dicta q. 71. de testib. à num. 1. cum sequentib. vsque 31.

QVÆSTIO XVIII.

De testibus quantum ad ipsorum examen, iuramentum, & depositionem in 12. articulos diuisa.

SVMMARIVM.

1 *Testis vt reputetur idoneus debet à partibus in causis ciuilibus, & ad earum instantiam in criminalibus, aut à Iudice ex officio compelli; vt in iudicio probet.*

Limitatur secus esse, si id fiat partibus præsentibus, & non contradicentibus, & coram ipsis Iudex iuramentum illis deferat. nu. 2.

3 *Testis etiam magnis precibus inductus non iudicatur inhabilis ad testificandum.*

Nec etiam quando fuerit instructus à parte nu. 4.

5 *Testes recipi non debent absque partis citatione, & regulariter nihil probant.*

Am

ARTICVLVS I.

Quonam modo testes à iudicibus siue prælatis sint recipiendi, & examinandi?

Prima Conclusio.

1 ESTIS † ad hoc, vt reputetur idoneus, atque vt tali fides sibi in iudicio adhibeatur, necessum est vt producatur à partibus in causis ciuilibus, seu ad instantiam partium in criminalibus, aut quod à iudice ex officio ad ferendum testimonium sit compulsus, aliàs enim sponte ad testificandum se offerens, iure suspectus præsumitur. Hæc conclusio est omni iure receptissima, & eam tenent omnes DD. communiter de mente Bartol. in l. post legatum, §. ijs verum, ff. de ijs quibus vt indignis. Qua quidem ratione communiter obseruatur in praxi, quod quando quis in testem producitur, & ipsius recipitur testimonium, in eiusdem initio, & exordio dicatur. Petrus vel Paulus hac in re testis vocatus, aut rogatus, seu à iudice compulsus, &c. quod etiam docet Panormit. in cap. cum tua, de sponsalibus. Habeturque id ipsum expresse in l. iure omnia, §. 1. ff. de procurator. & in authentico, de testibus, §. si verò ignoti, collat. 7. vbi videnda est Glossa, verb. festinantes. Videatur etiam hac de re Mascard. lib. 3. de probat. concl. 1311. numero 44. vbi in hanc sententiam plures refert Auctores, quod & facit Farinac. par. 3. q. 80. de testibus, à numero primo, cum sequentibus, multis probans, quod testis ad testificandum se offerens iure habetur suspectus, & in causa criminali præsumitur inimicus. Ex quo infert, quod ad hoc vt non talis habeatur, nec sponte dicatur examinatus, necessum est vt citetur, vocetur, seu in id ipsum à iudice compellatur, & quod aliàs tanquam suspectus nihil probabit. Sed hæc generalis regula limitationem † patitur: 2
nam testes non habebuntur suspecti, etiamsi vltrò ad testificandum se offerant, id ipsum si fiat partibus præsentibus astantibus, & non contradicentibus, & coram ipsis iudex iuramentum illis deferat: nam per hoc quod à partibus admittuntur, ipsisque præsentibus, & non contradicentibus recipiuntur, omninò tollitur ab eis quæuis suspicio. Et addo quod non etiam pro eo quod † testis 3
à parte sit oblatus, ab eademque productus, quin verò & ad testificandum magnis precibus inductus, inidoneus ad testificandum iudicatur, aut tanquam suspectus iure repellitur: nam quamuis id ita sit, si ipse aliàs sit idoneus, ac fide dignus, plena & fides illi adhibetur vt dicit supradictus Panormit. in dicto cap. cum in tua, de sponsalibus, verb. offeruntur. Inquit enim quod etsi testes pretio iure optimo dicantur corrumpi, non tamen precibus. Idem dicit Felin. in capitulo primo, de testibus, numero primo, & Decius numero sexto. Nec etiam testis
† efficitur suspectus & inidoneus 4
iudicatur, per hoc quod pars ipsa illum instruxit de ijs, quæ dicturus est, secundum Bald. in l. data opera, C. de ijs qui accusare non possunt, numero 47. quod etiam habetur expresse in l. 8. tit. 5. libro quarto, recopilat. de quibus omnibus videatur Paz in sua praxi tom. primo, par. 1. in 8. tempore, à numero 17. cum sequentibus. Videatur etiam Farinac. dicta quæst. 80. de testibus, à num. 1, vsque 26.

Secunda Conclusio.

5 TEstes † ad hoc vt reputentur idonei, atque vt talibus fides illis adhibeatur in iudicio: necessum est vt parte prius citata examinentur à iudice: aliàs nihil probãt in ciuilibus, & multominus in criminalibus, in quibus agitur de maiori præiudicio. Hęc conclusio communis est omnium Doctorum resolutio, constatque expresse ex cap. secundo de testibus, in illis verbis dũ dicitur: Et admonendus est semper aduersarius, vt ad audiendos testes veniat, quod quia hic omissum est, necesse est, vt quod contra legẽ actũ est, non habeat firmitatem. Vbi videnda est Glossa, verb. admonẽdus, & verb. contra legem. Facit & ad idẽ textus in authent. sed & si quis, C. de testibus, & lex Regia 23. titulo 16. parte 3. De qua conclusione videndus est etiam Innocentius, Panormitanus, & Felinus, Ioannes Andræas, & Baldus in supradicto cap. secundo de testibus, & ex iunioribus Antonius Gomez, tomo tertio variarum de probationibus delict. cap. 12. numero 20. & Iulius Clarus libr. 5. §. final. quæstione 11. numero 2. vers. item quæro; & Paz in sua praxi primo tomo prima parte in octauo tempore, à numero 54. cum sequentibus, Mascardus lib. 1. de probationibus concl. 469. numero 11. & lib. 2. concl. 682. numero 14. & nouissimè Farinacius quęstione 72. de testibus, à numero 1. cum sequentibus, vsque 86. vbi hoc tradit pro generali regula firmissima, atque inuiolabiliter obseruanda in causis ciuilibus, & id ipsum facit loquendo de criminalibus, à numero 87. vsque 160. Quo loco reperire licebit plura, eaque notatu dignissima, dictæ generali regulæ nonnullas adducendo ampliationes, quarum est prima, vt non magis procedat atque obseruanda sit, à iudice † pro 6
cedente contra aliquem per viam accusationis, & ad instantiam partis, nam in hoc casu testes recepti reo sine accusato non citato, nihilominò probant, neque etiam indicium faciunt ad torturam, iuxta Glossam in supradicto capite secundo, de testibus, verb. admonendus, vers. & idem est in accusatione, quod etiam tenet Abbas in dicto capite secũdo, numero 14. verb. faciat indicium, & Bartol. in l. final. numero octauo, ff. de quæstionibus, & intelligenda est conclusio, seu prædicta generalis regula, etiam in causis, † in quibus proceditur iuris solemni 7
tate prætermissa, summariè simpliciter, & de plano, absque strepitu, & figura iudicij, secundum Aretinum in dicto capite secundo, de testibus, numero 10. & Felinum ibidem numero quarto, & Decium numero 35. vbi hoc bene probat, respondeo in contrarium, & in id ipsum plures alios Doctores refert Farinacius prædictus loco vbi supra, à numero decimotertio cum sequentibus, vsque decimum octauum, vbi dicit indistinctè hoc obseruandum esse à quolibet iudice, etiam liberum, & absolutum arbitrium habente. Quod plenius probat, à num. 98. cum sequentibus. Sed in sequenti numero 100 cum sequentibus, supradictæ generali regulæ nonnullas opponit limitationes & modificationes, quarum est prima, vt non procedat † quando pro- 8
ceditur contra reum contumacem, iuxta Glossam in dicto capite secundo, de testibus, verb. admonendus in fine, ibi, non per contumaciam: nam contra reum absentem, & contumacem, parte etiam non citata recipi possunt testes, qui & sufficiũt (necdum ad torturam) verum etiam & ad eundem diffinitiuè condemnan-

nandum. Quod etiam tenet Iulius Clarus in dicta quæstione vndecima, numero secundo, vers. item quæro, ibi tu tamen dic. Secundò limitanda est supradicta generalis regula,
9 vt non procedat quando † iudex procedit ex officio, & per inquisitionẽ, in quo quidem casu iuxta magis cõmunem opinionem, citatio non videtur necessaria, ad receptionem, atque examen testium: de quo videatur Iulius Clarus vbi supra, & Farinacius etiam vbi supra, à numero 103. vsque 108. Tertiò limitanda est supradicta generalis regula, vt non etiam procedat quando iudex examinat testes, aut aliquas sumit informationes super aliquo facto, & delicto notorio. Quarto nec quando recipit informationes super fama, ad hoc vt ex ea deuenire possit postea ad particularem inquisitionem. Quinto nec quando recipit informationes super absentia rei inquisiti. Sexto nec in crimine hæresis: nam & in hoc testes parte non citata recipi, & examinari possunt: qua de re videndus est Simancas de catholic. institut. titulo 64. numero 17. & 18.
10 Idemque est † dicendum in crimine læsæ maiestatis, in assassinio, in crimine sodomiæ, & pluribus alijs criminibus, quibus propter ipsorum immanitatem, & propter periculum, quod imminet contrarium si fiat, testes parte non citata recipi, & examinari possunt: de quibus videatur Felinus in dicto capite secundo de testibus, Couarrubias, lib. secundo variarum, capite decimotertio, numero quinto, & & Farinacius vbi supra, à numero 109. cum sequentibus, vsque 160. quo loco reperire lis[?] omnia, quæ ad hoc propositum possunt desiderari, quæ breuitati consulendo, spacio missa, videantur ibidem. Etsi quæratur, quemnam operetur effectum supra dicta citatio, ad receptionem atque examen testium? Dico breuiter iure † eandem fuisse in- 11
troductam, vt accusatus, siue reus, eo etiam tempore opponere possit obiectiones, & repulsas quas habet, contra personas & attestationes testium, vt satis colligitur ex dicto capite secundo, de testibus, & ex Baldo & alijs in lege si quando, C. eodem titulo. Nam licet huiusmodi obiectiones, & repulsæ, cõmuniter, & regulariter loquendo (vt amplius infra dicemus) de iure opponendæ sint post factam testium publicationem, potest tamen reus, siue accusatus citatus ad videndum testium iuramentã & examen, statim illas ipsis opponere si voluerit, & hic est citationis supradictæ proprius effectus.

Tertia Conclusio.

IVdex siue † Prælatus procedens 12
ad receptionem, siue examen testium breuibus, blandis, ac suauibus verbis eosdẽ admonere debet de veritate dicenda, & facti serie, de qua interrogabuntur, fideliter enarranda, postposito omni odio, amore, vel timore, promissione, seu quolibet humano respectu solummodo omnipotentem Deum, qui summa veritas est, præ oculis habentes. Addendo quod falsidicus testis, vt habetur in capite primo, de crimine falsi, tribus est personis obnoxius, primum Deo cuius præsentiam contemnit: deinde iudici, quem mentiendo fallit: postremò innocenti, quem falso suo testimonio lædit, & quod vterque reus est, qui veritatem occultat, & qui mendacium profert: ille quia prodesse non vult, iste quia nocere desiderat. Quæ verba sunt expressa Diui Augustini, seu (vt alijs placet) Diui Isidori libro tertio de

summo bono, cap. 59. quæ quidem testibus proponere, quam maximè expediens erit omnes Prælatos, siue iudices. Procedamus ad alia.

ARTICVLVS II.

Vtrum testes, ad hoc vt fidem faciant in iudicio, ante suam depositionem necessum sit quod iuramentum præstent?

Conclusio.

13 Testes † vtcunque sint legitimi, ad hoc vt in iudicio fidem faciant, necessum est, quod ante suam depositionem iuramentum præstent, alioquin ipsorum dicta iuramento non præmisso, non probant. Hæc conclusio communis est omnium Doctorum resolutio, & habetur expressa in l. testium, C. de testibus, ibi, ijque cum sacramenti religione deposuerint, vbi videnda est Glossa, verb. sacramenti. Facit & ad idem textus, in l. iurisiurandi, C. eodem titulo, ibi, iurisiurandi religione testes, priusquam testimonium perhibeant, iam dudum arctari præcipimus. Quæ quidem lex canonizata reperitur, per cap. si testes, verb. iurisiurandi, & ibi Glossa, 4. quæstio 3. Facit & l. si quando, & l. solam, & ibi Glossa, verb. solam, C. de testibus, & habetur id ipsum, in cap. de testibus, cap. fraternitatis, cap. tuis quæstionibus, capit. nuper, eodem titulo, de testibus. Facit, & cap. hortamur, 3 quæstione 9. & cap. in primis 2. quæst. 1. Quibus omnibus in locis expresse dicitur, quod testium depositio sine iuramento præuio, fidem non facit in iudicio. Quod Panormitan. in dicto cap. nuper, de testibus, adeo credit esse verum, & iuramentum necessarium ad testimonium ferendum, vt nullus

14 † quantumcunque religiosus, nisi iuramentum præstet fidem faciat in iudicio: licèt (inquit) aliàs religiosi dictum, etiam non iurati, aliqualem faciat coniecturam, siue credulitatem. Hæc Panormitan. vbi supra, de quo videatur Farinac. quæstio. 74. à num. 1. cum sequentibus, vsque 19. vbi ad idem propositum dicit plura, quam maximè notatu digna. Quam

15 uis verò hoc ita sit, † ipse tamen crediderim, iuramenti loco in religiosis sufficere obedientiam, & censuras, quibus ad veritatem dicendam iuxta antiquissimam, & probatissimam ipsorum consuetudinem, ijdem solent astringi: hæc enim apud illos vim, & robur habent iuramenti, neque apud nos Minores fratres præsertim, inter Prælatos peritos, & sapientes, à quinquaginta annis, quibus habitum huius religionis assumpsi, quidpiam aliud obseruari vidi, positumve fuisse in praxi: sed hac de re plura dicemus infra.

Ex prædicta conclusione infertur vnum valde notabile, quod quia testes in generali inquisitione recepti, vt plurimum non sunt iurati, juxta id quod multis Doctoribus placet, & in aliquibus religionibus est consuetudine positum: & quamuis sint iurati non tamen id fuit citata parte: fidem non faciunt in iudicio, nisi prius iusiurandum accipiant, & dicta sua reproducant, siue ratificent, in tantum iuramentum est necessarium vt testis in depositio fidem faciat, & probet in iudicio. Quod Panormitanus vbi supra numero 8. adeò certum esse credit, vt

16 dicat non † esse satis quod testis prius deponat, & deinde iuret: quin verò (inquit) necessum est vt iuramentum præcedat ad hoc vt testis fidem faciat. Quod esse verum crediderim, ni forsan testis in continenti, & absque vllo interuallo, post depositionem

depositionem iuramentum præstet: nam tunc eiusmodi depositio valebit, vt tenet Bald. in l. iurisiurandi, C. de testibus. Qua de re videatur Paz in sua praxi tom. 1. parte 1. in 8. tempore, num. 106. & de supradictis omnibus videatur Farinac. q. 74. de testibus, à num. 2. cum sequentibus, vbi in particulari supradicta specificando dicit, quod debēt testes iurare non solum quod veritatem dicent, verum quod & eandem dicent etiam in quibus non fuerint interrogati, dummodo pertineant ad substantiam facti, & quod nullam falsitatem intermiscent in tota causa: & quod æqualiter se habebunt pro vtraque parte, & nec pretio, odio amore, aut timore quidpiam aliud facient, aut dicta & testimonia sua ante publicationem testium reuelabunt. Hæc prædictus Farinacius vbi supra, & probat illa multis iuribus, & Doctorū auctoritatibus, quamuis hoc vltimum, dicat esse potius requisitum de specificatione formæ iuramenti, quam de ipsa forma. Multa alia dicit Farinac. per quæ tempus referre non licet, videantur ibidem à nu. 2. vsque 111.

ARTICVLVS III.

De forma iuramenti à testibus præstandi, & quæ in eodem aduertere debeant iudices, atque Prælati?

Prima Conclusio

17 FORMA † iuramenti à testibus præstandi, quæ communiter obseruatur in praxi, hæc est. In primis testis manu sua dextera cruci superposita, iurare præcipitur coram iudice, parte etiam astante: Per Deum & Crucem illam, & sancta quatuor Euangelia, quod veritatem dicet omnibus, de quibus fuerit interrogatus ad causam pertinentibus, imò verò & quidquid de ea scit, etiamsi non interrogetur cum tamen dicere teneatur. Quo respondente, sic iuro, subiungitur statim à iudice, si tu id ita feceris Deus te adiuuet: sin verò è cōtra ipse te condemnet, & respondet testis, Amen. Hæc iurandi forma habetur, in authentico sed iudex, iuncta glossa, & in l. presbyteri, C. de Episcopis & clericis, & glossa in l. iuris iurandi C. de testibus, in principio, & in cap. hortamur, tertia quæstione nona, ibi tactis sacrosanctis Euangelijs. De qua videatur etiam Abbas in cap. de testibus eodem titulo, numero, octauo in fine, vers. pro hoc vide. Et de iure Regio habetur id ipsum, in l. 24. titulo 16. partit. 3. De qua iurādi forma videatur etiam Simancas de catholic. institut. titulo 64. numero 8. & Paz in sua praxi, tomo 1. par. 1. in 8 tempore, numero 107. & Farinac. quæstione 74. de testibus, à numero 20. cum sequentibus, vsque 81. vbi latissimè agit de prædicta iurandi forma, & omnibus ad eandē pertinentibus: addens † quod testis iurare debet per se, & non per suum procuratorem, quod probat per Bartol. in l. qui bona fide, §. si alieno, numero 17. ff. de damno infecto & multis alijs Doctorum auctoritatibus, multaque alia ad idem propositum dicit, quę per tempus referre nō licet, videantur ibidem. Et numero 82. vsque 111. dicit quod quāuis † clerici (etiam Episcopi) in testes adducti iurare debeant, & aliter non probent: non tamen iurare debent sub prædicta expressa forma, qua iurāt seculares, sed alia, nempe, propositis, seu inspectis sacrosanctis Euangelijs, & tacto pectore: quod dicit esse verum, tum de iure, tum ex generali consuetudine: quod probat per textum: in supradicto authentico, sed iudex, C. 18 19

 de Epi-

[illegible] Episcopis & Clericis, & l. presbyter. ibidem, & per glossam in l. iurisiurandi, C. de testibus, vers. sed fallit in Episcopo, item per cap. finale & glossam, verb. parte, de iuramento calumniæ; in quod etiam plures adducit Doctorum auctoritates, quas breuitatis causa facio missas, videantur etiam ibidem. De religiosis autem, quid hac in re eisdem sit obseruandum, dicetur statim in sequenti articulo.

Secunda Conclusio.

20 PRæstito à testibus † iuramento in supradicta forma, & admoniti à iudice de veritate dicenda, secretè, & sigillatim, adinuicemque separati debent examinari, ita vt si fieri possit, neuter sciat, quod alter deposuit. Hæc conclusio præterquà quod communiter obseruatur in praxi, summoperè ab omnibus Doctoribus commendatur, idque meritò, tunc vel maximè cum coniurationis alicuius suboritur suspicio: in quo quidem casu à iudicibus multum est curandum, vt neuter testis alterius depositionem sciat, & fieri si possit, quod testis iam examinatus cum alijs nullo modo loquatur, quo vsque omnes examinentur. Denique in testium examine iudices, atque Prælatos diligentissimos esse oportet, pro vt sibi expressè præcipitur Deuteronom. 19. in illis verbis: Iudices diligentissimè perscrutentur, an testes falsum dicant. Qua de re videatur cap. iudicantem, 30. quæst. 5. quod est Diui Eleuterij Papæ, in epist. ad Galliæ prouincias, vbi dicit: Iudicantem oportere quam maximè cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere, &c. Vnde & expedientissimum iudico,
21 vt cum iudex † siue Prælatus testes per se ipsum (vti tenetur) examinauerit, eosdem interroget de omnibus totius negotij circunstantijs, & qualitatibus: nempe, quo loco tale delictum fuerit commissum, quibus astantibus: quo tempore mane, an sero? die, an nocte? quod si nocte, an fuerit luna eo tempore, vel forsan fuerit lucerna, quatenus hoc aut illud videre, atque discernere potuerit? Hæc certè & alia nimium oportet iudices, atque Prælatos inquirere, & experiri an testes concordent in persona, loco & tempore, & reliquis circunstantijs: & an rationem reddant eorum, quæ dicuntur ab ipsis: aliter enim non concludent, vt probè dicit Glossa in l. si cum exceptione, ff. quod metus causa. Qua etiam ratione oportebit forsan & testes interrogare, qua veste erat induta persona, contra quam, vel pro qua testificantur. Etsi aliquod est patratum homicidium, inquirere quibus armis, quibus auxilijs: & cætera his similia; quod tunc vel maximè facere conuenit, quando testis, qui sæpe, re, de qua testificatur, non fuerit multum fide dignus, nec nimium probatæ opinionis: vt exinde experiri possit iudex, an testes vacillent, vel sint leues, concordes, aut discordes: & capere illos possit ex suis verbis in aliqua forsan falsitate, prout & fecisse legitur Daniel cap. 13. contra falsos iniques senes, qui conspirauerunt contra Susannam, videatur ipsius historia. [illegible]

AR-

ARTICVLVS IV.

Vtrum religiosi rei vel adducti in testes iuramentum præstare debeant ad eum modum, & sub ea forma, qua iurant sæculares aut clerici?

DIFFICVLTATEM hanc in medium libuit producere, & de ea articulum speciale constituere propter nonnullos nouissimos Auctores, asserentes quod
22 religiosi † rei vel cum adducuntur in testes, & à suis Prælatis super veritate dicenda interrogantur; iuramentum præstare debent ad eum modum, & sub forma qua iurant sæculares, dicendo: *Que iuran à Dios y à la Cruz, y à los santos quatro Euãgelios de dezir verdad*: aut saltim sub illa, qua in Ecclesiastico iudicio iurare solent clerici, *poniendo la mano en la corona, y pecho, y iurando por las ordenes que recibieron de dezir verdad*: Neque pro iuramento sufficere credunt ex longissima religionum omnium consuetudine, quod in id ipsum à suis Prelatis constringantur sub obedientia, & censuris. Quæ quidem res noua, ac parum necessaria semper mihi visa est: & saltim in sacro nostro Minorum Ordine à quinquaginta annis, & vltra (quod viderim) nunquam consuetudine posita, aut in praxi obseruata, vsque ad tempora nouissimi cuiusdam Doctoris, alias pij, religiosi & docti, & quæstionum regularium diligentis, & curiosi indagatoris, qui secundo tomo suarum quæstion. regular. quæst. 13. artic. 7. nescio qua ratione siue auctoritate ductus, doctrinam & sententiam hanc totis viribus conatus est in sacrum nostrum Ordinem introducere, & dicere quod attestationes, quæ fiunt à religiosis viris quando in id ipsum à proprijs Prælatis astringuntur sub obedientia, & censuris, non vim aut robur habent iuramenti, neque esse iuridicam, quod eiusmodi medijs, & attestationibus stando in puncto, & rigore iuris. Qui & propterea practicari debere suo tempore consuluit, quod religiosi rei, seu cum aliqua ratione adducuntur in testes super aliqua re, iuramentum tenentur præstare (nec dum sub illa forma, qua in Ecclesiastico foro iurare solent clerici) verum & sub ea expressa, qua in sæculari iudicio iurant sæculares: *poniendo la mano en la Cruz, y diziendo que iuran à Dios y aquella Cruz de dezir verdad, &c.* Quæ iuramenti præstandi consuetudo cum noua mihi visa fuerit, & in nostrum sacrum Ordinem (vt videtur) absque necessitate, & sine ratione introducta, contra longissimam contrariam consuetudinem, non potui non in animum meum inducere difficultatem prædictam excitando, & hinc inde rationibus, & argumentis propositis ventilando, vt præsentem articulum non constituerem, in mediumque proponerem. Et quia (vt dicitur) ex oppositione contrariorũ veritas amplius elucescit, pro parte supradictæ opinionis, & omnium à mea sententia discedentium, sequentia vt videtur fortissima argumenta libuit proponere, vt quantum roboris habeant videri possit.

Primum argumentum, † quod 23
pro hac parte potest adduci fundatur in præcisa necessitate iuramenti præstandi, ad hoc vt reo, siue testi fides fiat in iudicio: de quo in iure quam plurima habentur iura iam à nobis relata, ad probationem conclusionis secundi propositi articuli: ex quibus iuribus Doctores Iurisperiti communiter generalem eliciunt regulam, quod testis non iura-

iuratus, nullam prorsus fidem facit in iudicio. Quod adeò quidam credunt esse verum, vt dicant esse id ipsum de iure diuino, ita vt super hoc requisito etiam Summus ipse Pontifex, nullo modo possit dispensare, aut præcipere, quod testes absque expresso iuramento fidem faciant in iudicio, neque valere in contrarium inductam consuetudinem. Cum igitur obedientia, & censuræ, quibus religiosi in suis ordinibus ad dicendam veritatem solent astringi (vt ipsi credũt) vim & robur non habeant, sed neque habere possint iuramenti, colligunt Doctores supradicti, quod stãdo in puncto, & rigore iuris illa haudquaquam sufficiunt, ad faciendam probationem in iudicio, & dicunt omne illud, quod mediantibus eiusmodi attestationibus fit, nulla ratione esse iuridicum: licet religiosi alias ex Summorum Pontificum benignitate, & particularibus suis priuilegijs obseruare non teneantur apices iuris, & procedere possint simpliciter, & de plano, vt dicitur sola facti veritate inspecta: nam hoc (inquit) non est de apicibus, sed de essentia, & substantia iudicij. Hoc est primum ac potissimum argumentum, quod pro hac parte & sententia potest adduci, & vt videtur satis confirmatur, atque corroboratur, per ea, quæ dicit Panormitan. in cap. nuper, & cap. tuis de testibus, & Menoch. de arbitr. quæst. 26. per totam.

24 Secundò † potest sic argumentari ad idem. Nam non quidquid valet in contrarium dicere, quod quãdo religiosis ad hoc vt veritatem dicant opponuntur obedientia, & censuræ, consuetudine etiam est positum, vt addatur in virtute Spiritus Sancti: nam quamuis id ita sit, & ibi expressa Spiritus Sancti mentio fiat, qui vna est ex tribus diuinis personis, non tamen Spiritus Sanctus ibidem in testem, seu in testimonium assertæ veritatis adducitur, at illud est propriè iurare, quod necessarium est in omni iudicio, & quod Deus adducatur in testẽ, iurare enim nihil est aliud, quam Deum in testẽ adducere cum igitur id in proposito casu non fiat, quando apponuntur obedientia, & censuræ, etiamsi addatur in virtute Spiritus Sancti: nec Spiritus Sanctus ibi nominetur ab eo qui fert testimonium, sed ab illo, qui ipsum recipit: liquidum (inquiunt) profectò fit stando in puncto, & rigore iuris, quod non sat sit eiusmodi iurandi modus, ad hoc vt religiosi rei, vel in testes adducti fidem faciant in iudicio.

Tertiò ad idem † sic argumentor: nã non etiam valet dicere, quod obedientia, & censuræ prædictæ æquipolleant iuramento, & iuramenti rationem habeant, postquam afferuntur vt medium ad inquirendam, & indagandam veritatem: in quo casu religiosi ipsi si illam non confiteantur, ac verum dicant, omni proculdubio peccabunt mortaliter: non inquam hoc valet dicere, aut exinde sequitur quod eiusmodi obedientia, & censuræ iuramento æquipolleant, aut depositio sic facta sufficiens sit, ad hoc vt fidem faciant in iudicio: nam etiam sæcularis de veritate dicenda in iudicio interrogatus à iudice sine iuramento, interrogatur in eum finem, vt veritatem dicat, & tam non dicendo in re graui peccabit mortaliter, & tamen eiusmodi depositio sine iuramento facta, non reputatur legitima, aut tale testimonium sufficit, vt eis fides fiat in iudicio. Sequitur ergo quod obedientia, & censuræ, ad hoc propositum non sufficiunt: quin verò necessariò requiritur iuramentum expressum, factum sub ea forma † qua illud præstant regulares, aut 25

clerici,

clerici, in sæculari vel Ecclesiastico iudicio; & quod cuiusuis testis depositio aliter facta, iuramento prædicto non interueniente, nullius sit prorsus ponderis, ac momenti, neque ex ea stando in puncto, & rigore iuris, resultare quidpiam possit, quod sit validum aut iuridicum.

26 Quartò, & vltimò † sic argumentor ad idem, & probo quod depositio religiosi facta sub obedientia, & censuris, non vim aut robur habeat iuramenti. Nam certum est, quod si eiusmodi religiosus in proposito casu mentiretur, quamuis esset mortalis peccati reus, & vt inobediens, puniri posset id ipsum si sibi probaretur: non tamen censeretur periurus, nec vt talis posses puniri, stando in rigore iuris, vt puniretur si mendacium proferret, medio præstito iuramento: sequitur ergo quod obedientia & censuræ, verè & propriè loquendo, non vim aut robur habent iuramenti, ac preinde intentum.

Hæc sunt fortissima quæque argumenta, quæ pro hac parte possunt adduci. Quibus nihilominus non obstantibus (mihi vt videtur) in contrarium est veritas, quæ explicabitur per sequentem conclusionem.

Conclusio.

27 QVamuis in omni † iudicio ad hoc vt testes fidem faciant, necessum sit, quod sub aliqua forma iuramentum præstent: apud religiosos tamen non est necessarium, vt iurent sub ea expressa qua iurare solent sæculares aut clerici; sed sufficit vt ijdem ad veritatem dicendam constringantur sub obedientia & censuris. Huic sententiæ, & opinioni adhæreo, propter fortissimas rationes quibus innititur, & quia in contrarium adducta non solido, aut firmo fulciuntur fundamento, cum vt euidenter probabitur obedientia, & censuræ prædictæ, vim & robur habeant iuramenti, nec quidquam aliud requiritur ad hoc, vt quod mediantibus ipsis fit, stando in omni rigore iuris, sit validum, firmum, atque legitimum. Quod vt plenius notum fiat iuramenti definitionem oportet præmittere. Et dico, † quod iurare nihil est omnino aliud, quam aliquid affirmare, 28 vel negare Deum adducendo in testem, tanquam infallibilem ueritatem, tacitè, vel expresè. Sicque iuramentum dicitur communiter à Doctoribus, quod est affirmatio, vel negatio alicuius, sacræ rei attestatione firmata. Quæ iuramenti definitio desumpta est ex Diui Thomæ secunda secundæ questio. 89. artic. 1. quam etiam tenet Hostienses, & Archidiaconus, quos sequuntur omnes communiter Iurisperiti Doctores, qui & dicunt, quod sacræ rei attestatione, intelligitur ibidem, non solum ipse Deus, qui est Sanctus Sanctorum, verumetiam & quęlibet creatura, in quantum ipsius Dei perfectio in ea relucet.

Ex quo clarè colligitur, quod iurare non contingit vno modo, sed multipliciter: nec ad hoc vt quispiam id ipsum facere dicatur, necessum est vt iuramentum præstet Deũ prædictum nominando expresè, & formaliter, aut sub formalibus verbis (vt dicunt Dialectici) sed sat est, ut iuret uirtualiter, & sub uerbis æquipollentibus: cum intentione tamen iurandi, & se obligandi ad dicendam ueritatem. Volo dicere non esse necessum, quod reus siue testis, expresè, & formaliter dicat, testis est Deus, quod non mentior, aut iuro per Deum & sanctam eius Crucem, hoc aut illud esse uerum: quin uerò sufficit, ut quouis alio modo iuret. Nam si quis (v. g.) diceret ali-

alicui, iura mihi per sancta quatuor Euangelia [illegible] vel illud feceris? & ipse nihil dicens Euangeliorum librum tangeret: ille tactus procul dubio, vim & robur habebit iuramenti, & pro iuramento habebitur, & erit quasi quædam locutio iuratoria, prout tradit expresse Syluester, verb. iuramentum, num. 1. quod multum est notandum, ac memoriæ commendandum.

29 Possumus itaque † iurare per Deum expresse nominando ipsum, siue sanctam ipsius Crucē, vel sancta quatuor Euangelia, aut omnino que virtualiter, iurando per quācunque rē sacram, imò verò & per creaturas ipsas, non secūdum se sumptas, sed inquantum in eis diuina veritas, atq; bonitas relucet. Ex dictis planè colligitur, haudquaquam esse necessariū, vt religiosi rei, vel adducti in testes, iuramentum præstent sub ea expressa forma, qua iurare solent sæculares, aut clerici: sed sat esse, vt quouis alio modo iurēt, sub attestatione alicuius rei sacræ, vel etiam nō sacræ, quatenus in ea diuina veritas relucet. Ad quod propositum, & in huius rei

30 † cōfirmationem cum plura possem adducere exempla, & multa sacræ Scripturæ testimonia, breuitati consulendo ex tam pluribus vnum tantummodo referam, & valebit pro mille, quod habetur Gen. 24 vbi de Abraham dicitur, quod à seruo suo olim desumpsit iuramentū super ipsius fœmur manum superponendo, quod non acciperet filio suo vxorem de filiabus Cananæorū. Quod quidem (teste Abulensi & Lyra) pro eo ab illo factum fuit, quia illa fœmoris pars proxima erat illi, in qua tunc temporis fieri consueuit circuncisio. Sicque manum fœmori apponere cum iurauit, perinde omnino fuit, ac iurare per circuncisionem, quæ erat illius temporis sacramentum, & signum quoddam diuinitus institutum, quo illius temporis homines à [illegible] fideles à cæteris distinguebantur gentibus. Hoc vnum exemplū pro mille adduxisse sufficiat: ad insinuandum & comprobandum, quod, quāuis pro veritate dicenda homines iuramento astringi de iure sit diuino: non est tamen de iure diuino vna sola præcisa, & determinata iurandi forma: quin verò id ipsum contingere potest multipliciter, & quocumodo fiat dummodo tamen fiat per interpositionem alicuius rei sacræ, quæ ad Deum, vel ad aliquam rem sacrā ordinetur; validum ac firmum erit iuramentum, & dicendi veritatem obligationem inducet, & nihil amplius requiritur. Quo præmisso notabili (quod valde est memoriæ commendandum) probatur modò conclusio. Primo à diffinitione iuramenti: nam iuramentum (vt dictum est) est affirmatio, vel negatio alicuius sacræ rei attestatione firmata: sed talis est testificatio, qua religiosi rei, vel adducti in testes sub obedientia, & censuris à suis Prælatis ad dicendam veritatem constringuntur: ergo stando in rigore iuris, & cum omni proprietate, loquendo, ipsa vim, & robur habet iuramenti. Consequentia legitima est, minor autem probatur: nam quis vnquam negare potest, quod † obedientia, 31
qua religiosi ad dicendam veritatem astringuntur sit quid sacrum, cum per eam ipsi à sæcularibus distinguantur, ad eum modum, quo olim Abraham, & Israelitici populi homines per circuncisionem ab alijs gentibus distinguebantur? Si ergo illud iuramentum fuit (vt constat ex dictis in prædicto notabili) & obedientia quid sacrum est, per quod religiosi à sæcularibus distinguuntur: manifestè sequitur, quod eiusmodi testificandi modus, verè & propriè est iuramentum & nihil amplius requiritur, & probatum habetur intentum.

Secun-

32 Secundò probatur † eadem conclusio, à fine prætenso in exhibitione iuramenti, quando mediante eo viri sæculares, siue clerici, ad dicendam veritatem astringuntur. Nam finis prætensus per iuramentum (vt dicit D. Thom. vbi supra, & cum eo omnes vnanimiter Doctores) est eruere, & indagare veritatem, ac iurantem ad eandem dicendam specialiter astringere, & obligare: ita quod præter generalem rationem, qua cuncti in iudicio veritatem tenentur dicere, qui iurat de nouo astringitur, & obligatur ad idem, pro eo quod Deum, seu rem aliquam sacram in suæ veritatis attestationem, seu probationē interposuit: sed hoc idem contingit in religiosis quando à suis Prælatis per obedientiā, & cēsuras ad dicendam veritatem constringuntur: nā de nouo obligantur, & si verum non fateantur nouum peccatum committunt: ergo si idem omninò consequitur finis ex religiosorum pia, & religiosa iurandi forma, atq; in secularibus, siue clericis, quando in sua cōsueta iurant, negare nemo potest quod ipsa vim & robur habeat iuramēti, & verè & propriè dici debeat iuramentum.

33 Tertiò probatur † eadem conclusio ex antiquissima consuetudine, quæ hac de re (vt credo) inoleuit in religionibus cunctis, aut saltim habetur in sacro nostro Minorum ordine: nam cum tot, ac tanti præteritis retro seculis in sacra nostra Religione, & omnibus alijs præcesserint præstantissimi viri experientia, religione, & omni literarum peritia famosissimi, nunquam hactenus vidimus, apud ipsos fuisse consuetudine positum, vt religiosi medio præstito iuramento ad veritatem dicendam astringerentur, sed tantum sub obedientia, & censuris. Si igitur id ita est: cur ergo nunc sine ratione, & causa nouæ in religionib. introducēt consuetudines? Quid est q; religiosi ipsi de nouo inquietentur? Cur eorū iudicia, & iuramēta prçstita nō sub sæculari forma inualida dicentur, & non potius firma, atque legitima, cū apud omnes tot retro sæculis talia semper fuerit dijudicata, & quod iuramenti vim, robur, & firmitatē habuerint? Nonne religiosi omnes iam veluti de iure communi habēt, vt ipsorum causæ simpliciter discutiantur & de plano, & iuxta proprias religionis cuiusque consuetudines terminentur, & quod hac ratione fuerit factum, ratum, firmum, atque legitimum habeatur? Cur non & ijdē nunc in sua tā longæua, & tātorū Patrū consuetudine roborata cōseruentur? Dicendum igitur est (prout in supradicta conclusione est positum) quod quamuis religiosos dū sunt rei, vel adducuntur in testes, iurare sub aliqua forma in eorum iudicijs omninò sit necessarium, non tamen est necessum id vt fiat sub illa præcisa forma, qua iurant sæculares, aut clerici: quin verò satis est vt iuxta longissimam, & antiquissimam religionum consuetudinem, ad dicendam veritatem sub obedientia, & censuris constringantur, & nihilominus suę attestationes erunt validæ, & ipsorum iudicia firma, atque legitima, qualia (vt crediderim) fuerunt semper visa, & iudicata, & iudicabuntur modò ab omnibus peritis, secus autem ab ineptis, & imperitis.

Ad argumenta igitur in contrarium adducto respondeo.

Ad primum quod obedientia, † & censuræ (vt dictum est) vim, 34
& robur habent iuramenti, quo fit vt quamuis testis iuramentum ad hoc, vt ipsius depositio sit valida, ortum habeat à iure diuino (vt argumentum prætendit) adhuc obediētia, & censuræ in id ipsum sufficiūt, cum (vt etiam præmissum est in supradi-

pradi-

proposito notabili) de iure diuino non sit vna tantum iurandi forma, sed multiplex, & vtcunque id fiat, & sub quacunque forma iuramentum præstetur, modò id fiat cum interpositione alicuius rei sacræ, vel ad rē aliquam sacram ordinatæ, eiusmodi iuramentum erit validum ac firmū, & quod hac ratione, sit in omni rigore iuris legitimum.

35 Ad secundum dico, † quod quāuis id ita sit, vt argumentum prætēdit, quod in proposito casu persona Spiritus Sancti non adducatur in testem, nec nominetur ibi à persona testificante, sed ab eo, qui iuramētum recipit: sufficit tamen quod ipse iurans, media obedientia, & censuris, & cum interpositione Spiritus Sancti, ipsius nominata persona promittat se veritatem dicturum, cum tot ibi interueniāt res sacræ, quarum attestatione in id ipsum constringitur, & ad verum dicendum obligatur. Nec valet quidquam dicere, quod religiosus in hoc casu nil verbotenus respondet, sufficit enim quod taceat, & tacendo, & consentiendo implicitè promittat, veritatem se dicturum, circa id quod sibi à Prælato præcipitur, eo modo quod dictum est supra, quod qui iurare per Euangelia compellitur, iurat quidem etiā nihil dicens, sed tacens, manum suā super Euangeliorum librum apponendo. Videatur hac de re Syluester vbi supra, & Arragon. 2.2.q. 89.art. 1.notab.2.

36 Ad tertium respond. † quod religiosus in eo casu, non dicendo veritatem peccabit mortaliter: non solū ex generali ratione, quia nempe mētitus est in iudicio in re graui: verū etiam ex alia peculiari, pro eo, quod infringit præceptum obedientię, quā in sua professione deuouit, cuius vinculum, & obligatio (vt dicit D. Thom. 2.2.quæst. 89. art. 8. & cum eo omnes vnanimiter Doctores) maior est, quam obligatio cuiuslibet iuramenti. Si igitur id ita est, & obedientiæ vinculum, maius vinculo iuramenti: cur & non quod mediāte ipsa fuerit testificatum, firmum erit, ac si firmatum, seu confirmatum fuisset iuramento?

Ad quartum, & vltimum † respond. quod religiosus in proposito casu peccabit mortaliter, & non solum vt inobendiens, verumetiam & quadam ratione periurus, & quasi falsarius reputabitur, atque vt talis mereretur puniri. Etenim sicut falsum iurare grauissimum peccatum est, pro eo quod iuramentum est religionis actus & ad religionem pertinet: ita & in proposito casu obedientiā infringere, cum & ipsa ad religionem ordinetur, & sit religionis actus. Propter quæ omnia resolutiuè dico, quod religiosorum attestationes factæ sub obedientia, & censuris, vim & robur iuramenti habent, & iudcia quæ apud ipsos hac ratione fiunt, valida sunt, firma, legitima, atque iuridica, stando in omni iuris rigore, neque est cur modò post tot transacta sæcula, religiosi ijdem noua vtantur iurandi forma, & sine ratione, & causa legitima hac super re inquietentur. 37

ARTICVLVS V.

Vtrùm testes ab ipsisimet iudicibus siue Pralatis debeant examinari?

Prima Conclusio.

TESTES non solum † corā iudicibus, & Prælatis sunt producendi, & iuramentum præstare debent: verum & ab eisdē regulariter loquendo examinari, tā in causis ciuilibus, quam in criminalibus, & maximè in criminalibus. Hæc conclusio communis est omnium Doctorum resolutio, & habetur 38

tur expressa in l. 3. §. diuus, ff. de testibus, & l. solam. C. eod. tit. & ibi glossa, item glossa in l. iubemus, la primera, C. de libera causa, & glossa in l. hac consultissima, §. fin. verb. depositiones, C. qui testam. face. poss. & glossa in l curent, ff. de testib. Facit & authenticum apud eloquentissimum, C de fide instrumen. item & authent. definit, §. illud etiam, C. de Episcopis, & Clericis. Cuius conclusionis ratio in promptu est, nam vt habetur in l. quinquaginta, ff. de probationibus, & l. si quando, C. de testibus, probatio eisdem fieri debet iudicibus siue prælatis, & non notarijs aut secretarijs, & in prædicta l. 3. §. diuus, ff. de testibus, dum in particulari fit sermo cum iudice dicitur: Nullus magis quam tu scire poterit, quanta sit testibus fides adhibenda. Hoc itaque certissimum, atque
39 que constitutissimum. Debet † enim prudens, & callidus iudex, attentè considerare in testium examine, qualiter ipsi ad interrogata respondeant ex tempore an præmeditato sermone? qua fronte, quo vultu, quo rubore, qua trepidatione: & vt cautus oportet ipsum cuncta rimari, atque inspicere quinam testes verisimiliora deponant: attentè etiam considerare signa vultus testium, an sint tristes, aut ridentes? Etenim si tristes sint, indicium erit neque paruum, quod ad aliquid falsi testificandum fuerunt subinducti: vt enim dicitur, difficile est non crimen prodere vultu. Per supradicta omnia fulcitur, & corroboratur nostra proposita conclusio: nam cum hæc res tanti sit momenti, regulariter loquendo haudquaquã debet à iudicibus, siue Prælatis prætermitti: quin verò quã maximè oportet eosdẽ per se ipsos testes examinare. Qd tradit pro generali regula Bald. in cap. si quis testium, de testib. & Innocentius ibidem, nec nõ Panormitan. & Felin. in cap. cũ causam, eod. tit. Videatur hac de re ex iunioribus Couar. li. 2. variar. resol. cap. 13. num. 10. & Iulius Clarus lib. 5. §. fin. q. 26. num. 3. vers. sed quæro, & Paz in sua praxi tom. 1. p. 1. in 8. tempore, à num. 98. cum sequentib. Farinac. etiam de testib. quæst 77. à num. 71 cum sequentib. vbi ex professo tractat, an testes in criminalibus, examinandi necessariò sint per iudices, & in quibus casibus id ipsũ sit concedendum aut denegandum notarijs. Videatur specialiter à num. 126. cum seq. item à n. 175 cum seq. vbi ad hoc propositum plura dicit, quæ breuiter resoluentur per sequẽtes conclusiones.

Secunda Conclusio.

IN causis † ciuilibus nõ grauibus, benè possunt iudices, atque Prælati, iusta interueniente rationabili causa testium examen notarijs, siue secretarijs committere. Hæc conclusio probatur per supra dictum cap. si quis testium, de testib. & c. 2. de iudicijs, lib. 7. vbi id ipsum fieri permittitur. Facit ad idem & l. ad egregias, ff. de iure iurando, item & lex Regia 22. tit. 11. p. 3. Quæ quidem commissio, regulariter loquendo, ex genarali impedimento multitudinis negotiorum fieri consueuit: vt dicit Bald. & Salicet. in authent. apud eloquentissimum, C. de fide instrum. & glos. in authent sed iudex, C. de Episcopis & Cleri. Qua de re videatur Felin. in cap cum causam, de testib. nu. 28. & Couarruuias lib. 2. variar. cap. 13. n. 10. Paz in sua praxi tom. 1. p. 1. in 8. temp. num. 100. & Farin in dicta q. 77. de testib. à num. 181. cum sequent. vbi multis id ipsũ probat, & ampliat etiam ad hoc vt procedat ex multitudine testiũ examinandorum. Vnde consuetudine † est positum, & communiter obser- 41
uatur in praxi, quod pars producens

testes

testes coram iudice, postulet ipsorũ iuramentum recipi, & depositionem & examen tabellioni committi: quæ cõmissio statim à iudice fit, & de ea in processus actis debet constare, alioquin nullitas actus induceretur, vt dicunt omnes DD. Iurisperiti cõmuniter. De quo videatur Couarruuias, Paz & Farinacius locis supradictis.

Tertia Conclusio.

41 IN causis † etiam criminalibus nõ mistum grauibus, bene etiam possunt iudices, atq; Prælati testium examen notarijs, siue secretarijs committere, tunc vel maximè quando testes examinandi, fuerint in loco remoto à sede iudicij, aut quando iusto aliquo impedimento detineantur ipsi, ita vt ad iudicem commodè non possint venire. In tali casu iudex bene potest ipsorum examen committere, vel iudici illius loci, seu alij cuipiam personæ graui, vt habetur in l. iudices, C. de fide instru. & in c. cũ causam, de testib. aduertendo tamen, quod id non fieri debet passim, & nisi ex iusta & rationabili causa: cum (vt dictum est) ad veritatem eruendam, ad eo oporteat testes examinari ab ipsismet iudicibus. Qua de re videatur specialiter Farin. vbi sup. à n. 196. cum seq. vsque 201. & à sequenti nu. 202. cum seq. vsque 244. vbi cumulatissimè
43 tractat, quomodo, & qualiter † testes qui fuerint personæ egregiæ, in ipsorum domibus debeant, & possint à notarijs examinari, absque eo quod venire compellantur ad iudicem: & idem iudicium esse dicit de senibus, & infirmis, & alijs quo quo modo impeditis. Et q. 78. à n. 1. cum seq. vsque 292. ex professo tractat, an & quando testes in causis, tam ciuilibus, quam criminalibus cogi possint ad ferendum testimonium, & contra quos: quæ quia longissima sunt, atque iam ex parte in superioribus dicta, consulto in præsentiarũ pretermittuntur, videantur ibidem.

Quarta Conclusio.

QVamuis in sæculari † iudicio & quo ad laicos, testium examẽ ex iusta, & rationabili causa (etiam in criminalibus) à iudicibus aliquando tabellionibus possit committi: in iudicio tamen Ecclesiastico, nisi causa sit vrgentissima, & precisa, id ipsum facere haudquaquam expediret. Huius conclusionis rõ in promptu est: nam Ecclesiasticorum iudicia præ alijs debent esse cautiora & circunspectiora: oporteq; proinde iudices, siue Prælatos testes contra clericos productos, per seipsos examinare, & nullatenus (fieri si posset) eorum examen alijs committere. Hac de re videnda sunt, quæ non minus doctè, quàm erudiè, & piè, dicit D. Segura de Aualos in suo directorio Ecclesiasticorum iudicum, p. 2. ca. 2. nu. 17. vbi multis deplorat, atque lamentatur, & deprauatam vt ipse ait, & detestabilem † consuetudinem, quæ multo clericorum malo, & damno inoleuit in Ecclesiasticis iudicijs, quã in clericorum criminibus testium examen laicis quibusdam, vulgò dictis receptoribus, cõmittitur, in magnum clericorum ipsorum, & iustitiæ detrimentum. Ij enim (inquit) receptores (seu potius criminum, & pecuniarum receptatores) prece, & sæpe, sæpius precio corrupti, dum à iudicibus eisdem testium examen cõmittitur, haudquaquam lingua dicere, vel intellectus capere sufficit, quot delicta, & facinora perpetrentur, quot in dies mala contra clericos ipsos machinentur, atque committantur. Nam præterquã quod testes in iudicum, & prælatorũ absentia examinari, quemlibet audacius infamans, necnon & veritatem

44 (margin, beside "QVamuis")
45 (margin, beside "ipse ait")

faci-

facilius occultant: receptores prædicti in magnum iustitiæ totius detrimentum, & nec modicum clerici inquisiti præiudicium, vt expensas, atque salaria securius percipiãt, testes instruunt, solicitant, & ad dicendum quod voluerint inducunt. é contra verò, si à clericis hospitentur, & in domibus suis recipiantur, ipsorum industria & diligentia, delicta quantumuis enormia improbata relinquũtur. Secus autem, si non recipiantur: nam tunc leuissima, & pene improbabilia inquirere, ac criminare, ac tãdem quoquomodo possunt probare, sũmo satagũt studio. O grande facinus. O delictum quolibet grauissimo supplicio dignum? Ad euitãda igitur eiusmodi mala & quam maxima inconuenientia, oportet (inquit prædictus D.) è medio tolli deprauatam dictam consuetudinem, & in clericorum criminalibus causis, testium examen haudquaquam eiusmodi receptoribus committi: quin verò fieri (vti tenentur) ab ipsismet Prælatis, siue iudicibus. Aut si quando necessitas aliud exposcat, vt pote si testes ad iudicij locum nullatenus possunt venire, seu alia iusta, & rationabili causa, multum vrgenti, & precisa, contrariũ facere oporteat, quod testium examen prædictis receptoribus clericorum amicis, vel inimicis non cõmittatur postquam & laici ipsi, ac iure à ferendo testimonio cõtra clericos repelluntur: sed vel iudici illius loci, in quo testes sunt examinandi, aut alicui parochiali præsbytero, seu alij honesto, & literato viro, in dignitate aliqua constituto, vt eo præsente, vidente, & approbante testium depositiones, à notarijs, siue receptoribus ipsis subscribantur. Quo obseruari dicit D. supradictus apud Lusitanos, & Couarruu. lib. 2. var. ca. 13. nu. 10. optare se dicit, vt & fieret etiam in sæculari iudicio. Ad quod propositum videãtur quæ dicit Siman. de catho. instit. tit. 64. n. 11. nempe quod in suo Inquisitorum tribunali id omninò communiter obseruatur in praxi: & testium examen coram eisdem inquisitoribus fit: etsi quando necessitas aliud exposcit, coram duobus religiosis, & discretis viris id ipsum fieri pręcipitur. Quę supradicta omnia, si ita fieri conuenit in Ecclesiastico iudicio: in clericorum criminalibus causis: quanto magis & id ipsum erit expediens obseruari à regularibus Prælatis, pro expediendis, & determinandis suorum subditorum causis?

ARTICVLVS VI.

De modo & forma, qua formandus est libellus, pro examinatione testium.

Prima Conclusio.

TESTES examinari debent, † tam in causis ciuilibus, quã in criminalibus, per sua proposita à partibus interrogatoria. De 46
veritate huius conclusionis, videatur Paz in sua praxi tomo. 1. p. 1. in octauo tempore à num 60. cum sequentib. vbi agendo de causis ciuilibus dicit, quod postquam iudex probationis sententiam interlocutoriam protulerit (de qua nos etiam aliquid dicemus infra quæst. 22.) tabellio, siue notarius, statim illam vtrique parti intimat, vt vtraquæque concipiat suos articulos, iuxta quos testes debẽt examinari. Actor scilicet iuxta suæ petitionis libellum, illum sigillatim diuidendo in breuia membra, clara, atque distincta per verba affirmatiua, iuxta id, quod dicit Speculator tit. de teste, §. nunc videndum, nume. 18. E diuerso verò reus, suos etiam concipit articulos, iuxta libellum suarum exceptionum: nam arti-

47 articulus † in proposito nihil est aliud, quam quod .:n intentioni pars continens id quod quis probare intendit per testes, vel scripturas, secundum Baldum in l. generaliter, §. sed iuramento, C. de reb. credit. num. 3. & Glossa & Doctores in ca. secundo, de testibus lib. 6. qui quidem articuli apud nos Hispanos sermone dicuntur, *Interrogatorios de preguntas*. Et quod in prædicto loco dicit prædictus Paz de causis ciuilibus, in eodem primo tomo 5. part. cap. 3. §. 8. numero 1. & 2. intelligendum etiam esse dicit de causis criminalibus: de quo videatur etiam Farinacius, de testibus, quæstio. 73. à numero 1. cum sequentibus, vsque 74. vbi agit de interrogatorijs pro examinandis testibus faciendis, vbi dicit quid sit interrogatorium, plures afferendo interrogatorium eorundem species, quæ quidem omnia cum non multum ad præsens nostrum faciant propositū, breuitatis gratia prætermittuntur. Et breuiter dico, quod pro exami-
48 nandis † testibus, tam actor, seu accusator pro probanda sua intentione, quam reus pro sua defensione ex proprijs cuiusq; libellis extrahere debent sua interrogatoria, per quæ testes examinentur, ipsa mēbratim & sigillatim in articulos quosdam diuidendo (vt diximus) per verba breuia, clara, & distincta, affirmatiua vel negatiua. In quorum omnium capite, siue principio, prēmitti debet partium, siue partis cognitio, à qua, vel à quibus, contra quam, seu contra quas, eiusmodi testes producuntur. Nam de quibus testis non cognoscit, haud congruè testificari potest, vt habetur in cap. cum causam de testibus, & cap. secundo, eodem titu. lib. 6. verb. interrogatoria. De qua partium cognitione videatur Farinacius, de testibus, quæst. 71. à nu. 32. vsque 60. vbi plura dicit, eaque notatu dignissima. Post partiū autem cognitionem, in primo articulo propositam, in secundo & sequentibus, ponuntur omnia, & singula essentialia, & substantialia in proprio cuiusq; libello contenta, vt si (v. g.) quispiam accusatus fuerit quod aliū hasta, seu gladio percussit post cognitionē partium in 1. art. positam, in secūdo statim debet proponi, an sit verum, q̄ Petrus tali die, hora, tali loco, coram tali, vel tali persona, Paulū fuerit comminatus, quod eundem esset percussurus hasta, vel gladio? Deinde tertio loco, an idem Petrus tali die, tali hora, &c. secreto fuerit visus cum hasta vel gladio? Quarto, an eodem die, & hora, idem Petrus, clamore exorto ex parte Pauli, visus fuerit eundē percutere, aut saltim fugere? Et sic reliqua omnia per ordinem eo modo, quo fuerint in libello ab accusatore oblato contenta. Idemque est dicendum de interrogatorio oblato ex parte rei pro sua defensione, mutatis mutandis, nam hæc non amplius possunt, aut debent prolongari.

Secunda Conclusio.

NOn omnes † testes circa omnes articulos indistinctè sunt interrogandi, sed eorum quilibet prout de eo in processu fuerit adnotatum. Hæc conclusio potius indiget explicatione, & declaratione, quam probatione. Et pro illa suppono, quod testes quandoque super toto processu, & causa, quandoque verò super vno, aut altero articulo tantummodo præsentantur, id quod & in processu habet adnotari, vt obseruat communis praxis. Ita quod si testes super toto negotio, & causa fuerit productus, id ipsum in processu apponitur, sin verò super vno, aut alte- 49

ro

ro tantum articulo, id ipsum similiter adnotatur. Iuxta quæ testiũ examen sic exordiri habet. Ioannes (v. g.) testis productus super processu, & tota causa, vel aliter N. productus super tali, & tali articulo, coram tali iudice, aut eius vicem gerente, & tali tabellione, præstito iuramento examinatus, & vt veritatẽ diceret adhortatus: interrogatus super primo articulo, dixit, &c. Interrogatus autem circa secũdum dixit, &c. & sic similiter de alijs. Aduer-
50 tendum † etiam est, quod quæ testiũ quilibet deposuerit, siue testificauerit, eisdem verbis, grossis, siue politis describenda sunt, quibus proferuntur ab ipsis, & quod tanquam certum protulerint, tanquam certum etiam est scribendum: quod autẽ cõiectura aliqua, siue credulitate nosse se dixerint, id similiter literis est prodendum, & siue sic, vel aliter fiat, quę dixerint proprio suo subscribenda sunt nomine, postquam ipsorum depositio relata sibi fuerit, pro vt vulgo dicitur de verbo ad verbum, seu à capite vsque in finem: interrogatione etiam præmissa, an omnia ita se habeant, & an velit aliquod addere, vel minuere, & quidquid dixerit subscribendum est. Et loco testis scribere nescientis, apponi debet, ꝙ scribere ipse nesciret, aut eius subscriptio ab alio suppleri, si id videbitur expedire, aut subscriptionis loco signum aliquod apponi. Hęc sunt quę circa propositum articulum communiter obseruantur in praxi, de quibus videndus est Paz in sua praxi tom. 1. part. 1. in 8. tempore, à num 60. cum sequentibus, & Farin. quæst. 73. de testibus à num. 1. cum sequentibus, vsque 74. quibus in locis reperire licebit omnia, quæ ad hoc propositum possunt desiderari.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm testes in summario iudicio examinati, debeant iterum in plenario reproduci, & examinari?

Conclusio.

CERTISSIMVM, atque 51
constitutissimum est, quod testes in summario iudicio recepti, & examinati, in plenario medio præstito iuramento, debent iterum examinari, & reproduci, seu quod vulgò dicitur ratificari, & quod aliter non fidem faciunt in iudicio, nec reputantur idonei & legitimi. Hæc conclusio communis est omnium Doctorum resolutio, de qua specialiter videndus est Panormit. in cap. bonæ el primo, de testibus, & Bart. in l. fin. ff. de quæstionibus, Hippolitus etiam in sua practica crimi. §. nunc videndum, num. 19. Follerius in sua etiam pract. crimin. 1. part. secundæ partis num. 1. vers. demum repetantur testes, Paz etiam in sua praxi, tom. 1 part. 5. cap 3. §. 9. de repetitione, & ratificatione testium, à num. 1. cum sequentibus. Cuius
conclusionis † ratio in promptu est, 52
quia testes summariæ informationis recipiuntur parte aduersa nõ citata, contra id, quod habetur in cap. secundo de testibus, item & eiusmodi testes summariæ informationis, recepti fuerunt ante contestatam litem contra textum in dicto capit. secundo, de testibus, & capit. primo, & capit. quoniam frequenter in principio, vt lite non contestata, ac ideò nisi medio iuramento ratificentur, non probant, aut fidem faciunt in iudicio: cum sit contra expressum iuris ordinem pręscriptum. Quod adeò verũ est, vt placeat pluribus, ijsdemque grauissimis DD. ꝙ

quamuis in causis ciuilibus, sufficiat, quod testes parte non citata recepti, seu ante contestatam litem à partibus ipsis pro productis, & legitimis habeantur: in criminalibus tamen (inquiunt) id ipsum non sufficit: nec fieri potest, vt testis in summaria informatione receptus, ex consensu, & approbatione delinquentis, pro legitimè producto habeatur, vt fidē faciat in plenario iudicio: quin verò necessario requiritur, vt re ipsa repetatur, reproducatur, siue ratificetur, pro eo quod (vt ipsi credunt, & habetur in l. si non defendantur, ff. de pœnis, & à Glossa in l. pactum inter hæredem, verb. cum liceat, ff. de pa-
53 ctis) non potest † in causa criminali reus suis defensionibus renunciare, cum id vergat in præiudicium suæ personæ, siue status: argumento textus in l. liber homo, ff. ad l. Aquiliā, & in l. Cornelia, §. fin. ff. de sicarijs. Quibus & accedit alia ratio, nam cū eiusmodi testes, non citata parte, seu ante contestatam litem fuerint recepti, contra iuris ordinem præscriptū, ac proinde ipsorū depositiones, siue attestationes prorsus fuerint inualidæ: & iuxta iuris regulam quod à principio nullum fuit, tractu temporis non conualescat: hinc haud incōgruè colligūt supra.d. Doct. testiū attestationes, siue depositiones, ex solo partium consensu reualidari nō posse (nec enim (inquiunt) reualidari dici potest, id quod nūquam valuit) absque eo quod eiusmodi testes in plenario iudicio iterum producantur, testificentur, ac ratificentur. Videatur hac de re Anto. Gom tom. 3. variar. de probat. delict. ca. 13. num. 33. & Paz vbi supra, vbi habentur plura satis notatu digna.
54 In qua testium † ratificatione, testes in summario iudicio recepti, & examinati, vt ne postea in plenario varient, siue vacillent (vt supra diximus) bene possunt se ad primam depositionem referre, vel ante ratificationē petere à iudice primam attestationem sibi exhiberi: id quod & facere consultissimum erit, cum hominum memoria adeò sit labilis, fragilis, & infirma, ne si quid postea in sua ratificatione diuersum, aut contrarium primæ attestationi dixerint, sceleris arguantur, & periurij pœnam forsan subire cogantur. De forma & praxi, quę in hac testium ratificatione, propter specialem rationem, & ad maiorem reum, & veritatis indaginem obseruatur in iudicio & tribunali sanctæ Inquisitionis videatur Simanc. de chatol. institut. tit. 64. num. 24. & 25.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm testes extra terminum probatorium, & diebus feriatis examinari possint, & de facto examinati an probent?

Prima Conclusio

TESTES † examinati extra terminum probatorium, regulariter loquendo non probant. Hęc conclusio est expressè Farinacij quæst. 80. de testibus, à num. 60. cum sequentibus, vbi hoc tradit pro generali regula, & probat eam multis Doctorum auctoritatibus, sed præcipue Mascardi lib. 1. de probat. concl. 5. num. 66. vbi dicit esse hanc sententiam, & esse communem, imo itaque magis procedere in criminalibus, & esse hoc veram ipso iure, etiam parte nihil opponente. Nam testes post terminum probatorium examinati, & lapso iā termino legali, seu statutali, aut à iudice dato, & determinato, de iure communi loquendo non probant, prout tenet Aretinus in cap. licet causam, de probat. n. 6. & 42. ponderando 55

ver-

verbum nullum ... ibidem positum & secundum ... Doctores eorum depositiones ... non potest tacitè, nec etiam expressio partium consensu. Hæc supradictus Farinacius. Sed postea limitat supradictam
56 regulam, vt non † procedat in causis summarijs, & beneficialibus de æquitate canonica, pro quo citat Imolam in dicto capit. licet causam, de probatiouibus, num. 28. vers. sed in causa non criminali: licet (inquit) non desint qui contrarium dicant, & quod etiam in causis summarijs, & in quibus proceditur simpliciter, & de plano, & sine strepitu, & figura iudicij, testes post terminum probatorium examinati non etiam probant: quod tenet Aretinus in dicto cap. licet causam, num. 36. & 37. & Felin. nu. 18. in fine, vers. limita quar-
57 to. Secundo limitat regulam generalem prædictam, vt non procedat, quando testes sunt in promptu: nam tunc etiam post terminum possunt examinari, vt tenet Imola in dicto cap licet causam, de probatio. num. 28. & Felinus numero 18. quia (inquiunt) modica mora optimè purgari potest: ac ideò quando pars in continenti, post lapsum terminum probatorium testes produceret, bene
58 probant. Tertiò limitat eandem regulam, quando testes essent iurati intra terminum probatorium, & examinati post ipsum: nam & tunc bene probant, etiam nulla facta diligentia per partem, circa illos examinandos intra terminum probatorium: quod probat prædictus Farinacius multis Doctorum auctoritatibus, licet (inquit) non desint qui dicant contrarium, & pro eisdem componendis multa dicit, quæ per tempus referre non licet: videantur ibidem à dicto numero 60. vsque 91.

Secunda Conclusio.

Communiter etiam & regulariter loquendo † testes & exa- 59
minari non possunt diebus feriatis, & de facto examinati non probant. Hæc etiam conclusio est supradicti Farinacij, loco vbi supra à numero 55. cum sequentibus, vbi & probat eam multorum auctoritatibus. Sed præsertim hac speciali, & efficaci ratione: quia (inquit) testium receptio, & examinatio, est actus iudiciarius, qui proinde diebus feriatis expedìri non potest aut debet. Et addit, quod inter alias, vna ex obiectionibus, quæ testibus possunt opponi, est quod fuerunt examinati diebus feriatis. Quod secundum aliquos Doctores ampliandum est, ad hoc † vt procedat (necdum in 60
diebus feriatis, & introductis propter honorem Dei & Sanctorum) verumetiam in feriatis fauore hominum. Quamuis tamen hoc ita sit: postea limitat Farinacius prædictus dictam generalem regulam, ad hoc 61
vt non procedat, † quando testes iurarunt in die iuridico, & examinati fuere postmodum in die feriato: nam tunc (inquit) bene probant, & in isto casu attenditur dies iuramenti, non autem examinis, siue depositionis, iuxta Glossam in Clement. 1. de offic. & pot. iudic. deleg. verbo, iudices, versic. & talis actus, vbi hoc notat Imola & plures alij Doctores, quos refert prædictus Farinacius vbi supra, quod esse dicit verum siue dies, in quo examinatur sit feriatus propter honorem Dei, siue verò fauore hominum. Quod etiam tenet Speculator tit. de ferijs, §. sequitur, versic. quid si sciuit, & Felinus in cap. licet causam, de probationib. num. 19. versic. item quando inscribitur, & Bart. in l. si quando, numer. 2. C. de testibus, vbi dicit quod

propterea nunquam practicatur per notarium scribi diem depositionis testium, sed tantum diem iuramenti. Cuius quidem resolutionis pulchra
62 etiã reddi potest ratio, † quia fides, & auctoritas testimonij à iuramento tanquam à radice dependet, sicut & mors procedit à vulnere, & retro trahitur: idem ergo dicendum est de crimine testium, & quod non attendi debet dies depositionis, sed iuramenti præstiti à testibus.

Alias etiam limitationes adducit Farinac. ad regulam generalem prędictam, vt non procedat quando testes examinarentur die feriato ex consensum partium, aut quando es-
63 set periculum † in mora, vt (v. g.) in testibus valetudinarijs, vel statim absfuturis, & quando procederetur iuris ordine nõ seruato, sed priuilegio aliquo prætermisso, quæ omnia multis cõfirmat Doctorum auctoritatibus, quæ poterunt videri ibidem à dicto num. 55. vsque 59.

ARTICVLVS IX.

Vtrum testes tradere possint suas depositiones in scriptis, & an necessario debeant per extensum examinari, item & an vnus testis possit se ad alterius depositionem remittere?

Prima Conclusio.

64 TESTES † regulariter loquendo, non possunt suas depositiones tradere in scriptis, sed viua voce debent examinari, & contrarium si fiat non probant. Hæc conclusio est supradicti Farinacij dicta quæst. 80. de testibus, à numero 27. cum sequentibus, quã probat per textum expressum, in cap testes, 3. quæst. 9. vbi hoc idem tenet Turrecremata in summario, & Pręposit. in primo notab. & omnes Doctores communiter. Facit & ad idem textus in cap si primates, & ibi glossa, verb. scripta, 5. quæst. 2. & cap. per scripta, 2 quæst. 8. quæ iura licèt expressè loquantur de accusatore, etiam procedunt, & locum habent in teste: quia verò de accusatore, & de teste, habetur id ipsum expressè in cap. à nobis, qui matrim. accus. non poss. vbi idem tenent omnes communiter Doctores amplian tes supradictam generalem regulã, vt procedat etiam si testes prius sint iurati, & postea per scripturam deponant. Quod tenet expressè Bald. in l iurisiurandi, C. de testibus, nu. 3. & Salicet. ibidem, num. 8. vbi reprobat Bartolum tenentem cõtrariũ per textum in l. Theopompus, ff. de dote præleg. & respondet in contrarium allatis ab ipso, dicẽdo, quod sit sermo de testificatione extraiudiciali, & non de ea, quæ fit in forma, & figura iudicij. Circa controuersiam prædictam multa dicit Farinac. quæ per tempus referre non licèt, videantur ibidem. Quibus nihilominus nõ obstantibus priori opinione retenta, tanquam veriori & communi, constituit generalem regulam, quod testes non possunt dicta sua tradere in scriptis: quam dicit procedere, non solum in testibus qui sunt præsentes in loco iudicijs verum, etiam & multomagis in absentibus, † qui 65
per literas & per scripturam iudici transmissam, non possunt suas depositiones tradere, & id si fiat, dicit quod nihil probant: nam testes non solum viua voce, & non per schedulam, siue per scripturam, verum præsentialiter coram iudice debent testimonium ferre, per supradictum cap. testes, 3. quæst. 9. cuius sunt, quæ sequuntur expressa verba. Testes per quamcunque scripturam testimoniũ non proferãt, sed pręsentes de ijs quæ viderunt, & nouerunt, veraciter testimonium dicant: vbi videnda est Glossa, verbo, sed præsentes, dicens

dicens hoc magis procedere in causis criminalibus, in quibus testes necessario esse debent præsentes. Quod etiam tenet Archidiacon. ibidem, numero 6. & Præposit. numero 8. & omnes Doctores communiter, ad quod etiam est textus expressus in cap. à nobis, qui matrimo. accusa. non poss. vbi id ipsum tenent omnes Doctores communiter. Ex quibus omnibus infertur (inquit Farinacius) quam modica, aut prorsus nulla fides adhiberi debeat, illis chartulis quas iudicibus, siue Prælatis mittere solent nonnulli à iudicio absentes, pro veritate facienda super aliqua re. Quibus merito potest dici, id quod communiter dicitur, quod fides non facit fidem, & quod eiusmodi fides quatuor patiuntur defectus. Primus citationis secundus iuramenti: tertius præsentiæ: quartus quod non viuâ voce deposuerunt: quæ omnia necessaria sunt in testibus. Facit & pro prædicta conclusione, quia vt habetur in l. de minore, §. plurimum, ff. de quæstionibus, & nos etiam iam supra latissimè diximus, iudices, quam maximè fieri poterit, videre debent ipsos testes examinandos, sibi vt constet, quo vultu, qua trepidatione loquantur, quod fieri nullatenus posset, si testium depositio traderetur in scriptis.

Sed nihilominus quamuis omnia superius dicta vera sint, supradicta tamen generalis regula, aliquas etiam patitur limitationes, quarum
66 est prima, vt non locum † habeat in muto ex accidenti, qui tamen cum sciat scribere testificari potest, & dictum suum tradere in scriptis. Se-
67 cundò quando testis antequam † dictum suum tradiderit in scriptis, iudici vel tabellioni illud proprio ore legerit: hoc enim fieri posse, tradit expresse Baldus in l. iurisiurando, C. de testibus, numero 3. & in eum sensum declarat Bartol. in l. Theopompus, ff. de dote præleg. dicentem, quod testis dictum suum potest tradere in scriptis. Tertio quando testis iudice, & etiam parte non contradicente, in ipsius iudicis præsentia sui testimonij scripturam porrigit, dicitque ita testificari, prout in ea continetur. Quartò quando agitur de probanda alicuius fama extraiudicialiter, tunc enim fieri potest testimonium in scriptis, prout tenet Felinus in cap. de testibus, eodem tit. numero 3. Quintò quando testes deponunt de peritia artis, seu quando negotium est valde implicitum, & inuolutum, tunc enim testes suam depositionem tradere possunt in scriptis & probant, dummodo illam prius perlegerint iudici. Multa alia ad hoc propositum dicit Farinacius prædictus, quæ videri possunt ibidem, à dicto num. 27. vsque 54. nam omnia per tempus referre non licet.

Secunda Conclusio.

Testes † per extensum debent 68
examinari, & aliter examinati non probant. Hæc etiam conclusio est supradicti Farinacij dicta quæstione 80. de testibus, à numero 99. cum sequentibus, vbi dicit opponi posse contra testes, quod non sunt per extensum examinati. Quod probat per Hostiensem in capit. nihil obstat, de verb. signific. num. 6. & 7. vbi hoc expresse dicit, arguendo de lege ad teste, quia (inquit) sicut lex scribenda est per consequentiam literarum & nō abbreuiatim, vt euitetur falsitas, iuxta l. 1. §. fi. ff. de veteri iure enucl. ita etiā & testis depositio per extensum scribenda est, cum in ea maius sit periculum, quam in scriptura legis, cu-

tes ex eius exemplar, ad quod potest haberi recursus, iuxta capit. vt veterum, dis. inct. 8. Cum ergo testimonij præstiti à teste nullum aliud restet exemplar quam scriptura notarij, curandum maximè est vt testimonium nullatenus recipiatur, nisi per extensum, argumento textus in cap. quiescamus, dist. 42. & in l. 1. §. 3. ff de carbon. edicto. vbi hoc idem dicunt omnes Doctores communiter, reprehendentes tabelliones contrarium facientes, & dicentes malè eos agere non scribendo dicta testiū per extensum & ad longum, ad euitandum laborem: de quo specialiter videatur Rebuff. tract. de testib. tit. 1. Glossa 10. nū. 69. vbi reperire licebit ad hoc propositum multa notatu dignissima.

Ex qua prædicta resolutione, inquit Farinacius, inferuntur duo quā maximè etiam notatu digna. Primum, † quod non probat testis dicens omnia in articulo contenta esse

69 vera prout in ipso continentur, quia testium dicta (vt dictum est) scribi debent per extensum, & iudex debet considerare ipsorum sermonem, & vocem testium, constantiam, siue trepidationem, vt videat qualiter deponant, & quanta fides illis debeat adhiberi, quod quam maximè verum habet, si sui testimonij non sufficientem, atque concludentem reddiderint rationem: nam id ipsum si fecerint certè probabunt. Secundò infertur, quod non etiam probat testis, † qui in sua depositione remittit se ad depositionem alterius testis, etsi

70 ipsius testimonium per extensum sit scriptum per notarium, & hoc ipsum idem notarius in alio testimonio scripserit, & per pigritiam dixerit N. testis examinatus dixit, & deposuit prout primus, in cuius cōfirmationem se subscripsit. Eiusmodi depositio relatiuá ad depositionem alterius (inquit Farin.) non valet neque approbatur à iure, vt multis probat, & concludit Hostien. in cap. nihil obstat, de verborum significatione, à numero 2. cum sequentibus, vbi dicit quod Vrbanus Quartus, & Clemens etiam Quartus videntes hanc notariorum pigritiam in recipiendis dictis testium communi vsu receptam, illam expressè reprobarunt, & propterea talis pigritia in Curia Romana non admittitur, & testimonium sic receptum improbatur. Et Hostiens. hoc dicentem sequuntur omnes DD. communiter, licèt non etiam desint contrarium qui dicant, & admitti posse testimonium secundi testis, deponentis se dixisse, prout primus dixit, in quod afferunt quam plures rationes adductas per Hostienses in dicto ca. nihil: quin verò & dicunt ita communiter obseruari in praxi, licèt melius faciat notarius, qui totum testis dictum per extensum scriberet, de qua controuersia videatur Farinacius supradictus loco vbi supra, numero 103. & 104.

AR-

ARTICVLVS X.

Vtrum testes secretè, & singulariter necessariò debeant examinari, & an examinari possit quispiam constitutus in mortis articulo?

Prima Conclusio.

TESTES singulariter, & secretè debent examinari, & aliter examinati regulariter loquendo non probant. Hæc conclusio est supradicti Farinacij, dicta quæst. 80. de testibus, à nu. 92. cum sequentibus, vbi tradit pro regula, quod licèt testes parte præsente, vel ad minus citata debeant iurare, prout dixit supra quæst. 74. nu. 42. non tamen parte præsente debent examinari, sed nemine audiente, & secretè, exemplo Danielis, qui sic secretè examinauit iniquos illos senes, qui falsũ testimonium contra Susannam deposuerunt: pro quo adducit Glossam in l. si quando, C. de testibus, verb. voluerit, vers. dictum autem testis, & inquit quod ita obseruat generalis cõsuetudo, pro qua quam plures adducit DD. & facere dicit pro prædicta regula textum in l. nullum, verb. secretum, C. de testib. Et quod testes singulariter, & secretè debent examinari, & non in simul in turba, & aliter examinati nihil probent ostendit Farinacius prædictus sequentibus rationibus. Primò quia dum insimul examinantur, datur materia deponendi falsum. Secundò quia potest inter eos exoriri varietas, & contradictio, & ex contradictione contentio, & vocum exaltatio, & sic partes possunt audire, quæ dicuntur: quod est contra regulam, qua iubentur testes secretò examinari. Et tertiò & vltimò, quia dum sic insimul examinantur, etiam datur occasio, vt per eundem præmeditatum sermonem deponant, & vltra omnes prædictas rationes pro hac resolutione facere dicitur text. expressus in capit venerabili in fine, de testibus, vbi videnda est Glossa, Hostiensis, Ioan. Andr. Abb. Aretin. Felin. verb. sigillatim, & idem tenet Speculator titulo de testibus, §. nunc tractandum in principio, numero 9. Qua de re videatur etiam Mascard. lib. 2. de probat. concl. 611. numero 2. & Farinac. vbi supra, numero 94. Qui tamen in sequenti numero, 95. cum sequentibus prædictæ generali regulæ nonnullas affert limitationes quarum est prima, vt non procedat quando causa est multum ardua, in qua † notarius, siue iudex ad hoc vt 72
ne vnquam de eius fide dubitari cõtingat, quod non dixerit, seu scripserit verum, ad cautelam in testium depositione adhibere poterit duos viros fidedignos, vt tradit Bald. in supradictam l. nullam, numero 5 C. de testibus, quod etiam consulit Felin. in capit. venerabili, numero 1. de testibus, & Abb. in capit. cum causam, numero 5. eodem titulo ea lege vt eiusmodi viri fide digni iuramentum præstent, secretas tenendi depositiones testium. Secunda limitatio est, vt non procedat in causis summarijs, in quibus non alia plublicatio requiritur. Tertiò limitatur etiam supradicta generalis regula, quia licèt testes secretè examinari debeant, non tamen propterea testes examinati parte præsente non probant, sed tantum concluditur, quod pars, quæ fuit præsens postquam testificata didicerit, non amplius potest alios producere testes: quod tradit Aretin. in d. c. venerabili de testibus, numero 3. vers. licèt autem pars, post Glossam in l. minimè, ff de legibus, & Bart. in l. si quando, C. de testib. de quibus omnibus videatur

deatur Farinac. vbi supra, à dicto n. 92. vsque 98.

Secunda Conclusio.

73 COmmuniter, & regulariter † loquendo, testis constitutus in mortis articulo, examinari non debet. Hęc ēt conclusio est Farinacij dicta quæst. 80. de testib. à nu. 105. cum sequentibus, quam probat multis Doctorum auctoritatibus, sed pręcipuè hac vt videtur efficacissima ratione. Quia testi constituto in mortis articulo, communiter & regulariter loquendo, iam memoria, & intellectus defecit, & efficitur quasi mutus, & nec viuus, nec mortuus dijudicatur, mortisq; timore oppressus, potius mortuo, quam viuo similis est, & morti propinquus pro mortuo à iure habetur, & quasi ab omni intellectu alienus. Nec obstat (inquit) quod morti proximus mentiri non præsumitur, neque immemor esse salutis æternæ, ac proinde congruentior videtur esse testis: nam non propterea omnes morientes semper vera dicunt, aut præsumuntur esse quasi S. Ioannes Euangelista, aut Baptista, & in contrarium adducta procedunt (inquit) quod iam morientes non mentiri præsumuntur in sui præiudicium, non sic autem in præiudicium alterius. Hæc & multa alia Farin. vbi supra. Circa alia non est par omnium Doctorum consensus: quin verò inter Iurisperitos magna est lis, & controuersia, circa hoc cui potius sit credendum, testi sano, an verò in mortis articulo constituto? Qua de re prædictus Farinacius loco vbi supra, quinque nec minus affert DD. opiniones, quibus breuitatis gratia prætermissis, vera resolutio est: quod testes (vt dictum est in conclusione) communiter & regulariter loquendo non sunt examinandi in mortis articulo propter rationes superius adductas, quia nempe mortis timore, & dolore cruciati, vt plurimum ita sunt mente, & corpore grauati, vt in suo sano intellectu esse haudquaquam verè dici possit, vnde illud tempus non est congruum: quin verò valde periculosum ad ferendum testimoniũ. Cum quo stat quod si certò constiterit, quod quis etiam in mortis articulo constitutus, in suo sano sit intellectu, & nullo modo à mente alienus non incongruè dici poterit, quod plus probet, & magis illi sit credendum, quam alij non in simili statu existenti, cum infirmitas sit quasi quædam speciali conscientiæ tortura, certior, tutior ac firmior, quam illa quæ reis per fidiculas, & cruciatum corporis infertur: qua quidem ratione in hoc casu multum iudicis arbitrio relinquitur: an eiusmodi testimonium sit admittendum, & probet, necne? Qui propterea iudex probè considerare debet infirmitatis statum, & an infirmus, in suo sano sit intellectu, an verò mente vagetur, memoria lãguescat, sit lingua balbutiens & inarticulata, & alia his similia.

ARTICVLVS XI.

Quantus esse debeat numerus testium, in qualibet causa tam ciuili, quàm criminali examinandus?

Conclusio.

OMNI iure † constitutissimum est, quod testes examinari non debent irrefrænato numero, nec in causis ciuilibus nec in criminalibus. De veritate huius conclusionis videndus est Farinac. supradicta quæst. 80. de testibus à numero 114. vsque 117. vbi multis probat, testium multitu- 74

titudinem esse refrænandam, per text. in capit. significarunt, de testibus in fine, ibi, pro eo quod voluerint effrænatam testium multitudinem refrænare, vbi videnda est Glossa, verb. effrænatam: facit & ad id text. in cap. cum causam quę, eod. tit. de testibus ad finem, ibi, volentes autem effrænatam testium multitudinem refrænare, vbi videnda est Glossa & omnes communiter DD. verb. effrænatam. Facit ad idem & text. in l. 1. §. 1. de testa. Quando te-
75 stium † numerus effręnatus dicatur, tam de iure canonico quam ciuili, tradit Farinac. ibidem num. 115. dicens, quod de iure canonico examinari possint testes quadraginta, per textum expressum in dict. cap. causam quæ, ibi, quadragenarium testium numerum excedere non permittatis. De iure autem ciuili dicit super vnoquoque articulo, recipi posse testes tres, & non plures, per text. in l. quoties, & ibi Bart. C. de naufrag. lib. 10. aliqui dicunt quod examinari possint testes decem & non plures. Videatur Menoch. de arbitr. quæstio. lib. 2. casu 240 num. 4. & seq. & Paz in sua praxi tom. 1. par. 1. in 8. temp. à num. 14. cum seq. vbi de iure huius regni dicit taxatum esse testium numerum vsque ad 30. per legem 7. tit. 6. lib. 4. recop. In Lusitania verò vsque ad 20. per leg. in lib. 2. ordi. tit. 42. §. 1. Sed loquendo de communi praxi dicit, quod iam vsus habet quod in tribunalibus inferioribus, 12. tantum testes in qualibet causa super quolibet artic. recipiantur. Sed hac in re vera
76 resolutio est, id totum † remissum esse iudicum arbitrio, qui secundum causæ magnitudinem, & personarum qualitatem, dijudicabit quis sit sufficiens, vel effrænatus numerus testium, vt tradit Glos. in dict. cap. causam quæ, verb. effrænatam, & omnes communiter DD. Quomodo autem & quo tempore prædictus testium numerus reffrenari debeat: antequam per iudicem examinentur, an verò postea, postquam aliquibus examinatis, videt iudex iam producentis intentionem esse probatam: tradit Farinac. vbi supra numero 116. & 117. in id afferendo multorum locorum consuetudinem & particularia statuta, & tandem dicendo quid circa hoc obseruetur in Romana vrbe, à quibus dicendis breuitatis causa abstineo, & quia poterunt videri ibidem.

ARTICVLVS XII.

Vtrùm testes pro veritate eruenda & dicenda, possint torqueri?

De difficultate præsentis articuli, videatur in primis Ant. Gom. tom. 3. variar. capit. 13. quod est de tortura reorum numero 29. vbi quærit an & quando testis in causa criminali possit torqueri pro veritate eruenda, & Iul. Clar. lib. 5. § fin. quæstio. 25. numero primo, & Farinacius de testibus quæstio. 79. à numero primo, cum sequentibus, vbi hac de re latissimè agit. De quorum omnium resolutione, sequentem statuo conclusionem.

Con-

Conclusio.

77 CErtissimum est, † & omni dubio procul, quod testes pro veritate eruenda possint torqueri. Hæc conclusio communis est omnium DD. resolutio. De qua præter supradictos, videndus est etiam Bosius tit. de tortura testium, num.3. vbi ad hoc propositum reperire licebit plura eaque notatu dignissima. Sed casus, in quibus locum habet eiusmodi testium tortura, ad tria, vel quatuor capita reducuntur, quorum est primus: quando testis in sua depositione vacillat, seu est varius: de quo videatur Iul. Clar. vbi supra, num.4. & Farinac. etiam vbi supra num. 6. qui id ipsum probat per text. in l. ex libero, verb. non vacillante, ff. de quæstionib. sumpto argumento à contrario sensu, vbi videnda est Glossa, & Bart. in summa, & num. 1. vers. si vacillant. Affert in id ipsum Farinac. plures DD. auctoritates, quas breuitatis gratia facio missas. Secundus casus est, quando testis probatur interfuisse alicui facto, & ipse negat: quia tunc etiam potest torqueri per supradictam l. ex libero, ff. de quæstionibus, vbi hoc idem tenent omnes Doctores communiter, sed præcipuè videatur Anton. Gom. vbi supra dicto num. 29. Tertius est casus in seruis, qui (vt tenet communis Doctorum resolutio) indistinctè pro testimonio ferendo possunt torqueri, vt dicit Farinac. & probat vbi supra, num. 4. Idemque est iudicium de infamibus, siue eiusmodi infamia sit iuris, siue verò facti: nam eiusmodi nunquam sine tortura ad testificandum admittuntur: de quo videatur Iul. Clar. vbi supra, num. 2. Quartus casus est in socijs criminis, qui etiam vt dicit idem Iul. Clar. ibidem num. 3. & quæst. 21. num. 11. vers. scias etiam, ad testificandum sine tortura non admittuntur. His casibus addunt nonnulli crimen † læsæ maiestatis, in quo 78
etiam dicunt, quod omnes indistinctè pro testimonio ferendo possunt torqueri: de quo videatur supradictus Farinac. vbi supra, num. 5. sed hoc maiorem requirit disputationem, & quia ea de re particularis pertractatio infra à nobis facienda est, in quæstione de tormentis, pro nunc ab his omnibus consulto supersedeo. Et hæc pro isto articulo, & tota quæstione dicta sufficiant.

Finis Libri Primi.